

BIBLIOTECA
DUCUM

OPERA
S. DIONYSII AREOPAGITAE
CVM
SCHOLIIS S. MAXIMI
ET
PARAPHRASI PACHYMERÆ

A BALTHASARE CORDERIO SOC. IESV DOCTORE THEOLOGO
LATINE INTERPRETATA ET NOTIS THEOLOGICIS ILLVSTRATA.

Tomus Secundus

Mysticam S. DIONYSII Theologiam & Epistolas complectens, cum eiusdem Vitæ Scriptoribus, Operum Vindicijs, & Verborum difficiliorum Onomastico.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXIV.

Cum Priuilegiis Cæsareo & Regio.

EMINENTISSIMO
DOMINO
D. FRANCISCO
CARDINALI
AC
PRINCIPI
A DIETRICHSTAIN
EPISCOPO OLOMVCENSI
PRINCIPI REGALIS CAPELLAE
BOHEMIÆ COMITI
SAC. CAESAREAE MAIESTATIS
INTIMO CONSILIARIO
EIVSDEMQ. REGNORVM AC DITIONVM HEREDITARIARVM
PROTECTORI.



VM non aberraſſe à veritate, CARDINALIS EMINENTISSIME, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, qui, ingenioſo commento, Beneuolentiæ ſororem Audaciam finxit, reipsâ videor experiri. Nam calamus hic meus,

etsi tenuitatis suæ sibi conscius, nimiâ tamen Tuæ Benignitatis arrectus fiduciâ, Prouinciæ nostræ limites ardet transilire: quamquam, cùm ad Palatij Tui fores excubent Humanitas ac Beneficentia, quid mirum, si altero pede vltra limen tam hospitaliter admissus, alterum contendam inferre, delaturus præsertim & sanctimoniâ & eruditione notum iam Tibi DIONYSIVM, qui Areopagitico iudicio, & suo exemplo, me Meum TIMOTHEVM in vtroq; Volumine monet constanter respicere. Ac profectò, si à Vultu Tuo oculum diuerterem, quod sine ingratitudinis notâ facere nequeo, durus atque iniquus in fetum hunc meum videri possim, qui, quæ vnius velut corporis membra, partibus diuellerem; cùm nusquam suauiùs, quàm in augustissimo Tuo amplexu, coalescere possint ac foueri.

Quòd si fortassis requiras, vt pro Tuâ singulari comitate soles, familiariter, quo titulo, hoc tempore, noua hæc veniat Dedicatio; ita respondebo, vt ostendam mei me oblitum, Tui non immemorem. Nihil dicam de argumento, quod cùm delicias habeat sanctimoniæ, atque ipsam, vt sic loquar, Diuinitatis medullam; scio Tibi accidet iucundissimum. Epistolæ CAIO Apostolicâ commendatione celebri, & antiquissimis Ecclesiarum Principibus POLYCARPO, TITO, EVANGELISTAE IOANNI inscriptæ, iure suo à Te legi

legi flagitant. Tacebo veteris Tuæ in me Beneficentiæ monumenta, quæ non sileri modò apud alios pro modestiâ, sed & ipse, pro eximiâ animi magnitudine, mauis ignorare. Illud solummodò dicam, vt primitias huius Operis honores Tui nuper sibi vindicarunt, ita ijdem illi, dum nouis radijs claritatem suam latiùs diffundunt, iterùm me ad se rapiunt atque inuitant.

Notum iam est, quòd PHILIPPVS Hispaniarum TERTIVS, Te quasi suum in terris IVGATINVM habuerit, ijs in nuptijs, quarum non felicitas modò, sed & sanctimonia vigebit consequentium memoriâ sæculorum: quòd fortunatissimo FERDINANDI SECVNDI thoro, è quo Regum sponsæ ac proles sceptro natæ prodierunt, fausta sanctáque non ominatus modò sis, sed videaris exorasse: quòd Te velut sacrum FETIALEM pacti sui coniugalis esse voluerit, Paternarum virtutum æmulator Hungariæ ac Bohemiæ Rex. Hæc, inquam, etiam apud Belgas iam celebrata sunt, ac laudibus propè trita. Nouum hoc inter aliorum acclamationes ego quoque debeo gratulari, quòd ad fortunissimam Imperij sobolem lustrandam sacro fonte, ac de eodem suscipiendam, & Parentis Regis, & Aui Cæsaris, augustissimis auspicijs inuitatus sis.

S. Aug. lib. 4. de Ciuit. c. 11. & l. 6. c. 9.

Summa olim Religio, etſi vana, quam Antiquitas adhibebat infantibus: inducebatur ab illis (vt doctè irridet ſanctus Auguſtinus) Vaticanus, qui vagitu puſionis os aperiret; Dea Cunina, quæ cunas tueretur; Carmentes, quæ naſcentibus fata canerent; Ruma, quæ vber paruulo immulgeret: de Potinâ, Educâ, Pauentiâ nihil dicam. Strenua ab ijs culta, quæ lactenti membris firmitatem ac robur adderet. Sed quidquid vel præſidij vel fauoris à fabuloſis iſtis Numinibus fruſtrà ſperatum eſt, id omne, eóque ampliùs verus Deus, vitæ ac bonorum vnicus atque optimus largitor, per ſacratiſſimas Tuas manus abundantiſſimè voluit communicari. Et quamquam omnis expiatio atque ornatus Baptiſmatis, vim ac decus obtinet à Chriſti Seruatoris ſanctiſſimâ Inſtitutione; quiddam tamen adiectitium illorum tribui ſubinde virtuti qui iſtis adhibentur cærimonijs, nemo poteſt inficiari: ex quo aſſerere poſſe videor, aquas illas ſacri fontis, præter gemmas gratiarum quas habent ſibi proprias, Tuo quoque attactu redditas quodammodò ſplendidiores, vt Pactolum amnem, dum illo ſe Midas abluit, fabulæ prodiderunt fuiſſe inauratum. Iſtud verò quàm amabile, quòd Pientiſſimus IMPERATOR Nepotulum ſuum, vt à ſe ac Parente FERDINANDVM, ita à Te quoque FRANCISCVM velit appellari, quaſi nominis

Tui

Tui communicatione ducat futurum beatiorem: ex quo dum ſequentibus ſæculis FERDINANDVS FRANCISCVS celebrabitur, intelligent poſteri, inter Te ac Cæſarem admirabili beneuolentiæ conſiliorúmq; commercio, arctiſſimam potuiſſe intercedere neceſſitudinem; quam ita temperarent Cæleſtes Charites, vt neq; familiaritas de reuerentiâ quidquam detereret, neque Maieſtas amicitiæ imminueret ſuauitatem. Quod tanti æſtimabit Orbis vniuerſus, vt ſi deliberandum foret inter Imperij Proceres, quid ad dignitatem Tuam illuſtrandam maximoperè facere queat, vix illuſtrius aliquid magnificentiúſque poſſit excogitari.

Atque hæc omnia Tuo Tibi merito deferuntur, CARDINALIS EMINENTISSIME. Te enim DOMVS AVSTRIACA ſuum agnoſcit SAMVELEM: non qui pauxillum olei adferas, vt Sauli lenticulam, de quâ formidolosè Pontifex Gregorius: *Quid eſt quòd lenticulâ olei Saul vngitur, niſi quia in fine reprobatur?* Sed cui à Deo, dum ad DAVIDEM TVVM deſtinaris, demandatur: *Imple cornu tuum oleo, & veni, mittam Te.* vt iam TRES ORBIS GLORIOSISSIMI FERDINANDI (ſi vocem infanti adiecero) ſecundùm Deum Tibi poſſint accinere regium iſtud carmen: *Impinguaſti in oleo caput meum.* caput, à quo, reſpondeat modò felici propagatione fecunditatéque virtutum Poſteritas, corona numquam auferenda.

Lib. 4. Expoſit. in Reg. cap. 5.

Pſ. 22, 5.

Ignoſces,

Ignoſces, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, quòd laudibus Tuis, quas nulla ſatis exaggerabit panegyris, epiſtolæ breuitate derogem. Satis mihi eſt cauſam reddidiſſe, cur meas haſce lucubrationes Nomini Tuo, quaſi ſtrenariâ dedicatione, veniam conſecratum. Quod dum lubens atque obſtrictus gratitudinis obſeruantiæque ergô facio, Tuæ Beneuolentiæ erit agnoſcere, meo minimæ Societatis Voto, omnes nos obſequijs Tuis mancipatos, Tibi diuturnam in terris, ac ſerò tandem immortalem in Cælis apprecari felicitatem. Ita Deum ac Beatum Dionyſium opto propitium. Antuerpiæ, poſtrid. Kalend. Ianuarij anni M. DC. XXXIV.

EMINENTISS^{MÆ} CELSITVDINIS VESTRAE

Seruus ac cliens

Balthaſar Corderius.

ELENCHVS LIBRORVM ET CAPITVM QVÆ TOMO SECVNDO OPERVM S. DIONYSII CONTINENTVR.

ISAGOGE BALTHASARIS CORDERII AD MYSTICAM THEOLOGIAM.

MYSTICA THEOLOGIA S. DIONYSII.

EPISTOLÆ.



ISAGO-

ISAGOGE BALTHASARIS CORDERII SOC. IESV THEOLOGI AD MYSTICAM THEOLOGIAM S. DIONYSII AREOPAGITAE.



Qvò facilior puriorque nobis ad sacrosancta Mysticæ Theologiæ adyta sit accessus, operæ pretium fuerit, ex aliis eiusdem sancti Patris Operibus breuia quædam προτέλεια seu præludia præmittere, quibus mens nostra præexercitata, ritu quodam mystico præparetur, vt, quantum fas est, sanctè rebus sanctissimis coniungatur.

Ne autem à ianuâ, vt in prouerbio est, & à scopo aberremus, cognoscendum ante omnia, quid per Mysticam Theologiam intelligatur, & quæ sit eius Definitio, quodque Principium seu origo, quis finis, quæ ad illam prærequirantur, & quomodo ad ipsam accedendum sit, & quâ tandem ratione mirabilis illa Mysticæ Theologiæ vnio in animâ perficiatur: quæ omnia breuiter septem Capitibus sequentibus explicabimus.

CAPVT PRIMVM.

Quid per Mysticam Theologiam intelligatur.

MYstica seu Mysteriosa Theologia, si vim nominis attendas, designat quamdam sacram & arcanam de Deo diuinisque rebus notitiam. Μυστήριον enim Græcis idem est quod Latinis *arcanum, occultum, abditum, secretum*, & quidem sacrosanctum, quod non nisi hominibus sacris communicandum, profanis verò occultandum sit: quos idcircò S. Dionysius ἀμυήτους vocat, id est exsortes mysteriorum, quibus secũdùm legem hierarchicam vetat mysteria (sic enim appellat Sacramenta) propalari. *Sciebat quippe quòd sacramentum Regis abscondere bonum est*. Hinc de mysteriis seu Sacramentis ad Timotheum scripturus, *Vide*, inquit, *ne explodas*

Mystica Theologia quid significet.

Cap. 1. Eccles. Hierarchiæ.

Tob. 12, 7.

Sancta ſanctorum; quin potiùs arcana Dei reuereberis, ac ſpiritalibus inaſpectabilibusq́ notionibus celebrabis; inacceſſa quidem profanis illa & intacta reſeruando, ſolis verò ſanctis, cum ſacrâ quadam, prout fas eſt, claritate res ſacras communicando. Idemque ſub finem eiuſdem capitis iterùm inculcat, vt iuxta ritum hierarchicum profiteatur, ſancta quidem ſanctè contrectare, ſola autem deifica diuinis, perficientia perfectionis capacibus, ſanctiſque ſanctiſſima communicare. Sic Chriſtus quoque ad turbas in parabolis loquebatur, & ſolis Apoſtolis dabat noſſe myſteria regni Dei. Neque enim fas eſt (vt ibidem Oracula teſtantur) porcis proijcere ſpiritalium margaritarum purum illum ac lucidum pulchrificumque adornatum.

Myſteria ſolis ſanctis communicanda.

Luc. 8, 10.

Itaque qui Myſticam Theologiam nominat, arcanam quamdam omnino ſacram deſignat ſapientiam, Dei-principalis pulchritudinis imaginem proprio, quantum fas eſt, principio conformem: ſiquidem cuiuſlibet eorum qui myſticis illuſtrationibus imbuuntur, in hoc ſita perfectio eſt, vt ad diuinam pro captu quiſque ſuo promoueatur imitationem, Deique in ſemetipſe excipiat operationem, in mentis abdito diuiniſſimè relucentem, quam exinde ritu hierarchico in alios transfundat.

Cæl. Hier. cap. 3.

Myſticæ Theologiæ perfectio.

CAPVT II.

Quæ ſit definitio Myſticæ Theologiæ.

OMiſſis variis, quas variè diuerſas tradunt, definitionibus, vel potiùs circumſcriptionibus, breuiter & clarè videtur hoc modo definiri poſſe: Theologia Myſtica eſt ſapientia experimentalis, Dei affectiua, diuinitus infuſa, quæ mentem ab omni inordinatione puram, per actus ſupernaturales fidei, ſpei & charitatis, cum Deo intimè coniungit.

Definitio Myſticæ Theologiæ.

Hæc definitio conſtat omnibus partibus ſeu membris ad propriam alicuius rei definitionẽ ſecundùm Philoſophiæ leges requiſitis. Genus enim definiti hîc eſt *ſapientia experimentalis*, ſeu ſapida ſcientia. Non enim hæc Theologia eſt quædam otioſa ſteriliſve ſpeculatio, ſed ſapidiſſima Dei contemplatio, quæ ſuauiſſimo (cuius quidem in hac vitâ capaces ſumus) ſapore ſpiritali mentem imbuit, multoque delectabiliùs eam afficit, quàm ab vllo ſpiritalium harum deliciarum inexperto concipi aut credi poſſit.

Genus definiti.

Differentia eſt, *Dei affectiua*, quo differt à reliquis ſcientiis Theologicis quæ intellectum informant, cùm hæc principaliùs afficiat voluntatem; licet etiam arcano quodam lumine illuſtret intellectum, ad Deum & res omnes eminentiori, vtpote ſupernaturali, modo intelligendum.

Differentia Myſticæ Theologiæ à ceteris.

Pro-

Proprietas huius ſapientiæ præ ceteris eximia eſt, quòd ſit *diuinitus infuſa*, non arte humani magiſterij, aut ingenij perſpicuitate, vel ſtudij aſſiduitate humanitus acquiſita; quippe donum & chariſma nobiliſſimi Spiritus ſancti principalis, qui cùm non ingrediatur animam maleuolam, neque habitet in corpore ſubdito peccatis, pro ſubiecto requirit *mentem ab omni inordinatione puram*. Nam, vt ait Regius Propheta, *quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Niſi *innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam?* Quin & Chriſtus, *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Porrò finis per hancce ſapientiam intentus, eſt *vnio cum Deo*, quanta nimirum poteſt in hac vitâ obtineri, arctiſſima ſuauiſſimaque. Media verò huius obtinendæ, ſunt actus Theologici ſupernaturales, fidei, ſpei & charitatis, quibus immediatè mens Deum attingit, per fidem ſcilicet caliginosè, per ſpem ſuſpensè, per charitatem perfectè. Fides enim cùm ſit *argumentum non apparentium*, eſt caligo iſta myſtica S. Paulo & S. Dionyſio adeò celebrata, de quâ vide cap. 1. & 2. Myſt. Theol. & Epiſt. v. ad Dorotheum, atque ibidem noſtras Annotationes. Spes verò cùm ſit rerum quæ necdum poſſidentur, earumdem expectatione ac deſiderio animum quodammodò ſuſpendit, atque ita per illam myſtica fit ſuſpenſio. Charitas denique cùm ſit *vinculum perfectionis*, cum ipſo Deo animam feliciſſimè coniungit. Ac fides quidem intellectum, ſpes memoriam, charitas voluntatem & affectum ſupra naturam myſticè perficit & informat, ita vt tribus iſtis excellentiſſimis virtutum Theologicarum actibus, totius Myſticæ Theologiæ perfectio & eſſentia contineatur, vti pulchrè ac fusè in libris diuiniſſimis de Aſcenſu montis Carmeli, de Nocte obſcurâ, & Cantionum verè myſticarum declarationibus, exponit Venerabilis Pater Ioannes de la Cruz, rerum myſticarum expertiſſimus.

Proprietas Myſticæ Theologiæ. Sap. 1, 4. — *Quale ſubiectum requirat.* — Pſal. 23, 4. — Matth. 5, 8 — *Quem finē reſpiciat.* — Heb. 11, 1 — Rom. 8, 24 — Col. 3, 14.

Ex quibus patet, Theologiam Myſticam tam in ſubſtantiâ ſuâ, quàm in modo procedendi, eſſe merè ſupernaturalem. Siquidem & principia eius, & media, & finis, & in hunc tendendi modus, naturæ vires atque ordinem penitus tranſſcendunt, vti ex iam dictis facilè colligitur; & ex ſequentibus vberiùs liquebit. Vnde ſequitur, cùm ipſam, tum proximas ad vnionem Myſticam diſpoſitiones, non ex arbitrio noſtro, ſed ex ſolius beneuolâ miſerentis ac dignantis Dei gratiâ dependere. Qui cùm benignus ſit ac multæ miſerationis, dignatione ſuâ copiosè nos præuenit, & ad cordis oſtium pulſat, & expectat vt illi aditum patefaciamus, obſtacula remouendo, paratus nos dirigere ac deducere vſque ad montem Oreb, ac ſupremum Theologiæ Myſticæ faſtigium, dummodò

Myſtica Theologia in ſubſtantiâ & modo ſuo ſupernaturalis.

iugibus ac feruentiſſimis ipſum precibus inuocemus, ductum eius exactiſſimè obſeruantes.

CAPVT III.

Quod ſit principium Myſticæ Theologiæ.

CVm ipſamet Myſtica Theologia, quid ſit, rectè à nobis (vt opinor) definita ſit, reſtat vt originem eius inueſtigemus. Huius igitur principium & origo Myſticæ Theologiæ (vt ſancti Dionyſij verbis vtar) fons eſt vitæ, eſſentia bonitatis, vna rerum omnium cauſa Trinitas, à quâ per bonitatis redundantiam, vti cetera, ſic etiam hocce datum optimum & donum perfectum benigniſſimè profluxit, deſurſum deſcendens à Patre luminum per Filium in Spiritu ſancto, qui per hoc donum ſapientiæ nobis modo nobiliſſimo communicatur. Quin & myſticæ omnis à Patre motæ illuſtrationis emanatio in nos beneficè exundans, denuò ceu vnifica vis, ad ſupera nos reuocando ſimplificat, & conuertit ad congregantis Patris vnitatem ac deificam ſimplicitatem, atque ad ſe, vt fas eſt, attendentes, pro cuiuſque capacitate, ſimplificatiuâ ſuâ vnione ſurrigit vnificatque. Dicimus itaque cum eodem ſancto Dionyſio, Dei-principalem beatitudinem, naturam Diuinitatis, principium Deificationis, ex quo deificandi deificantur, Myſticam Theologiam in ſalutem & Deificationem hominum conceſſiſſe, modo ſcilicet magis immateriato & ſpiritaliori, non extrinſecus ad diuina mouendo, ſed intelligibili ratione atque intrinſecus purâ liquidaque illuſtratione diuiniſſimam iis voluntatem irradiando. Huius autem diuinæ beatitudinis bonitas eadem ſemper & eodem modo ſe habens, beneficos lucis ſuæ radios, cunctis oculis mentalibus luculenter expandit, adeoque ſi ſpontanea mente præditorum arbitrij libertas ſpiritale lumen deſerat, à naturâ ſibi inſitas luci excipiendæ vires, amore praui præcludẽs, præſenti quidem luci ſe ſubducit, hæc tamen eam minimè deſtituit, ſed vel conniuentem illuminat, atque auerſanti benignè prorſus occurrit. Quiſquis igitur ad inſitum à Deo naturæ lumen recurrerit, principio quidem cum Dei adiutorio, quis tandem ipſe ſit videbit, hocque lucis acceſſione munus ſacrum referet. Porrò qui propria ſua irreflexis oculis conſiderauerit, abditas quidem ignorationis ſuæ tenebras eliminabit, perfectiſſimæ tamen Dei vnionis & participationis adhuc exſors eiuſdem deſiderio ſponte non afficietur, ſed ſenſim primùm à propriis ad potiora, & ex iis ad potiſſima, nec non perfectus tandem per Dei gratiam, ad diuino-principalem vnionem, ſacro quodam ordine euehetur. Sic autem adductum diuina Beatitudo ad ſui admittit communicationem, pro-

Deus eſt origo Myſticæ Theologiæ.

Eccl. Hier. cap. 1. *Ad deificationem hominum conceſſa.*

Eccl. Hier. cap. 2.

Quomodo Deus hominem inuitet & perducat ad Myſticam Theologiam.

propriæque lucis instar signi cuiusdam ipsum participat, Deo intimum reddens, atque consortem munerum diuinorum. Neque enim vita nobis est cui vis illata sit, vel imposita necessitas, neque verò etiam eorum quibus prouidetur libertate, diuinæ illustrationis à prouidentiâ manãtis radij obtunduntur; sed oculorum mentalium dissimilitudo facit, vt exundans paternæ bonitatis illustratio, vel omnino cassa sit, & propter eorum repugnantiam inutilis, vel eius participationes existant inæquales, paruæ vel magnæ, obscuræ vel claræ, cùm vnus sit & simplex, eodemq; modo semper se habeat fontalis ille radius, qui iugiter est expansus. Cæl. Hier. cap. 9. *Vnde proueniat inæqualitas diuinæ participationis.*

CAPVT IV.

Quis sit finis Mysticæ Theologiæ.

OMnis porrò Mysticæ Theologiæ scopus est erga Deum & res diuinas continua dilectio, quæ diuinitus inseritur, & per eius vnionem consummatur, quæq; hac prior est, illi aduersantiũ omnimoda & irreuertibilis fuga; cognitio Dei perfectissima, & simplicis perfectionis eius diuina participatio, fruitioq;, quæ omnem Dei contemplatorẽ spiritali modo reficit, deificatq;. Cùm enim habeat Deum omnis sacræ suæ arcanæ cùm scientię tum operationis finẽ, ad diuinissimum eius decorem cõstanter intuendo, eumdem quoad potest exprimit, nec non diuinos sui consortes, sacra quædam perficit simulacra speculaq; clarissima & immaculata, quæ primitiuæ lucis, summæq; deitatis radium excipiant, & in Deum ipsum à quo profluxit, sincerissimè reflectant. Hinc Mystici Theologi primariò multipliciterque Deum participant, & sublimissimis ac multis modis arcanũ Dei cognoscunt. Cùm enim ad imitandum Deum intellectualiter se componant, atque diuino-principalem similitudinem supermundialiter contemplantes, ad eamdem speciem suam conentur efformare, iure merito vberiore quoque gaudent eius participatione, quòd sint assidui, ac semper ad anteriora numquam fatiscentis amoris contentione se extendant, & primordiales illustrationes immaterialiter, liquidoq; suscipiant, atque ad easdem componantur, vitamque omnem habeant spiritalem. Puri siquidem censendi, non quasi à maculis dumtaxat impuris colluuionibusque sint liberi, vel quòd materialibus imaginibus minimè adhærescant, sed quòd omni re creatâ celsiores præ summâ puritate, vel maximè deiformibus virtutibus sint coordinati, ordinisq; sui motum proprium æquabilemque per amorem Dei constanter teneant inuariatum, neque vllam in deterius admittant imminutionem, sed inconcussam semper & immobilem deiformis suæ pro-

Eccl. Hier. cap. 1. *Finis Mysticæ Theologiæ.* Cæl. Hier. cap. 3. *Eiusdem effectus.* Cæl. Hier. cap. 4. Cæl. Hier. cap. 7. *Puritas quanta sit Mysticorũ Theologorum.*

Sublimitas contemplationis eorumdem. proprietatis ſedem habeant. Contemplatores item non quaſi ſymbolorum, quæ ſenſu vel imaginatione percipiantur, ſpectatores, neque varietate dumtaxat ſacrarum Scripturarũ ad Deum eleuantur, ſed omni cognitione ſimplici altioris luminis replentur, atq; contemplatione illius pulchritudinis, quæ effectrix & origo omnis pulchritudinis exiſtit, quæq; ſupra ſubſtantiam eſt & in Trinitate ſupraſplendet, quantum homini fas eſt reficiuntur. Communionis quoq; Ieſu ſimiliter participes fiunt, non quaſi in imaginibus ſanctè informatis, quæ veluti formæ in ipſis deificam ſimilitudinem exprimant, ſed tamquã verè ad eum appropinquantes, in ipſa primâ participatione cognitionis luminum eius deificorum, quòd Deum imitãdi ratio ſublimiſſimo ipſis mòdo ſit indulta, & in primæuâ, quantum quidem fas eſt, potentiâ, diuinis eius humaniſque virtutibus cõmunicent. Similiter perfecti ſunt, non quaſi varietates ſacras reſoluendi ſcientiâ ſint illuſtrati, ſed quod primariâ & præcellente Dei vnione ſatientur, iuxta ſupremã illam, cuius capaces ſunt mortales, diuini amoris influentiam; ſiquidem ab ipſamet diuinitate ſacris myſticis initiantur, dum ad Deum per dilectionem ſurriguntur, nec non in eo ſummâ puritate ſummaq; cõſtantiâ ſtabiliuntur, atque ſupernaturalibus diuinorum operum rationibus, ab ipſomet diuino principatu θεοδιδάκτοις μυσταγωγίαις erudiuntur. Vnde fit, vt Myſtici Theologi reconditos quoq; Scripturæ ſenſus & ſcientias quaſuis naturales longè aliter quàm alij (quippe ſupernaturaliter) intelligant penetrentq;, cùm non diuiduis aut è diuiduis, vel ſenſibus, vel rationibus ratiocinando colligant ſcientiam, ſed ab omni materiali ac ſenſibili pluralitate puri, à materiâ ſecreto atque vniformi modo ſpiritali ea capiant, quæcumq; vel in diuinis vel in humanis ſcientiis intelligi poſſunt. Eſt enim illis vis quædam ſpiritalis atque operatio impermixtâ atque immaculatâ puritate reſplendens, & conſpicax diuinarum intelligentiarũ, quæ per diuiſionis ac materiæ carentiam, deiformi vnitate ad diuinam & pluſquam ſapientem mentẽ ac rationem diuinitus efformatur.

Perfectio eorumdem in amore & cognitione.

De Diuin. nom. c. 7.

Aptitudo ad animarum ſalutem promouendam. Hinc Myſtici Theologi hoc quoque ſacrum munus referunt, vt quod diuinorum omnium diuiniſſimũ eſt, in ſalute ac perfectione proximorum procurandâ, diuino prorſus & eminentiori præ ceteris modo ipſiuſmet Dei cooperatores exiſtant; non omnino diſſitâ ab ordine cæleſti inſinuatione in animos hominum influendo, & à quibuſuis vitiis atque imperfectionibus ad omnem virtutem & vitæ ſanctitatem traducendo.

CAPVT

CAPVT V.

Quænam prærequirantur ad Mysticam Theologiam.

AD hanc Theologiam cumprimis prærequiritur status quidam supernaturalis ipsi proportionatus, qui cùm sit quasi quædam altera natiuitas diuina, numquam sanè intellexerit, nedum gesserit quidpiam secundùm Mysticam Theologiam, cui ne ipse quidem status hic diuinitus afflatus sit. Etenim & nobis (humano loquendi modo) existentiâ primùm opus est, vt deinceps quæ nostri fori sunt, tractemus, cùm id quod nullo modo exsistit, neque motionem neque substantiam omnino habeat; quod autem quoquo pacto est, ea demum & agat & patiatur, quæ naturæ statusque sunt sui. Dicimus itaque assiduis ad Deum connitendo aspirationibus, atque totalibus contrariorum mortificationibus & abolitionibus homines spiritales status huius deiformis immutabilitate potiri. Non enim ab omni dumtaxat malitiâ ipsis recedendum est, sed obdurandum viriliter, & imperterritè semper obsistendum ipsi noxiæ remissioni, nec à sacro est vmquam amore cessandum, ast continenter ac perpetuò pro viribus ei insistendum, ad perfectiorem Diuini principatus sublimationem sanctè semper negotia sua dirigendo. Neque enim fas est Mysticis Theologis quidquam operari, quod diuinis inspirationibus vel minimum repugnet, imò nec iisdem dissentire, si diuinam appetant claritatem, & ad hanc sanctè, vt par est, aspirent. Itaque perfectâ sui ipsius abdicatione ac continuâ in rebus omnibus mortificatione opus est; quandoquidem naturam humanam vitio protoplasti diuinis bonis spoliatam, vita passionibus obnoxia excepit, & consequenter homo à diuinâ gratiâ, quæ ipsum ad supera surrigebat, dilapsus, & ad extrema contraria iam præceps datus, variis perturbationibus expositam nactus est immutationem. Vnde cùm non possit ad vnum colligi, atque vnius pacificæ vnionis particeps existere qui secum ipse dissidet, neque liceat summè contraria simul participare, vel communicationem aliquam cum vno habenti, diuisas habere vitas, si vnius Dei stabilem præferat participationem, necessariò adhibenda est iugis mortificatio, vt quis exors fiat & expers omnium vniformitatis diuisionum. Propterea viri sancti, diuinorum communione dignati, dum pro mensurâ gratiæ diuinæ sibi collatæ ad deiformitatis & mysticæ vnionis fastigium per-

Eccl. Hier. cap. 2.

Status mysticus quis, & quomodo acquiratur.

Cæl. Hier. cap. 3.

Mortificatio ad Mysticam Theologiã requisita.

Eccl. Hier. cap. 3.

perfectiſſimis perfectiuiſque deificationibus euehuntur, ea quæ carnis ſunt minimè curant citra naturæ neceſſitatem, idque, prout vſus fert, obiter atque hoc modo etiam corpora illorum per mortificationem quodammodò ſpiritualizata, in myſticâ deificatione templum fiunt Spiritus diuino-principalis, in quo ſimile in ſimili fundatur ac collocatur.

CAPVT VI.

Quâ ratione ad Myſticam Theologiam accedendum ſit.

Studium orationis Myſtico Theologo neceſſarium. De Diuin. nom. c. 3.

OBſtaculis & impedimentis per mortificationis exercitium ſublatis, adhibendum eſt etiam ſtudium orationis, exemplo Dionyſij Myſticâ Theologiam à ſanctiſſimæ Trinitatis inuocatione auſpicantis. Oportet igitur nos primùm orationibus ad Deum, tamquam ad Myſticæ Theologiæ principium adduci, ac deinde magis ipſi propinquantes, edoceri optima quæque munera, quæ penes ipſum ſunt collocata. Nam ipſe quidem præſens adeſt omnibus, non autem illi adſunt omnia, ſed cùm eum ſanctis precationibus, & mente tranquillâ, & ad diuinam vnionem accommodatâ deprecamur, tum demum nos etiam ei præſentes ſumus. Ipſe enim nec in loco ita eſt vt vſquam abſit, vel ex alijs ad alia migret. Quin imò dicere, in omnibus ipſum eſſe, quod minus eſt eius infinitate, quæ & excedit, & continet vniuerſa. Nos ipſos itaque orationibus ad ſublimiorem diuinorum benignorumque radiorum contuitum comparemus. Quemadmodum ſi lucidiſſimam catenam è ſummo cælo ſuſpenſam, & huc vſque demiſſam, manibus alternis in anteriora protenſis continenter arriperemus, attrahere quidem ipſam videremur, re autem verâ non illam ipſi deduceremus, vt quæ supernè & infernè præſens eſſet, ſed ipſimet magis ad ſublimiores radiorum illuſtrium fulgores eueheremur. Aut ſicut ſi nauim ingreſſi, rudentes ex petrâ quadam ad nos vſque porrectos auxilij causâ teneremus, non ad nos petram, ſed noſipſos reuerà, nauimque ad petram traduceremus.

Dei præſentia quomodo comparanda nobis.

Exemplum.

Deus orationibus demerendus.

Eccl. Hier. cap. 4.

Quapropter ante omnia, præſertim in Myſticâ Theologiâ, ab oratione auſpicandum eſt: non vt vbique & nuſquam præſentem virtutem attrahamus, ſed vt diuinis commemorationibus inuocationibusque nos ipſos illi dedamus atque vniamus. Etenim eſſentia illa, cuius odoris ſuauitas mentem ſuperat, ab igneis puriſſimiſque mentibus ad ſui manifeſtationem per feruentiſſimas ora-

orationes inuitari amat, diuiniſſimaſque ſuas inſpirationes lucu-
lentiſſimis diſtributionibus impertitur illis, qui ſic illam ſupra-
mundialiter inuitarunt. Eſt enim lux vera quæ omnem mentem *Diuin. nomin. cap. 4. §. 4.*
implet lumine intellectili, omnem autem ignorantiam & errorem
ex omnibus animis in quibus eſt, eijcit, & ipſis omnibus lumen
ſanctum impertit, eorumque oculos mentales à caligine & igno-
rantiâ circumfuſâ repurgat & liberat, & excitat atque aperit *Quibus modis diuina lux nobis affulgeat.*
multâ grauitate tenebrarum oppreſſos & clauſos: datque primùm
quidem mediocrem ſplendorem, deinde tamquam deguſtato lu-
mine, oculis iam magis poſt deguſtationem lumen appetentibus,
magis ſe impertit, & copioſiùs affulget, quoniam dilexerunt mul-
tum; ac ſemper vlteriùs prouehit proportione ſtudij eorum ad
aſpiciendum ſurſum. Etenim ſicut ignorantia errantes dirimit, ſic *Ibid. §. 6. Effectus ignorantiæ & cognitionis.*
aduentus luminis congregat & copulat illuminatos, perficitque
eos, & ad id quod verè eſt conuertit, à multis opinationibus eos
reuocans, ac varios aſpectus, vel, vt magis propriè dicam, varia in
vnam veram & puram ac ſimplicem cognitionem contrahit, &
vno lumine vnifico implet.

Porrò lumen hoc vnificum accipimus per Chriſtum, qui pa- *Per Christum accedendum ad Patrem.*
terna lux eſt vera, quæ illuminat omnem hominem venientem
in hunc mundum, per quem ad originem lucis Patrem acceſſum *Cæl. Hier. c. 1. §. 2.*
obtinuimus. Hic eſt qui mentis quidem noſtræ obſcuritatem bea- *Eccl. Hier. c. 3. §. 11.*
to diuinoque lumine repleuit, deformitatemque noſtram deifor-
mibus ornamentis illuſtrauit, animi autem domicilium cum per-
fectâ ſalute eſſentiæ naturæque noſtræ, quæ fermè collapſa erat &
conciderat, fœdiſſimis quibuſque paſſionibus atque inquina-
mentis noxiis liberauit, commonſtratâ nobis ſupermundialis ana-
gogæ ac diuinæ vitæ normâ, per quam ad ſacras eius ſimilitudi-
nes, quoad eius fieri poteſt, euehamur. Vnicum enim illud ac *Ibid. §. 12.*
ſimplex arcanumque IESV Verbum diuiniſſimum per aſſum- *Christi humanitas contemplanda & imitanda.*
ptionem humanitatis noſtræ, in compoſitionem ſimul & aſpe-
ctum, ſine vllâ ſui immutatione, pro ſuâ bonitate benignitateque
proceſſit, noſtrique ſecum vnificam communionem beneficè ex-
cogitauit, ea quæ in nobis humilia ſunt, diuiniſſimis ſuis vniens
excellentiis, vt & nos ipſi, tamquam membra corpori, per eiuſ-
dem immaculatæ ac diuinæ vitæ idemtitatem congruamus, ne
corruptibilibus necati paſſionibus, diuinis iſtis ſaniſſimiſq; mem-
bris incongrui, vitæque incapaces exiſtamus.

Oportet igitur nos, ſi ad communionem eius aſpiremus, diui-
niſſimam eius in carne vitam contemplari, atque ſanctam ipſius
impeccantiam imitando, ad deiformitatem & immaculatum

ſtatum contendere. Hac namque ratione, prout nobis congruit, ſimilitudinem ſuam communicabit.

Eccl. Hier. cap. 4. Parte 3. §. 1 *Sanctitas non oſtentanda.*

Ceterùm Myſticis Theologis obuelanda eſt mentis ſanctitas atque fragrantia, cùm diuinitus viri ſancti iubeantur, non ad vanam gloriam apparentes arcani Dei pulchras ac fragrantes habere ſimilitudines. Siquidem arcana Dei decora, quorum ſuauitas intellectum ſuperat, prorſus ſunt intemerata, ſoliſque viris ſpiritalibus ſpiritaliter apparent, quòd in animabus noſtris exigant habere ſibi conformes per virtutem, incorruptibiles imagines. Incircumſcriptum enim illud virtutis deiformis ſimulacrum ritè imitandum eſt, vt ſpiritalis ac fragrans ipſum referat pulchritudo, ſeſeque formet & effingat ad pulcherrimam eius imitationem. Et ſicut in imaginibus ſenſilibus, ſi pictor ad primæuam ſpeciem conſtanter intendat, nullâ re aliâ viſibili diſtractus, neque ſecundùm quidpiam diuiſus, illum ipſum qui depingendus eſt (ſi ita dicere liceat) quodammodò replicabit, atque ipſammet veritatem in ſimilitudine, & archetypum in imagine exprimet, alterumque in altero citra ſubſtantiæ differentiam referet; ſic myſticis in mente pictoribus ſuaueolentis & arcanæ pulchritudinis intenta conſtanſque contemplatio infallibilem indet maximeque deiformem imaginationem.

Imitandi pictores, vt Deum in nobis exprimamus.

Meritò itaque myſtici pictores, quando mentem ſuam ad ſupereſſentialem illam fragrantem ſpiritalemque pulchritudinem conſtanter efformant, nullam virtutem earum quæ ijs inſunt, agunt, vt ab hominibus, ſicut ſcriptum eſt, videantur, ſed quidquid in virtute ſacrum ac maximè deiforme eſt, intra mentem ſuam, quæ ad imaginem & ſimilitudinem Dei facta eſt, recondentes, ad primæuam dumtaxat ſpeciem atque intelligentiam intuentur. Neque enim ſolùm diſſimilia non vident, ſed ne ad eorum quidem aſpectum pertrahuntur. Quamobrem, ſicut eos decet, non ea quæ temerè videntur, ſed quæ verè iuſta ſunt ac bona, diligunt: neque iſtam ſpectant gloriam, quæ ſine ratione vulgo paſſim beata prædicatur, ſed imitatione Dei bonum malumque per ſe iudicantes, diuina quædam ſimulacra fiunt iſtius fragrantiæ diuinæ, quæ bonum in ſe odorem verè continens, ad illud quod vulgo paſſim inæqualiter apparet, numquam conuertitur, in veris ſuis imaginibus exprimens veritatem.

Vana gloria fugienda.

Diuin. nomin. c. 7. §. 1 *Diuina non ſunt rebus humanis admetiẽda.*

Hinc ſi more humano ea quæ ſupra nos ſunt accipiamus, & familiaribus nobis ſenſibus inhæreamus, atque diuina cum noſtris conferamus, fallimur, ſi ſecundùm id quod deforis apparet,

Myſticam

Myſticam arcanamque Theologiam metiamur; cùm ſcire debeamus, mentem quidem noſtram pollere vi intelligendi, quâ res intellectiles ipſi proportionatas contueatur, tamen iſtam vnionem, quâ rebus ſe ſuperioribus coniungitur, naturam ipſius longè ſuperare. Secundùm hanc itaque vnionem diuina illa myſtica ſunt intelligenda, non more noſtro, ſed quatenus nos ipſi totos nos à nobis totaliter abdicamus, & toti tranſimus in Deum, vt cum Apoſtolo verè dicere poſſimus, *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*. quæ vox eſt veri amatoris qui exceſſerat è ſe Deo, & non iam vitam ſuam, ſed amati, tamquam vehementer dilectam, viuentis. Itaque longè præſtat nos Dei eſſe quàm noſtros; ſic enim diuina nobis dari poterunt, ſi cum Deo fuerimus coniuncti. Hanc autem intimam coniunctionem acquirimus per viuam fidem, quæ eſt conſtans fidelium firmamentum, & fundat nos in veritate, atque in nobis veritatem, dum indiſſuaſibili idemtitate ſimplicem veritatis cognitionem obtinemus rerum credendarum. Nam ſi cognitio res cognitas cum cognoſcentibus vnit, ignoratio verò ignoranti cauſa eſt vt ſemper mutet, atque à ſemetipſo diſcrepet, eum qui credit in Veritate, iuxta Scripturam, nihil à vero fidei fundamento dimouebit, in quo conſtantiam habebit immobilis & immutabilis idemtitatis. Probè namque nouit quiſquis vnitus eſt veritati, quàm benè ſeſe habeat, quamuis eum multi vt amentem arguant. Latet enim illos, vti par eſt, eum per veræ fidei veritatem ex errore exceſſiſſe: ipſe autem verè nouit ſe non (vt illi fabulantur) inſanire, ſed ab inſtabili mutabilique omnimodè errantis varietatis motione, per ſimplicem circa eadem ſemper & eodem modo ſe habentem veritatem eſſe liberatum. Hoc modo primi diuinæ ſapientiæ noſtræ profeſſores pro veritate quotidie moriebantur, teſtificantes, vti par eſt, & ſermone & opere, ſingularem illam Chriſtianæ veritatis agnitionem, omnium eſſe cùm ſimpliciſſimam, tum diuiniſſimam. Imò potiùs hanc ſolam eſſe veram atque vnicam ſimplicis Dei notitiam. Eſt enim diuiniſſima Dei notitia quæ per neſcientiam accipitur, ſecundùm illam, quæ ſupra intellectum eſt, vnionem, quando nimirum mens à rebus omnibus recedens, ac totam ſemetipſam deſerens, deſuper fulgentibus radiis vnitur, quibus in illo inſcrutabili ſapientiæ profundo colluſtratur.

Nos totos Deo tradere oportet.

Gal. 2, 16.

Diuin. nomin. c. 7. § 4.

Fides viua Theologiæ Myſticæ fundamentum ac firmamentū.

Ibid. § 3.

*** 3 CAPVT

CAPVT VII.

Quomodo mirabilis illa Mysticæ Theologiæ vnio in animâ perficiatur.

SVblimissimus rerum mysticarum Interpres Ludouicus Blosius, in Institutione suâ spirituali cap. XII. §. 2. diuinâ prorsus ratione hanc, quam expertus fuerat, Mysticæ Theologiæ vnionem describens, Felix, inquit, illa anima, quæ puritati cordis, sanctæque introuersioni iugiter studet, & priuato amori, seu propriæ voluntati, propriæq; quæsitioni prorsus renuntiat. Hæc enim magis ac magis Deo appropinquare meretur. Tandem verò superioribus eius viribus diuinâ gratiâ subleuatis, clarificatis & exornatis, vnitatem nuditatemque spiritus obtinet, & purum atque indepictum amorem, simplicemque cogitationem (quæ cogitationum expers est) adipiscitur. Iam itaque cùm excellentis indicibilisque gratiæ Dei sit capax, ad viuum illum fontem, qui ab æterno manat, ac sanctorum mentes satis superque reficit, perducitur. Iam vires eius ad instar stellarum lucent, & ipsa fit idonea ad contemplandum Diuinitatis abyssum, sereno, simplici & iucundo intuitu, absque imaginatione, & sine aliquâ intellectus admixtione. Vnde quando sese ad Deum cum amore integrè conuertit, incomprehensibili luce in fundum eius effulgente, rationis & intellectus oculus reuerberatus caligat: simplex verò ipsius animæ oculus (nempe pura, nuda, vniformis, & supra intellectum eleuata cogitatio) manet apertus.

Modus quo anima Deo vniatur.

Porrò naturali lumine intellectus à tantâ claritate obfuscato, anima nihil in tempore adspicit, sed supra tempus & locum erecta, quamdam æternitatis proprietatem assumit. Nam imagines & distinctionem considerationemque rerum amittens, iam experimento discit, Deum longè transcendere omnes corporales, spirituales atque diuinas imagines, & quidquid intellectu apprehendi, quidquid de Deo dici scribíve, quidquid nominis ei imponi potest clarè perspicit, talia omnia à veritate diuinæ essentiæ in infinitum distare, ob idque eamdem essentiam innominabilem esse. Ignorat tamen quid sit Deus, quem sentit. Hinc præcognitione factâ sine cognitione, in solo amabili, nudo, simplici & ignoto Deo quiescit. Lux quippe diuina propter nimiam sui claritatem inaccessibilis est: vnde & *caligo* appellatur. Suscipit hîc anima verbum absconditum, quod Deus in interno silentio, & secreto mentis recessu loquitur. Hoc suscipit,

pit, atque vnionis mysticæ complexum feliciter experitur. Vbi enim intellectum omnesque imagines per amorem excessit, & supra semetipsam euecta est (quod solus Deus ei præstare potest) iam à se defluens profluit in Deum: tuncque Deus pax & fruitio eius est. Illa ergo in tali mentis excessu posita, iure cantat: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Defluit (inquam) Psalm.4. amans anima, deficitque à seipsâ, & velut ad nihilum redacta, in abyssum æterni amoris collabitur: vbi sibi mortua, viuit in Deo, nihil sciens, nihil sentiens præter amorem quem gustat. Perdit enim se in vastissimâ Diuinitatis solitudine atque caligine: sed sic se perdere, potiùs se inuenire est. Ibi sanè quidquid est humanum exuens, & quod est diuinum induens, transformatur transmutaturq; in Deum: sicut * ferrum in igne positum formam ignis accipit, & transmutatur in ignem. Manet tamen essentia animæ sic deificatæ, quemadmodum ferrum ignitum non desinit esse ferrum.

* Metamorphosis seu transformatio & apotheosis aut deificatio quædam animæ deuotæ in mysticâ vnione.

Igitur ipsa anima, quæ priùs erat frigida, iam ardet: quæ priùs erat tenebrosa, iam lucet; quæ priùs erat dura, iam mollis est. Planè tota deicolor est: quia essentia eius, essentia Dei perfusa est. Tota diuini amoris igne concremata, totaque liquefacta transijt in Deum, & ei sine medio vnita, vnusque spiritus cum eo effecta est: sicut aurum & æs in vnam metalli massam conflantur. Ceterùm illorum qui in Deum ita excedunt & rapiuntur, diuersi gradus sunt: nam eò quisque profundiùs atque sublimiùs in ipsum Deum pertingit, quò efficaciùs ardentiusque seu amorosiùs se ad eum conuertit, & quò perfectiùs in ipsâ conuersione omnem propriam quæsitionem repellit.

De beatâ conditione animæ Deo vnitæ.

O sanctam illam animam, quæ à Deo singulariter visitata, & supra omnia creata, supraque propriam operationem eleuata, in vi memoratiuâ nudatur omnibus imaginibus, & meram puritatem atque simplicitatem sentit; in vi intellectiuâ percipit præfulgidas illuminationes Solis iustitiæ, & diuinam veritatem agnoscit: porrò in vi amatiuâ sentit æstum quemdam quieti amoris, siue contactum Spiritus sancti, tamquam fontem viuum, manantem riuulis æternæ suauitatis: atque ita ad excellentem cum Deo vnionem inuitatur, introduciturque. O felicem illam horam! Tunc nimirum anima supernaturali iucundissimaque solemnitate & gaudio vernantissimo intus perfruitur, ac futuram beatitudinem aliquo modo prægustat. O quàm beatus est, cui fragrantissimum illud ver, & æstas illa amœnissima exoritur, cuique diuinam copulam vel ad momentum experiri concessum est!

est! Is enim ad id perducitur, quod nec ratio, nec intellectus capere, neque lingua exprimere potest. Per sapientem ignorantiam, & per intimum amoris contactum, meliùs Deum cognoscit, quàm exteriores eius oculi visibilem Solem cognoscant. Vsque adeò stabilitur in Deo, vt Deum sibi viciniorem esse sentiat, quàm ipse sit sibi. vnde & Deiformem superessentialemque vitam iam ducit: factus Christo secundùm spiritum, animam & corpus conformis. Siue comedat siue bibat, siue vigilet siue dormiat, semper in eo Deus operatur, qui superessentialiter viuit in illo. Talem ipse Deus docet de omnibus, & spirituales mysticosque sensus ei aperit. Creberrimè, vel etiam indesinenter eum visitat, adstringit, osculatur, illustrat, accendit, penetrat, & implet. Nam cùm anima eius sit iam speculum clarum sine maculâ, diuino Soli conuenienter obiectum substratumque, ipse Sol iustitiæ non potest non assiduè stillicidia gratiæ, radios sapientiæ, & charitatis scintillas in eam diffundere. Valdè quidem sublimiter atque mirabiliter Deus se nonnumquam animæ perfectæ reuelat atque manifestat, nondum tamen ostendit sicuti est in suâ ineffabili gloriâ, sed sicut in hac vitâ videri potest.



TOY

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΑΡΕΟΠΑΓΙΤΟΥ
ΠΡΟΣ ΤΙΜΟΘΕΟΝ
ΠΕΡΙ ΜΥΣΤΙΚΗΣ ΘΕΟΛΟΓΙΑΣ.


SANCTI
DIONYSII AREOPAGITAE
AD TIMOTHEVM
DE MYSTICA THEOLOGIA:

INTERPRETE BALTHASARE CORDERIO SOCIETATIS IESV DOCTORE THEOLOGO.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Α'.	CAPVT I.
Τίς ὁ θεῖος γνόφος.	Quænam sit diuina caligo.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. INuocatâ SS. Trinitate, docet, ad mysticam contemplationem, nostri rerumq́ omnium abdicatione assurgendum esse. 2. Ostendit quomodo in diuinis procedendum sit per affirmationes & negationes. 3. Quæ sit compendiosa & prolixa Theologia. Quæ item caligo sit, & quomodo ad eam ingrediendum.



ΡΙΑΣ ὑπερούσιε, καὶ ὑπέρθεε, καὶ ὑπεράγαθε, τῆς Χριστιανῶν ἔφορε Θεοσοφίας, ἴθυνον ἡμᾶς ἐπὶ τὴν τῶν μυστικῶν Λογίων ὑπεράγνωστον, καὶ ὑπερφαῆ καὶ ἀκροτάτην κορυφὴν, ἔνθα τὰ ἁπλᾶ, καὶ ἀπόλυτα, καὶ ἄτρεπτα τῆς Θεολογίας μυστήρια, κατὰ τὸν ὑπέρφωτον * ἐγκεκάλυπται τῆς κρυφιομύστου σιγῆς γνόφον, ἐν τῷ σκοτεινοτάτῳ τὸ ὑπερφανέστατον ὑπερλάμποντα, καὶ ἐν τῷ πάμπαν ἀναφεῖ

* γρ. ἐκκαλύπτεται ita Cyparissiotus.



RINITAS supernaturalis, & supraquam diuina, & supraquam bona Theosophiæ Christianorum Præses, dirige nos ad mysticorum Oraculorum plus quàm indemonstrabile, & plus quàm lucens & summum fastigium, vbi simplicia, & absoluta, & immutabilia Theologiæ mysteria, aperiuntur in caligine plus quàm lucente silentij arcana docentis, quæ in obscuritate tenebricosissimâ plusquam clarissimè superlucet, & in omnimodâ intangibili-

§. 1. Inuocatio SS. Trinitatis.

TEXTVS S. DIONYSII.

gibilitate atque inuisibilitate, prępulchris splendoribus mentes oculis captas superadimplet. Hæc quidem mea sint vota: tu verò,

Ad mysticam contẽplationem nostri ipsorum & rerum omniũ abdicatione assurgitur.

chare Timothee, in mysticis contemplationibus, intentâ exercitatione, & sensus relinque, & intellectuales operationes, & sensibilia, & intelligibilia omnia, & ea quæ sunt & quæ non sunt vniuersa, vt ad vnionem eius, qui supra essentiam & scientiam est, quantum fas est, indemonstrabiliter assurgas; siquidem per liberam & absolutam, & puram tui ipsius à rebus omnibus auocationem, ad supernaturalem illum caliginis diuinæ radium, detractis omnibus & à cunctis expeditus, euehêris.

§. 2. *Mystica profanis minimè communicanda.*

Hæc autem vide, ne quis audiat rudiorum: istos dico, qui rebus [naturalibus] adhærescunt, & nihil vltra naturalia supernaturaliter esse imaginantur, quinimò arbitrantur suâ cognitione nosse

Ps. 17,13. eum, qui posuit tenebras latibulum suum. Quòd si supra captum horum sint diuinorum mysteriorum institutiones; quid dixerit quis de illis qui magis rudes sunt, qui summam causam omnium, ex iis quæ in naturâ rerum extrema sunt designant, nihilque aiunt eam antecellere impiis multarũ formarum imaginibus, quas ipsi fingunt, cùm

Quomodo in Deo omnia affirmanda & neganda.

oporteret in eâ, vt omnium causâ, omnes entium affirmationes statuere ac de eâ affirmare; quin illas ipsas omnes de eâ magis propriè negare, tamquam supra omnia superexistente, nec existimare negationes affirmationibus esse

καὶ ἀοράτῳ τῶν ὑπερκάλων ἀγλαϊῶν, ὑπερπληροῦντα τοὺς ἀνομμάτους νόας. Ἐμοὶ μὲν οὖν ταῦτα ηὔχθω· σὺ δὲ, ὦ φίλε Τιμόθεε, τῇ περὶ τὰ μυστικὰ θεάματα συντόνῳ διατριβῇ καὶ τὰς αἰσθήσεις ἀπόλειπε, καὶ τὰς νοερὰς ἐνεργείας, καὶ πάντα αἰσθητὰ καὶ νοητὰ, καὶ πάντα οὐκ ὄντα καὶ ὄντα, καὶ πρὸς τὴν ἕνωσιν, ὡς ἐφικτὸν, ἀγνώστως ἀνατάθητι τοῦ ὑπὲρ πᾶσαν οὐσίαν καὶ γνῶσιν· τῇ γὰρ ἑαυτοῦ καὶ πάντων ἀσχέτῳ καὶ ἀπολύτῳ καθαρῶς ἐκστάσει πρὸς τὴν ὑπερούσιον τοῦ θείου σκότους ἀκτῖνα, πάντα ἀφελὼν καὶ ἐκ πάντων ἀπολυθεὶς ἀναχθήσῃ.

Τούτων δὲ ὅρα ὅπως μηδεὶς τῶν ἀμυήτων ἐπακούσῃ· τούτους δέ φημι τοὺς ἐν τοῖς οὖσιν ἐνισχημένους, καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τὰ ὄντα ὑπερουσίως εἶναι φανταζομένους, ἀλλ᾽ οἰομένους εἰδέναι τῇ καθ᾽ αὐτοὺς γνώσει, τὸν θέμενον σκότος ἀποκρυφὴν αὐτοῦ. Εἰ δὲ ὑπὲρ τούτους εἰσὶν αἱ θεῖαι μυσταγωγίαι, τί ἂν τις φαίη περὶ τῶν μᾶλλον ἀμύστων, ὅσοι τὴν πάντων ὑπερκειμένην αἰτίαν, καὶ ἐκ τῶν ἐν τοῖς οὖσιν ἐσχάτων χαρακτηρίζουσι, καὶ οὐδὲν αὐτὴν ὑπερέχειν φασὶ τῶν πλαττομένων αὐτοῖς ἀθέων καὶ πολυειδῶν μορφωμάτων, δέον ἐπ᾽ αὐτῇ καὶ πάσας τὰς τῶν ὄντων τιθέναι καὶ καταφάσκειν θέσεις, ὡς πάντων αἰτίᾳ, καὶ πάσας αὐτὰς κυριώτερον ἀποφάσκειν, ὡς ὑπὲρ πάντα ὑπερούσῃ, καὶ μὴ οἴεσθαι τὰς ἀποφάσεις ἀντικειμένας εἶναι ταῖς

καταφα-

TEXTVS S. DIONYSII.

καταφάσεσιν, ἀλλὰ πολὺ πρότερον αὐτὴν ὑπὲρ τὰς στερήσεις εἶναι τὴν ὑπὲρ πᾶσαν καὶ ἀφαίρεσιν, καὶ θέσιν.

Οὕτω γοῦν ὁ θεῖος Βαρθολομαῖός φησι, καὶ πολλὴν τὴν θεολογίαν εἶναι καὶ ἐλαχίστην· καὶ τὸ Εὐαγγέλιον πλατὺ καὶ μέγα, καὶ αὖθις συντετμημένον. Ἐμοὶ δοκεῖ ἐκεῖνο ὑπερφυῶς ἐννοήσας, ὅτι καὶ πολύλογός ἐστιν ἡ ἀγαθὴ πάντων αἰτία, καὶ βραχύλεκτος ἅμα, καὶ ἄλογος, ὡς οὔτε λόγον οὔτε νόησιν ἔχουσα, διὰ τὸ πάντων αὐτὴν ὑπερουσίως ὑπερκειμένην εἶναι, καὶ μόνοις ἀπερικαλύπτως καὶ ἀληθῶς ἐκφαινομένην τοῖς καὶ τὰ ἐναγῆ πάντα καὶ τὰ καθαρὰ διαβαίνουσι, καὶ πᾶσαν πασῶν ἁγίων ἀκροτήτων ἀνάβασιν ὑπερβαίνουσι, καὶ πάντα θεῖα φῶτα, καὶ ἤχους, καὶ λόγους οὐρανίους ἀπολιμπάνουσι, καὶ εἰς τὸν γνόφον εἰσδυομένοις, οὗ ὄντως ἐστὶν, ὡς τὰ Λόγιά φησιν, ὁ πάντων ἐπέκεινα. Καὶ γὰρ οὐχ ἁπλῶς ὁ θεῖος Μωϋσῆς, ἀποκαθαρθῆναι πρῶτον αὐτὸς κελεύεται, καὶ αὖθις τῶν μὴ τοιούτων ἀφορισθῆναι, καὶ μετὰ πᾶσαν ἀποκάθαρσιν ἀκούει τῶν πολυφώνων σαλπίγγων, καὶ ὁρᾷ φῶτα πολλὰ, καθαρὰς ἀπαστράπτοντα καὶ πολυχύτους ἀκτῖνας· εἶτα τῶν πολλῶν ἀφορίζεται, καὶ μετὰ τῶν ἐκκρίτων ἱερέων ἐπὶ τὴν ἀκρότητα τῶν θείων ἀναβάσεων φθάνει. Κἂν τούτοις αὐτῷ μὲν οὐ συγγίνεται τῷ Θεῷ, θεωρεῖ δὲ οὐκ αὐτὸν (ἀθέατος γάρ) ἀλλὰ τὸν τόπον οὗ ἐστι. Τοῦτο δὲ οἶμαι σημαίνειν τὸ τὰ θειότατα καὶ ἀκρότατα τῶν ὁρωμένων καὶ νοου-

contrarias, sed ipsam, multò priorem & superiorem priuationibus esse supra omnem & ablationem, & positionem.

§.3. *Quæ sit breuis & fusa Theologia.*

Hac vtique ratione diuus Bartholomæus ait & copiosam esse Theologiam, & minimam, atque Euangelium amplum & magnũ, & rursus concisum. Illud, vt mihi videtur, eximiè intelligens, quòd benigna omniũ causa sit & multiloqua, & breuiloqua simul atque nullius sermonis, vtpote cuius neque dictio neq; intelligẽtia sit, quia cunctis creatis superessentialiter supereminet, & absque operimentis ac verè ostenditur solis iis, qui cuncta quæ impura, quæque pura sunt, pertranseunt, omnemque omnium sanctorum fastigiorum ascensum transscendunt, & omnia diuina lumina, & sonos, & sermones cælestes relinquunt, & in caliginem absorbentur, vbi verè est, sicut ait Scriptura, qui est vltra omnia. Non enim temerè diuinus Moyses expiari primùm ipse iubetur, ac deinde à non expiatis segregari, & post omnem expiationem audit multisonas tubas, cernitque multa lumina, puros ac multiplices radios iacientia: postmodum à multitudine separatur, & cum electis sacerdotibus ad summũ fastigium diuinorum ascensuum pertingit. Sed hactenus nondum versatur cum ipso Deo, nec eum videt (inaspectabilis enim est) sed locum vbi stetit. Hoc autem existimo significare, diuinissima & summa eorum quæ cernuntur & in-

Qui diuinam caliginem ingrediantur.

Exod. 19.

Exod. 33.

TEXTVS S. DIONYSII.

intelliguntur, rationes quasdam esse quæ subiiciant menti illa, quæ sunt subiecta ei, qui vniuersis antecellit; quibus præsentia ipsius, quæ omnem cogitationem mentis vincit, declaratur insistens tamquam in vestigiis summis intellectilibus locorum eius sanctissimorum: ac tunc ab iis ipsis quæ videntur, & ab iis quæ vident, absolutus & expeditus, in caliginem verè mysticam incognoscibilitatis ingreditur, in quâ omnes scientificas apprehensiones excludit, & in omnimodè intactili & inuisibili hæret, totus existens ipsius qui est vltra omnia; neque vllius, neque suus, neque alterius, cum eo autem qui est penitus incognoscibilis, per vacationem omnis cognitionis, secundùm meliorem partem copulatus, & eo ipso quòd nihil cognoscit, supra mentem cognoscens.

μένων, ὑποθετικούς τινας εἶναι λόγους τῶν ὑποβεβλημένων τῷ πάντα ὑπερέχοντι, δι' ὧν ἡ ὑπὲρ πᾶσαν ἐπίνοιαν αὐτοῦ παρουσία δείκνυται, ταῖς νοηταῖς ἀκρότησι τῶν ἁγιωτάτων αὐτοῦ τόπων ἐπιβαθοῦσα· καὶ τότε καὶ αὐτῶν ἀπολύεται τῶν ὁρωμένων καὶ τῶν ὁρώντων, καὶ εἰς τὸν γνόφον τῆς ἀγνωσίας εἰσδύνει τὸν ὄντως μυστικόν, καθ' ὃν ἀπομυεῖ πάσας τὰς γνωστικὰς ἀντιλήψεις, καὶ ἐν τῷ πάμπαν ἀναφεῖ καὶ ἀοράτῳ γίγνεται, πᾶς ὢν τοῦ πάντων ἐπέκεινα, καὶ οὐδενὸς οὔτε ἑαυτοῦ, οὔτε ἑτέρου, τῷ παντελῶς δὲ ἀγνώστῳ τῇ πάσης γνώσεως ἀνενεργησίᾳ, κατὰ τὸ κρεῖττον ἑνούμενος, καὶ τῷ μηδὲν γινώσκειν, ὑπὲρ νοῦν γινώσκων.

ANNOTATIONES CORDERII.

Mystica Theologia non discitur, sed inspiratur.



CVM Theologia Mystica (vt Isagoges cap. II. ostendimus) sit ordinis supernaturalis, & naturalem captum penitus transcendentis, S. Dionysius sacrosanctè, vti par est, ad eamdem se comparat per orationem, & sanctissimæ Trinitatis inuocationem: sciebat quippe vir sanctissimus, Theologiæ huius disciplinam Marte conatúve proprio minimè acquiri, nedum tradi posse; sed summo ac singulari supremi Numinis beneficio acceptam referri, atque ex eiusdem instinctu atque inspiratione tractari, solisque tanti doni capacibus communicari debere. Quapropter non, sicut in aliis Theologiæ partibus fieri assolet, simpliciter lumen aliquod, quo illustretur, expostulat; sed illam ipsammet Theologiæ ipsius Mysticæ gratiam maximeque insignem prærogatiuam, quâ ad supremum eius apicem perducatur. Id enim discriminis intercedit inter hanc & alias Theologicas disciplinas, quòd in aliis minimè necessarium sit eorum quæ tractantur, experimentum, seu ipsa possessio, sed tantùm lumen aliquod, quo intellectus naturam proprietatesque obiecti suo modo agnoscat ac perscrutetur: at mystica Theologia, ipsa intra se obiectum suum intimè complectitur, Deum videlicet, atque intimâ cum Deo vnione subsistit ac completur, quæ purâ & ardenti in Deum conuersione obtinetur, quam non nisi diuina gratia præstare potest. Hanc ergo cum Deo coniunctionem in ipso huius libri limine sibi apprecatur, nec non precando simul huic operi præfatur. Vbi obseruandum est, deprecatoriam hancce præfationem, totius huius libelli epitomen complecti, & subobscuram esse, prout rei obscuræ summam decet. Ceterùm quæ hîc obscurè ac strictim indicat, toto deinceps libello nonnihil fusiùs extendit, atque particulariùs exponit.

Ad eam animus per orationem præparatur.

Rectè autem obseruat Pachymeres, Præfatiunculam hanc precatoriam, vt in mystico instituto est, modo mystico terminisque mysticis esse compositam, nempe

pe ex verbis compositis per ὑπὲρ, quæ quasi propriæ quædam Mysticæ Theologiæ formulæ existunt. Vnde statim in exordio SS. Trinitatem inuocans, non quid ipsa sit, sed quid non sit, vel potiùs supra quæ sit exponit, dicens:

SS. Trinitas quo sensu dicatur supernaturalis.

§. 1. *Trinitas supernaturalis*, &c.] Nota, Trinitatem non vocari supernaturalem, quasi sit supra naturam Dei, cùm illi essentiale & maximè naturale sit, esse fecundam, & vnam eamdemque in tribus distinctis personis existere: sed dicitur supernaturalis respectu nostri & Angelorum, omnisque substantiæ creatæ, quia nullis naturæ viribus attingi, nec ex vllâ notione naturaliter, sine Dei reuelatione cognosci vllo modo potest, vti S. Thomas Parte 1. quæst. 32. articulo 1. & seq. docet.

Quomodo sit supra diuinitatem & bonitatem.

Similiter dicitur *supraquam diuina, supraquam bona*, id est supra diuinitatem & supra bonitatem quouis creato intellectu conceptibilem. Dicitur autem SS. Trinitas *Theosophiæ Christianorum præses*, quia soli Christiani mysterium Trinitatis atq; indiuiduæ Vnitatis agnoscunt per fidem, & venerantur per religionem, quæ diuina prorsus sapientia est, & vita æterna, de quâ Christus ipse dicit: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Nunc quidem hoc Christiani assequuntur in fide, quasi in semine, postmodum autem in gloriâ, tamquam in fructu, quo Beati plenè satiantur. Pulchrè ad hoc propositum Gregorius Theologus in Oratione de Constituendis Episcopis, Si, inquit, consequi possem, vt hîc perfectam vniuersorum scientiam haberem, quid mihi reliquum esset? quid sperarem? Regnum cælorum planè, dicturus es. Arbitror autem, nihil aliud esse hoc, quàm adipisci quod purissimum & perfectissimum est. Perfectius autem ex omnibus quæ sunt, cognitio Dei est. Sed hanc quidem partim teneamus, partim verò pergamus vt comprehendamus, quamdiu super terram sumus; partim in futurum reseruemus, vt illinc hunc fructum laboris habeamus, splendorem scilicet totius sanctæ Trinitatis, quicumque est, & qualis, & quantus, si fas est dicere. Hanc ergo sanctam Trinitatem inuocans ait: *Dirige nos ad mysticorum oraculorum plusquam indemonstrabile, & plusquam lucens, ac summum fastigium.* Meritò sanè diuinam petit directionem, cùm Mystica Theologia sit ordinis naturam transscendentis, vtpote ad quam non humanâ industriâ, sed solâ dignatione diuinâ peruenitur. Igitur *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Atque adeò perquam doctè vocat *plusquam indemonstrabile, & plusquam lucens fastigium* eius: siquidem nullâ ratiocinatione aut demõstratione (quæ, secundùm Philosophum, scientiam parit) in eius notionem deuenitur, sed solo fidei lumine supernaturali, aut peculiari reuelatione. Quare sanctam Trinitatem (quæ Mysticæ Theologiæ summum est fastigium) significanter Græcè ὑπεράγνωστον appellat, quia quid ipsa sit, non solùm ita est indemonstrabile & ignotum, sicut nos intelligere possumus in creaturis aliquid esse ignotum, sed est plusquam indemonstrabile, & supraquam ignotum; quia non possumus naturaliter videre Deum, nec ex vllis creaturis possumus haurire vllam cognitionem, quæ mysterium sanctissimæ Trinitatis nobis declaret, cùm econtrà omnis cognitio, quam habemus ex creaturis, videatur potiùs ostendere, hoc mysteriũ esse impossibile. Quare etsi hoc mysterium non sit contra rationem, (vt aliqui falsò dixerunt; quia quidquid veritati contrariatur, non debet dici ratio, sed error;) est tamen supra omnem rationem naturalem, ita vt, seclusâ reuelatione, numquam possit nobis, tamquam positiuè probabile, venire in mentem, hoc mysterium esse possibile, quia nihil est vnde eam cognitionem possimus concipere, vti passim Theologi in 1. Parte quæst. 32. docét. Simul tamen rectè dicitur hoc mysterium *supraquam lucens:* quia vbi lumen rationis cæcutit & deficit, ibi lumen fidei acutiùs rutilat credendo, quàm quælibet Logica vel Mathematica ratiocinatio demonstrando, quippe lumen supernaturale atque infallibile, quod falli non potest, nec fallere. vnde licet nullam pariat euidentiam, habet tamen certitudinem qualibet euidentiâ maiorem. Possunt hæc etiam de illâ reuelatione accipi, quæ claritatem habeat ex reuelante, *vbi simplicia & absoluta*, id est ea quæ nudè sicuti sunt, sine symbolicis integumentis, & sine parabolis, ac sine verbis, quæ explicatione indigent, intelliguntur & videntur, Deo aperiente mysteria, quæ sic ostensa & reuelata, non possunt posteà sermone exprimi, sicut S. Paulus Dionysij institutor, de huiusmodi visione ac reuelatione mysteriorum simplici & absolutâ, id est nudâ & apertâ, remotis symbolis & verbis explicatione indigentibus, in raptu illo suo scripsit. *Quæ non licet*, inquit, *homini loqui*; ad hoc enim videtur Dionysius retulisse quod hîc dixit, *in caligine plusquam lucente silentij arcana docentis.* Caliginem vocauit, quæ Paulus ἄῤῥητα, id est *arcana:* hæc

Margin notes: Cur sit præses Christianorum. — Ioan. 17, 3. — Perfecta cognitio Trinitatis, est vita beata. — Ad mysticam Theologiam solâ Dei gratiâ venitur. — Rom. 9, 16 — ANNOTATIO NESCORDERII. — Cognitio SS. Trinitatis est supernaturalis. — Fides lucet supra rationem. — Quæ sint simplicia & absoluta. — 2. Cor. 12, 4 — Caligo & arcana quid.

ANNOTATIONES CORDERII.

hæc enim obſcuriſſima, & quæ explicari non poſſunt (ſicut neque videri poteſt caligo, neque quæ caligine obtecta ſunt) vidit, & cognouit Paulus in luce clariſſimæ reuelationis, ſine vllis ſymbolis. Illud etiam obſeruandum eſt (ne quis interpretationem temerè reprehendat, quòd vertimus, *aperiuntur in caligine)* malè legi in exemplaribus hactenus editis ἐγκαλύπτε), id eſt *teguntur*, cùm melius repererit Turrianus noſter in exemplari M. S. quod Cypariſſiotus habuit, ἐκκαλύπτε), id eſt, *deteguntur*. Cui etiam lectioni adſtipulatur M. S. exemplar Cæſareum. Poſſit etiam non incongruè per caliginem intelligi fides, quæ eſt *ſperandarũ ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* ſiquidem in illâ, propter obſcuritatem eius, tamquam *in caligine*, ſed propter ſupernaturalem quam ex diuino teſtimonio participat certitudinem, *ſupra quàm lucente*, ſupra omnem naturalem demonſtrationem, *ſilentium* quoddam reperitur *arcanæ* ſeu Myſticæ *doctrinæ*, quæ *non* eſt *in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt fides noſtra non ſit in ſapientiâ hominum, ſed in virtute Dei. Quæ in obſcuritate tenebricoſiſſimâ*, propter ineuidentiam rerum credendarum, *pluſquam clariſſimè*, propter euidentiam credibilitatis, quam pariunt notæ fidei; *ſuperlucet* ſupra omnem ſcientificam demonſtrationem, propter diuinam reuelationem, cui aſſenſus fidei immediatè innititur, & exinde certitudinem ſortitur (vtpote ſupernaturalem) qualibet naturali ſcientiâ magis infallibilem. *Et in omnimodâ intangibilitate atque inuiſibilitate* myſteriorum omnem tactum & viſum effugientium *præpulchris ſplendoribus* luminis diuini, *mentes oculis captas*, id eſt, ſecundùm Apoſtolum, *in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Superadimplet omni gaudio & pace in credendo, vt* poſſint *comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas, & profundũ: ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt* impleantur *in omnem plenitudinem Dei. Hæc quidem*, inquit, *mea ſint vota.* hoc eſt quod opto, quod deſidero. Deinceps Timotheum ad myſticam contemplationem informans ait: *Tu verò chare Timothee, in myſticis* rerum diuinarum atque cæleſtium *contemplationibus*, non ſegni & remiſsâ, ſed diligenti & *intentâ exercitatione* te excolas oportet: *& ideò ſenſus relinque*, qui, vtpote animales, non capiunt ea quæ ſunt ſpiritus; *& intellectuales operationes*, ſcilicet, quas intellectus agens à rebus ſenſibilibus abſtractis ſpeciebus, in intellectu patiente naturaliter efformat; *& ſenſibilia* omnium ſenſuum obiecta, *& intelligibilia omnia* principia ſcientiarum naturalium ac ratiocinationũ, *& ea quæ ſunt*, id eſt rerum eſſentias, quæ quòd inuariabiles ſint, à Philoſophis propriè dicuntur eſſe; *& ea quæ non ſunt vniuerſa*, id eſt omnes res temporales, quæ propter continuam mutationem dicebantur à Philoſophis non eſſe. *Vt ad vnionem*, quæ per charitatem fit & gratiam, *eius qui ſupra eſſentiam & ſcientiam eſt*, vt auctor eſſentiæ, qualibet conceptibili à nobis eſſentiâ ſublimior, & ſupra omnem notionem notionis deſignatricem exiſtẽs, *quantum* per gratiam *fas eſt*, per fidem, *indemonſtrabiliter* ſine notione vllâ naturali, ſupernaturaliter *aſſurgas.* Nam fides, cui nulla demonſtratio vel naturalis notio ſuffragatur, primus gradus eſt, quo aſcendimus ad charitatem, quâ cum Deo coniungimur & vnimur. *Siquidem per liberam*, id eſt voluntariam, *& abſolutam*, id eſt nulli creaturæ adhæreſcentem, *& puram*, id eſt ſinceram, *tui ipſius*, animæ ſcilicet & affectionum corporis, *à rebus omnibus* creatis, ſiue ſenſilibus ſiue intellectilibus, *auocationem*, Græcè ἐκστάσει, id eſt per exſtaſim ſeu exceſſum quemdam amoris, & mentis abſtractionem, atque omnium abnegationem, *ad ſupernaturalem illum*, ad quem naturalis omnis intuitus obſtupeſcit, *caliginis diuinæ radium*, vbi per fidem Deus apprehenditur, & per dilectionem animæ vnitur, *detractis omnibus*, tam ſenſuum quàm ratiocinationum ambagibus, *& à cunctis* impedimentis *expeditus, eueheris*, & anagogicè ſublimaberis.

Fides eſt etiam caligo quædam. Heb. 11,1

Myſtica doctrina qualis. 1.Cor.2,4.

2.Cor.10,5. Rom.15,13 Epheſ.3,18.

Quomodo ad myſticam doctrinam perueniatur.

1.Cor.2,14

Vbi nota, quomodo dicat ἀγνώστως, id eſt *indemonſtrabiliter*, abſque notione naturali, ad diuinam vnionem aſſurgendum eſſe. Non enim curioſè inquirendum eſt, nec demonſtrari poteſt quomodo fiat iſta cognitio Myſticæ Theologiæ per copulationem cum Deo, relictâ omni aliâ cognitione rerum; id quod Paulus Apoſtolus ſignificauit, cùm dixit de illâ ſuâ cum Deo copulatione, in quâ myſteria illa arcana vidit: *Siue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio: Deus ſcit.* Neſcio, inquit, id eſt, non curioſè inquiro, nec demonſtrare valeo, ſatis mihi eſt vidiſſe & audiſſe arcana illa verba, &c. Leſſius in Præfatione libri de Perfectionibus diuinis, ait, Dionyſium hîc agere de modo illo contemplandi, in quo, conſideratis accuratè perfectionibus diuinis, quatenus ad certam ſpeciem limitatæ, ac inter ſe diſtinctæ offeruntur, mens aſſurgit ad aliquid ſublimius

Quomodo ſine notione ad diuinam vnionem veniatur.

2. Cor.12,3.

mius & illimitatum, omnibus istis infinitè præstantius, illique ignoto modo se contemplatione & amore coniungit. *Vnio in caligine quid.* Hersentius ad hunc locum, per caliginem intelligit Dei sub ratione lucis increatæ & inaccessibilis in animæ essentiam illapsum, qui ipsam illâ inaccessibili luce perfundat atque absorbeat; vel certè illam supremam coniunctionem, quâ anima supra omnes potentias sensitiuas & intellectuales, supra omnes sensus aut mentis operationes immediatè inhæret Deo per intimam transfusionem (vt ita loquar) essentiæ Dei, quæ lux infinita est, in essentiam animæ; per quam nimirum speciali modo anima Dei sedes constituatur, aut etiam Deus animæ dicatur. Caliginem autem vocat duplici de caussâ: Prima, quòd Deum caliginem inhabitare *Psal. 96.* Scriptura perhibeat. *Nubes & caligo in circuitu eius.* *Psal. 17.* & alibi, *Posuit tenebras latibulum suum.* Quin & Chaldaicæ, Ægyptiacæ, & Pythagoricæ Theologiæ mysticæ studiosis Deus quoque caligo est & habetur, non quòd vllas tenebras in se admittat *1. Ioan. 1.* (*Deus* enim *lux est, & tenebræ in eo nō sunt vllæ*:) sed potiùs quia suapte naturâ lux est infinita & inaccessibilis. *Deus occultus.* Hoc, vt obseruat Cresollus noster lib. 3. Mystagogi cap. 9. sapientes omnium temporum sacri & profani viderunt, qui clarissimo testimonio sunt professi, nimium quantum esse difficile Deum inuenire, vt ex Platone prodit Lactantius lib. 1. Institut. cap. 8. indicari autem in vulgus & explicari nullâ ratione posse. Quod Hebræi significare cupientes, nomen Dei aiunt esse ἄῤῥητον, ἀνεκφώνητον, inexplicabile, dici & nominari non posse, à quibus opinor capientes Ægyptij, principem Deum suum nuncupauere *Amūn*, quem Græci Latinique dicunt Ammonem, quod nomen ait Manethos significare *occultum* siue *occultationem*. Hinc Saitæ inter illos sapientiæ nomine celebrati, in propylæo templi Mineruæ nobilem illam inscriptionem posuerant: *Meum peplum nemo vmquam mortalium detexit.* Iustinus Martyr in Adhortatione ad Gentes, ait Acmonem Philosophum eâ causâ Deum nominasse πάγκρυφον, *prorsus occultum.* Vnde factum, vt omnes sancti Patres cum D. Damasceno lib. 1. de Fide c. 13. communi animorum consensione Deum vocent ἀκατάληπτον, *incomprehensibilem.*

Vnio Dei supra affirmationem & negationem. Secunda ratio est, quòd vnio huiusmodi cognitionis seu intellectionis (quæ Dionysio *lux* est) in seipsâ expers sit, vtpote supra omnem affirmationem & negationem existens, nec non omnem cognitionem, tum in sensu tum in intellectu impediens, pro eo tempore quo est, vti in fine Capitis huius docet. *ANNOTATIO NESCORDERII.* Vocat tamen ὑπέρφαῆ, *plusquam lucentem*, ne quis existimet meram esse obscuritatem, sed reuerà potiùs lucem maximam, & supersplendidam, id est quæ maximo, & suprà quàm cogitari possit splendore animam impleat: quæ tamen lux ob nimium sui splendorem mentis aciem ac lumen hebetet atque obscuret; non secùs ac Solis splendor pupillis imbecillioribus lumen visumque aufert, quin & noctuæ oculis nox est, & caligo. Deus enim cùm lux perfectissima sit, vbi ampliùs & efficaciùs se menti nostræ expandit atque aperit, magis eumdem præpotenti splendore suo offuscat & obstupefacit, vt vltrà nil videat: iuxta illud; *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* *Psal. 138.*

Aliam rationem adfert Marsilius Ficinus, vultque caliginem dici, quatenus animus per negationes quasdam huc vsque processit, negando videlicet Deum esse hanc aut istam, aut illam rem; lumen verò vocari, quia non aliter de Deo, quàm ita negando perspicuam consequimur veritatem. Et huic proposito locum Psalmi eiusdem non incongruè accommodat, *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius, & nox tamquam dies illuminabitur.* *Ibidem.*

Caligo mystica simul lucidissima. Ex his omnibus (inquit ibidem Hersentius) apparet, quàm aptè S. Dionysius cum summâ luce tenebras coniunxerit. Non enim tantùm caliginem seu obscuritatem dicere debuit, nec tantùm lucem maximam, quia horum vnico non satis huius diuini gradus proprietatem expressisset, quapropter vtrumque debuit copulare. Mox autem vbi constituit Deum hoc modo mysticè in animam illapsum, vel ipsam cum Deo, qui inaccessibilis lux est, coniunctionem, supremam caliginem nuncupari, quòd facultates cognitioni deditas sic obfuscaret & obtenebraret, vt nil concipere nil eloqui possent. Eamdem σιγῆς γνόφον, *caliginem silentij* vocat, quòd *Silentium mysticum.* quasi silentium quoddam in animi facultatibus efficiat. Quin etiam posset respectu sui ipsius *caligo silentij* nuncupari; quòd nimirum vnio hæc, vt ab omni cognitione, locutione, motuque libera est, ita summam pacem ac profundum silentium in se habeat. Denique silentium dicitur, quia omnem affirmationem & negationem longè multumque transscendit. Ne autem silentium istud otiosum aut inane esse videretur, lucemq; obfuscando, nil lucis suscipere aut conferre putaretur, κρυφιομύστην *Arcanorum mystam* vocat

ANNOTATIONES CORDERII.

vocat composito maximè efficaci, quod tam in actiuâ quàm in passiuâ significatione sumi potest. Nam & mystes dicitur cùm qui Sacris initiatur, & arcana sacra suscipit ac seruat, tum etiam is qui sacra tradit, dicit, ac reuelat vt μυσταγωγός. Vtro modo accipias, præclarum sensum reddit. Si enim passiuè sumpseris, silentium istud arcanorum mystam esse dicit, quatenus anima ad illud silentium redacta, ipsum per se arcanum diuinum in se suscipit; (quâ ratione Proclus in suis ad Platonis Theologiam commentariis, contemplationem illustrat comparatione mystarum qui religiosis arcanis seu sacris initiantur.) Si verò actiuè accipias, qui sensus omnibus interpretibus placuit, significat silentium istud esse rerum mysticarum veluti doctorem, initiatorem ac pædagogum. Nam in alio Theologiæ genere homo diuinitus inspiratus sacrorũ initiator existit; in hoc verò mystico, diuinorum Oraculorum Doctor ac Rector est diuinum silentium, siue ipse Deus cum summâ pace & silentio animæ coniunctus. Deinde in aliis Theologicis institutionibus aliud est Doctor, aliud id quod docetur; hîc verò Deus ipse & docet & docetur: docet, inquam, prout se animæ patefacit & coniungit; docetur autem atque agnoscitur per ipsam animæ cum diuinâ essentiâ vnionem seu coniunctionem, de quâ Regius Psaltes ait: *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus*. Non dixit, *Videte & gustate*, quod in alio contemplationis genere dicendum erat, in quo gustus seu affectus spiritualis à cognitione oritur: sed, *gustate & videte*, quia ab ipso Dei, prout in se ipso est, gustu & experimento mystica contemplatio exsurgit. Ceterùm aduerte cum eodem Hersentio, (ex quo hæc attuli) S. Dionysium, vt hoc silentium arcanæ loquelæ seu interioris doctrinæ, cuius ipsemet solus Deus auctor sit, minimè expers esse ostenderet, significanter κρυφιομύστην, id est *arcana docens*, appellasse. Plura de contemplatione Dei in caligine qui volet, videat apud Ioannem de IESV MARIA in libello de Mysticâ Theologiâ, & apud Thomam de IESV lib. 3. Diuinæ Orationis cap. 2. & 3. & θεοδίδακτον Rusbrochium, qui ἀποφάδην, prout Spiritus suggerebat, mirificè illam in Operibus suis explicat.

Proprietates mysticæ Theologiæ.

Psal. 33.

Mirum autem quid hîc de caligine illâ subinfert S. Dionysius, quòd *in obscuritate tenebricosissimâ plusquam clarissimè superluceat, & in omnimodâ intangibilitate atq; inuisibilitate, præpulchris splendoribus mentes oculis captas superadimpleat.* Hoc pulchrè, vti cetera, sic explicat Hersentius, vt τῷ σκοτεινοτάτῳ, *tenebricosissimâ*, oppositum sit τὸ ὑπερφανέστατον, *plusquam clarissimum:* & ἀοράτῳ *inuisibilitati*, ὑπέρκαλαι ἀγλαΐαι, *præpulchri splendores* respondeant. Splendores autem ipsam diuinam essentiam eiusdemque proprietates interpretatur, quæ sub ratione lucis in animam illabuntur, eamque illustrant; vel etiam ipsius diuinæ essentiæ, siue diuinarum personarum in seipsis cognitionem, quantum ab animâ cognosci possunt, nimirum perfectâ cum ipsis vnione. Splendores autem pulchritudinis nomine afficit, eâ ratione quâ Platonici (quorum primas Dionysius noster meritò sibi vendicat, vtpote Platonis non tantùm sectator accuratissimus, sed Christianissimus emendator) Pulchri nomine splendorem ac manifestationem intelligunt. Aptissimè igitur Dionysius hoc loco diuinis splendoribus, qui sunt ipsæmet essentiæ diuinæ proprietates, pulchritudinis nomen tribuit: quippe illis, seu ipsorum in animam transfusione atque vnione Deus ipse, quod est summum bonum, præstantissimo modo cognoscitur. *Præpulchros* autem seu *superpulchros* vocat, quia diuinis nil pulchrius aut amabilius concipi potest. Vbi notandum, quòd non *splendore*, sed *splendoribus* dixerit, quia scilicet Deus non vno genere pulchritudinis ac splendoris animas sibi coniunctas implet, sed multo & vario, vtpote qui omnis pulchritudinis fons, abyssus, & plenitudo est. Hinc in Psalmis, *Pulchritudo*, inquit, *agri mecum est*, scilicet varia & multiplex. Vno verbo, anima sic Deo vnita, infinitis quæ in ipso sunt pulchritudinibus ac splendoribus coniungitur, ipsisque illustratur, ornatur, impletur; ita vt euadat deiformis, ac sese in lucis inaccessibilis radios immittat, vti docet cap. 2. de Diuin. Nominibus. Non dixit autem, *superillustrat*, sed *superadimplet:* nam illustrationes quidem diuinæ, seu diuinorum luminum in mentem diffusiones quælibet illuminant quidem, & ornant, & adaugent, sed extra hunc statum & gradum non implent: solius enim Dei est, animam sui capacem implere. Vnde non temerè inferre liceat, apicem istum mentis seu mysticum fastigium, proximè accedere ad statum Beatorum, in quo Deus ita Sanctorum erit plenitudo, vt etiam, teste Apostolo, futurus sit *omnia in omnibus*.

Splendores mysticæ Theologiæ quales.

Psal. 49.

Deus animæ plenitudo.

Ceterùm vt quis sic Deo impleri possit, primùm vt semetipsum ante omnia exinaniat necesse est: siquidem per liberam

ram & absolutam (vt S.Dionysius ait) & puram sui ipsius à rebus omnibus auocationem, ad supernaturalem illum caliginis diuinæ radium, detractis omnibus, & à cunctis expeditus quis euehitur. Sic enim (vt in Speculo æternæ salutis, cap. 8. pulchrè Rusbrochius ait) suprema quidem animæ nostræ portio, numquam non parata erit ad receptionem Dei, siquidem sit prorsus nuda, & formis seu imaginibus vacua, in suum semper principium intuens ac propendens, vtpote æternum ac viuidum Dei speculum, cuius essentiam ac proprietates in se iugiter repræsentat. Habet hinc animæ nostræ substantia tres quasdam proprietates, quæ tamen naturâ vnum sunt. Prima scilicet proprietas est essentialis & imaginum expers nuditas, quâ nos Patri, eiusque diuinæ naturæ similes & vniti sumus. Altera proprietas, ratio superior animæ dici potest, quæ est claritatis speculum, in quo nos Dei Filium, æternam veritatem suscipimus: & in claritate quidem similes ei sumus, in susceptione autem vnum cum eo sumus. Tertiam proprietatem scintillam animæ appellat, quæ est animæ naturalis quædam introrsus in suam originem propensio, in quâ nos Spiritum sanctum, Dei charitatem suscipimus: & in propensione quidem sancto Spiritui similes sumus, in susceptione autem vnus cum Deo spiritus, & vnus amor efficimur. Tres istæ proprietates, vna atque indiuisa animæ substantia, sunt vitale fundum, & origo virium supremarum. Hæc autem similitudo, istæque proprietates ex naturâ in nobis omnibus insunt: sed peccatores, in proprio ipsorum fundo, ob vitiorum crassitudinem latet. Quamobrem si regnum Dei intra nos latens, sentire atque experiri velimus, foris & intus vitâ virtuosâ & benè ordinatâ præditi simus oportet, Christumque in verâ charitate modis omnibus sectemur, ita vt gratia, charitas, & virtutes, in supremam nostri partem, in quâ viuit regnatque Deus, nos euehere atque eleuare queant. Eam enim, quæ Deus est, beatitudinem, nullâ neque arte, neq; subtilitate vel acumine, lumine naturali absque Dei gratia contemplari vel sentire valemus. Atque hac de caussâ Deus omnipotens supremas animæ vires ad sui capessendam similitudinem (puta gratiam & dona sua) condidit, quibus nos supra naturam subleuamur ac renouamur, eique per charitatem ac virtutes similes efficimur. Porrò per supernaturalem hanc, quam per gratiam & virtutes acquirimus Dei similitudinem, memoria nostra in imaginibus vacuam nuditatem, intellectus in simplicem veritatem, & voluntas in diuinam attollitur libertatem: sicque demum Deo per gratiam & virtutes similes euadimus, & supra similitudinem illi felicissimè vnimur.

Anima à rebus creatis euacuanda.

Tres animæ proprietates ad Deũ recipiendum.

Luc. 17.

§. 2. *Hæc autem vide ne quis audiat rudiorum*, scilicet eorum qui Religionis Christianæ vel Mysticæ Theologiæ mysteriis nondum sunt initiati. *Istos dico, qui rebus naturalibus adhærescunt*, materialibus penitus immersi, *& nihil vltra naturalia*, in quorum notitiam per sensibilia peruenitur, *supernaturaliter esse imaginantur*, vtpote carentes fidei lumine, sine quo res ordinem naturæ transscendentes capi nequeunt. *Quin imò* cùm abundent in sensu suo, *arbitrantur suâ cognitione*, quam ex creaturis percipiunt, *nosse eum*, scilicet Deum, *qui posuit tenebras latibulum suum*, eò quòd eius natura nullo medio creato cognosci vllo modo possit, præsertim quatenus trinus in personis, & vnus in substantiâ est. *Quòd si supra captum horum*, scilicet Philosophorum, qui apud Gentiles habebantur sapientes, *sint diuinorum mysteriorum institutiones*, quæ per solam fidem apprehenduntur ex iis quæ à Deo reuelata, & è Scripturis sacris, & Apostolicis traditionibus accepta sunt, *quid dixerit quis de illis* profanis hominibus, *qui magis rudes sunt*, quales sunt idolatræ & vulgi plebecula, *qui summam causam omnium*, scilicet Deum vniuersi conditorem, *ex iis quæ in naturâ rerum extrema sunt*, v. g. ex rebus materialibus ac sensibilibus, *designant*, & describunt Deum, & rebus istis abiectis attribuunt diuinitatem; *nihilq; aiunt eam antecellere impiis multarum formarum imaginibus, quas ipsi fingunt* quilibet pro suâ phantasiâ diuersimodè Deum effingentes. *Cùm oporteret in eâ*, scilicet diuinitate, vt *omnium causâ*, quæ omnium causatorum perfectiones eminenter & supereminenter cõtinet, vtpote transscendentaliter exempta, *ponere & affirmare*, eò nimirum modo, quo Deum decet, enuntiando de ipso, *omnes entium affirmationes*, dicendo verbi gratiâ, Deus est vita, Deus est bonitas, &c. *quin eas ipsas omnes de eâ magis propriè negare*, dicendo v. g. Deus non est vita, non est sapientia, &c. qualia videlicet nos mente concipimus aut imaginamur, *tamquam superexistente supra omnia* quæ existunt, vel in intellectum creatum cadere possunt. *Nec existimare negationes affirmationibus esse contrarias*, quia non eadem, eodemque modo affirmantur & negantur; *sed ipsam multò priorem & superiorem* pri-

ANNOTATIONES CORDERII.

Mystica nõ sunt profanis communicãda.

Quomodo de Deo omnia affirmanda.

Quomodo de Deo omnia neganda.

Negationes in Deo non sunt contraria affirmationibus.

ANNOTATIONES CORDERII.

priuationibus. Quia cùm Deus sit actus purus, essentialiter existens, & omnes simplices perfectiones essentialiter continens, sitque per se causa rerum omnium, quocumque modo conceptibilium; eius quidem priuatio nulla verè concipi potest, & quarumcumque rerum etiam possibilium priuationes, vt verè concipiantur, non nisi ipso posteriores concipi possunt. *Esse supra omnem ablationem*, id est negationem; *& positionem*, id est affirmationem, vtpote omnem conceptibilem perfectionem quæ de aliquo affirmari vel negari possit, in se ipso anticipans præhabensque, idque modo infinities perfectiori quàm ab vllâ creaturâ excogitari, nedum explicari valeat.

Deus est supra affirmationes & negationes.

Notandum hîc Primò cum Hersentio, Christianis veteribus hoc inprimis curæ fuisse, vt nihil arcanorum nostræ Religionis nondum baptizatis reuelarent, & vt ipse Christus præcipit, non proiicerent margaritas ante porcos, neque darent sanctum canibus. Quod adeò sacrosanctè obseruabant, vt ne suppliciis quidem exquisitissimis adduci potuerint, vt quidpiam mysteriorum fidei Gentilium Iudicibus detegerent, ne scilicet nondum initiatis proposita profanarentur ac vilescerent, aut risui exponerentur. Quare mirum minimè videri debet, si S. Dionysius in arcanis hisce Mysticæ Theologiæ, quæ Christianæ Religionis veluti apex sunt, silētium plusquam Harpocraticum aut Pythagoricum indicat, cùm etiam in aliis Theologiæ suæ libris id obnixè commendet, vt Ecclesiast. Hier. cap. 1. & 2. de Diuinis nom. cap. 1. & passim alibi: quod non tantùm à Christianorum disciplinâ hauserat, verùm etiam ex Platonicorum instituto acceperat, quibus pro piaculo habebatur, Theologiæ arcana profanis propalari, vt in Epistolis suis Plato bis inculcat. Huc quoque spectat Symbolum illud Pythagoræ apud Iamblichum, *Dexteram non cuiuis facilè iniicias*, id est (vt in Symbolis Iamblichus explicat) *non probatis & initiatis mysteria ne detegas*. Nam, vt Maximus rectè obseruat Tyrius, ea est humanæ mentis imprudentia, vt quæ aperta sunt & prompta, minùs veneretur; quæ verò sunt abstrusa, cum admiratione accipiat. Hinc non improbabiliter aliqui coniiciunt rationem, cur hæc scripta S. Dionysij parum cognita fuerint antiquis; quòd nimirum ipsemet illa occultari voluerit, & solis Ecclesiæ Antistitibus communicari, vti in fine cap. 1. Ecclesiast. Hier. Timotheo commendat, & alibi insinuat.

Antiquitus sacra valdè arcana seruabantur.

Luc. 8.

Notandum Secundò cum Maximo, quid sit positio, quid sit ablatio. Deum, inquit, omnia esse vt Deum decet, positio est; & nihil eorum esse vt supra substantiam est, negatio. Vtrumque propriè dicitur in Dei amplitudine; vt, Deus est vita, Deus est bonitas, positio & affirmatio est; Deus non est vita, non est bonitas, negatio vera est, quia est supra hæc quæ nos per vitam & bonitatem intelligimus. Negationes autem in Deo affirmationibus præferendas esse, superiùs docuit Dionysius cap. 2. Cælest. Hier. vbi etiam vide nostras Annotationes. Ad confirmationem autem eorum quæ ibi dicta sunt, iuuat intelligere quid S. Maximus in Centuriâ 2. Theol. cap. 39. hac de re sentiat. Qui philosophatur, inquit, de Deo aiendo, Verbum facit carnem, dum non potest aliunde, quàm ex iis quæ cernimus & contrectamus, Deum cognoscere tamquam causam: qui verò neganter, auferendo philosophatur, Verbum facit spiritum, vtpote quod erat in principio, & erat apud Deum; eum qui est supraquam incognitus, ex nullâ penitus re earum quæ cognosci possunt, rectè cognoscens. Hinc fit perspicuum, quòd magis proprium sit philosophari de Deo per negationes quàm per affirmationes, quatenus alterum facit Verbum spiritum, alterum facit Verbum carnem. Ac Theologia quidem affirmans vim habet comparandi, & figurandi, ac coniectandi; & hoc tantùm probat, scilicet Deum esse, ex iis quæ ab ipso facta sunt: Theologia verò negans demonstrat Deum esse supra omnia, ac veritatem maximè assequitur, qui dicit non esse Deum quidquam eorum quæ sunt, sed esse supra substantiam, & supra omnia. Præterea, vt suprà Dionysius docuit, negationes in Deo non sunt contrariæ affirmationibus: nec enim quod affirmatio affirmat, hoc ipsum negatio negat. Quinimò sicut affirmatio non ponit quid sit Deus, sic neque negatio tollit quid sit Deus. Quod enim non ponit, quomodo tollat? Denique æquè non assequitur substātiam Dei tum affirmatio, tum negatio: hoc solùm differunt, quòd propiùs accedat ad veritatem, qui dicit, Deus non est hoc quod nos existimamus aut concipimus, quippe quid infinities perfectius, idque in ordine transscendentali ac supernaturali, quàm ab vllo intellectu concipi aut cogitari possit.

Quid sit positio, quid negatio.

Magis spirituales sunt in Deo negationes, & veriores.

Ioan. 1, 1.

§. 3. *Hac vtiq. ratione D. Bartholomæus* (vnde colligitur, S. Bartholomæum aliqua etiam Theologica scripsisse, vti & alios Apostolos verosimile est, de rebus ac quæstionibus diuinis per epistolam pro occasione

S. Bartholomæum quædam Theologica scripsisse.

sione

ſione interrogatos, de iiſdem breui ſaltem ſcripto reſpondiſſe, & ſublimiſſima, quæ ex ipſo Deo hauſerant Oracula, tradidiſſe, quę aliquamdiu, vti ſolent epiſtolæ, aſſeruabantur; & Catholicis communicabantur, ſed poſtmodum temporum iniuriis interciderint:) *ait & copioſam eſſe Theologiam,* id eſt fuſam, quâ parte videlicet ex creaturis vt effectis, tamquam à poſteriore, vt aiunt Philoſophi, in creatoris ac cauſæ primæ notitiam deuenitur, quæ quædam pars eſt Theologiæ demonſtrantis. vel certè quâ parte ſymbolica eſt, quæ, teſte Dionyſio cap. ſeq. longè fuſiſſima exiſtit: *& minimam*, id eſt breuiſſimam, quâ parte nimirum Myſtica eſt, vt ibidem Dionyſius explicat; vel certè quia Deus à priori indemonſtrabilis eſt, vt causâ carens. *Atque Euangelium amplum & magnum*, ſcilicet propter rerum quas continet amplitudinem & granditatem, *& rurſus conciſum* ſeu contractum, id eſt (vt ego quidem interpretor) mole quidem exiguum, ſenſu autem & perfectione maximum. Vnde Apoſtolus appellat Verbum abbreuiatum, vtpote continens breuiſſimum fidei & dilectionis præceptum, quod pro cunctis ſinuoſæ legis cærimoniis ſucceſſit. Ita Anſelmus & Oecumenius. Vel quia continet Verbum incarnatum, ad hominis vſq; naturam abbreuiatũ & exinanitum, quòd ſaluas fecit reliquias Iſrael. *Illud, vt mihi videtur, eximiè intelligens, quòd benigna omniũ cauſa ſit & multiloqua:* quatenus videlicet creando omnia, ſemetipſum multis modis manifeſtat. Omnia namque ſuo modo dicunt: *Quoniam ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Atque hoc modo creaturæ ſunt quaſi quædã vox Dei, quâ omnia pulchra teſtantur ipſum pulcherrimũ, dulcia dulciſſimum, ſublimia altiſſimum, pura puriſſimum, fortia fortiſſimum, & ſic de aliis. *Et breuiloqua ſimul.* Quatenus nimirum vno verbo dicit omnia. *Ipſe enim dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt. Atque nullius ſermonis.* quo nimirum à nobis intelligi poſſit quid ſit, *vtpote cuius neque dictio*, quæ illam quid ſit exprimere poſſit, *neque intelligentia ſit*, quâ valeat comprehendi; *quia cunctis creatis*, non ſimplici ratione, ſed *ſupereſſentialiter*, id eſt ſupernaturaliter, *ſupereminet*; ita vt quantumuis intellectus creatus in ſuo genere perficiatur, numquam ad quidditatiuam Dei cognitionem, nec ad ſanctiſſimæ Trinitatis vllam notionẽ ex quâ cognoſci poſſit, peruenturus ſit, ſine lumine ordinis ſupernaturalis ſiue gratiæ, ſiue gloriæ. *Et abſque operimentis*, id eſt ſine ſymbolis, de quibus Cap. 1. Cæleſt. Hierar. &

Quæ ſit fuſa Theologia. — *Quæ breuis.* — *Euangeliũ quâ ratione magnum & paruũ.* — Rom. 9,28 — *Quomodo Deus multiloquus.* — Pſal. 99,3. — *Quo ſenſu breuiloquus.* — Pſal. 32,9. — *Numquam intellectus creatus per ſe poteſt Deum perfectè intelligere.*

alibi ſæpiùs ſermo fuit. *Ac verè oſtenditur*, non quidem intuitiuè, aut facie ad faciem, quod ſolius patriæ eſt, ſed per intellectilem aliquam abſtractionem, *ſolis iis, qui cuncta quæ impura*, ſcilicet materialia, *quæq; pura ſunt*, id eſt ſpiritalia & intellectilia, *pertranſeunt*, illis minimè immorando, *omnemq; omnium ſanctorum faſtigiorum aſcenſum tranſſcendunt.* Intelligit illas ſupremorum ſpirituum ſummitates, quas Cap. 1. Cæleſt. Hierar. §. vltimo & alibi, *vertices* appellat, Græcè ἀκρότητας. *Et omnia diuina lumina*, ſcilicet qualia [a] Moyſi in rubo, in [b] columnâ ignis populo Iſraelitico, Moyſi [c] in monte Sinai: Eliæ [d] in curru igneo, & quale [e] in Chriſti natiuitate paſtores circumfulſit, & [f] Magos in Bethlehem deduxit, & ſimilia. *Et ſonos*, quales fuerunt dum [g] Moyſes erat cum Domino in monte Sinai, item quales deſcribit Ezechiel 1,24. *Audiebam*, inquit, *ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei, cùm ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis, vt ſonus caſtrorum*, & ſimiles. *Et ſermones cæleſtes relinquunt*, quales v. g. fuerunt Domini [h] ad Noë & ad alios Patres veteris Teſtamenti [i] Abraham, Iſaac, & Iacob, &c. item ad [k] Moyſem, præſertim in [l] monte Sinai; & ad Prophetas, vt [m] Samuelem, ceteroſque. *Et in caliginem abſorbentur*, ſcilicet illam myſticam, de quâ ſuprà, §. 1. & Cap. ſeq. cuius figura erat illa nubes, quæ loquente Domino cum [n] Moyſe, montem Sinai operiebat. *Vbi verè eſt, ſicut ait Scriptura*, Pſal. 96,2. *Nubes & caligo in circuitu eius.* & Exod. 20,21. *Moyſes acceſſit ad caliginem in quâ erat Deus. Qui eſt vltra omnia*, ſcilicet creata. *Non enim temerè diuinus Moyſes expiari primùm ipſe iubetur, ac deinde à non expiatis ſegregari.* Exodi enim 19. legitur, quo pacto Deus, qui in caligine deſcenſurus erat, præceperit populum ſanctificari & lauari: in quo intelligere promptum eſt, ipſum præ ceteris lotum & expiatum ad montem acceſſiſſe. *Et poſt omnem expiationem, audit multiſonas tubas, cernitq; multa lumina, puros ac multiplices radios iacientia.* Hæc vide Exod. 19. & 20. fuſiùs deſcripta. *Poſtmodum à multitudine ſeparatur, & cum electis ſacerdotibus*, vno quidem aut pluribus: nam cum Aaron legitur conſcendiſſe. *Ad ſummum faſtigium diuinorum aſcenſuum pertingit.* poſtquam ſcilicet populo terminos in monte præfixerat, vltra quos ſine periculo aſcendere non poterat, quòd non eſſet capax tantæ puritatis, neque diuinæ lucis radios è propinquo ſuſtinere poſſet. *Sed hactenus nondum verſatur cum ipſo Deo.* hæc enim adhuc

ANNOTATIONES CORDERII. — *Quæ ſint diuina lumina.* — a Exod. 3,2 — b Exod. 13, 21. — c Exod. 19, 18. — d 4. Reg. 2, 11. — e Luc. 2, 9. — f Mat. 2,3. — g Exod. 19, 16. & 20, 18. — h Gen. 8, 15. — i Gen 15,1 — k Exod. 6,1 13,1. — l Exod. 19, 3. — m 1. Reg. 3 4. — n Exod. 19. — *Expiatio debet præcedere diuinam illuminationẽ.* — *Populus non eſt capax myſticæ lucis.*

ANNOTATIONES CORDERII.

huc symbolica erant, & ad congressum Dei disponebant. *Nec eum videt*, scilicet vt in se est (*inaspectabilis enim est*) scilicet omni intellectui creato, lumine gloriæ nondum eleuato. Deus enim (inquit Gregorius Theologus) est lumen summum & inaccessum, quod neque mente comprehendi, neque oratione exprimi potest. *Sed locum vbi stetit*, scilicet aliquid creatum in quo Deus reluceat. Sicut enim in patriâ Deus est quasi speculum in quo relucent creaturæ, sic in viâ è conuerso creaturæ sunt speculum, quo Creator videtur. vnde Apostolus, *Videmus*, inquit, *nunc per speculum, & in ænigmate*. Idem, *Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*.

In Orat. de Baptismo.

Creaturæ sunt speculum Dei.

1. Cor. 13, 12.
Rom. 1, 20

Hoc autem existimo significare, diuinissima & summa eorum quæ cernuntur & intelliguntur, rationes quasdam esse, quæ subiiciant menti illa, quæ sunt subiecta ei qui vniuersis antecellit: quibus præsentia ipsius, quæ omnem cogitationem mentis vincit, declaratur insistens tamquam in vestigiis summis intellectilibus locorum eius sanctissimorum. Hæc verborum præcedentium (vt rectè notat Hersentius) Anagogicum sensum insinuant. Scilicet, ea quæ mira, sublimia, & non vsitata Deus operatur, siue in sensum cadant, siue in intellectum, puta signa, miracula, aut miraculosas apparitiones, reuelationes, &c. esse rationes quasdam congruas seu argumenta accommodata ad significandum, quòd Deus illic, vbi ista fiunt, certam habeat præsentiam: siquidem vt se peculiariter præsentem esse alicubi demonstret, mira quædam & præter vsum illic operatur. Sic in præsenti proposito, vt Deus in monte se habitare Israelitis demonstraret, & populus intelligeret à Deo ipso se mandata legis accipere, nubes & fulmina & fumum priùs emisit, tubas grauisonas audiri voluit; quinimò sub certâ specie & figurâ selectis viris sese patefecit. His itaque omnibus tamquam in exemplo allatis S. Dionysius insinuat, Deum cognitionem prorsus omnem transscendere, ideóque supra cognitionem omnem tum sensibilem tum intellectualem quæri debere ab iis qui ad Mysticæ Theologiæ apicem contendunt: ita vt, si quid in inferioribus contemplationis gradibus Deus sanctum & inusitatum fecerit, vt sunt ipsius apparitiones aut reuelationes, peculiarem quidem Dei præsentiam & aduentum denotari intelligant, ipsum tamen vt in se est Deum minimè videri sciant, quippe qui hæc omnia multùm excedit. Itaque qui prodigia à Deo effecta vident, aut qui eum sub certis formis aut intellectualibus aut sensilibus sibi apparentem intuentur, non ipsum propriè vident, sed tantùm locum vbi certa ratione habitat. Ad hunc igitur modum (inquit Gregorius Theologus) de Deo philosophaberis, sis licet Moyses, & Deus Pharaonis; licet vsque ad tertium cælum, vt Paulus, peruenias, & audias arcana verba; licet supra illos ad statum & ordinē aliquem Angelorum aut Archangelorum ascendas. Quamuis enim omne cæleste, & aliquid supracæleste, multò excellentiore naturâ, quàm nos sit, & Deo propinquius, & quasi locus eius; magis tamen distat à Deo, & à perfectâ eius intelligentiâ, quàm nostram hâc naturam compositam, & humilem, & deorsum inclinatam antecellat. Vnde subdit: *Ac tunc ab iis quæ videntur*, scilicet speculis & ænigmatibus, *& ab iis quæ vident*, scilicet mentibus & intelligentiis, per mentis abstractionem *absolutus & expeditus*, sine notione, *in caliginem verè mysticam incognoscibilitatis ingreditur, in quâ omnes scientificas apprehensiones excludit*, per omnium rerum cognoscibilium negationem, sine propriâ (cùm hæc haberi nequeat) notione, hoc tantùm intelligendo & fatendo, Deum infinities, quàm ab vllâ creaturâ concipi possit, esse perfectiorem, nec ab vllo hominum vel Angelorum penitus cognosci posse (scilicet naturaliter prout in se est, per proprium conceptum.) *Et sic in omnimodè intactili & inuisibili hæret*, per amorem qui amantem in amatum transfert, *existens totus ipsius qui est vltra omnia*, scilicet Dei propter plenam sui abnegationem, & à rebus omnibus abstractionem, *neque vllius neque suus, neque alterius. Cum eo autem qui est penitus incognoscibilis, per vacationem omnis cognitionis, secundùm meliorem partē copulatus, & eo ipso quòd nihil cognoscit, supra mentem cognoscens*, id est per amorem ecstaticum totus absorptus in Deum, vbi supra mentem, & sermonem, & rationem perficitur. Atque hæc coniunctio cum Deo supra mentem (inquit Cyparissiotus Dec. 2. cap. 10.) est ingredi per nescientiam perfectam in illud infinitum & incomprehensum atque immensum pelagus naturæ diuinæ, vbi omnis natura defatigata sistit se, & vlteriùs progredi non audet, atque à diuino quodam odore, & quadam à corpore & à creaturis auocatione, in laudabilem & beatum statum transfertur, non solùm admirabiliùs quàm dici, sed quàm intelligi possit ab iis, qui numquam statum hunc experti sunt.

Creaturæ Deum nobis manifestant tamquam vestigia eius.

Orat. 2. de Theologiâ
Exod. 7, 1.
2. Cor. 12, 2.

Quomodo ex creaturarum cōtemplatione ad Deū assurgendum sit.

Per amorem Deo coniungimur in caligine mysticâ.

Ex prædictis collige Primò, ex citatio-

Scriptor huius libri Apostolorum tempore vixit.

ne S. Bartholomæi ſatis idoneum pro libro hoc S. Dionyſio Areopagitæ vindicando argumentum, vt qui hîc diſertè, vti, & alibi, Diuinorum nominum c. 2. 3. & 11. teſtetur & profiteatur, ſe multas ab Apoſtolorum ore & oraculo hauſiſſe ſententias. Nec nos morari debet (inquit Herſentius) quòd quidam noſtro æuo viri eruditiſſimi, librorum horum auctorem Apoſtolorum tempore multò poſteriorem faciant, audeantque, prô dolor! tantorum Operum ſcriptorem, aliorum omnium (ſi Canonicos excipias) veraciſſimum, modeſtiſſimum ac ſanctiſſimum, vt ipſa eius ſcripta abundè teſtantur, turpiſſimi mendacij labe infamare, quaſi libris ſuis commendationem fraude & impoſturâ conciliare voluerit; qui tamen ſuo pondere atq; præſtantiâ laudem & commendationem non poſſunt apud omnes non adipiſci. Ita autem affecti ſumus, vt ampliùs credamus Dionyſio ſe Apoſtolos & vidiſſe & audiuiſſe clarè profitenti, quàm aliis omnibus in contrarium obſtrepentibus.

Triplex modus mẽtis erga Deum.

Collige ſecundò ex eadem S. Bartholomæi ſententia, vt explicat Marſilius Ficinus, mentem circa Deum tres ſubire gradus. Primo ſiquidem verbis plurimis vtitur, ſecundo paucis, tertio nullis. Ac plurimis quidem verbis vtitur, vbi quæcumque occurrunt, de Deo affirmat atq; negat, paribus quidem verbis, ſed ratione diuerſâ. Paucis verò verbis agit, vbi de Deo loquitur ſub ea ratione, quâ refertur ad creaturas, & creaturæ ad ipſum; vti fit in libro de Diuinis nominibus. Nullis denique verbis vtitur, quando vlteriùs res creatas ad Deum non refert, neque viciſſim Deum ad ipſas; ſed tamquam Deus creata omnia, & relationes omnes ad creata, in ſeipſo tranſſcendat, nil de Deo affirmat, atque negat, ſed religioſo ſilentio Deum, vt par eſt, colit. Tunc demum ait S. Dionyſius mentem *omnem omnium ſanctorum faſtigiorum aſcenſum tranſſcendendo, in caliginem abſorberi.* vbi Marſilius Ficinus per *faſtigia* ſeu *cacumina*, intelligit naturas ad vnitatem reductas, ſed eaſdem vniuerſim conſideratas, quas tres eſſe ait, ſcilicet corporalem, animalem, intellectualem, quarum cogitationem & affectum debeat anima plurimum ſuperare, vt ipſum in ſeipſo bonum adinueniat. Herſentius verò magis myſticè, per *ſancta cacumina* dicit intelligi eminentiores diuinæ contemplationis ac vitæ ſpiritalis gradus, quibus competat nomen ſanctitatis, eò quòd hanc efficiant, aut certè adaugeant. Et idcircò ait S. Dionyſium *ſanctorum faſtigiorum aſcenſum* nominaſſe, quia nimirum in rebus gratiæ ac diuinæ contemplationis, quaſi gradibus aſcendendum, & quidem ſemper aſcendendum eſt, iuxta illud: *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Et, *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem.* Ceterùm hos diuinæ contemplationis gradus, omneſque vitæ interioris actus ac perfectiones anima contemplatrix tranſſcendere debet, vt ad myſticam & perfectam cum Deo communicationem perueniat. Vt ſenſus ſit: Qualemcumq; anima diuinarum rerum cognitionem conſecuta fuerit, qualemcumque perfectionis interioris ſtatum attigerit, debet tamen longè multumque ſupra hæc euehi, vt Deo intimè & ſupra mentem coniungatur.

Qualia tranſſcendenda ſint ad myſticam vnionem conſequendam.

ANNOTATIONES CORDERII. — Pſal. 83, 6. — Prou. 4, 18

Moyſis in montem caliginoſum aſcenſus quid myſticè inſinuet.

In iis autem quæ S. Dionyſius ſubiungit de Moyſe in nubem ingreſſo rectè notat Herſentius, hiſtoriam illam non tamquam exemplum præmiſſorum adferri (non enim Scriptura narrat in caliginem illam myſticam, de quâ hoc libro ſermo eſt, Moyſem ingreſſum fuiſſe, aut quod idem eſt, Deo ſupereſſentialiter fuiſſe cõiunctum; ſed tantùm nubem, quæ montem operuerat, ſubiiſſe, in quâ Deus habitaſſe dicitur) ſed tamquam allegoriam pulcherrimam & appoſitiſſimam iis quæ tractantur illuſtrandis recenſeri. Ac primùm quidem per purgationem illam Moyſis, deſignat, animam, quæ ad vitæ interioris apicem tendit, debere primùm peccato mori, carnis prauos motus vincere, hiſque omnibus purgari quantum in ſe eſt. Gradum autem hunc qui vitæ ſpiritalis primus eſt, & in quo maximè mortificationi incumbendum, viri ſpiritales vitam ſeu viam purgatiuam vocant; quam Pythagorici primam & quaſi præcipuam Philoſophiæ ſuæ partem ſtatuerunt. Per *lumina* autem & *ſonos*, via illuminatiua intelligitur, in quâ Dei & diuinarum rerum contemplationibus exercentur animæ ſpiritales, multiſque luminibus ac ſonis reuelationum atque illuſtrationum à Deo exceptis adaugentur, multis verbis intellectualibus ad Deum emiſſis, & viciſſim multis à Deo immiſſis in viâ Dei progrediuntur, & paulatim *à multis ſegregantur*, dum à creatarum rerum non ſolùm intelligentiâ, ſed multò magis affectu ſeiunguntur atque ſecedunt. Quòd autem Moyſes *cum ſelectis ſacerdotibus montem aſcendat, ſoluſq; caliginem ingrediatur*, inſinuat, paucorum eſſe ad myſtica faſtigia conſcendere; ſiquidem omnes è plebe

purgati

SCHOLIA S. MAXIMI.

purgati quidem ſunt, & omnes ſonitum buccinæ audiuerunt, & fulgura viderunt, paucis tamen conceſſum fuit in montem aſcendere, Deumque intueri. Sic plures quoque in viâ purgatiuâ degunt, pauciores verò in illuminatiuâ, pauciſſimi verò ad vnitiuam perueniunt. Moyſes enim ſolus (vt habetur Exodi cap. 20.) acceſſit ad caliginem in quâ erat Deus, quam hiſtoriam S. Dionyſius accommodat myſtico Theologo, qui, ſemotâ & veluti à tergo relictâ intellectuali cognitione, in myſticæ vnionis ſinum recipitur, vbi eſt perfecta caligo ignorationis, quæ in ſeipsâ nullam intellectualem lucem aut cognitionem admittit. & verè myſtica eſt, quia intima & occulta, ſic vt nulla mens rationem eius valeat comprehendere.

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. I. BI SIMPLICIA.] Simplicia & abſoluta ſunt, quæ nudè, ſicuti ſunt, ſine ſymbolicis integumentis, & ſine parabolis intelliguntur & videntur. Itaque abſoluta dicit ea, quæ non per nominum explicationem, ſed notionum ceſſatione & abſolutione percipiuntur, quam quidem ſacri motus ceſſationem ſuperiùs vocauit carentiam notionis, modò autem tenebricoſiſſimam & inuiſibilem caliginem, iuxta Pſal-
Pſ. 17, 10. miſtam; *Nubes & caligo in circuitu eius.* &:
Pſ. 17, 12. *Poſuit tenebras latibulum ſuum.*

MENTES OCVLIS CAPTAS.] Neque enim ſenſilibus oculis abundant, ſed ſubſtantia earum eſt mens viuens, quæ tota exiſtit oculus acutiſſimi viſus; vnde dicuntur in Scripturis eſſe multorum oculorum.

ET SENSVS RELINQVE.] Idem nunc ex comparatione declaratur: quoniam veteres ea dicebant ſenſilia, quæ omnem mutationem capiebant, & non ſemper in eodem ſtatu erant; intellectilia verò vocabant ea, quæ ſemper erant immortalia voluntate auctoris, & ſubſtantiam non mutabant. Hæc ſæpè explicuimus in libro de Diuinis nominibus.

SVPRA OMNEM SVBSTANTIAM.] Simplicitatem & ſupra omnem vnitatẽ. Quomodo autem quis abſque notione in Deum erigatur, tum in libro de Diuinis nominibus capite quinto dictum eſt, tum hîc paulò pôſt reperies.

PER LIBERAM ET ABSOLVTAM.] Liberam auocationem vocat receſſum ab omni affectu, ſic nempe vt nullâ affectione implicetur, neque erga ſe neque erga aliquam creaturam.

TENEBRARVM RADIVM.] Hoc loco tenebras vocat omnimodam incomprehenſibilitatem.

Mystica Theologia statuario comparata. Theologiam clarissimè explicat. Quemadmodum enim sculptor, inquit, aut statuarius, solius materiæ circumpositæ & redundantis ablatione genuinum efficit simulacrum; ita Theologia Mystica res creatas omnes quæ quasi Deo circumpositæ sunt, ab eo remouendo & negando, ipsum quodammodò nobis in semetipso nudum exhibet. Simili ferè exemplo vsus Maximus Tyrius, Platonicæ sectæ Philosophus, Serm. 1. de Deo: Πῶς τις αὐτὸ αἰνίξηται; Ἐννόει γάρ μοι μήτε μέγεθος, μήτε χρῶμα, μήτε σχῆμα, μήτε ἄλλο τι ὕλης πάθος. ἀλλ' ὥσπερ ἂν εἰ καὶ σῶμα καλὸν ἀπεκρύπτετο πρὸς τὴν θέαν ὑπὸ ἐσθήτων πολλῶν καὶ ποικίλων, ἀπέδυσεν αὐτὸ ἐραστὴς ἵνα εἴδῃ σαφῶς, οὕτω καὶ νῦν ἀπόδυσον καὶ ἄφελε τῷ λόγῳ τὴν περιβολὴν ταύτην, καὶ τὴν ἀχολίαν τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τὸ καταλειπόμενον ὄψει αὐτὸ ἐκεῖνο οἷον ποθεῖς. *Quomodo*, inquit, *quis possit ipsum explicare? Ne cogites enim magnitudinem, vel colorem, vel figuram, vel aliam quampiam materiæ affectionem; sed sicut amator, si corpus aliquod pulchrum existeret, cuius aspectum multæ variæq; vestes eriperent, ijs illud exueret vt clarè intueri posset, sic etiamnum tu exue amictum hunc, & cogitatione detrahe quidquid oculos moratur, & quod restabit, videbis id ipsum quale desideras.* Hisce quoque videtur

ANNOTATIONES CORDERII. *Aliud simile.*

consentire dogma Hebræorum in Cabalâ, vbi Paulus Riccius libro 4. de Cælesti agriculturâ sic ait: Deus tetragrammaton haud vmquam nisi regali togâ bellicóve paludamento opertus se gentibus prodit, haud secùs ac inter mortales Rex suis adstare adesseque Ducibus atque ministris solet: conuentui verò Israel, vt inter vernaculos familiaresque, non nisi amictibus interioribus indutus, depositâ trabeâ regalique togâ offertur, & apparet, non tamen intectus prorsus & denudatus. ast sanctis viris Monarchisque Israel nudus, quouis reiecto cognomine (veluti coniugis amplexibus inhærens) adstat, & quiescit, quod innuit illud, *Et sponsabo te mihi in sempiternum*; & declarat illud: *Exspoliaui me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?* &c. Quod priuilegium Mysticis Theologis præ ceteris singulare est, vt Deus sese ipsis magis familiarem & quasi nudum exhibeat.

Deus diuersimodè diuersis sese exhibet.

Oseæ 2, 19. Cant. 5, 3.

Oportet autem, vt existimo, ablationes contrario modo, &c.] Tradit differentiam procedendi Mysticæ Theologiæ ab aliis scientiis Theologicis, quòd nimirum hæ, dum varia de Deo tradunt & affirmant, v.g. bonitatem, veritatem, sapientiam, potentiam, & cetera attributa, Deum quodammodò ornare ac vestire videantur, & consequenter obtegere ac velare: econtrà verò Mystica Theologia omnia hæc de Deo (scilicet secundùm nostrum imperfectum concipiendi & loquendi modum) negando & auferendo, multò veriùs & clariùs nobis in semetipso Deum exhibere censenda sit. Vnde quemadmodum Mysticos Theologos statuariis comparauit, qui per materiæ ablationem statuas suas dedolant: ita quoque ceteri Theologi, qui de Deo varia affirmando theologizant, non immeritò pictoribus & plastis, qui suas imagines colorum vel gypsi adiectione efformant, assimilari possent.

Differentia Mysticæ Theologiæ ab aliis.

SCHOLIA S. MAXIMI.

SCHOLIA S. MAXIMI.

NOS IN HAC.] Hîc quoque de diuinâ caligine & ignorantiâ verba facit. Vbi nota, quòd in hac diuinâ caligine versari, sit aspectus priuatione, & sine notione cernere atque cognoscere id quod aspectum notionemque transscendit, id ipsum neque videndo neque cognoscendo: hoc enim est, inquit, reuerà videre, & cognoscere. Nusquam autem sic explicat in ignoratione cognitionem. Lege etiam Epistolam quintam ad Dorotheum.

PER OMNIVM RERVM.] Id est, cogitando, nihil eorum quæ sunt, ipsi adhærere; hoc enim ablationem appellauit. Genuinam autem statuam vocat, quæ fit in materiâ non desectâ, vt in lapide adhuc integro, in quo quis sculpat aliquod animalculum, vt declarat Euripides in * Andromedâ:

* Andromache.

——— Virginisq; imaginem quamdam
Ex lapideis propriâ naturali formâ constantibus muris
Doctæ simulacrum manus. ———

Nam per se formatam statuam, vocat formam petræ naturalem. Quin etiam quando quis partem arboris consistentis ac florentis insculpserit, aut partem tori fecerit, sicut Homerus in Odysseâ Vlyssem fecisse tradit; quando in quadam arbore victoriæ trophæum insculpsit. Similiter quoque intelligit pretiosi cuiusdam lapidis seu gemmæ simulacra, vt quando smaragdus ab omni materiâ terrestri circumiacente expurgatus, exhibet quamdam effigiem seu splendidum ornamentum, ad quod maximè nunc respiciens, id, quod propositum est, refert: quemadmodum etiam Dionysius Poëta libro secundo de Lapidibus ait:

Iaspidis obscure virentis, aut amethysti
Purpurei simulacrum, nigro perfusus
sanguine hyacinthus

hæc enim omnia ingentem sancti huius viri eruditionem declarant.

OPORTET AVTEM, VT EXISTIMO, ABLATIONES.] Pater ipse locum hunc in sequentibus explanat. Positiones itaque sunt, quæcumque in Deo dicuntur vt ei conuenit, vt ens, vita, lumen, & alia: ablationes autem, quæcumque à Deo aliena negantur, vt, Deus non est corpus, non anima, nec quidquam eorum quæ in cognitionem

Positiones & ablationes quales sint.

ΚΑΤΑ τοῦτον ἡμεῖς.] Καὶ ἐνταῦθα περὶ θείου γνόφου καὶ τῆς ἀγνωσίας λέγει. Καὶ σημείωσαι, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ ὑπὸ τὸν θεῖον γνόφον γενέσθαι, τὸ δι' ἀβλεψίας καὶ ἀγνωσίας ἰδεῖν καὶ γνῶναι τὸ ὑπὲρ θέαν καὶ γνῶσιν, κατ' αὐτὸ τὸ μὴ ἰδεῖν μηδὲ γνῶναι· τοῦτο γάρ ἐστι, φησί, τὸ ὄντως ἰδεῖν καὶ γνῶναι. Οὐδαμοῦ δὲ οὕτως σαφηνίζει τὴν ἐν ἀγνωσίᾳ γνῶσιν. Ἀνάγνωθι δὲ καὶ τὴν ε. πρὸς Δωρόθεον ἐπιστολήν.

Διὰ τῆς πάντων τῶν ὄντων.] Τουτέστι, διὰ τοῦ μηδὲν τῶν ὄντων προσφυὲς αὐτῷ νοεῖν· τοῦτο γὰρ ἀφαίρεσιν ὠνόμασεν. Αὐτοφυὲς δὲ ἄγαλμά φησιν, ὃ γίνεται ἐν ὕλῃ ἀτμήτῳ, οἷον ἐν πέτρᾳ ὁλοκλήρῳ, ἐν ὅσῳ ἕστηκεν, ὅτε γλύψει τις ζῴδιόν τι, ὡς δηλοῖ καὶ Εὐριπίδης ἐν * Ἀνδρομέδᾳ·

Παρθένου τ' εἰκόνα τινὰ
Ἐξ αὐτομόρφων λαΐνων τειχισμάτων
Σοφῆς ἄγαλμα χερός.

* γρ. Ἀνδρομάχῃ

Αὐτόμορφον γὰρ ἄγαλμα τῆς πέτρας, τὸ αὐτοφυὲς εἶπεν. Ἀλλὰ καὶ ὅταν μέρος τι τοῦ δένδρου γλύψῃ ἑστῶτος καὶ ἀνθοῦντος, καὶ μέρος κλίνης ποιήσῃ, ὅπερ, ὥς φησιν Ὅμηρος ἐν Ὀδυσσείᾳ, ἐποίησεν Ὀδυσσεύς, ἢ καὶ ἐν τῷ τοιούτῳ δένδρῳ ἔγλυψε τρόπαιον νίκης. Φησὶ δὲ καὶ τιμίας λίθου ἀγάλματα, οἷον ὅτε ἡ σμάραγδος ἀποκαθαρθεῖσα τοῦ περιέχοντος γεώδους, αὐτὴν ἀναφανῇ ἄγαλμα, τουτέστιν ἀγλάϊσμα, πρὸς ὃ μάλιστα νῦν βλέπων εἶπε τὸ προκείμενον, ὡς Διονύσιος ὁ ποιητὴς ἐν β. Λιθικῶν·

Τῆς βαθυχλοάοντος ἰάσπιδος, ἢ ἀμεθύστου
Πορφυρέεντος ἄγαλμα, μελανκερατέτης
ὑάκινθος.

Ταῦτα γὰρ πάντα δείκνυσι τὸ πολυμαθὲς τοῦ ἁγίου τούτου ἀνδρός.

Χρὴ δέ, ὡς οἶμαι, τὰς ἀφαιρέσεις.] Τὸ παρὸν χωρίον ἐν τοῖς ἑξῆς αὐτὸς ὁ Πατὴρ σαφηνίζει. Θέσεις μὲν οὖν εἰσιν, ὅσα οἰκείως ἐπὶ Θεοῦ λέγεται, οἷον τὸ ὤν, τὸ ζωή, τὸ φῶς, καὶ τὰ ἄλλα· ἀφαιρέσεις δέ, ὅσα ὡς ἀλλότρια Θεοῦ ἀποφάσκεται, οἷον, ὅτι οὐ σῶμα ὁ Θεός, οὐ ψυχή, οὐδέ τι τῶν γνωστῶν, ἢ τῇ νοήσει

ὑποπι-

ὑποπιπτόντων. Ἄλλως. Τί εἰσι θέσεις καὶ αἱ ἀφαιρέσεις, ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων λόγῳ διαφόρως ἔγνωμεν.

Ἐν πᾶσι τοῖς οὖσιν.] Αἱ τῶν ὄντων γνώσεις, φησί, τὸ περὶ Θεοῦ ἄγνωστον οὐκ ἐκκαλύπτουσι, καὶ εἰς φανερὸν ἄγουσιν, ἀλλὰ μᾶλλον συγκαλύπτουσι καὶ ἀποκρύπτουσι· τὸ δὲ ἐν τοῖς οὖσι φῶς ὑποληπτέον τὸ γνῶναι τὰ ὄντα ᾗ ὄντα ἐστί, καθὼς καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς εὑρίσκομεν.

cadunt. Aliter. Quid ſint poſitiones & ablationes, in libro de Diuinis nominibus diuerſimodè cognouimus. SCHOLIA S. MAXIMI.

IN OMNIBVS REBVS.] Rerum, inquit, notiones arcanum Dei non detegunt, neque perſpectum reddunt, ſed potiùs obtegunt & occultant: lumen verò quod in rebus eſt, accipiendum eſt pro cognitione, quâ res cognoſcuntur in quantum res ſunt, prout etiam in ſequentibus reperimus.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

ΜΑΘΟΝΤΕΣ περὶ τοῦ θείου γνόφου εἰς ὃν εἰσέδυ Μωϋσῆς, ἔστι δὲ ἡ ἀνενεργησία τοῦ νοὸς καὶ ἡ ἀγνωσία, γνῶσις, εὐχόμεθα κατὰ τοῦτον γενέσθαι. Τὸ δὲ ὑπὸ τὸν θεῖον γνόφον γενέσθαι, ἐστί, τὸ δι' ἀγνωσίας καὶ ἀβλεψίας ἰδεῖν καὶ γνῶναι τὸ ὑπὲρ θέαν καὶ γνῶσιν, αὐτὸ τὸ μὴ ἰδεῖν μηδὲ γνῶναι. Πολλάκις δὲ εἴπομεν, ὅτι οὐ καθὸ ὁ νοῦς ἐνεργεῖ, ἢ καθὸ κινεῖται καὶ γινώσκει, τὸ Θεῖον γινώσκεται, ἀλλὰ καθὸ μᾶλλον οὐ βλέπει, οὐδὲ γινώσκει, πάσης ἀπολελυμένος κινήσεως, καὶ αὐτῷ κατὰ τὸ κρεῖττον ἑνούμενος, στάσιν οἷον ἔχων καὶ ἀτρεμίαν, ἐν τῷ παρ' αὐτοῦ ἐλλάμπεσθαι. Ἦ γὰρ οὐχὶ καὶ ἐνταῦθα ἐπὶ τῆς ἡμετέρας ὁράσεως ἀμυδρῶς πως τελεῖται τοῦτο, ὅτε τινὶ προκατειλημμένοι πόθῳ, καὶ ἰδεῖν αὐτὸ ἐφιέμενοι, αἴφνης ἐπιστάντος τοῦ ποθουμένου, ἡ ἡμετέρα ἐπὶ τούτῳ συνάγεται ὅρασις, οὐ μερικῶς ἐνεργοῦσα, ἀλλ' ὁλικῶς, καὶ κατὰ τοῦτο ἀκινητίζουσα; Πολλάκις δὲ καί τινες τῇ ἰδίᾳ χειρὶ καταψῶσι τοὺς ὀφθαλμούς, τὸ ὁρατικὸν ὡσανεὶ διεγείροντες. Ἢ πόθεν αἱ ἐκστάσεις καὶ ἐκπλήξεις, εἰ μὴ ὁ νοῦς συμπτύχων τοῖς ἔξωθεν εἰς ἑαυτὸν ὁλικῶς συστρέφεται, καὶ τὰς μερικὰς νοήσεις ἀποθέμενος, ὁλικῶς ἀκινητίζει, πρὸς τῷ πράγματι ὅλος γινόμενος; καὶ διὰ τοῦτο ἐξεστηκὼς ὁ ἄνθρωπος φαίνεται. Δεῖ γὰρ εἰδέναι, ὅτι μίμημα τοῦ παντὸς ὁ νοῦς φέρει. Τὸ γοῦν πᾶν κατὰ τὰ μέρη κινούμενόν ἐστιν ἐν τῷ νῦν γενέσθαι, τυχὸν τοῦτο τὸ μέρος ἐν τῇ δύσει, ὅπερ πρὸ τοῦ κατὰ τὴν ἀνατολὴν ἦν, καὶ ἄλλο ἀλλαχοῦ· καὶ οὕτως ἐπὶ πᾶσι τοῖς μέρεσι, καθ' ἣν δὴ καὶ κινεῖσθαι ὁ οὐρανὸς λέγεται, κατὰ δὲ τὸ ὅλον ἀκίνητος μένει ἐν ἑαυτῷ, ὡς ἐν ἰδίῳ τόπῳ στρεφόμε-

CVM didicerimus de diuinâ caligine in quam Moyſes introiuit, ſitque hæc ceſſatio mentis atque ignoratio, quædam cognitio, optamus etiam in illâ verſari. *Quid ſit in caligine verſari.* Porrò in hac diuinâ caligine verſari, eſt aſpectus priuatione & ſine notione cernere atque cognoſcere id quod aſpectum notionemque transſcendit, id ipſum neque videndo neque cognoſcendo. Sæpè autem diximus, non in quantum mens operatur, aut in quantum mouetur ac cognoſcit, Deum cognoſci, ſed in quantum potiùs non videt neque cognoſcit ab omni motu abſoluta, ipſique ſecundùm optimam ſui partem vnita, ſtatum quodammodò & immobilitatem obtinens, dum ab ipſo illuſtratur. Numquid enim etiam hîc in noſtrâ viſione hoc obſcurè quodammodò fit, quando aliquo deſiderio præoccupati, & id ipſum videre geſtientes, re deſideratâ iam præſente, illico noſtra viſio in ipsâ colligitur, non partialiter ſed totaliter intenta, atq; adeò immota? Quin etiam ſæpenumerò nonnulli manu ſuâ oculos obſtruunt, videndi vim quodammodò excitantes. Vnde etiam extaſes & ſtupores, niſi quòd mens extrinſecus deficiens, in ſemetipſam tota conuertitur, & partiales intellectiones deſerens, totaliter quieſcit, in rem amatâ tota tranſlata? vnde etiam homo videtur totus extra ſe poſitus. Sciendum enim, mentem vniuerſi huius ſimilitudinem præ ſe ferre. Siquidem vniuerſum ſecundùm partem mouetur in eo quod nunc fit, ita vt v. g. pars illa ſit in Occidente, quæ anteà erat in Oriente, & alia alibi; & ſic de omnibus partibus, ſecundùm quas vtique moueri quoq; cælum dicitur, quoniam ſecundùm ſe totum immobile manet in ſeipſo, tamquam in proprio

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

loco conuersum. Idcircò etiam dicebamus mentem, partialibus intellectionibus sepositis, totaliter quiescere. Cùm hoc itaque in rebus nostris sic se habeat, quid dixerit quis de diuinâ istâ pulchritudine, quam nec effari nec mente concipere quisquam potest? Lege etiam super hac re Epistolam huius sancti ad Dorotheum, vt aliquo modo tibi declaretur, quæ & qualis cognitio, sit ista ignoratio. Illud enim non videre, verè est videre; & istud ignorare, verè est nosse, atque ita suprasubstantialem congruè pro suâ suprasubstantialitate collaudare. Quomodo hoc? ex omnium ablatione. Cùm enim non possimus quidpiam positiuè pro eius dignitate dicere, eò quòd ex omnibus rebus nihil quod ipsi affine sit excogitare valeamus, celebramus ipsum ex omnium ablatione, idemque facimus quod sculptores, qui natiuam aliquam statuam dedolant, qui superflua auferendo, latentem in ipsâ formam manifestant. Genuinam enim statuam vocat, quæ fit in materiâ non desectâ, vt in lapide adhuc integro, in quo quis sculpat aliquod animalculū, vt declarat Euripides in *Andromedâ, dicens: *Ex lapideis propriâ naturali formâ constantibus muris, doctæ simulacrum manus.* nam αὐτόμορφον ἄγαλμα seu per se formatam statuam, vocat formam petræ naturalem. Quin etiam quando quis partem arboris consistentis & florentis insculpserit, sicut dicit Homerus Vlyssem fecisse, quando in arbore constituit & sculpsit lectum naturalem. Alij verò pretiosos lapides vocant simulacra, quando videlicet smaragdus ab omni materiâ terrestri circumiacente expurgatus, exhibet ἄγαλμα, id est, ἀγλάϊσμα seu splendidum ornamentum. Magis autem id ad propositum spectat, quàm prius: siquidem positiones sunt, quæ propriè de Deo dicuntur id quod est, vt ens, viuens, lux, & cetera. Ablationes verò quæ vt à Deo aliena negantur, verbi gratiâ quòd Deus non sit corpus, non anima, neque quidquam eorum quæ cognoscuntur vel cadunt sub notionem. De istiusmodi itaque positionibus & ablationibus hic Pater agens, reperit iis quamdam in esse oppositionem, quando ipsum ex his celebrantes, Deum declaramus. Etenim cùm positiones quidem in libro de Diuinis nominibus, prædicabamus, à primis incipientes, & per media transeuntes, ad extrema descendendo

Quid sit Deum nosse per ablationem.

* Andromache.

νος. Διὰ τοῦτο καὶ τὸν νοῦν ἐλέγομεν, τὰς μερικὰς νοήσεις ἀποτιθέμενον, ὁλικῶς ἀκινητίζειν. Εἰ γοῦν ἐπὶ τοῖς παρ' ἡμῖν οὕτως, τί ἂν τις φαίη ἐπ' ἐκείνης τῆς θείας καλλονῆς, καὶ ὑπὲρ ὃ εἴποι τις ἂν καὶ νοήσοι; Ἀνάγνωθι εἰς τοῦτο καὶ τὴν πρὸς Δωρόθεον ἐπιστολὴν τοῦ Ἁγίου, ὡς ἂν πως σαφηνισθείη σοι, τίς καὶ ὁποία ἐστὶν ἡ ἐν ἀγνωσίᾳ γνῶσις. Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ὄντως ἰδεῖν, τὸ μὴ ἰδεῖν· καὶ τὸ γνῶναι, τὸ μὴ γνῶναι, καὶ οὕτως τὸν ὑπερούσιον καταλλήλως τῇ αὐτοῦ ὑπερουσιότητι ὑμνῆσαι. Πῶς; ἐκ τῆς τῶν ἁπάντων ἀφαιρέσεως. Μὴ γὰρ ἔχοντες θετικῶς κατ' ἀξίαν εἰπεῖν, διὰ τὸ μηδὲν τῶν ἁπάντων προσφυὲς αὐτῷ ἐννοεῖν, ὑμνοῦμεν ἐξ ἀφαιρέσεως τῶν ἁπάντων, καὶ ποιοῦμεν ὅπερ ποιοῦσι καὶ οἱ αὐτοφυὲς ἄγαλμα διαγλύφοντες· ἐκεῖνοι γὰρ ἐξαιροῦντες τὰ περιττά, αὐτὸ ἐφ' ἑαυτοῦ τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀναφαίνουσι κάλλος. Αὐτοφυὲς γὰρ ἄγαλμά φησιν, ὃ γίνεται ἐν ὕλῃ ἀτμήτῳ, οἷον ἐν πέτρᾳ ὁλοκλήρῳ, ἐν ᾗ τις γλύψειέ τι ζώδιον, ὡς δηλοῖ καὶ Εὐριπίδης ἐν * Ἀνδρομέδᾳ, Ἐξ αὐτομόρφου λαΐνων τειχισμάτων σοφῆς ἄγαλμα χειρός, λέγων. Αὐτόμορφον γὰρ ἄγαλμα, τὸ τῆς πέτρας αὐτοφυὲς εἶπεν. Ἀλλὰ καὶ ὅταν μέρος τις δένδρου γλύψας ἑστῶτος καὶ ἀνθοῦντος ποιήσῃ τι, ὥς φησιν Ὅμηρος τὸν Ὀδυσσέα ποιῆσαι, ὅτε ἐν δένδρῳ κατέστησε καὶ ἔγλυψε κλίνην αὐτοφυῆ. Ἄλλοι δὲ τὰς τιμίας λίθους ἀγάλματα λέγουσιν, ὅταν δηλαδὴ ἡ σμάραγδος ἀποκαθαρθεῖσα τοῦ περιέχοντος αὐτὴν γεώδους καὶ περιττοῦ, ἀναφανῇ ἄγαλμα, τουτέστιν ἀγλάϊσμα. Μάλιστα δὲ τὸ τοιοῦτον ἁρμόσει τῷ προκειμένῳ, ἢ τὸ πρότερον· θέσεις μέντοι εἰσὶν, ὅσα οἰκείως ἐπὶ Θεοῦ λέγεται ὅ,τι ἐστὶν, οἷον τὸ ὢν, τὸ ζῶν, τὸ φῶς, καὶ τὰ ἄλλα. Ἀφαιρέσεις δὲ, ὅσα ὡς ἀλλότρια Θεοῦ ἀποφάσκονται, οἷον ὅτι οὐ σῶμα ὁ Θεὸς, οὐ ψυχὴ, οὐδέ τι τῶν γνωστῶν ἢ νοήσει ὑποπιπτόντων. Περὶ γοῦν τῶν τοιούτων θέσεων καὶ ἀφαιρέσεων ὁ Πατὴρ λέγων, εὑρίσκει τινὰ ἀντίθεσιν ἐνοῦσαν τούτοις, ὅτε δι' αὐτῶν ὑμνοῦντες, τὸ Θεῖον παραδηλοῦμεν. Καὶ γὰρ, τὰς μὲν θέσεις ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων λέγοντες, ἀπὸ τῶν πρωτίστων ἀρχόμενοι, καὶ διὰ μέσων χωροῦντες, ἐπὶ τὰ ἔσχατα

*γρ. Ἀνδρομάχῃ

κατιόν-

κατιόντες ἐτίθεμεν. Πρῶτον περὶ τοῦ ὄντος διαλαμβάνοντες, καὶ εἶθ' οὕτως περὶ τἀγαθοῦ, καὶ μετέπειτα περὶ τῆς ζωῆς, καὶ ἑξῆς διὰ τῶν ἄλλων μέσων εἰς τὰ ἔσχατα κατιώταμεν, περὶ τοῦ Κυρίου καὶ περὶ τοῦ Βασιλέως, καὶ περὶ τοῦ παλαιοῦ ἡμερῶν, καὶ περὶ τῶν τοιούτων λέγοντες. Ἐπὶ δὲ τῶν ἀφαιρέσεων τὸ ἐναντίον γίνεται, ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἐπὶ τὰ ἀρχικώτερα τὰς ἐπαναβάσεις ποιούμενοι, ἀφαιροῦμεν ὕστερον καὶ αὐτὸ τὸ πρώτιστον, Οὐ μεθύσκεται, οὐ λέγεται, οὐ νοεῖται, λέγοντες· καὶ πάλιν, Οὐ σῶμα, οὐ στοιχεῖον, οὐ ψυχή, οὐκ Ἄγγελος, οὐ ζωή, οὐκ ὄν, ἀλλ' ὑπὲρ ταῦτα πάντα τὸ Θεῖον. Καὶ οὕτως ἀπερικαλύπτως ἐπὶ τὴν παντελῆ ἀγνωσίαν καταντήσαντες, γινώσκομεν πως τὴν ἐν ἀγνωσίᾳ γνῶσιν ἐκείνην· ταύτην γὰρ λέγει ἀγνωσίαν ὑπὸ πάντων τῶν γνωστῶν ἐν πᾶσι τοῖς οὖσι περικεκαλυμμένην, καὶ γνόφον ὑπὸ παντὸς τοῦ ἐν τοῖς οὖσι φωτὸς ἀποκρυπτόμενον. Τοῦτο δέ ἐστιν, ὅτι αἱ τῶν ὄντων γνώσεις, καὶ αἱ περὶ τοῦ Θεοῦ θέσεις, τὸ περὶ Θεοῦ ἄγνωστον οὐκ ἐκκαλύπτουσι, καὶ εἰς φανέρωσιν ἄγουσιν, ἀλλὰ μᾶλλον συγκαλύπτουσι, μὴ ἔχοντος τοῦ νοὸς ἐκεῖσε τὴν ἕδραν ἴσχειν, καὶ νοητοῦ τινος ἐντεῦθεν δράξασθαι, ἀλλὰ μᾶλλον καταπίπτοντος εἰς μὴ προσηκούσας ἐννοίας, εἴπερ μὴ στερρός ἐστι, καὶ τῶν αἰσθητῶν εὐθὺς ὑπερποτᾶται. Τὸ δὲ ἐν τοῖς οὖσι φῶς οὐκ ἄλλο ὑποληπτέον, ἢ τὸ γνῶναι τὰ ὄντα ᾗ ὄντα ἐστί, καθὼς καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς εὑρίσκομεν. Τοῦτο γοῦν τὸ ἐν τοῖς οὖσι φῶς, καὶ ἡ τοιαύτη τῶν ὄντων γνῶσις, μᾶλλον ἀποκρύπτει τὸ Θεῖον· ἡ γὰρ τῶν ὄντων φυσιολογία τοσοῦτον εἰς θεολογίαν οὐκ ὠφελήσει, ὅσον καὶ βλάψει, τὸ ὑπὲρ φύσιν εἰς τὰ οἰκεῖα ἑαυτῇ καὶ κατὰ φύσιν κατάγουσα· ἀλλὰ πῶς, τὰς μὲν θέσεις ἀπὸ τῶν πρώτων εἰς τὰς ἐσχάτας τιθέμεθα, τὰς δ' ἀποφάσεις ἀπὸ τῶν ἐσχάτων εἰς τὰς πρώτας, αὐτὸς ὁ Πατὴρ διδάξει τοῦτο ἐν τῷ μετὰ ταῦτα κεφαλαίῳ.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

illas ponebamus. Primùm de ente differentes, ac deinde de bono, ac posteà de vitâ, ac deinceps per cetera quæ mediant, ad extrema descendebamus, de Domino & de Rege, & de antiquo dierum, & similibus verba facientes. In ablationibus verò fit contrarium, dum ab extremis ad principaliora adscẽsus faciendo remouemus id quod posterius est, atque etiam ipsummet primum, dicentes, Non inebriatur, non dicitur, non intelligitur; & rursum, Non corpus, non elementum, non anima, non Angelus, non vita, non ens, sed supra hæc omnia Deus est. Et sic sine reuelatione ad omnimodam ignorationem deuenientes, cognoscimus quodammodò illam notitiam in ignoratione: hanc enim ignorationem ait ab omnibus quæ noscuntur, in omnibus rebus circumuolui, & caliginem esse ab omni lumine in rebus omnibus absconsam. Hoc verò fit, quòd eorum quæ sunt cognitiones, & quæ de Deo sunt positiones, non detegant id quod ignotum est Dei, nec in lucem adducant, sed potiùs contegant, seu occultent, cùm mens ibi non habeat vbi se figat, nec quidquam vnde aliquid intelligi possit apprehendat, sed potiùs in cogitationes minimè conuenientes incidat, quoniam haudquaquam firma est, & sensilia statim præteruolat. Porrò lumen in rebus non est aliud opinandum, quàm quo noscuntur res in quantum res sunt, sicut etiam in sequentibus reperimus. Hoc itaque lumen quod in rebus est, talisque rerum cognitio, potiùs Deum occulit. Naturalis enim rerum notitia non tantum prodest ad Theologiam, quantum noceat, dum id quod supra naturam est, ad ea quæ sibi propria sunt, etiam secundùm naturam adducit. Sed quomodo positiones quidem à primis ad vltimas, negationes verò ab vltimis ad primas statuamus, ipse Pater in sequenti capite docebit.

CAPVT

TEXTVS S. DIONYSII.

CAPVT III.

Quæ ſint affirmantes de Deo locutiones, quæ negantes.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Γ.

Τίνες αἱ καταφατικαὶ Θεολογίαι, τίνες αἱ ἀποφατικαί.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ait ſe in Theologicis informationibus explicuiſſe illa quæ ſpectant ad Deum trinum & vnum; in Diuinis verò nominibus egiſſe de attributis quibus in Scripturâ Deus nominatur; in Symbolicâ deniq; Theologiâ figuras illas ſenſiles, quæ metaphoricè de Deo enuntiantur, explanaſſe: & ſimul rationem reddit, cur in aliis libris prolixior fuerit quàm in Myſticâ Theologiâ. Tradit in fine modum formandi de Deo poſitiones & negationes.

Quid in Theologicis inſtitutionibus tractarit Dionyſius.

IN Theologicis quidem informationibus ea quę affirmantis Theologię maximè propria ſunt, celebrauimus; quomodo diuina bonaque natura vnica dicatur, quomodo trina; quænam ſecundùm illam Paternitas dicatur, & quænam Filiatio, quídve velit ſibi illa diuina Spiritus denominatio: quomodo ex immateriali & indiuiduo bono, cordialia iſta bonitatis lumina pullularint, & in ipſo, & in ſeipſis, & in ſe mutuo coæternâ propagationi manſione nuſquam digrediendo permanſerint: quomodo Ieſus, superſubſtantialis, humanæ naturæ veritatibus ſubſtantiatus ſit, & quæcumque alia à Scripturis expoſita in Theologicis informationibus celebrauimus.

Quid in libro de Diuinis nominibus.

In libro autem de Diuinis nominibus, quomodo bonus nominetur, quomodo ens, quomodo vita & ſapientia & virtus, & quæcumq; alia ſpiritalem Dei concernunt appellationem:

Quid in Symbolicâ Theologiâ.

in ſymbolicâ verò Theologiâ,

ΕΝ μὲν οὖν ταῖς Θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσι τὰ κυριώτατα τῆς καταφατικῆς Θεολογίας ὑμνήσαμεν, πῶς ἡ * θεῖα καὶ ἀγαθὴ φύσις, ἑνικὴ λέγεται, πῶς τριαδική· τίς ἡ κατ' αὐτὴν λεγομένη πατρότης τε καὶ υἱότης· τί βούλεται δηλοῦν ἡ τοῦ Πνεύματος θεολογία· πῶς ἐκ τοῦ ἀΰλου καὶ ἀμεροῦς ἀγαθοῦ, τὰ ἐγκάρδια τοῦ ἀγαθότητος ἐξέφυ φῶτα, καὶ τῆς ἐν αὐτῷ, καὶ ἐν ἑαυτοῖς, καὶ ἐν ἀλλήλοις συναϊδίου τῇ ἀναβλαστήσει μονῆς ἀπομεμένηκεν ἀνεκφοίτητα· πῶς ὁ ὑπερούσιος Ἰησοῦς, ἀνθρωποφυϊκαῖς ἀληθείαις οὐσιοῦται· καὶ ὅσα ἄλλα πρὸς τῶν Λογίων ἐκπεφασμένα κατὰ τὰς θεολογικὰς ὑποτυπώσεις ὕμνηται. Ἐν δὲ τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων, πῶς ἀγαθὸς ὀνομάζεται, πῶς ὤν, πῶς ζωὴ καὶ σοφία καὶ δύναμις, καὶ ὅσα ἄλλα τῆς νοητῆς ἐστι θεωνυμίας. Ἐν δὲ τῇ Συμβολικῇ θεολογίᾳ,

* γρ. θεία ita Vien. Cod.

τίνες

TEXTVS S.DIONYSII.

τίνες αἱ ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὰ θεῖα μετωνυμίαι· τίνες αἱ θεῖαι μορφαὶ, τίνα τὰ θεῖα σχήματα, καὶ μέρη, καὶ ὄργανα, τίνες οἱ θεῖοι τόποι, καὶ κόσμοι, τίνες οἱ θυμοὶ, τίνες αἱ λῦπαι, καὶ αἱ μήνιδες, τίνες αἱ μέθαι καὶ αἱ κραιπάλαι, τίνες οἱ ὅρκοι, καὶ τίνες αἱ ἀραὶ, τίνες οἱ ὕπνοι, καὶ τίνες αἱ ἐγρηγόρσεις, καὶ ὅσαι ἄλλαι τῆς συμβολικῆς εἰσι θεοτυπίας ἱερόπλαστοι μορφώσεις. Καί σε οἴομαι συνεωρακέναι, πῶς πολυλογώτερα μᾶλλόν ἐστι τὰ ἔσχατα τῶν πρώτων· καὶ γὰρ ἐχρῆν τὰς θεολογικὰς ὑποτυπώσεις, καὶ τὴν τῶν θείων ὀνομάτων ἀνάπτυξιν, βραχυλογωτέραν εἶναι τῆς Συμβολικῆς Θεολογίας. Ἐπείπερ ὅσῳ πρὸς τὸ ἄνωτες ἀνανεύομεν, τοσοῦτον οἱ λόγοι ταῖς συνόψεσι τῶν νοητῶν περιστέλλονται· καθάπερ καὶ νῦν εἰς τὸν ὑπὲρ νοῦν εἰσδύνοντες γνόφον, οὐ βραχυλογίαν, ἀλλ' ἀλογίαν παντελῆ καὶ ἀνοησίαν εὑρήσομεν. Κἀκεῖ μὲν ἀπὸ τοῦ ἄνω πρὸς τὰ ἔσχατα κατιὼν ὁ λόγος, κατὰ τὸ ποσὸν τῆς καθόδου, πρὸς ἀνάλογον πλῆθος ηὐρύνετο· νῦν δὲ ἀπὸ τῶν κάτω πρὸς τὸ ὑπερκείμενον ἀνιὼν, κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἀνόδου συστέλλεται, καὶ μετὰ πᾶσαν ἄνοδον ὅλος ἄφωνος ἔσται, καὶ ὅλος ἑνωθήσεται τῷ ἀφθέγκτῳ. Διὰ τί δὲ ὅλως, φῄς, ἀπὸ τοῦ πρωτίστου θέμενοι τὰς θείας θέσεις, ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἀρχόμεθα τῆς θείας ἀφαιρέσεως; Ὅτι τὸ ὑπὲρ πᾶσαν τιθέντας θέσιν ἀπὸ τοῦ μᾶλλον αὐτῷ συγγενε-

quænam nomina diuina è rebus sensibilibus translata sint, quæq; diuinæ formæ, quæ figuræ, quæ membra, quæ instrumenta, quæ diuina loca, qui ornatus, qui furores, quæ tristitiæ & iræ, quænam ebrietates & crapulæ, quæ iuramenta, quæ maledictiones, qui somni, quæ euigilationes, & quotquot aliæ sunt symbolicæ effigiationis Dei sacræ formationes ac figurationes. Arbitror etiam te deprehendisse, quomodo extrema sint prolixiora prioribus: decebat enim informationes Theologicas, & diuinorum nominum explanationem minùs verbosa esse symbolicâ Theologiâ. Quantò enim ad altiora contendimus, tātò magis sermones nostri rerum intellectilium aspectibus contrahuntur: sicut etiam modò, dum caliginem illam, quæ intellectum superat, ingrediemur, non in breuiloquentiam dumtaxat, verùm etiam in silentium perfectum, & intelligentiæ defectionem incidemus. Atque in illis quidem à supremo ad infima deriuans oratio, pro mensurâ descensus ad proportionatam latitudinem extendebatur. nunc verò ab inferioribus ad id quod supremum eminet, ascendens iuxta modum ascensionis contrahitur, & post omnem ascensum penitus obmutescet, atque ineffabili [Deo] tota coniungetur. Sed quorsum (inquies) à primo positiones diuinas statuentes, diuinam illam ablationem ab extremis auspicamur? Quia nimirum, cùm id, quod supra omnem positionem est, statueba-

Cur in aliis libris sit prolixior quàm in Mysticâ Theologiâ.

TEXTVS S. DIONYSII.

tuebamus, ab eo quod ipsi magis cognatum est, fundamentum affirmandi ponendum erat; verùm cùm id tollimus quod supra omnem est ablationem, ab iis quoque quæ maximè distant remoueri debebat; nonne Deus magis est vita & bonitas, quàm aër aut lapis? magisque non crapulatur & non irascitur, quàm non dicatur aut intelligatur?

στέρου, τὴν ὑποθετικὴν κατάφασιν ἐχρῆν τιθέναι· τὸ δὲ ὑπὲρ πᾶσαν ἀφαίρεσιν ἀφαιροῦντας, ἀπὸ τῶν μᾶλλον αὐτοῦ διεστηκότων ἀφαιρεῖν. Ἢ οὐχὶ μᾶλλόν ἐστι ζωὴ καὶ ἀγαθότης, ἢ ἀὴρ καὶ λίθος; ἢ μᾶλλον οὐ κραιπαλᾷ, καὶ οὐ μηνιᾷ, ἢ οὐ λέγεται οὐδὲ νοεῖται;

ANNOTATIONES CORDERII.



IN *Theologicis quidem informationibus, &c.*] Ex hoc Capite patet (quod Obseruatione generali XI. & XII. probauimus) sanctum Dionysium accuratè omnes totius Scholasticæ Theologiæ partes tradidisse. Nam vt hîc significat, in Theologicis informationibus, quas ὑποτυπώσεις appellat, luculenter & amplè diuinam naturam cum omnibus attributis essentialibus explicuit, & quidquid Scholastici fusissimis Commentariis, de Deo vno & trino, & diuinis processionibus, & personarum inter se oppositionibus distinctionibusque, & earum in seinuicem circumincessione prolixè disputant: quibus si is quem de Angelicis proprietatibus scripserat, & Cælestis Hierarchiæ liber adiungatur, Primam D. Thomæ Partem luculentissimè à Dionysio cognosces antè descriptam. Prima verò Secundæ, vbi potissimùm de actibus humanis, & eorumdem bonitate ac malitiâ, vitiisque & peccatis agitur, magnum habuit fundamentum in cap. 4. de Diuinis nominibus, vbi fusissimè Dionysius disputat de naturâ bonitatis & malitiæ, maiora sine dubio ad illam Theologiæ partem subsidia allaturus, nisi libri de Animâ, & de Intellectualibus & sensilibus, temporum iniuriis intercidissent. Ad tractatum autem de legibus haud dubium quin liber eius de Legali hierarchiâ plurimùm contulisset, qui pariter non reperitur. Secunda quoque Secundæ, vbi de Iure & iustitiâ disputatur, aliquod saltem habet fundamentum in cap. 8. de Diuinis nomin. vbi agit de iustitiâ; maius sanè subsidium acceptura ex libro Dionysij de Iusto diuinoque iudicio, nisi similiter maximo Ecclesiæ damno intercidisset. Porrò tractatus de gratiâ & virtutibus Theologicis è diuersis Dionysij locis ἀπορῥάδην magnum lumen accipit.

Sanctum Dionysium omnes Theologiæ partes accuratè tradidisse.

Tertia denique Pars, vbi agit de diuini Verbi Incarnatione, similiter tota, vt hoc loco Dionysius testatur, fuit ab ipso accuratè pertractata in libro Diuinarum institutionum, in quo ait se scripsisse, *quomodo Iesus, qui erat supra substantiam, humanæ naturæ veritatem substantiamq́ue susceperit.* Tractatus autē de Sacramentis quàm accuratissimè distinctissimeque in Ecclesiasticâ Hierarchiâ videtur expositus. Neque verò illam quæ in Scripturis explicandis versatur Theologiæ partem neglexit: nam dicit se Symbolicam Theologiam, eamque ceteris fusiùs conscripsisse, quæ in Scripturis interpretandis tota fuisse videtur: adeò vt etiam hæc Theologiæ pars, quæ Scripturis explicandis vacat, ab hoc Sancto cumulatissimè tradita fuerit. Et sanè si illa, quæ maximo Theologorum detrimento interciderunt, Opera Dionysij extitissent, nemo præter eum in Scholis Auctor fuisset prælegendus, cùm ex ipso, vtpote fonte, purior Theologia profluxisset.

Ea quæ affirmantis Theologiæ.] Vide capitis præcedentis Annotationes & in Obseruationibus generalibus VIII. & IX. vbi naturam & differentiam affirmantis & negantis Theologiæ explicuimus. Pro intelligentiâ autem eorum quæ hîc breuiter attingit de diuinæ naturæ vnitate, & personarum distinctione, & earumdem circuminsessione, consule cap. secundum de Diuinis nominibus, & nostras ibidem Annotationes, vbi diuinæ processiones & mutuæ in se inuicem circuminsessiones explicantur, & quæ Iesu quoque propria sint ac substantialia.

In Symbolicâ verò Theologiâ.] Consule inferius Epistolam IX. quæ est ad Titum, & ibidem nostras Annotationes, vbi exponun-

ponuntur illa quæ ad Symbolicam Theologiam ſpectant.

Quantò enim ad altiora cõtendimus,&c.] Rationem tradit cur pro ratione aſcenſus ad Deum cognitio noſtra contrahatur. Quia nimirum quantò magis ipſi Deo appropinquamus, tantò quoque magis ad vnitatem eius accedimus: vnde cõſequens eſt, vt cognitio etiam noſtra contrahatur ac ſimplificetur, non ſecùs ac lineæ; quæ quantò à circumferentiâ ad centrum magis appropinquant, tantò quoque contrahuntur, donec in ipſo puncto conuenientes, omnem prorſus extenſionem amittunt, & inter ſe & cum puncto quid vnum indiuiſibile fiunt: ſicut econtrà quò plus à centro diſcedunt, eò magis expanduntur, atque ab inuicem diſcernuntur. Hinc fit vt Myſtica Theologia, dum rerum omnium diuiduarum, ſiue ſenſilium ſiue intellectilium cognitionem deſerens atque tranſſcendens, ad centrum ſuum, qui Deus eſt, contendit, ac peruenit, tandem in omnimodam *ἀλογίαν* & *ἀγνωσίαν*, per omnis ſermonis & naturalis intelligentiæ defectionem, incidat, in caligine myſticâ ipſi Deo intimè coniuncta.

ANNOTATIONES CORDERII.

Hîc notandum eſt, poſitionem, vti & ablationem, aliam eſſe ſimplicem, aliam eſſe hypotheticam. Poſitio ſimplex eſt, cùm dicimus v. g. Deus eſt vita, bonitas, &c. Hypothetica verò eſt, cùm affirmationi adiungimus comparationem, vt in fine huius Capitis facit Dionyſius, dicens: *Magis eſt Deus vita quàm lapis, & magis bonitas quàm ignis.* Ablatio autem ſimplex ſiue negatio eſt, vt, Deus non eſt lapis, non iraſcitur, & ſimilia. Hypothetica, vt, Magis non eſt Deus ebrius, quàm non eſt ſermone explicatus. Supra vtrumque genus poſitionis & ablationis eſt Deus. In poſitionibus hypotheticis, quæ magis Deo conueniunt, illa ſortiuntur illud magis; vt, Magis eſt Deus vita quàm aër. Contrà verò in ablationibus quæ remotiora ſunt à Deo, recipiunt magis: vt, Magis non iraſcitur Deus, quàm non intelligitur.

Qua ſit poſitio & ablatio ſimplex, & qua hypothetica.

SCHOLIA S. MAXIMI.

ΠΩΣ ἡ θεία καὶ ἀγαθὴ φύσις] Τί περιέχει ὁ λόγος τῶν Θεολογικῶν ὑποτυπώσεων. Ἰδοὺ Θεολογίας ὑποθῆκαι καὶ ἀφορμαὶ, πάσης ἐχόμεναι θείας καὶ πεφωτισμένης γνώσεως καὶ ὀρθοδοξίας, τὸ εἰδέναι, πῶς ἑνικὴ ἡ θεία φύσις, οἱ νεώτεροι πατέρες τινὲς ὁμοούσιον προσεῖπον· πῶς τριαδικὴ, ὅ φαμεν τρισυπόστατον. Καὶ τὸ εἰδέναι τῶν προσώπων τὰς ἰδιότητας, καί τι δηλοῦσιν, οἷον πατρότητα, καὶ υἱότητα, καί τις ἡ τοῦ θείου Πνεύματος ἁγιαστικὴ δύναμις καὶ θεολογία, καὶ πῶς εἴρηται τὸ, Ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν· καὶ πῶς περὶ τοῦ προσκυνητοῦ Πνεύματος εἴρηται, Ὅπερ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται· καὶ πῶς ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐν ἀλλήλοις, ὁ Υἱὸς, καὶ τὸ Πνεῦμα συναϊδίως καὶ ἀσχίστως καὶ ἀδιαιρέτως ἐν μονῇ εἰσιν ἀνεκφοιτήτῳ. Δεῖ δὲ εἰδέναι, ὅτι μονὴ καὶ στάσις ταὐτόν εἰσι, κίνησις δὲ ἕτερόν ἐστι τῆς μονῆς. Φησὶν οὖν, ὅτι καὶ ἐν μονῇ ἀκινήτῳ ἀεὶ οὖσα ἡ θεία φύσις, δοκεῖ κινεῖσθαι ἐν τῇ ἐν ἀλλήλοις χωρήσει.

Καὶ τῆς ἐν αὐτῷ καὶ ἐν ἑαυτοῖς.] Οὗτος ὁ νοῦς τῶν εἰρημένων· Συναΐδιος, φησὶν, ἡ ὕπαρξις τῆς ἁγίας Τριάδος, καὶ οὐχ

QVOMODO DIVINA BONAQVE NATVRA.] Quid contineat liber Theologicarum informationum. En Theologiæ ſubiectum & argumenta, quæ vniuerſam diuinam & illuſtratam cognitionem ac rectam doctrinam complectuntur, nempe ſcire, quomodo ſit vnica diuina natura, quam recentiores aliqui Patres conſubſtantialem vocant; & quomodo trina, quam trium perſonarum dicimus. Item noſſe quæ ſint proprietates perſonarum, & quid paternitas ac filiatio deſignent, & quænam ſit ſanctificatrix diuini ſpiritus virtus, nomenque diuinum; & quomodo dicatur, *Eructauit cor meum verbum bonum*; & quomodo de adorando ſpiritu dictum ſit, Qui ex Patre procedit; & quomodo in Patre, & in ſeipſis, & in ſe mutuo Filius & Spiritus ſanctus, ſint æternè, & indiuulsè, & inſeparabiliter, in manſione, ſine egreſſu. Sciendum autem, manſionem ac ſtatum idem eſſe, motum autem differre à manſione. Dicit ergo, diuinam naturã in manſione immotâ exiſtentem, videri quodammodò moueri per mutuam inceſſionẽ.

Quid ſanctus Dionyſius tractauerit in Theologicis ſuis informationibus.

Pſal. 44,2.

ET IN IPSO, ET IN SEIPSIS.] Hic dictorum ſenſus eſt: Coæterna, inquit, exiſtentia ſanctiſſimæ Trinitatis, neque aliter

SCHOLIA S. MAXIMI.

Personæ SS. Trinitatis sunt simul.

ter quidem existit, aliter verò posteà constitit, aut separationem quamdam siue mutationem accepit, sed simul & pariter Filius & Spiritus sanctus sunt ex Patre, non autem post ipsum.

QVOMODO IESVS, QVI EST SVPRA SVBSTANTIAM.] Nota hoc contra Nestorianos & Acephalos.

QVOMODO BONVS.] Quid contineat liber de Diuinis nominibus.

DECEBAT ENIM.] Cur informationes Theologicæ & liber de Diuinis nominibus compendiosiores sint quàm Symbolica Theologia.

SYMBOLICA.] Dicit Symbolicam Theologiam esse principialem.

INTELLECTILIVM ASPECTIBVS.] Conspectus intellectilium vocauit contemplationes, immateriali ipsorum simplicitati conuenientes. posuit autem περιστέλλονται pro συστέλλονται, id est contrahuntur.

Quid sit ἀλογία & ἀνοησία.

VERVM ETIAM IN SILENTIVM PERFECTVM.] Ἀλογίαν verò dicit, impotentiam repræsentandi ea quę supra sermonem sunt, & ἀνοησίαν vocauit illud, quod intelligi nequit, & quod nemo intelligere potest, cùm intellectum transscendat.

Quantò quidpiam Deo coniunctius, tantò magis quid vnum est.

ATQVE IN ILLIS QVIDEM A SVPREMO.] Quoniam intellectiles ac supramentales sunt Dei vnitates, Deusq; quid vnum est, quin potiùs supra vnum meritò contrahitur, tamquam indiuiduum & multiplicationis expers. Quæ autem post Deum sunt, quantò magis ad sensilia descendunt, tantò magis rebus diuiduis ac separabilibus coniunguntur, & ipsis multiplicatis per diuisionem quoque multiplex sensilium dissectio simul multiplicatur. Ad extrema autem, id est, à Theologicâ informatione.

A PRIMO.] Primum dicit illud, quod magis proprium est intellectui eius, qui primum aggreditur, nempe quòd Deus sit is qui est, quod nomen sibi imposuit.

QVIA QVOD SVPRA OMNEM.] Quis in Deo vsus sit positionum & ablationum, & vt positiones quidē à primo, & eo quod magis Deo cognatum est, statuamus, ablationes verò ab extremis, & magis ab ipso remotis.

Quæ sit in Deo affirmatio hypothetica.

HYPOTHETICAM AFFIRMATIONEM.] Affirmatio est sermo enuntiatiuus alicuius, quod est vel vniuersale, vel repugnans, vel copulatum, vel comparatum, vt, Deus est

ἑτέρως μὲν ὑπῆρξεν, ἑτέρως δὲ μετὰ ταῦτα κατέστη, ἢ χωρισμόν τινα ἢ μεταβολὴν ἔσχηκεν, ἀλλὰ ἅμα καὶ κατὰ ταὐτόν, τό, τε ἐκ τοῦ Πατρὸς εἶναι τὸν Υἱὸν καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐ μετ᾽ αὐτόν.

Πῶς ὁ ὑπερούσιος Ἰησοῦς.] Σημείωσαι κατὰ Νεστοριανῶν καὶ Ἀκεφάλων.

Πῶς ἀγαθός.] Τί περιέχει ὁ περὶ Θείων ὀνομάτων λόγος.

Καὶ γὰρ ἐχρῆν.] Διά τι αἱ Θεολογικαὶ ὑποτυπώσεις, καὶ ὁ περὶ Θείων ὀνομάτων λόγος, ὀλιγόστιχοί εἰσι μᾶλλον ἢ ἡ Συμβολικὴ θεολογία.

Τῆς συμβολικῆς.] Τῶν πρώτων τὰ τῆς Συμβολικῆς θεολογίας φησί.

Ταῖς συνόψεσι τῶν νοητῶν.] Συνόψεις τῶν νοητῶν, τὰς τῇ ἀΰλῳ αὐτῶν ἁπλότητι πρεπούσας θεωρίας ἐκάλεσε. τὸ δὲ Περιστέλλονται, ἀντὶ τοῦ συστέλλονται τέθεικεν.

Ἀλλ᾽ ἀλογίαν παντελῆ.] Ἀλογίαν φησὶ, τὸ μὴ δύνασθαι λόγῳ παραστῆσαι τὰ ὑπὲρ λόγον, καὶ ἀνοησίαν οὖν τὸ ἀνεννόητον, καὶ ὃ μὴ δύναταί τις νοῆσαι, ὡς ὑπὲρ νοῦν.

Κἀκεῖ μὲν, ἀπὸ τοῦ ἄνω.] Ἐπειδὴ τὰ νοητὰ καὶ ὑπὲρ νοῦν τοῦ Θεοῦ ἑνάδες εἰσὶ, καὶ ἓν ὁ Θεὸς, μᾶλλον δὲ καὶ ὑπὲρ τὸ ἓν εἰκότως συνέσταλται, ἅτε καὶ ἀμερὲς καὶ ἀπλήθυντον. Τὰ δὲ μετὰ Θεὸν, ὅσῳ μᾶλλον κάτεισιν ἐπὶ τὰ αἰσθητὰ, τοσούτῳ μᾶλλον ὁμιλοῦντα τοῖς μεριστοῖς καὶ σκεδαστοῖς, καὶ πεπληθυσμένοις συμπληθύεται αὐτοῖς πρὸς τὸν μερισμὸν, καὶ τὸ πολυσχιδὲς τῶν αἰσθητῶν. Πρὸς τὰ ἔσχατα δὲ, τουτέστιν ἀπὸ τῆς Θεολογικῆς ὑποτυπώσεως.

Ἀπὸ τοῦ πρωτίστου.] Πρωτίστου φησὶ τοῦ μᾶλλον οἰκειοτέρου καὶ τῇ ἐννοίᾳ προσβάλλοντος, οἷον ὅτι ὢν ὁ Θεὸς, ὅπερ ἑαυτὸν ὠνόμασεν.

Ὅτι τὸ ὑπὲρ πᾶσαν.] Πῶς δεῖ κεχρῆσθαι ταῖς θέσεσι καὶ ταῖς ἀφαιρέσεσιν ἐπὶ Θεοῦ· καὶ ὅτι τὰς μὲν θέσεις ἀπὸ τοῦ πρωτίστου καὶ μᾶλλον συγγενοῦς τῷ Θεῷ ποιούμεθα, τὰς δὲ ἀφαιρέσεις ἀπὸ τῶν ἐσχάτων, καὶ μᾶλλον αὐτοῦ διεστηκότων.

Τὴν ὑποθετικὴν κατάφασιν.] Κατάφασίς ἐστι λόγος ἀποφαντικὸς, ἢ τοῦ καθόλου, ἢ τοῦ μαχομένου, ἢ συμπλεκομένου τινὸς, ἢ συγκρινομένου, οἷον, ὁ Θεὸς ζωή

ἐστιν,

SCHOLIA S. MAXIMI.

ἐστιν, ὁ Θεὸς ἀγαθότης ἐστίν. Ὑποθετικὴ δὲ ἐστι λόγος ἀποφαντικός, ἢ τοῦ καθόλου, ἢ μαχομένου τινός, ἢ συμπλεκομένου δηλωτικός. Ἡ οὖν ὑποθετικὴ κατάφασις ἐπὶ Θεοῦ, ὅτι ὁ Θεὸς ζωή ἐστι καὶ ἀγαθότης μᾶλλον ἢ ἀὴρ καὶ λίθος. Αἱ δὲ ἀφαιρέσεις κατὰ ἀπόφασιν λέγονται ἐναντίως τῇ θέσει· ἡ μὲν γὰρ θέσις κατὰ ὑποθετικήν, ὡς εἴρηται, κατάφασιν λέγεται, ὅτι ζωὴ ὁ Θεὸς, ἢ ἀήρ· ἡ δὲ ἀποφατικὴ ἀφαίρεσις, Οὐ μεθύσκεται ὁ Θεὸς, οὐκ ὀργίζεται. Καὶ ἐπὶ τῶν θέσεων ἐκ τῶν συγγενεστέρων ἀρχόμεθα· οἰκειότερον γὰρ Θεῷ ζωὴ καὶ ἀγαθότης μᾶλλον ἢ ἀὴρ καὶ λίθος. Ἐπὶ δὲ τῶν ἀφαιρέσεων καὶ τῶν ἐσχάτων ἄνιμεν, οἷον Τὸ μὴ λόγῳ δηλοῦσθαι τὸν Θεὸν, καὶ τὸ μὴ νοεῖσθαι, οἰκειότερον μᾶλλον τῷ Θεῷ, ἢ τὸ μὴ κραιπαλᾷν, μηδὲ ὀργίζεσθαι· καὶ ὅλως ἐκ τοῦ δευτέρου τῆς ἀφαιρέσεως ἀρχόμεθα, οἷον, Οὐ μεθύει μᾶλλον ὁ Θεὸς, ἢ οὐ λέγεται· καὶ οὐ μηνιᾷ μᾶλλον ὁ Θεὸς, ἢ οὐ νοεῖται. Κραιπάλη μὲν οὖν ἐστιν, ἡ πολλὴ καὶ σφοδροτάτη μέθη, οἱονεὶ καρηπάλη τις οὖσα, ὅ ἐστιν ἡ τὸ κάρα ἤτοι τὴν κεφαλὴν πάλλουσα καὶ πάνυ κινοῦσα. Μῆνις δὲ οὐχ ἡ τυχοῦσα ὀργὴ, ἀλλ' ἡ ἐπίμονος. Ἀπὸ γοῦν τῶν αἰσθητῶν ἀνιόντας ἐπὶ τὰ νοητὰ, πάσας ταύτας τὰς ἀσωμάτους ἀφαιρέσεις μὴ ταπεινῶς νοεῖν χρὴ, ἀλλ' ἐφ' ἑκάστῳ τῶν εἰρημένων προσυπακούειν, ὅπερ αὐτὸς ὁ μακάριος Διονύσιος εἶπεν. Οὐδὲν γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς τῶν εἰρημένων ὧν ἡμεῖς γινώσκομεν, ἢ νοοῦμεν, ἀλλ' οὔτε ὧν γινώσκουσιν αἱ νοηταὶ δυνάμεις πᾶσαι· πάντα γὰρ τὰ εἰρημένα, καθάπαξ ἐκ Θεοῦ εἰσι καὶ αὐτοῦ δωρεαί. Καὶ πῶς αὐτὸς ἐξ αὐτῶν ὁ προνοούμενος αὐτῶν κυρίως. Πάντα δὲ διαφόρως διεξήλθομεν ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων· πάντα γὰρ ταῦτα ὡς συμβεβηκότα, καὶ ἐν οὐσίαις τῶν μετὰ Θεόν· ὁ δὲ Θεὸς καὶ ὑπὲρ οὐσίαν, καὶ τούτων αἴτιος, οὐκοῦν καὶ ὑπὲρ αὐτά. Ἄλλως. Ζωὴ καὶ ἀγαθότης, κατάφασις ἤτοι θέσις· Οὐ κραιπαλᾷ, οὐδὲ μηνιᾷ, ἰδοὺ ἀπόφασις, ἤτοι ἀφαίρεσις.

Ἢ ἀὴρ καὶ λίθος.] Ἀὴρ μὲν, κατὰ τὸ ἐν Βασιλείαις εἰρημένον, Ἐν αὔρᾳ λεπτῇ. Λίθον δὲ ὁ Προφήτης εἶπε. Τούτων οὖν οἰκειότερον μᾶλλον θέσεις καὶ δηλώσεις ἐπὶ Θεοῦ ἡ ζωὴ καὶ ἡ ἀγαθότης. Ὥσπερ οὖν καὶ ἐκ τῶν ἀφαι-

vita, Deus est bonitas. Hypothetica verò affirmatio est sermo enuntiatiuus declarans, quòd aut vniuersale, aut repugnans, aut copulatum existit. Hypothetica igitur affirmatio in Deo est, quòd Deus magis sit vita & bonitas, quàm aër & lapis. Ablationes autem contrario modo dicuntur quàm positio: nam positio, vti dictum est, per hypotheticam affirmationem effertur, quòd nempe Deus magis vita sit quàm aër: negatiua verò ablatio est hæc, Deus non inebriatur, non irascitur. Et in positionibus auspicamur ab iis quæ magis conueniunt: vita enim & bonitas magis Deo competit, quàm aër & lapis. In ablationibus autem ab extremis ascendimus v. g. Deum sermone non exprimi, & mente non concipi magis Deo proprium est, quàm non crapulari, neque irasci: atque omnino à posteriori ablationem auspicamur, v. g. quòd magis Deus non inebriatur, quàm non dicatur; & magis non irascitur, quàm non intelligatur. Crapula autem est copiosa & vehementissima ebrietas, veluti *καρηπάλη*, id est, *caput feriens*, plurimumque mouens. Μῆνις autem non est quæcumque ira, sed permanens. Itaque à sensilibus ad intellectilia ascendentes, non oportet omnes has incorporeas ablationes humiliter intelligere, sed in quolibet eorum, quæ dicuntur, subaudire id, quod ipse B. Dionysius dixit; quoniam Deus nihil est eorum quæ nos concipimus aut intelligimus, quin nec aliquid eorum quæ omnes intellectiles virtutes intelligũt: omnia enim, quæ relata sunt, prorsus extra Deum, & ipsius dona sunt. Et quomodo ipse esset ex ipsis, quibus prouidet. Hæc omnia autem diuersimodè exposuimus in libro de Diuinis nominibus, quoniam omnia sunt velut accidentia, & in substantiis eorum, quæ post Deum sunt: at Deus supra essentiam est, & horum auctor existit; quare etiam his superior est. Aliter. Vita, & bonitas, affirmatio siue positio est; Non crapulatur, non irascitur, ecce negatio seu ablatio.

Crapula, & ira, quid.

QVAM AER AVT LAPIS.] Aër quidem iuxta quod dictum est in libris Regum, *In aura tenui*, Lapidem verò Propheta nominauit. His igitur magis propriè vita & bonitas in Deo ponuntur, & eum magis declarant. Quemadmodum etiam è diuerso ex 3. Reg. 19, 12.

E 3 ablatio-

SCHOLIA S. MAXIMI.

ablatione v. g. crapulari & irasci magis remota & aliena sunt à Deo. Non dici verò, magis Deo conuenit, & affinius est, quoniam supra omnem mentem & sermonem existit.

ρέσεως ἐπὶ τοῦ ἐναντίου, οἷον τὸ κραιπαλᾷν καὶ μηνιᾷν, πόῤῥω Θεοῦ καὶ ἀλλότρια. Τὸ δὲ μήτε λέγεσθαι, μᾶλλον πρέπον Θεῷ καὶ ἐγγυτέρω, διὰ τὸ ὑπὲρ πάντα νοῦν τε καὶ λόγον.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Quid in alius tractatibus docuerit.


IN Theologicis quidem informationibus affirmatiuæ Theologiæ celebratæ sunt, videlicet quomodo sit vnica diuina natura, quam recentiores ὁμοούσιον appellant; quomodo trina, quam τρισυπόστατον seu tribus subsistentiis subsistere perhibemus; quæ sint proprietates personarum, & quid paternitas ac filiatio significent; & quæ sit sanctificatrix sanctissimi Spiritus virtus & diuinum nomen; & quomodo dicatur, *Eructauit cor meum verbum bonum*; & quomodo de adorando Spiritu dictum sit, *Qui ex Patre procedit*; & quomodo in Patre, & in seipsis, & in se mutuò Filius & Spiritus sanctus sint æternè & indiuulsè & inseparabiliter in mansione sine egressu. In libro autē de Diuinis nominibus, quomodo rursum vocetur Deus affirmatiuè & ens, & vita, & sapientia, & virtus. Et rursum in Symbolicâ Theologiâ, quæ sint rerum sensilium translationes, & quæ formæ, quas Prophetæ conuenienter Deo attribuunt; & quales sint figuræ corporisq; membra, quæ facies scilicet, & aures, & manus, & pedes, & qualia instrumenta, & cetera, ne singula recenseamus, quæ vtique omnia ex negatione dici debent de Deo. Potes itaque cognoscere, quomodo quæ à Deo magis remota sunt, quæ vtique extrema dicit, verbosiora sint. Quantò enim magis à Deo aliena sunt, eique dissentanea, tantò pluribus verbis opus habent vt explicentur, quomodo in Deo intelligantur. Idcircò Theologicæ informationes secundùm tractatum de Diuinis nominibus breuiores sunt Symbolicâ Theologiâ, quoniam in iis affirmādo dicebamus, in Theologicis quidem informationibus, Deum esse vnum, Trinitatem, esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: in libro verò de Diuinis nominibus, Deum esse ens, vitam, sapientiam, virtutem: in Symbolicâ verò Theologiâ cùm de symbolis,

Psal. 44, 2.


ΕΝ μὲν οὖν ταῖς Θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσιν, αἱ καταφατικαὶ θεολογίαι ὑμνήθησαν, δηλονότι, πῶς ἑνικὴ ἡ θεία φύσις, ὃ οἱ νεώτεροι ὁμοούσιον προσεῖπον· πῶς τριαδικὴ, ὃ φαμὲν τρισυπόστατον· τίνες αἱ τῶν προσώπων ἰδιότητες, καὶ τί δηλοῖ πατρότης καὶ υἱότης, καὶ τίς ἡ τοῦ παναγίου Πνεύματος ἁγιαστικὴ δύναμις καὶ θεολόγος· καὶ πῶς εἴρηται τὸ, Ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν· καὶ πῶς περὶ τοῦ προσκυνητοῦ Πνεύματος εἴρηται, Ὃ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται· καὶ πῶς ἐν τῷ Πατρὶ καὶ ἐν ἑαυτοῖς καὶ ἐν ἀλλήλοις ὁ Υἱὸς καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα συναϊδίως καὶ ἀσχίστως καὶ ἀδιαιρέτως ἐν μονῇ εἰσιν ἀνεκφοιτήτῳ. Ἐν δὲ τῷ περὶ Θείων πάλιν ὀνομάτων, πῶς ὀνομάζεται ὁ Θεὸς καταφατικῶς, καὶ ὢν, καὶ ζωὴ, καὶ σοφία, καὶ δύναμις. Πάλιν ἐν τῇ Συμβολικῇ θεολογίᾳ, τίνες αἱ ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν μετωνυμίαι, καὶ τίνες αἱ μορφαὶ, ἃς περιτιθεῖσιν οἱ Προφῆται θεοπρεπῶς τῷ Θείῳ· καὶ ποῖα τὰ σχήματα, καὶ τὰ τοῦ σώματος μέρη, τίνα πρόσωπα δηλονότι, καὶ ὦτα, καὶ χεῖρες, καὶ πόδες, καὶ ποῖα τὰ ὄργανα, καὶ τἄλλα, ἵνα μὴ καθέκαστον λέγωμεν, ἃ δὴ πάντα ἐξ ἀποφάσεως ὀφείλουσι λέγεσθαι ἐπὶ Θεοῦ. Ἔχεις γοῦν γινώσκειν, πῶς τὰ μᾶλλον πορρώτερον τοῦ Θεοῦ, ἃ δὴ ἔσχατα λέγει, πολυλογώτερά εἰσιν. Ὅσῳ γάρ εἰσιν ἀνοίκεια Θεῷ, καὶ μὴ προσήκοντα, τοσούτῳ δέονται λόγων εἰς παράστασιν, πῶς ἐπὶ Θεοῦ νοηθήσονται. Διὰ τοῦτο αἱ Θεολογικαὶ ὑποτυπώσεις κατὰ τὸ περὶ τῶν Θείων ὀνομάτων βραχύτεραί εἰσι τῆς Συμβολικῆς θεολογίας, ὅτι ἐν ἐκείνοις καταφατικῶς ἐλέγομεν, ἐν μὲν ταῖς Θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσι, περὶ Θεοῦ, ὅτι μονὰς, ὅτι Τριὰς, ὅτι Πατὴρ, Υἱὸς, καὶ Πνεῦμα· ἐν δὲ τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων, ὅτι ὢν, ὅτι ζωὴ, ὅτι σοφία, ὅτι δύναμις· ἐν δὲ τῇ Συμβολικῇ θεολογίᾳ, ἐπεὶ περὶ συμβόλων

λέγει

λέγει, σχημάτων, μερῶν, ὀργάνων, κραιπαλῶν, ὁρμῶν, ὕπνων, ἐγρηγόρσεων, ἃ δὴ πάντα ἐξ ἀποφάσεως ὀφείλουσι λέγεσθαι, ὡς ἀνοίκεια καὶ πόῤῥω Θεοῦ, εἰκότως πολυλογώτερα τὰ τοιαῦτα συνέβησαν γίνεσθαι· ἐπείπερ ὅσῳ τῷ Θεῷ οἰκειότερα λέγομεν, καὶ ἀνανεύομεν, καὶ ἐγγίζομεν πρὸς αὐτὸν, τοσούτῳ οἱ λόγοι ταῖς συνόψεσι τῶν νοητῶν περιστέλλονται. Συνόψεις δὲ τῶν νοητῶν, τὰς τῇ ἀΰλῳ αὐτῶν ἁπλότητι πρεπούσας θεωρίας ἐκάλεσε. Τὸ δὲ Περιστέλλονται, ἀντὶ τοῦ συστέλλονται τέθεικεν. Ὅπερ φησὶ καὶ νῦν ἐπὶ τῇ Μυστικῇ θεολογίᾳ πάντως γενήσεται. Καὶ γὰρ παντελῶς εἰς τὸν ὑπὲρ νοῦν καὶ οἰκεῖον Θεῷ γνόφον εἰσδύντες, μὴ μόνον βραχυλόγοι γενησόμεθα, ἀλλὰ καὶ ἀλογίαν παντελῆ καὶ ἀνοησίαν εὑρήσομεν. Ἀλογίαν δέ φησι, τὸ μὴ δύνασθαι λόγῳ παραστῆσαι τὰ ὑπὲρ λόγον· καὶ ἀνοησίαν, τὸ ἀνεννόητον, καὶ ὃ μὴ δύναταί τις νοῆσαι ὡς ὑπὲρ νοῦν ὄν. Κἀκεῖ μὲν, ἤγουν ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων, ἀπὸ τοῦ ἄνω, πρὸς ἀνάλογον πλῆθος ὁ λόγος ηὐρύνετο· τὸ γὰρ ὢν, οἰκεῖον ὂν τῷ Θεῷ, βραχυλογίαν εἶχε· τὸ δὲ Παλαιὸς ἡμερῶν, ἢ ἄλλο τι πορρώτερον, εἰκότως πολυλογίας ἐδέετο. Νῦν δὲ ἀπὸ τῶν κάτω τε καὶ πολλῶν συνθέσεων καὶ συμβόλων πρὸς τὸ ἑνιαῖον καὶ ἀκρότατον ἀνιὼν, εἰκότως κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἀνόδου συσταλήσεται· καὶ τόσον, ὅτι μετὰ τὴν ἄνοδον ἄφωνος ἔσται καὶ ὅλος ἑνωθήσεται τῷ ἀφθέγκτῳ διὰ σιγῆς τιμίας τιμῶν τὸν θέμενον σκότος ἀποκρυφὴν αὐτοῦ. Διὰ τί δὲ ὅλως, φὴς, ἀπὸ μὲν τῶν πρωτίστων τὰς θέσεις, ἀπὸ δὲ τῶν ἐσχάτων τὰς ἀποφάσεις ποιούμεθα καταρχόμενοι. Λέγομεν, ὅτι ἐπὶ μὲν τῶν θέσεων κεχρήμεθα τῇ ὑποθετικῇ, τουτέστι τῇ ὑπαγορευτικῇ, καὶ οἷον δηλωτικῇ καταφάσει, ὅτι Θεὸς, ὅτι ζωὴ, ὅτι ἀγαθότης, ἢ ἀὴρ, ἢ λίθος, ἢ πῦρ, ἢ πνεῦμα, ἢ τὰ τοιαῦτα. Τὰ γοῦν πρότερα τῷ Θεῷ οἰκειότερα καὶ συγγενέστερα· λοιπὸν μᾶλλόν ἐστι ζωὴ ἢ ἀὴρ, καὶ μᾶλλον Θεὸς ἢ λίθος, καὶ μᾶλλον ἀγαθότης ἢ πῦρ, καὶ μᾶλλον σοφία ἢ πνεῦμα. Τοῦτο γοῦν ἐστι τὸ ἄρχεσθαι ἀπὸ τῶν πρωτίστων, ἐπὶ τῶν θέσεων, ὅτι μᾶλλον νοοῦνται τὰ πρώτιστα ἐπὶ Θεοῦ, ἢ τὰ ἔσχατα.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

figuris, partibus, instrumentis, crapulis, propensionibus, somnis vigiliisque tractet, quæ vtique omnia negatiuè dici debent, tamquam à Deo aliena & remota, meritò quæ sunt eiuscemodi pluribus verbis explicari debebant; quandoquidē quantò magis propria de Deo dicimus, illique magis assentimur & appropinquamus, tantò etiam magis sermones nostri rerum intellectilium aspectibus contrahuntur. Conspectus autem, rerum intellectilium vocauit contemplationes, immateriali illarum simplicitati congruentes. Posuit autem περιστέλλονται pro συστέλλονται, id est contrahuntur. Quòd autem dicit, etiam nunc in Mysticâ Theologiâ omnino fiet. Etenim in supramentalem illam Deoq; propriam caliginem immersi, non solùm breuiloqui euademus, verùm etiam omnimodam sermonis & intellectionis vacuitatem reperiemus. Ἀλογίαν verò dicit, non posse sermone repræsentare illa quæ supra sermonem sunt: & ἀνοησίαν, id quod intelligi nequit, & quod nullus intelligere potest, cùm mentem superet. Atque ibi quidē, scilicet in libro de Diuinis nominibus, à summo ad proportionatam multitudinem sermo dilatabatur: nam ens, cùm proprium sit Deo, breuiloquentiam habebat; Antiquus verò dierum, vel aliud quid remotius, meritò multis verbis indigebat. Nunc verò ab inferioribus & multis compositionibus ac symbolis ad vnicum & summum ascendens, meritò iuxta modum ascensionis contrahetur; idque in tantum, vt post ascensum, ad omnimodum silentium redigendus sit, atque ineffabili Deo totus coniungendus, eum venerando silentio honorando, qui posuit tenebras latibulum suum. Verùm petes, cur à primis positiones diuinas statuentes, diuinas illas ablationes ab extremis auspicemur. Dicimus, nos in positionibus quidem vsos esse enuntiatiuâ, id est definitiuâ & quasi demonstratiuâ affirmatione, vt Deum esse, vitam esse, bonitatem esse, vel aërem, vel lapidem, vel ignem, vel spiritum, vel similia. Priora vtique Deo magis propria sunt, magisque naturalia; siquidem magis vita est quàm aër, & magis Deus quàm lapis, & magis bonitas quàm ignis, & magis sapientia quàm spiritus. Hoc itaque est inchoare à primis in positionibus, quoniam magis intelliguntur in Deo prima quàm postrema.

Quomodo in aliis libris processerit, & quomodo hic procedat.

Quid sint in Deo positiones & ablationes.

In

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

In ablationibus verò contrà hoc modo: Non inebriatur Deus, non iraſcitur, non dicitur, non intelligitur. Illud, Non inebriatur, eſt vltimum, eſt enim etiam hominum. Non intelligitur verò, proprium & primum. Illud itaque Deum ſermone non efferri, & mente non concipi, magis proprium eſt Deo, quàm non crapulari, neque iraſci: ſiquidem hæc etiam hominibus propria ſunt, atque idcircò vltima. Et ſimiliter incipimus ab extremis ablationis, v. g. Magis Deus non inebriatur quàm non dicatur, & magis non iraſcitur quàm non intelligatur. Quemadmodum igitur in poſitionibus quæ propria ſunt admittebant magis, & magis dicebamus Deum quàm aërem; & magis bonum quàm ſpiritum, ita hîc etiam extrema magis habent, quoniam etiam abſtractiuè dicimus, verbi gratiâ, Magis non crapulatur, quàm non intelligatur, & cetera. Crapula autem eſt copioſa & vehementiſſima ebrietas, veluti *καραπάλη*, id eſt, *τὸ κάρα*, ſeu caput, *πάλλουσα* quatiens, plurimumque mouens: *μῆνις* autem non eſt, quæcumque ira, ſed permanens. Vbi autem aër dictus eſt, & vbi lapis? Lapis quidem à Dauide, ſicut etiam Dominus de
Pſ.117,21 ſeipſo explicat, aiens: *Numquid legiſtis in*
Luc.20,17 *Scripturis: Lapidem quem reprobauerunt*
1.Cor.10,4 *ædificantes, hic factus eſt in caput anguli?* Et iterùm ab Apoſtolo: *Petra autem erat*
3.Reg.19,12. *Chriſtus.* Aër verò iuxta quod dictum eſt in libris Regum, *Et ecce aura tenuis, & ibi Dominus.*

Ἐπὶ δὲ τῶν ἀφαιρέσεων τὸ ἐναντίον, οὕτως· Οὐ μεθύσκεται ὁ Θεὸς, οὐ μηνιᾷ, οὐ λέγεται, οὐ νοεῖται. Τὸ Οὐ μεθύσκεται, ἔσχατον· ἔστι γὰρ καὶ ἀνθρώπων. Τὸ Οὐ νοεῖται, οἰκεῖον καὶ πρώτιστον. Ἔστι τοίνυν, τὸ μὴ λόγῳ λέγεσθαι τὸν Θεὸν, καὶ τὸ μὴ νοεῖσθαι, οἰκειότερον Θεῷ μᾶλλον, ἢ τὸ μὴ κραιπαλᾷν, μηδὲ ὀργίζεσθαι· ταῦτα γὰρ καὶ ἀνθρώποις οἰκεῖα, καὶ διὰ τοῦτο ἔσχατα. Καὶ ὅμως ἐκ τῶν ἐσχάτων τῆς ἀφαιρέσεως ἀρχόμεθα, οἷον, Μᾶλλον οὐ μεθύει ὁ Θεὸς, ἢ οὐ λέγεται· καὶ μᾶλλον οὐ μηνιᾷ, ἢ οὐ νοεῖται. Ὥσπερ γοῦν ἐπὶ τῶν θέσεων τὰ οἰκεῖα τὸ μᾶλλον εἶχον, καὶ μᾶλλον Θεὸς ἐλέγομεν ἢ ἀὴρ, καὶ μᾶλλον ἀγαθὸς ἢ πνεῦμα· οὕτως ἐνταῦθα τὸ μᾶλλον τὰ ἔσχατα ἔχουσιν, ὅτι ἀφαιρεματικῶς λέγομεν, οἷον μᾶλλον οὐ κραιπαλᾷ, ἢ οὐ νοεῖται καὶ τὰ λοιπά. Κραιπάλη δέ ἐστιν, ἡ πολλὴ μέθη καὶ σφοδροτάτη, οἷον καραπάλη τις οὖσα, ὅ ἐστι τὸ κάρα ἤτοι τὴν κεφαλὴν πάλλουσα, καὶ πάνυ κινοῦσα· μῆνις δὲ, οὐχ ἡ τυχοῦσα ὀργὴ, ἀλλ' ἡ ἐπίμονος. Ποῦ δὲ ἀὴρ ἐλέχθη, καὶ ποῦ λίθος; Λίθος μὲν παρὰ τῷ Δαβὶδ, καθὼς καὶ ὁ Κύριος περὶ ἑαυτοῦ ἐξηγεῖται λέγων, Οὐδέποτε ἀνέγνωτε ἐν ταῖς Γραφαῖς, Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας· καὶ πάλιν παρὰ τῷ Ἀποστόλῳ, Ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός· ἀὴρ δὲ κατὰ τὸ ἐν ταῖς Βασιλείαις εἰρημένον, Καὶ ἰδοὺ αὔρα λεπτὴ, καὶ ἐκεῖ Κύριος.

CAPVT IV.

Quòd nihil rerum ſenſibilium ſit is, qui omnis rei ſenſilis ſecundùm excellentiam eſt auctor.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Δ'.

Ὅτι οὐδὲν τῶν αἰσθητῶν ὁ παντὸς αἰσθητοῦ καθ' ὑπεροχὴν αἴτιος.

SYNOPSIS CAPITIS.

Exempla ponit negantis Theologiæ, & oſtendit, quomodo nihil ſenſile Deo competat.

Deum nihil eſſe ſenſibile.


ICIMVS ergo, cauſam omnium, & quæ ſupra omnia eſt, nec eſſentiæ nec vitæ, nec rationis nec mentis expertem eſſe, neque


ΕΓΟΜΕΝ οὖν, ὡς ἡ πάντων αἰτία καὶ ὑπὲρ πάντα οὖσα, οὔτε ἀνούσιός ἐστιν, οὔτε ἄζωος, οὔτε ἄλογος, οὔτε ἄνους, οὐδὲ σῶμα,

TEXTVS S. DIONYSII.

Deum nihil esse sensibile.

σῶμά ἐστιν· οὔτε σχῆμα, οὔτε εἶδος, οὔτε ποιότητα, ἢ ποσότητα, ἢ ὄγκον ἔχει· οὐδὲ ἐν τόπῳ ἐστὶν, οὔτε ὁρᾶται, οὔτε ἐπαφὴν αἰσθητὴν ἔχει· οὐδὲ αἰσθάνεται, οὔτε αἰσθητή ἐστιν, οὐδὲ ἀταξίαν ἔχει καὶ ταραχὴν, ὑπὸ παθῶν ὑλικῶν ἐνοχλουμένη· οὔτε ἀδύναμός ἐστιν, αἰσθητοῖς ὑποκειμένη συμπτώμασιν, οὔτε ἐν ἐνδείᾳ ἐστὶ φωτός· οὐδὲ ἀλλοίωσιν, ἢ φθορὰν, ἢ μερισμὸν, ἢ στέρησιν, ἢ ῥοῦσιν, οὔτε ἄλλο τι τῶν αἰσθητῶν, οὔτε ἐστὶν, οὔτε ἔχει.

corpus existere, neque figuram, neque formam, neque qualitatem aut quantitatem aut molem habere, neque in loco esse, neque videri, neque tactum sensilem habere, neque sentire, nec sub sensum cadere, nec inordinationem admittere aut perturbationem à passionibus materialibus excitatam, nec imbecillem esse & sensilibus casibus obnoxium; neque lucis indigum existere, neque mutationem aut corruptionem, aut diuisionem, aut priuationem, neque fluxum, neque quidquam aliud eorum quæ sub sensum cadunt, vel esse, vel habere.

ANNOTATIONES CORDERII.

Deus est causa omnium eminenter.



DICIMVS *ergo causam omnium*.] Cùm omnia de Deo negaturus sit, ne quis ex istiusmodi negationibus in errorē inducatur, putando Deum nihil esse, aut imaginarium aliquod figmētum existere; prudenter præmisit ipsum esse causam omnium, non quidem formaliter effectus suos, sed eminenter & transscendenter eos continentem. Vnde cùm formaliter & secundùm modum concipiendi nostrum omnia de Deo negat, vult intelligi Deum ista omnia eminenter, & supra captum nostrum, non diuisim aut partialiter, sed vnitim & vniuersim simplicissimâ ratione, rerum omnium conceptibilium perfectiones ac rationes, supra omnem perfectionem ac rationem conceptibilem complecti. Negantem itaque Theologiam incipiens, ne quis ob negationes infrà ponendas Deum inanem, mortuum, irrationalem aut amentem imaginaretur. Ait eum causam omnium existere, & supra omnia, neque essentiæ, neque vitæ, nec rationis, nec mentis expertem esse, vbi dum Deum essentiâ, vitâ, ratione ac mente carere negat, hæc ipsa de eodem plusquam excellenter & superessentialiter affirmat.

Ex rebus sensibilibus Deum à posteriori cognosci.

Nota, quòd licet nihil eorum quæ sub sensum cadunt, diuinæ naturæ vtpote simplicissimæ purissimæque conueniant, nec occultum illud Dei manifestent, non malè tamen summos Theologos de Deo philosphari ex rebus sensibilibus & creaturis, scilicet à posteriori. Quoniam posteriora Dei ipsæ creaturæ sunt, & earum rationes, iuxta illud: *A magnitudine enim speciei & creaturæ poterit cognoscibiliter creator horum videri.* Sap. 13. Confirmat hoc Gregorius Theologus in secundâ Oratione de Theologiâ. Currebam quidem, inquit, tamquam Deum cognitione comprehensurus, atque ita ascendi in montem & diuisi nubem in eam ingressus. & paucis interiectis. Cum paululùm, inquit, prospexissem, non vidi primam & æternam naturā, quæ sibi, id est Trinitati nota est, & quanta intra primum velum manet, & à Cherubinis contegitur, sed illam, quæ extrema est, & ad nos peruadit, quæ est (quantum intelligo) amplitudo illa, vel, vt Dauid ait, magnificentia, quæ in creaturis, & iis, quæ ab ipso effecta sunt & gubernantur, cernitur. Hæc enim sunt posteriora Dei, quæ post eum sunt ipsius indicia; sicut solis vmbræ & imagines in aquis, quæ infirmis oculis solem vtcumque ostendunt; siquidem impossibile est solem intueri aduersum, cuius radiis acies oculorum vincitur.

Et magnus Athanasius velut percunctando ait in quæst. ad Antiochum Principem. Cùm Deus sit incorporeus, & figurâ careat, quæ tandem posteriora eius vidit Moyses? Deinde soluens quæstionem, Credimus, inquit, ante sæcula, & ante cunctas creaturas esse Deum totum solum, increatum. Ex quo fit, vt posteriora Dei sint

ANNOTATIO NES CORDERII.

sint creaturæ, & earum rationes, quas cùm vidisset, exposuit, inquiens: *In principio creauit Deus cælum & terram.*

Gen. 1, 1.

Item Gregorius Nyssenus in libro de Vitâ Moysis, Gloria, inquit, increata, natura scilicet diuina, omnino est, secundùm se ineffabilis, & quę comprehendi non potest, neque videri. Nihil enim quod est ipsum hoc per se nudum, potest intelligentiâ liquidè comprehendi, aut oculis corporis vllo modo cerni, increatum enim est: quod autem est increatum, nullus potest oculis corporis cernere, quamuis Moyses sit, quamuis Paulus, qui in tertium cælum ascendit, quamuis Angelus sit qui Deum videt. Ex quibus clarè notescit, valentissimos etiam Theologos non vltra creaturam progredi in iis quibus Deum vident; sed potiùs ipsam creaturam, & quæ in naturâ eius insunt, considerare. Quòd si, inquit Cyparissiotus, ad hunc modum & hac viâ & ratione de Deo disserunt, necessariò sequitur, Theologiam, quæ in negatione versatur, longè præstantiorem esse, & ad contemplationẽ magis idoneam eâ Theologiâ quæ in affirmatione cernitur. Vnde Dionysius hoc & sequenti capite omnia de Deo negat.

Neq; corpus existere.] Nam Ioannis 4. dicitur Deum esse spiritũ, ex quo Christus infert, eum spiritualiter adorandũ esse, nec indigere templis corporeis: ex quo patet, eum spiritum ibi propriè sumere, & prout distinguitur à corpore. Hinc S. Thomas Parte 1. a. 1. docet, Deũ non esse corpus; quia cùm corpus sit spiritu imperfectius, Deus qui est ens perfectissimum, non potest esse corpus, sed spiritus. Manichæi olim, & quidam alij hæretici, dicti Vadiani siue Audiani, dixerunt Deum esse corporeum, & humanâ formâ, ob quædam loca Scripturæ, in quibus Deus dicitur habere brachium, digitos, pedes, &c. atque illud, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, de corpore intelligebant. Sed hæ rationes nullius momenti sunt: nam locus ille apertè de animâ intelligitur, & alia loca Scripturæ metaphoricè intelligenda sunt.

Deus non est corpus, sed spiritus.

Gen. 2.

Neq; figuram neque formam, &c. habere.] Ex quibus (inquit Cyparissiotus Dec. x. cap. 9.) fit manifestum, quòd in vnitate Trinitatis neque reperitur principium, neque medium, neque finis. Si quis verò aliquid horum quærat, multa reperientur, & non vnitas. Principium enim & medium, & finis, eorum planè sunt quæ diuidi possunt, vnitas verò indiuidua est. Similiter quod habet principium, & medium, & finem, totum aliquid est ex his coagmentatum: quod autem sic est totum, ex partibus etiam est totum; partes autem multæ, igitur totum ex multis. Vnitas verò expers partium est, & non ex multis, aut ex partibus totum. Prætereà, quod neque principium, neque finem habet, neque terminum in vtroque habet: & idcircò infinita est vnitas. Bifariàm enim, inquit, cùm infinitum contemplamur, scilicet secundùm principium & finem, quod non est ex his, & est supra hæc, infinitum appellatũ est. Sed neque formam habet, vel figuram, vel speciem, vel colorem, diuina vnitas. Sic enim Magnus Basilius lib. 4. τῶ Ἀντιρρητικῶν, Si, inquit, Filius verè est imago Patris, omnis autem imago vel substantiæ, vel formæ, vel figuræ, vel speciei, vel coloris imago est, Deus autem in nullo horum est, sed in solâ substantiâ; Filius igitur, cùm sit imago substantiæ, sequitur vt sit ὁμούσιος, id est eiusdem substantiæ Patris; & relinquitur vt sit vnitas expers formæ, & figuræ, & speciei, & coloris. Expers igitur est formæ, quia idem est forma & substantia Dei. Hoc enim ab omnibus Theologis concessum est. Si igitur in solâ substantiâ est Deus, non igitur in formâ circa substantiam; hæc enim forma non est sola substantia. Est etiam sine figurâ; quia demonstratum est non habere medium: si autem non habet medium, neque rotundi, neque recti particeps est; quia vbi non est medium, nec extrema æqualiter à medio distabunt, quod quidem in rotundis euenit; neque rursus ab extremo ad extremum æqualiter procedit linea, quod quidem in rectis reperitur. Si autem nec hoc, nec illud; caret igitur figurâ vnitas diuina. Est præterea expers speciei, quia species continentur in generibus; vnitas verò diuina nec est in alio, nec in se. In alio quidem si esset, eueniret ei perinde ac si in medio esset comprehensa, quod in circuli centro contingit: demonstratum verò est, non habere eam partes, neque figuram; nõ est igitur in alio, imò nec in se; alioqui idem etiam, quod circulo ei accideret, si ipsa se complecteretur & contineret. Non enim potest esse aliquid in seipso, quin à seipso contineatur. Etsi enim Deus ex se, & ipse seipsum continet; tamen fieri non potest, vt idem contineat, & à se contineatur. Si autem ab alio continetur, hoc est quod dicebamus ad figuras pertinere. Caret etiam colore, quia est substantia quæ non est in subiecto. Quomodo recipiet colores, quæ non potest cadere sub aspectum, qui colores discernit? Sicut ergo non est hæc omnia diuina vnitas; sic neque habet vniuersitatem, vel vniuersum, quod partes recipit, alioqui incidet vtrumuis eorum quæ diximus.

In Deo neque principium, neque mediũ, neque finis.

In Deo neque forma, neque figura, neque species, &c.

diximus. Omnis enim oratio, vel effertur vniuersè in vniuersis, aut in vniuersis non vniuersè, sed particulariter, vt ait Dionysius cap. XI. de Diuinis nominibus.

Deus non est in loco. *Neque in loco esse.*] Hoc enim proprium est corporum, & rerum circumscriptarum, Deus autem incorporeus est, & nullo termino circumscriptus, quare nec ipse est in loco, neque quæ in ipso sunt tamquam in loco sunt; sed habet ea, vt seipsum habens, & in eis existens, omnibus quidem simul existentibus, & in impartibili in ipso existentibus, distinctis verò in impartibili impartibiliter.

Deus est inuisibilis omni oculo. *Neque videri, &c.*] Diuinus Diadochus, & silentij magister, in libello de Spirituali perfectione, Nemo, inquit, cùm sensum mentis audit, speret videre oculis gloriam Dei. Sentiri enim eam dicimus gustu quodam, qui exprimi non potest, diuinæ consolationis, cùm quis animam purgauerit; non autem apparere ei aliquid eorum quæ sub aspectum cadunt; siquidem nunc per fidem, & non per speciem ambulamus, sicut Apostolus ait. 2. Cor. 5, 8. Si cui igitur eorum qui * certant, vel lumen, vel figura quæpiam, vel aliquid ad similitudinem ignis appareat, ne amplectamur huiusmodi visum; est enim fallacia inimici manifesta. Quæ quidem res multos fefellit, qui propter ignorantiam à viâ veritatis malè deflexerunt. B. Chrysostomus in Oratione de Incomprehenso: Quod in Deo est incomprehensum, non sic nos scimus, sicut illæ potestates, quæ tantò magis sciunt, quantò mundiores, & sapientiores, & perspicaciores, quàm humana natura sunt. Accretio enim sapientiæ accretionem reuerentiæ creat, sicut id quod ex radiis solis non potest aspectus ferre. Non sic cernit cæcus, sicut qui videt: ad eumdem modum quod est in Deo incomprehensum, non sic nos, vt illi, cognoscimus. Quantum enim interest inter cæcum & videntem, tantum interest inter nos & illos. Et rursus idem in iisdem: Illi igitur Angeli aspectus tegunt, hi verò alioqui homines contendunt intendere oculos impudenter in gloriam inexplicabilem. Quis eos non defleat? quis non lugeat hanc vecordiam & extremam dementiam? Et iterùm idē, cùm explanat illud: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Ioan. 1, 14. Non, inquit, vidissemus, nisi per corpus nobis assuetum, & nobiscum altum, nobis apparuisset. Et adhuc in Homilia XV. in Ioannem: Si Deum nemo vidit vmquam, Ioan. 1, 18. quid igitur, inquit, respondebimus grandiloquo Isaiæ, cùm ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum?* Isa. 6, 1. & Ioanni, qui ei testimonium præbet, cùm ait: *Hæc dixit quando vidit gloriam eius?* Ioan. 12, 41. Quid Ezechieli? siquidem ipse etiam vidit eum sedentem super Cherubim. Ezech. 10, 1. Quid Danieli? cùm ait: *Antiquus dierum sedit.* Dan. 7, 9. Quid Moysi? qui dixit: *Ostende mihi faciē tuam, vt sciam te.* Exod. 33, 13. Iacob autem hinc nomen accepit, cognominatus Israel, id est Videns Deum. Gen. 32, 28. Quid igitur ait Ioannes: *Deum nemo vidit vmquam?* Ioan. 1, 18. Liquet omnia illa ad condescensionem pertinuisse. Quia enim futurum erat, vt Filius Dei in verâ carne appareret, assuefaciebat eos à principio Deus in gloriâ Dei videndâ, quantum ab eis videri poterat. Quid enim sit Deus, non solùm Prophetæ, sed nec Angeli, nec Archangeli viderunt: solus Filius & Spiritus sanctus eum vident. Quomodo enim omnis natura creata videre poterit non creatum? Nam si potestatis incorporeæ, quamuis creatæ, visionem claram penitus capere non possumus (& hoc sæpenumerò in Angelis demonstratum est) multò magis substantiæ non creatæ. Idcircò Paulus ait: *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* 1. Tim. 6, 16. Et de Filio dicit, non esse aspectabilem, non solùm hominibus, sed & superis potestatibus. 1. Tim. 1. Postquam enim paulò pòst dixit Paulus, *Manifestatus est in carne;* subiunxit, *Apparuit Angelis.* 1. Tim. 3, 16. Itaque tunc visus est Angelis, quando carnem induit. Sed quomodo nunc dicit: *Ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est?* Matth. 18, 10. Quid igitur? Faciémne habet Deus, & in cælis circumscriptus est? Quid ergo est quod dicitur? sicut cùm dicit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5, 8. Aspectum mentis, quem habere poterimus, & notionem de Deo dicit: sic & in Angelis interpretandum est, propter puram ipsorum & vigilantem naturam, nihil aliud quàm Deum semper cogitare.

Deus incomprehensibilis. *Differentia visionis nostræ, & Angelorū.* ** Certamē intelligit, quo certamus cum lege carnis.*

ANNOTATIONES CORDERII. *Visiones Propheticæ quales fuerint.* *Quomodo Deus à se solo visus sit, & videatur.*

Vbi nota, cùm Patres dicunt nullam creaturam videre Deum posse, intelligendos esse de naturali, vel de comprehensiuâ visione, & quid sit. Etsi autem ante incarnationem quoque videbatur Deus ab Angelis, & apparebat eis, tamen quia cùm in mundo apparuit per carnem, tunc illis ipsis Angelis excellentiùs apparuit, & visus est; idcircò Scriptura tunc dixit, ὤφθη, id est *apparuit*, & visus est Angelis, quando carnem induit. Tunc enim perfectiùs & diuiniùs cognouerunt illa quæ sunt Dei propria, bonitatem, iustitiam, misericordiam, sapientiam, potentiam, & alia quæ in mysterio Incarnationis ac reparationis humanæ maximè eluxerunt.

Quo sensu dicant Patres, Deum nullo modo videri posse.

SCHOLIA S. MAXIMI.

SCHOLIA S. MAXIMI.

NEQVE IN LOCO EST.] Neceſſariò hic Pater per iſta præmuniit auditorem, ne in ſequentibus negationibus exiſtimet Deum omnino non eſſe, ſed in his quidem ſupponit ipſum exiſtere, in illis verò, ſecundùm nihil eorum quæ exiſtunt, ſed ſupra ſubſtantiam eſſe declarauit.

ΟΥΔΕ ἐν τόπῳ ἐστίν.] Ἀναγκαίως ὁ Πατὴρ διὰ τούτων προησφαλίσατο τὸν ἀκροατὴν, ὥστε μὴ τὰς ἑξῆς ἀποφάσεσιν οἴεσθαι ὅλως μὴ εἶναι τὸ Θεῖον· ἀλλ' ἐν τούτοις μὲν τὸ εἶναι αὐτὸ ὑπέθετο, ἐν ἐκείνοις δὲ τὸ κατὰ μηδὲν τῶν ὄντων εἶναι, ἀλλ' ὑπερούσιον.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Quomodo S. Dionyſius in Deo celebret rerum omniũ negationes.

OMNIVM cauſa & ſupra omnia Deus eſt. Hęc itaque nec eſſentiæ, neque vitæ, neque rationis, neque mentis expers exiſtit: gradatim verò & ſecundùm ordinem, ab extremis incipiens, ad ſublimiora conſcendit, quoniam eſt Theologia negatiua. Magis enim Deus eſt non expers ſubſtantiæ, quàm non expers mentis: plures nimirum conceſſerint quòd non ſit ſubſtantiæ expers, quàm quòd non ſit mentis expers, ſiquidem ἀνούσιος, id eſt carens ſubſtantiâ, craſſiorem habet improportionem, ἄνους verò, ſeu mentis expers, ſubtiliorem; & idcircò illius negationem faciliùs admittent, quàm huius. Neceſſariò autem hic Pater per iſta præmuniit auditorem, ne in ſequentibus negationibus, quando dicit, Neque corpus eſt, neque hoc, neq; illud, exiſtimet Deum omnino non eſſe. Sed in his quidem ipſum ſupponit eſſe: cùm enim diceret, neque eſſentiâ carere, eſſentiam ſignificabat; neque vitâ carere, vitam declarabat; neque irrationalem eſſe, rationem demonſtrabat; neque amentem exiſtere, mentem manifeſtabat. In his itaque ſupponens ipſum eſſe, in iis quæ ſequuntur, cùm dicit corpus, & cetera, ſecundùm nihil eorum quæ exiſtunt, eſſe, ſed ſupra ſubſtantiam eſſe inſinuauit: quod enim non eſt, id eſſentiâ caret. Et rurſum id quod non corpus, ſed ſupra omnem aliam ſubſtantiam exiſtit, id & eſt, & ſupra ſubſtantiam eſt. Cùm verò dicit, Neque corpus eſt, tollit etiam ea quæ circa corpus ſunt: ſiquidem & figurâ, & formâ, & quantitate, & qualitate, & mole caret. Sed neque in loco eſt: omne enim quod circumſcribitur, id eſt in loco, quoniam locus eſt terminus continentis. Deus autem qui vbique præſens eſt, & implet omnia, à nullo continetur, ſed neque

Η ΠΑΝΤΩΝ αἰτία καὶ ὑπὲρ πάντα, ὁ Θεός ἐστιν· Αὕτη γοῦν οὔτε ἀνούσιός ἐστιν, οὔτε ἄζωος, οὔτε ἄλογος, οὔτε ἄνους· κλιμακηδὸν δὲ καὶ κατὰ τάξιν ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἀρχόμενος, ἄνεισιν ἐπὶ τὰ ὑψηλότερα, ἐπεὶ ἀποφατικὴ ἡ θεολογία ἐστί· Μᾶλλον γὰρ οὐκ ἀνούσιος ὁ Θεὸς, ἢ οὐκ ἄνους· δηλονότι πλείονες ἂν συντεθεῖεν, ὅτι οὐκ ἀνούσιος, ἢ ὅτι οὐκ ἄνους· τὸ μὲν γὰρ ἀνούσιος παχυτέραν ἔχει τὴν παραλογίαν, τὸ δὲ ἄνους λεπτοτέραν· καὶ διὰ τοῦτο τὴν ἀπόφασιν ἐκείνου εὐκολωτέρως δέξονται, ἢ τὴν τούτου. Ἀναγκαίως δὲ διὰ τούτων ὁ Πατὴρ προησφαλίσατο τὸν ἀκροατὴν, ὥστε μὴ ἐν ταῖς ἑξῆς ἀποφάσεσιν, ὅτε λέγει, Οὔτε σῶμά ἐστιν, οὔτε τὸ, οὔτε τὸ, οἴεσθαι ὅλως μὴ εἶναι τὸ Θεῖον. Ἀλλ' ἐν τούτοις μὲν τὸ εἶναι αὐτῷ ὑπέθετο· εἰπὼν γὰρ, οὔτε ἀνούσιος, οὐσίαν ἐδήλωσεν· οὔτε ἄζωος, ζῶσαν ἐδήλωσεν· οὔτε ἄλογος, λόγον ἐδήλωσεν· οὔτε ἄνους, νοῦν ἐδήλωσεν· Ἐν τούτοις οὖν ὑποθέμενος τὸ εἶναι αὐτὸ, ἐν τοῖς ἐφεξῆς, ὅτε λέγει τὸ σῶμα, καὶ τὰ λοιπὰ, τὸ κατὰ μηδὲν τῶν ὄντων εἶναι, ἀλλ' ὑπερούσιον ᾐνίξατο· τὸ γὰρ μὴ ὄν, ἀνούσιον. Καὶ πάλιν οὐ σῶμα, ἀλλ' ὑπὲρ πᾶσαν ἑτέραν οὐσίαν, καί ἐστι καὶ ὑπερούσιόν ἐστιν. Εἰπὼν δὲ, Οὔτε σῶμά ἐστιν, ἀναιρεῖ καὶ τὰ περὶ τὸ σῶμα· ἀσχημάτιστον γὰρ, καὶ ἀνείδεον, καὶ ἄποσον, καὶ ἄποιον, καὶ ἄογκον. Ἀλλ' οὐδ' ἐν τόπῳ ἐστί· πᾶν γὰρ περιγραπτὸν ἐν τόπῳ, ἐπεὶ ὁ τόπος πέρας ἐστὶ τοῦ περιέχοντος. Τὸ δὲ Θεῖον, πανταχοῦ παρὸν, καὶ πληροῦν τὰ πάντα, οὐ περιέχεται παρ' οὐδενός· ἀλλ' οὐδ'

ὁρᾶται,

ὁρᾶται, οὐδ' ἐπαφὴν ἔχει, ὅτι οὐδ' αἰσθητόν ἐστιν (αἱ γὰρ αἰσθήσεις περὶ τὰ αἰσθητά) ἀλλ' οὐδ' αἰσθάνεται· οὐδὲ γὰρ αἰσθητικόν ἐστιν, οὐδ' αἰσθήσεις ἔχει. Οὔτε ὑπὸ παθῶν ἐνοχλεῖται, οὔτε ἐξ ἀδυναμίας αἰσθητοῖς ὑπόκειται πάθεσιν. Οὔτε δεῖ αὐτῷ τοῦ φωτὸς, οὔτε ἀλλοιοῦται, οὔτε φθείρεται· ἀναλλοίωτον γὰρ καὶ ἀθάνατον. Οὐδὲ μερισμὸν ὑφίσταται ἐν τῷ τὰς τρεῖς ζωαρχικὰς ὑποστάσεις ἰδιοϋποστάτως εἶναί τε καὶ νοεῖσθαι. Οὐδὲ στέρησιν· τὰ γὰρ προσόντα τῷ Θεῷ ἀγαθὰ καὶ ὑπερπλήρη καὶ φυσικά ἐστιν. Οὐδὲ ῥεῦσιν ὑφίσταται, ἀρρεύστως γὰρ ὁ μονογενὴς Λόγος ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννᾶται, καὶ ἀπαθῶς ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Οὔτε ἄλλο τι τῶν αἰσθητῶν οὔτε ἐστὶν, οὔτε ἔχει. Τὸ μὲν Ἐστὶ διὰ τὰ καθ' αὑτὰ ὑφεστῶτα λέγει, ἤγουν πνεῦμα, ἀήρ, λίθος· τὸ δὲ Ἔχει, διὰ τὰς δηλωθείσας σωματικὰς ποιότητας.

videtur, neque tactum habet, quia neque sensibilis existit (sensus enim circa ea versantur quæ sentiuntur) neque sentitur; neque enim sensile quid est, neque sensus habet. Neque passionibus turbatur, neque ex impotentiâ sensilibus passionibus obnoxius est. Neque ipsi opus est lumine, neque immutatur, neque corrumpitur: immutabilis enim & immortalis existit. Neque diuisionẽ subit, dum tres personæ vitæ principes per propriam suam subsistentiam & subsistunt, & intelliguntur. Neque priuationem; nam bona quæ Deo insunt, & supraquam plena sunt & naturalia. Neque fluxum sustinet, siquidem sine fluxu vnigenitum Verbum ex Patre gignitur, & sanctus ille Spiritus sine passione ex Patre procedit. Neque quidquam aliud rerum sensibilium vel est, vel habet. Dicit quidem illud *est*, propter ea quæ per se subsistunt, vt spiritus, aër, lapis; illud verò *habet*, propter iam declaratas corporeas qualitates. PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Ε'.

Ὅτι οὐδὲν τῶν νοητῶν, ὁ παντὸς νοητοῦ καθ' ὑπεροχὴν αἴτιος.

CAPVT V.

Quòd nihil rerũ intellectilium sit is, qui omnis rei intellectilis secundùm excellentiã est auctor.

SYNOPSIS CAPITIS.

DOcet, Deum nihil esse eorum quæ nos cognoscimus; sed esse supra omnia ista quæcumque quomodocumque à nobis concipi vel intelligentiâ percipi poßunt.

ΑΥΘΙΣ δὲ ἀνιόντες λέγομεν, ὡς οὔτε ψυχή ἐστιν, οὔτε νοῦς· οὔτε φαντασίαν, ἢ δόξαν, ἢ λόγον, ἢ νόησιν ἔχει· οὐδὲ λόγος ἐστὶν, οὔτε νόησις· οὐδὲ λέγεται, οὔτε νοεῖται· οὔτε ἀριθμός ἐστιν, οὔτε τάξις, οὔτε μέγεθος οὔτε σμικρότης, οὔτε ἰσότης οὔτε ἀνισότης, οὔτε ὁμοιότης ἢ ἀνομοιότης· οὔτε ἕστηκεν, οὔτε κινεῖται, οὔτε ἡσυχίαν ἄγει, οὔτε ἔχει δύναμιν, οὔτε δύναμίς ἐστιν, οὔτε φῶς· οὔτε ζῇ,

RVRSVS autem ascẽdentes dicimus, quòd nec anima sit, neque mens, nec imaginationem, vel opinionem, vel rationem, vel intelligentiam habeat; neque sermo est, neque intelligentia; neque dicitur vel intelligitur; neque numerus est, neque ordo, neque magnitudo, neque paruitas, neque æqualitas, neque similitudo, neq; dissimilitudo; neque stat, neque mouetur, neque quiescit, neque habet potentiam; nec est potentia, neque lumen, neque viuit,

TEXTVS S. DIONYSII.

neque vita est, neque substantia est, neque sæculum, neque tempus, nec est eius tactio intellectilis, neque scientia, neque veritas est, neque regnum, neque sapientia, nec vnum, nec vnitas, neque diuinitas, neque bonitas, neque spiritus est, vt nos spiritum cognoscimus; nec est filiatio, neque paternitas, nec aliud quidquam eorum, quæ nobis, aut vlli eorum qui sunt, cognita sunt; neque aliquid eorum quæ non sunt, neque quæ sunt: neque quæ sunt eam cognoscunt quatenus est, nec ipsa cognoscit quæ sunt quatenus sunt: nec est illi ratio, neque nomen, neque cognitio; neque tenebra est, neque lumen, nec error, neque veritas: nec est eius in vniuersum positio, nec ablatio: imò cùm eorum, quæ post ipsam sunt, positiones & ablationes facimus, ipsam neque ponimus, neque tollimus; quia supra omnem positionem est perfecta, & singularis omnium causa; & supra omnem ablationem exuperatio omnium simpliciter abstracta, & vltra omnia.

οὔτε ζωή ἐστιν· οὐδὲ οὐσία ἐστὶν, οὔτε αἰὼν, οὔτε χρόνος· οὐδὲ ἐπαφή ἐστιν αὐτῆς νοητή· οὔτε ἐπιστήμη, οὔτε ἀλήθειά ἐστιν, οὐδὲ βασιλεία, οὔτε σοφία· οὐδὲ ἕν, οὐδὲ ἑνότης, οὐδὲ θεότης, ἢ ἀγαθότης, οὐδὲ πνεῦμά ἐστιν ὡς ἡμᾶς εἰδέναι· οὔτε υἱότης, οὔτε πατρότης, οὐδὲ ἄλλο τι τῶν ἡμῖν ἢ ἄλλῳ τινὶ τῶν ὄντων συνεγνωσμένων· οὐδέ τι τῶν οὐκ ὄντων, οὐδέ τι τῶν ὄντων ἐστὶν, οὐδὲ τὰ ὄντα αὐτὴν γινώσκει ᾗ αὐτή ἐστιν· οὐδὲ αὐτὴ γινώσκει τὰ ὄντα ᾗ ὄντα ἐστίν· οὐδὲ λόγος αὐτῆς ἐστιν, οὔτε ὄνομα, οὔτε γνῶσις· οὐδὲ σκότος ἐστὶν, οὐδὲ φῶς· οὔτε πλάνη, οὔτε ἀλήθεια· οὐδέ ἐστιν αὐτῆς καθόλου θέσις, οὔτε ἀφαίρεσις· ἀλλὰ τῶν μετ' αὐτὴν τὰς θέσεις καὶ ἀφαιρέσεις ποιοῦντες αὐτὴν, οὔτε τίθεμεν, οὔτε ἀφαιροῦμεν· ἐπεὶ καὶ ὑπὲρ πᾶσαν θέσιν ἐστὶν ἡ παντελὴς καὶ ἑνιαία τῶν πάντων αἰτία, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν ἀφαίρεσιν ἡ ὑπεροχὴ τοῦ πάντων ἁπλῶς ἀπολελυμένου, καὶ ἐπέκεινα τῶν ὅλων.

ANNOTATIONES CORDERII.

PRO meliori horum intelligentiâ, consulenda sunt in generalioribus Obseruationibus, Octaua & Nona, quæ ex Lessio notauimus; apud quem etiam vide cap.2. Lib.1. de Perfectionibus diuinis, vbi agit de Dei incomprehensibilitate.

Nec anima est, neque mens.] Per animam tamquam per partem hominis principalé, designat hominem; per mentem verò Angelum intelligit, qui definitur νοῦς ζῶν, id est *mens viua*, scilicet ob intelligendi præcellentiam præ ceteris creaturis. Vnde à Philosophis Angeli κατ' ἐξοχὴν *Intelligentiæ* nuncupantur. Vult itaque dcere, Deum neque hominem esse neque Angelum, atque adeò *neque imaginationem* vel *opinionem*, vel *rationem*, vel *intelligentiam habere*, qui sunt quatuor gradus cognitionis. Atque inter illos infimus quidem est *imaginatio*, quæ est rerum sensui subiectarum sensibilis & interna repræsentatio. Hanc sequitur, & in eâ fundamentum habet *opinio*, quæ est assensio debilis animæ rationis, probabilitate quidem nixa, sed non omnino expers formidinis. Tertium locum tenet *ratio*, id est scientia, quæ ratiocinatione seu demonstratione oritur. Quartum denique & supremum gradum obtinet *mens* seu *intelligentia*, quæ est pura & simplex rerum contemplatio; qualis Angelorum propria est,

Quatuor gradus cognitionis.

eſt, & de ſpeciali quadam Dei gratiâ in ſpiritualibus quibuſdam viris ac Myſticis Theologis quandoque reperitur. Hos igitur omnes cognoſcendi modos hîc à Deo remouet, qui omninò aliâ ratione intelligit quidquid intelligit, ſcilicet ſeipſo, nullo interueniente actu à ſe diſtincto, vt verbo dicam, incomprehensè. Hinc *neque ſermo eſt*, quo ſcilicet homines loquuntur, *neque intelligentia*, quali vtuntur Angeli; *neque dicitur, vel intelligitur*, quippe innominabilis & inintelligibilis, vt ſæpè dictũ eſt. Pulchrè Syneſius Hymno 4. de Deo trino & vno, Deum Patrem inuocans, ait: Πάτερ ἀγνωστε νόῳ, ἀῤῥητε λόγῳ. & Arnobius lib. I. De quo, inquit, nihil dici & exprimi mortalium potis eſt ſignificatione verborum, qui vt intelligaris, tacendum eſt; atque vt per vmbram te poſſit errans inueſtigare ſuſpicio, nihil eſt omnino metuendum. Non eſt mirum, ſi ignoraris; maioris admirationis eſt, ſi ſciaris. Quin & argutè Auguſtinus libro I. de Doctrinâ Chriſtianâ cap. 5. & 6. Diximúſne, inquit, aliquid & ſonuimus aliquid dignum Deo? Imò verò me nihil aliud quàm dicere voluiſſe ſentio. Si autem dixi, non eſt hoc quod dicere volui. Hoc vnde ſcio, niſi quia Deus ineffabilis eſt? Quod autem à me dictum eſt, ſi ineffabile eſſet; at per hoc ne ineffabilis quidem dicendus eſt Deus, quia & hoc cùm dicitur, aliquid dicitur; & fit neſcio quæ pugna verborum: quoniam ſi illud eſt ineffabile quod dici non poteſt, non eſt ineffabile quod vel ineffabile dici poteſt: quæ pugna verborum ſilentio cauenda potiùs, quàm voce paranda eſt.

Deus ineffabilis & inintelligibilis.

Neque numerus eſt.] Quia per ſe vnitas, & ſolus vera vnitas, à quâ omnis numerus, cùm ſit ſupra numerum. *Neque ordo*, cùm hic ſit inter diuerſa, Deus autem perfectiſſimè vnus & idem Deus, ita vt nec in perſonis diuinis ſit vllus ordo dignitatis, ſed tantùm originis & proceſſionis. *Neque magnitudo, neque paruitas, neque æqualitas, neque ſimilitudo, neque ſtat, neque mouetur, neque quieſcit.* De hiſce ſingulis conſule caput IX. de Diuinibus nominibus, & ibidem noſtras Annotationes. *Neque habet potentiam, neque eſt potentia.* Vide de his quæ dicta ſunt cap. VIII. & X. de Diuinis nominibus. *Neque lumen, neque vita eſt.* Vide ibidem cap. VI. *Neque ſubſtantia eſt.* Vide ibidem cap. V. *Neque ſæculum, neque tempus.* Vide ibidem cap. X. *Neque eſt eius tactio intellectilis, neque ſcientia, neque veritas eſt.* Vide ibidẽ c. VII. *Neque regnum.* Vide ibidem cap. XII. *Neque ſapientia.* Vide ibidem cap. VI. *Nec vnum, nec vnitas.* Vide ibidem cap. XIII.

ANNOTATIONES CORDERII.

Neque diuinitas, neque bonitas.] De his vide de Diuinis nom. cap. XII. & IV.

Quomodo nos non verè Deum vt in ſe eſt cognoſcamus.

Nota, inquit S. Maximus, quòd neque diuinitas ſubſtantia eſt Dei [ſcilicet prout à nobis concipitur] ſicut nec vnum aliquid eorum quæ dicta ſunt, neque contrariorũ eis; quare nihil ipſorum eſt. Non enim ſunt hæc ſubſtantia, ſed gloria circa eum. Non dixit gloria in eo, quæ eſt increata, id eſt ipſa eſſentia, ſed circa eum ſunt, quæ ab eo creata ſunt, ex quibus à nobis glorificatur & laudatur. Sic & Gregorius Theologus ſer. 3. Theologiæ ſuæ dixit, quòd neque diuinitas, nec ingenitum, neque paternitas ſubſtantiam Dei ſignificent, ſcilicet vt nos diuinitatem cognoſcimus. Cognoſcimus enim diuinitatem creatam in iis, qui per participationem Dij dicuntur, ſiue Angeli ſiue homines ſint. Huiuſmodi autem diuinitas creata nec eſt, neque ſignificat diuinitatem Dei, quæ eſſentia ſiue ſubſtantia eius eſt; ſed potiùs diuinitas, bonitas, ſapientia, & cetera, vt nos cognoſcimus iſta, gloria ſunt circa Deum, quâ ab his quæ ab eo creata ſunt, glorificatur & celebratur.

Obſerua prætereà, quòd *neque ſpiritus eſt, vt nos ſpiritum cognoſcimus; neque filiatio eſt, neque paternitas*, ſcilicet vt nos Patrem & Filium cognoſcimus. Illud enim, *vt nos cognoſcimus*, in omni negatione ſuperiorum accipe. Declarat autem, quod dici ſolet ſecundùm noſtram cognitionem.

Neque (inquit Cypariſſiotus) te moueat hoc caput, vt putes hunc diuinũ Auctorem aliquid blaſphemè dicere. Propoſitum enim eſt ei demonſtrare, Deum nihil eorũ eſſe quę ſunt, ſed eſſe ſupra omnia. Etenim ſi ipſe omnia produxit, quomodo poteſt eſſe aliquid eorum quæ ſunt? Dixit autem, quòd nec ea quæ ſunt, cognnſcāt Deum cauſam omniũ: at non cognoſcere Deum, interitus planè eſt. Verùm ſtatim id expoſuit, quod dixerat, cùm ſubiunxit: *Quatenus ipſe eſt*; quod perinde eſt ac ſi dicatur: Nihil ex iis quæ ſunt, cognoſcit Deũ, adæquatè ſeu comprehenſiuè. *dictum enim eſt, Nemo nouit Filium niſi Pater, neq; Patrem quis nouit niſi Filius.* Matth. II.

Rurſum ſubiungit Magnus Dionyſius, & ait: Nemo cognoſcit Filium *quatenus eſt*, nec ipſe Deus *cognoſcit ea quæ ſunt quatenus ſunt*, id eſt (vt explicat Cypariſſiotus) non nouit intendere mentem ſecundùm ſenſum, ad ea quæ ſenſilia ſunt; nec ad ſubſtantias quatenus ſubſtātię ſunt. Hoc enim non conuenit Deo, qui non cognoſcit alia quatenus ſunt in ſeipſis, ſed in ſe ipſo, id eſt in ſuâ eſſentiâ, in quâ omnes

Quomodo Deus ſe & alia cognoſcat.

ANNOTATIONES CORDERII.

nes species rerum sunt comprehensæ, & multò excellentiùs in eo quàm in se ipsis sunt. Nos enim qui homines sumus, ea quæ sensu percipiuntur, aut aspectu, aut gustu, aut tactu, intelligimus quid sint: ea verò quæ sub intelligentiam cadunt, aut per disciplinam, cùm ex magistro discimus; aut per doctrinam, cùm nostro studio & industriâ sine magistro docemur; aut per illuminationem, cùm Deus reuelat, cognoscimus, Deus autem nullo modo ex istis nouit ea quæ sunt, sed potiùs ex seipso cognitionem omnium habet. Hoc enim insinuat Scriptura cùm ait: *Qui nouit omnia antequam fierent.* Quod quidem declarat, non secundùm rationem productionis eorum nouisse ea Deum, secundùm sensum aut intelligentiam; sed potiùs supra omnem sensum & intelligentiam, in se tantùm intuens.

Dan.13.

Item Gregorius Theologus loco suprà citato, Quæ sunt, inquit, id est creaturæ, non possunt supra naturā suam ferri intelligendo. Consentaneè igitur, cùm in se intuentur, diuinam naturā ignorant secūdùm illud quod ipsa est. Sic igitur diuina natura in se ipsam intuens, non nouit in se esse creaturas secundùm rationem substantiæ eorum, quia ipsa diuina essentia est propria ratio substantiæ cuiusque creaturæ in infinitum perfectior, quàm propria ratio substantiæ in ipsâ creaturâ. Hoc enim significauit cùm dixit: *Quatenus sunt:* siquidem est supra omnia quæ sunt, & ipsum esse supra substantiam habet: aliter enim nemo dicet ignorare Deum creaturas suas.

Deus infinitè distat ab omnibus iis, quæ de ipso concipere possumus.

Ex quibus fit manifestum, quòd vnitas supra substantiam ab omnibus abstracta est, & supra omnia est. Immensis enim mensuris, & quæ conferri non possunt, causæ, supra effectus locantur & eximuntur, & ab eis absunt, vt sæpè dictum est. Quomodo enim creaturæ & facta, & quæcumque vocabulo entium significantur, conferri possunt cum naturâ quæ vltra omnia est? Vnde conuenienter sibi causa omnium, non est vnum eorum quæ sunt, non dico quæcumque aliquis numerauerit, sed si quis cogitatione fingeret, & ad illa quæ vltra sæcula sunt, refugeret, opiniones essent rationis apud nos inaniter quidem ad illa, quæ vltra omnia sunt, proficiscentis; tantum verò à re distantis, quantum simulacrum à veritate, & domus ab eo qui eam fabricauit, & vmbræ ab iis quæ sunt & per se existunt. Non enim fieri potest, vt quæ finita sunt, pertranseant quod infinitum est; quamuis mens multas infinitates reperiat, & secum reputet, nihilominùs ab infinitate verâ excidit, & tamquam cum vmbrâ pugnare conuincitur, attrectans; sicut qui tenebris crassissimis inuoluti sunt, & in iis ruunt. Ob hanc causam Theologiam secundùm negationem in multis valentiorem esse Theologiâ affirmant, ede mōstratum est; non quidem quòd Theologia ex negantibus magis Deum assequatur & attingat (ex æquo enim vtraque aberrat à coniecturâ de Deo) sed quòd Theologia negans plus profiteatur nescire, & hoc ipso verior sit. Hanc enim solam, inquit sanctus Maximus, habet Deus veram cognitionem, non cognosci. Ex his patet, Deum esse supra omnem affirmationem & negationem; & nos solùm ignorando perfectè, & non videndo cognoscere eum, & de eo philosophari.

Mystica Theologiæ præstantia.

Ex omnibus igitur, quæ hactenus dicta sunt, constat, Theologiam Mysticam ad ignorationem Dei, qui perfectè hîc in via neque cognosci neque videri potest, pertinere; atque adeò non tam esse partem Theologiæ, quàm supra Theologiam, quippe quæ supra mentem & sermonem ac rationem perficiatur. Hanc ergo cognitionem supra mentem vocant omnes illi præclari ac diuini viri, qui, vt mihi videtur, ex eo quòd illam experti sunt, nomen ei indiderunt. Coniunctio enim cum Deo supra mentem, est ingredi per ignorantiam perfectam in illud infinitum, & quod comprehendi non potest, & in pelagus immensum naturæ eius, vbi omnis natura defatigata sistit se, & vlteriùs progredi non audet, quod à diuino quodam odore, & quadam à corpore & à creaturis auocatione, in laudabilem & beatum statum, non solùm admirabiliùs quàm dici possit, sed quàm intelligi, aliquando restituit: coniunctio ergo hæc cum Deo supra mentem, & huiusmodi diuina ecstasis, cùm sit supra speciem Theologiæ, à S. Dionysio rectè *Mystica* seu arcana *Theologia* nominatur. Dionysius Carthusianus, qui doctissimos simul & piissimos in S. Dionysium edidit Commentarios, epilogi loco pulchram mouet quæstionem, quæ digna visa fuit vt hîc ex eodem ad totius Operis complementum adiiceretur, cùm iis quæ hactenus explicata sunt, illustrationem aliquam adferre posse videatur.

QVÆSTIO MYSTICA.

An mens humana in visione ac contemplatione Mysticæ Theologiæ videat seu intelligat verè & obiectiuè ipsummet Deum. Quòd si ita, an videat ipsum intuitiuè, an abstractiuè: atque insuper, an habeat de Deo conceptum distinctum ac proprium, vel quidditatiuum, an solùm confusum ac generalem.

QVOD in contemplatione tam Theologiæ affirmatiuæ, seu propriè dictæ (de quâ tractat S. Dionysius lib. de Diuinis nominibus) quàm Theologiæ negatiuæ seu mysticæ (de quâ iam in hoc libro de Mysticâ Theologiâ actum est) Deus verè & obiectiuè intelligatur, hoc modo videtur probari posse.

Argumenta partis affirmatiuæ. Primùm, quia in omni intellectione actuali, reali, & verâ, est aliquod verum & reale obiectum: sed vtraque ista Dei cognitio est vera, realis, & actualis intellectio Dei; ergo habet verum & reale obiectum circa quod versatur, & cui infigitur ac intendit; alioquin esset apprehensio vana, phantastica, & friuola. Hoc ergo obiectum reale vel est ens creatum, aut increatum. Si sit increatum, habet propositum; sin creatum, omnes illæ cognitiones seu contemplationes sunt falsæ, cùm nullum ens creatum propriè dicatur, prædicetur aut verificetur de superbeatissimo infinitæ excellentiæ Deo.

Præterea, cùm v. g. dico, Deus est ens omnifariè perfectum, seu perfectionaliter infinitum, Deus est actus purus, Deus est vniuersorum creator; istæ & consimiles propositiones sunt veræ atque Catholicæ, ac propriè dictæ; non metaphoricæ, aut symbolicæ, seu translatiuæ. In omnibus autem his apprehendo æternum & increatum obiectum de quo solo verificantur, & illud aliquo modo intelligo & agnosco; ergo & illud intueor, cùm istud intelligere sit mentaliter intueri. Vnde & distinctum ac proprium de hoc obiecto conceptum apprehendo, formo ac habeo, qui de alio nullo verificatur, & ad Dei essentialia pertinet, in quo nullum est accidens.

Similiter in propositionibus Mysticæ Theologiæ, cùm dico, Deus non est ens, nec esse, nec essentia, nec viuens, nec vita; item, Deus non est vnus nec vnitas, nec trinus nec trinitas, nec sapiens nec sapientia, nec virtus neque omnipotens, nec verus nec veritas, &c. in huiusmodi propositionibus negatiuis relinquitur ac supponitur seu præsupponitur positio & affirmatio aliqua, sensusque positiuus, vtputa, supergloriosissimus & superessentialissimus Deus est ens & esse atque essentia, & Deus ac Deitas, vnus & vnitas, trinus & trinitas, viuens & vita, sapiens ac sapientia, scilicet infinitè sublimiùs, perfectiùs ac gloriosiùs quàm capere valemus: ita vt nihil horum intelligamus, concipiamus, aut intueamur, secundùm naturam & modum quo in Deo sunt, & ei conueniunt, & sunt quod ipse est: quia nihil horum intelligimus quidditatiuè seu vt *quid est*, aut à priori, aut in seipso, sed tantùm ex suis effectibus, & in illis, & quantum ad *quia est*, puta à posteriori. Attamen ipsum ens increatum est obiectum apprehensionum & contemplationum istiusmodi. *ANNOTATIONES CORDERII.*

In contrarium verò huius arguitur, Primum, Si in præfatis cognitionibus Deus sit immediatum proximumque obiectum, immediatè inspiciemus ac cognoscemus eum quidditatiuè, & intuebimur essentiam eius vt in seipsâ est, quod fieri non posse, expresè docet S. Dionysius in Epistolâ ad Caium, dicens: *Si quis videns Deum, intellexit id quod vidit, non ipsum vidit, sed aliquid eorum quæ sunt circa ipsum, id est aliquid diuinorum effectuum.* quod ipsum etiam in hoc libro Mysticæ Theologiæ affirmat. Sed & Ioannes Damascenus libro primo, cap. 4. asserit: *Quæcumque dicimus de Deo affirmatiuè, non naturam eius, sed ea quæ sunt circa naturam eius, ostendunt.* Et iterùm, *Oportet*, inquit, *quodlibet eorum quæ de Deo dicuntur, non quid ipse est secundùm substantiam significare, sed quid non est, ostendere; aut habitudinem quamdam, aut aliquid eorum à quibus separatur & distinguitur, aut aliquid eorum quæ consequuntur naturam aut operationem.* *Argumēta partis negatiuæ.* *Ioan. Damasc. lib. 1 c. 4. Fidei Orthod.*

Præterea (vt in superioribus frequenter ostensum est, & nominatim in fine capitis 1. Mysticæ Theologiæ) perfectissima Dei contemplatio, secundùm S. Dionysium, in præsenti est illa, quâ coniungimur ei tamquam prorsus incognito: non ergo ipsum obiectiuè cognoscimus.

Verùm his denuò contrariari videntur quædam verba sanctorum Patrum aliorum, vt S. Gregorij, qui in libro Dialogorum ait: *Animæ videnti Creatorem, angusta est omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce Creatoris aspexerit, breue fit ei omne quod creatum est: quia ipse luce intimæ visionis mentis laxatur sinus, tantumq; ex-* *pan-* *S. Gregorius.*

ANNOTATIONES CORDERII.

panditur in Deo, vt superior existat mundo. S.Hieronymus item in Regulâ suâ fatetur, se sæpiùs per hebdomadas raptum fuisse, increatamque lucem, id est ipsam superbeatissimam Trinitatem, conspexisse. Et multi Sanctorum multoties in hac vitâ rapti fuerunt in diuitias gloriæ Dei, & in abyssum lucis immensæ absorpti. Vnde & gloriosus Pater Bernardus in Epistolâ ad Fratres de Monte Dei, iuxta sublimem suam experientiam scripsit: *Quidquid in viâ hac de visione & cognitione Dei fidelibus impartitur, speculum est & ænigma, tantum distans à visione futurâ & cognitione, quantum à veritate distat fides, vmbra à luce, tempus ab æternitate; nisi dum aliquando fit quod de Deo in libro Iob legitur: Qui abscondit lucem in manibus, & præcipit ei vt rursus oriatur, & annuntiat de eâ dilecto, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere. Electo etenim & dilecto Dei, aliquando lumen quoddam vultus Dei ostenditur, sicut lumen clausum in manibus, quod patet & latet ad tenentis arbitrium, vt per hoc quod quasi in transcursu seu puncto videre permittitur, inardescat animus ad possessionem æterni luminis plenam, hereditatemq; gloriosam beatificæ visionis. Cui vt aliquatenus innotescat id quod ei deest, nonnumquam quasi pertransiens gratia perstringit sensum amantis, & eripit eum sibi, & rapit in diem qui est sine tumultu ad gaudia silentij, & pro modulo suo ad momentum, ad punctum id ipsum ostendens ei videndum sicuti est. Interim etiam efficit ipsum in idipsum, vt sit & ipse pro modulo sicut illud est.*

S.Hieron. *Sancti multi à Deo rapti.* S.Bernar. *Qualem Sancti de Deo accipiant cognitionem.* Iob 36.

Ampliùs hanc difficultatem tangit Ioannes de Gerson in Tractatu suo de Mysticâ Theologiâ, *Si diuinum*, inquiens, *Dionysium, edoctum à conscio secretorum cælestium Paulo, placet inspicere, vbi de Mysticâ disseruit Theologiâ cum expositoribus suis, inuenimus eum tenere modum auertendi se à phantasmatibus corporeis, vt abnegatis omnibus, quæ vel sentiri possunt vel imaginari, siue intelligi, ferat se spiritus per amorem in diuinam caliginem, vbi ineffabiliter & supermentaliter Deus cognoscitur. Dat exemplum de statuæfico sculptore, qui ex ligno aut lapide abradens format agalma pulcherrimum, hoc est simulacrum, per solam ablationem. Conformiter spiritus remouens omnia per abnegationem quæ hîc potest cognoscere, quæ suam vtique secum gerunt imperfectionem, vel potentialitatis, vel dependentiæ, vel priuationis, vel mutabilitatis, inuenit omnibus his ablatis tandem pulcherrimum Dei agalma, id est notitiam rei actualissimæ sine potentialitate, supremæ sine dependentiâ, perfectæ & puræ sine priuatione, necessariæ sine mutatione.*

Ioan. Gers. *Qualis sit cognitio Dei per abnegationem.*

Ceterùm an notitia illa sit solùm experimentalis in affectu supremo Deitati per amorem vnito, an verò possit dici etiam intellectualis, non quidem intuitiua, sed abstractiua, & non solùm connotatiua, sed absoluta, consideratione & inquisitione dignissimum.

An & qualis de Deo haberi possit cognitio abstractiua absoluta per conceptum proprium.

Habet vtraque pars suos eleuatissimos defensores. Sunt enim, qui exponentes S.Dionysium, primum tenent: sunt item alij, qui vltra prædictam experimentalem seu experimentatiuam de Deo notitiam, dicant etiam haberi posse intellectiuam per conceptum proprium absolutum esse diuini, quamuis non intuitiuum, si imperfectio ab ipso remoueatur & abstrahatur. Idem de vitâ, de bonitate, de sapientiâ, de potentiâ, & consimilibus prædicatis perfectionalibus dicunt.

Ad secundam hanc partem flecti videtur S.Augustinus pluribus locis, præsertim in lib. de Trinitate, docens hoc modo nos ferri in bonum absolutum. Sanctus quoque Bonauentura in suo Itinerario cap. 6. idem insinuat. Vnde videtur, quòd abstracto ab ipso esse, omni potentialite, dependentiâ, priuatione, & aliâ omni imperfectione ac finitate, resultet conceptus Dei absolutus ac proprius.

S.August. S.Bonau.

Aduertendum autem, quòd (vti idem ait in scripto Quarti) abstractio ista possit tot modis contingere, quot modis inuenitur dissimilitudo. Primò enim contingit dissimilitudo, dum forma participatur secundùm eamdem rationem speciei, sed non secundùm eumdem modum seu gradum perfectionis, vt in duobus quorum vnus est albior alio. Secundò, dum forma participatur secundùm eamdem generis rationem, non speciei, vt inter duos coloratos, quorum vnus sit albus, alius niger. Tertiò adhuc minor est similitudo, dum aliqua non conueniunt in genere, sed in analogiâ, vt est similitudo coloris ad hominem, in hoc quòd vtrumque sit ens, sicque deficiens est omnis similitudo creaturæ ad Deum.

Quot modis contingat dissimilitudo.

Insuper quidam (vt Rabbi Moses & Auicenna) dixerunt, quòd perfectiones creaturarum non conueniant Deo nisi dupliciter, vt puta negatiuè & causaliter. Ac negatiuè quidem Primò, ad remouendam priuationem seu defectum oppositum, vt cùm dicimus Deum sapientem, ad innuendum quòd in eo non sit insipientiæ malum. Secundò, prout ex negatione relinquitur seu consequitur aliquid; vt ex hoc quòd quis dicitur immaterialis, relinquitur quòd

Rabbi Moses. Auicenna. *Quomodo perfectiones creaturarũ conueniant Deo negatiuè.*

quòd sit intelligens; atque ita, secundùm istos, huiusmodi nomina Deo attribuuntur magis ad remouendum, quàm ad ponendum quidquam in eo. Causaliter verò seu per modum causalitatis conueniunt Deo, Primò secundùm quod causat perfectiones in creaturis; ita vt dicatur bonus ac sapiens, quia sapientiam ac bonitatem rebus infundit. Secundò, quia ad modum creaturæ se habet, ita vt dicatur volens ac pius, quoniam in causando, instar volentis ac pij se habet. Sicut etiam dicimus eum iratum. Et iuxta istam positionem, omnia quæ dicuntur de Deo & creaturis, dicuntur de iis purè æquiuocè, & nulla similitudo est creaturæ ad creatorem, ex hoc quòd creatura vocetur sapiens, iusta, pia, &c. quod etiam expresè asserit Auicenna.

& quomodo causaliter.

At his obiicitur, quòd simili modo Deus posset dici lapis & lignum, quia est causa horum; nec sic ex cognitione creaturarum duceremur in veram Dei cognitionem; nec verum videretur id quod Dominus dixit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quod itẽ in Ezechiele habetur: *Tu Cherub signaculum similitudinis Dei.* Omnis quoque effectus dicitur participata suæ causæ similitudo.

Genes. 1.
Ezech. 28.

Verumtamen huic opinioni concordare videtur, quod super Mysticam Theologiam scribit Albertus, dicens: *Deus non habet aliquod commune quod sit in ipso & creaturis, neque vt species, neque vt genus, neque vt analogiæ principium; sed est ibi tantùm imitationis communitas, quâ creata imitantur creatorem vt queunt; & hæc non est vera communitas. Propter quod etiam non est aliqua apud nos prædicatio vera de Deo.* Quæ verba ineptè sonare videntur, nisi forsitan sumat prædicationem veram, pro prædicatione propriè dictâ.

Albertus.

Est etiam alia Positio, quatenus perfectiones creaturarum sunt in Deo præeminenter, idque quoad tria. Primò, quantum ad vniuersalitatem, quia in Deo sunt omnes perfectiones adunatæ. Secundò, quantum ad plenitudinem, quia in Deo sunt cum infinitâ perfectione. Tertiò, quoad simplicitatem & vnitatem; quæ enim in creaturis sunt diuersa ac multa, in Deo sunt vnum. Hæc est doctrina sanctorum Dionysij & Anselmi, ac plurium aliorum, quos Doctores præcipui, S. Thomas, Alexander, S. Bonauentura, Richardus, Petrus, Ægidius, & alij multi sequuntur, & rationabilior quoque videtur. Verumtamen Scotus, in scripto suo super Primum Sententiarum, tenet, quòd conceptus entis sit vniuocus & communis Deo & creaturis, atque ita ens vniuocè prædicetur de eis; negat tamen, Deum esse in aliquo prædicamento. Aliqui verò dicunt, quòd in prædicamento existat; vt Franciscus de Maronis, & qui Nominatistæ dicuntur. Denique Guilielmus Parisiensis in Diuinali suo de Trinitate, & Antisiodorensis in Summâ suâ, Henricus etiam de Gandauo in Summâ suâ, & in Quodlibeticis, tuentur, Deum in prædicamento non esse, nec aliquid de ipso & creaturis dici vniuocè, sed analogicè tantùm. Quæ positio non solùm est verior, sed etiam congruentior infinitæ superincomparabili & superessentiali Maiestati diuinæ, ac conformior beatissimi Dionysij documentis, qui Deum in libris suis tam frequenter supersubstantialem, superessentialem, supermagnum, supersapientem, & prorsus ineffabilem, incognoscibilem, indefinibilem, illimitabilem nominat. Si autem esset in prædicamento, haberet genus & differentiam, ex quibus posset cognosci, describi seu definiri ac notificari.

Quomodo perfectiones creaturarũ Deo conueniant præeminenter.

S. Anselmus.

Scotus tenet dari conceptum entis vniuocum respectu Dei & creatura.

ANNOTATIONES CORDERII. Franciscus Maronis. Guil. Parisiensis. Antisiodorensis. Henricus à Gandauo.

Nil Deo & creaturis vniuocè conuenire.

Vis rationum D. Thomæ in hoc fundatur, quòd nimirum cognitio fiat per formam seu speciem & similitudinem cogniti, idque dupliciter. Primò, per propriam formam seu speciem, iuxta illud Philosophi: Lapis non est in anima, sed species eius. Secundò, per formam alterius similis sibi, vt causa per similitudinem effectus sui, & homo per formam suæ imaginis. Porrò, per propriam formam aliquid dupliciter videtur: Primò, per formam quæ est ipsamet res, quemadmodum Deus cognoscit se per suam essentiam, similiter Angelus per propriam essentiam cognoscit seipsum. Secundò, per formam quæ est à re ipsâ, siue sit abstracta à re ipsâ, vt quando forma seu intelligibilis species est immaterialior quàm ipsa res, vt species lapidis abstracta à lapide; siue sit impressa intelligenti ab intellecto, vt dum res intellecta simplicior est quàm species eius, sicut secundùm Auicennam, intellectus humanus cognoscit substantias separatas per impressionem earum in ipsum.

Cognitio cogniti fit per formam bifariàm.

Cùm itaque Deum in hac vitâ non cognoscamus nisi per suos effectus, qui à plenâ repræsentatione diuinæ essentiæ deficiunt infinitè, neque adæquant potentiam creatoris (imò ab adæquatione ac perfectâ repræsentatione omnipotentiæ eius distant atq; desciscunt penitus in immensum) non possumus Deum in viâ cognoscere clarè in se & immediatè, seu quantum ad *quid est*, sed solùm à posteriori, & *quia est*. Verumtamen in hac cognitione Dei *quia est*, est etiam gradus & ordo, ita vt vnus sic cognoscentium Deum, cogno-

Non potest Deus in hac vitâ cognosci quidditatiuè.

ANNOTATIONES CORDERII.

cognoſcat eum multò perfectiùs & clariùs quàm alius: cauſa namque ex ſuo effectu tantò perfectiùs cognoſcitur, quantò per effectum pleniùs apprehenditur habitudo cauſæ ad ſuum effectum. Porrò hæc habitudo in effectu non pertingente ad adæquationem cauſæ ſuæ, attenditur penes tria; videlicet quoad progreſſum effectus à cauſâ, & ſecundùm hoc quòd effectus conſequitur plus de ſimilitudine ſuæ cauſæ, atque ſecundùm id quòd deficit à perfectâ eius conſecutione. Atque ita mens humana tripliciter proficit in cognitione Dei ex effectibus eius. Primò, ſecundùm quod perfectiùs cognoſcitur efficacia Dei ad producendum. Secundò, prout nobiliorũ effectuum noſcitur eſſe cauſa; (Cùm enim cauſata aliquam Dei ſimilitudinem gerant, eminentiora, quę illi ſimiliora ſunt, excellentiam eius magis commendant.) Tertiò, prout cognoſcitur magis elongatus ac eminens à cunctis creatis, & ab omnibus quæ reſplendent & ſunt in illis. Vnde in Diuinis nominibus S. Dionyſius ait, cognoſci Deum ex omnium cauſalitate, & exceſſu, & remotione. In hoc demum cognitionis profectu maximè iuuatur mẽs humana, dum naturale lumen ipſius confortatur ſupernaturali lumine fidei, ac doni ſapientiæ, & intellectus, ac nouâ illuſtratione supernâ, quæ per mentis puritatem, & probam conuerſationem acquiruntur; per quæ omnia mens in contemplatione ſupra ſe eleuatur, in quantum cognoſcit Deum eſſe ſupra omne quod apprehendit. Verumtamen quia ad eius eſſentiam videndam pertingere nequit, dicitur in ſeipsâ quaſi reflecti ab illius lumine ſuperexcellenti, iuxta illud Geneſeos: *Vidi Deum facie ad faciem.* Quocircà ſcribit S. Gregorius: *Viſus animæ dum in Deum intenditur, immenſitatis illius coruſcatione reuerberatur.*

Mens hominis in cognitione Dei ex effectibus tripliciter perficitur.

Geneſ. 32, 30.

S. Greg.

Ex his certum cenſetur, quòd in cognitione Dei per propriam ſpeciem atque eſſentiam, ipſe ſuperpræſtantiſſimus Deus à Beatis clarè & obiectiuè, quidditatiuè & intuitiuè cognóſcatur; non tamen ſimpliciter comprehenſiuè, id eſt non tam clarè ac plenè, ſicut ex naturâ ſuâ cognoſcibilis eſt. Etenim ſicut infinitæ eſt actualitatis, entitatis ac perfectionis, ita & infinitæ cognoſcibilitatis: ſicque ſibi ſoli comprehenſibilis & cognitus eſt, à quâ comprehenſione omnes Beati infinitè deficiunt; attamen plenariè contentantur & quietantur, quoniam vident illum ſicuti eſt, & tota illorum naturalis capacitas impleta eſt, & ſuperimpleta. Hinc & comprehenſores vocantur.

Deus à Beatis clarè & quidditatiuè, ſed nõ comprehenſiuè cognoſcitur.

1. Ioan. 3, 2

At verò in contemplatione Dei in præſenti vitâ, per affirmatiua de ipſo propriè non metaphoricè dicta (de quibus in libro de Diuinis nominibus agitur) cognoſcitur Deus modo prætacto, *quia eſt:* attamen obiectiuè & immediatè, ita vt non ſit medium *per quod* in ratione obiecti, ſit tamen medium *per quod* in ratione ſpeciei intelligibilis; quia per formas ſimilitudineſque creatas, & non clarè in ſeipſo cognoſcitur, ita vt ipſius eſſentia ſit *quod* & *quo*, id eſt obiectum & ſpecies per quam.

Quomodo Deus in hac vita per affirmatiua cognoſcatur.

In contẽplatione autem ſeu viſione Myſticæ Theologiæ, quâ Deus per omnium ablationem & abnegationem cognoſcitur, clariùs & ſublimiùs noſcitur & videtur, quàm in cõtemplatione prædictâ per affirmationes, ideò & obiectiuè, nõ tamen *quid eſt*, ſed *quia eſt*, attamen per appropinquationem grandem ad notitiam quidditatis. Ceterùm in hac contemplatione dicitur apex mentis & intelligentiæ vertex Deo vniri tamquam omnino ignoto, & in omnimodâ caligine verſari, nihilque penitus de illo cognoſcere, non quòd ab illius inſpectione omnimodè vacet (præſertim cùm iſta ſit altiſſima, clariſſima, perfectiſſima ac profundiſſima Deitatis contemplatio, cognitio, & viſio huic vitæ poſſibilis, vt ipſemet Magnus Dionyſius, & expoſitores ipſius teſtantur) ſed quia in hac contemplatiuâ, & ſapientioſiſſimâ ac feruentiſſimâ vnione cum Deo, mens acutiſſimè & limpidiſſimè conſpicit, quàm ſuperincomprehenſibilis, & ſuperſplendidiſſimus, & ſuperluminoſiſſimus, & ſuperpulcherrimus, & ſuperamabiliſſimus, & ſupergaudioſiſſimus ſit ipſe Dominus Deus omnipotens, & immenſus, atque quàm infinitè & indicibiliter à plena illius cognitione, & beatificâ eius fruitione ac viſione faciali, immediatè ac clarè intuitiuâ diſtet, deficiat, & occumbat. Ideò præ admiratione & amore deficit & defluit à ſeipsâ, gaudioſè quoque ac dulciter abſorbetur, obdormit, & quieſcit in ſuperdilectiſſimo Deo, creatore, ſaluatore ac miſeratore, imò & ſupergratioſiſſimo ſuo ſponſo, totius beatitudinis ſuæ ſuperpiiſſimo fonte, omnipotentiſſimâ & liberaliſſimâ causâ.

Quomodo Deus per negatiua cognoſcatur.

Quomodo apex mẽtis Deo vniatur.

Nec refert, S. Thomam in huiusquæſtionis determinatione, ſicut & alibi ſæpè, affirmare, intellectum noſtrum intelligere non poſſe niſi ſpeculando phantaſmata. (*Intellectus*, enim inquit, *noſter ſecundùm ſtatum viæ habet habitudinem determinatam ad phantaſmata, quoniam comparatur ad ea ſicut viſus ad colores: phantaſmata autem ab exterioribus formis abſtrahuntur, idcircò non poteſt Deum in hoc ſtatu per eſſentiam*

S. Thomas ſuper Boëtium Propoſit. 45.

tiam ipsius cognoscere, nec per aliquam speciem spiritalẽ quæ sit Dei similitudo, propter ipsius intellectus connaturalitatem ad phantasmata.) Nam idem sanctus Doctor alibi congruentiùs affirmat, ac benè probat in Summâ contra Gentiles, animam rationalem adhuc manentem in corpore, quantum ad vires suas inorganicas, immateriales, intellectiuas, supremas, super corpus esse eleuatam, & per se subsistere, nec quoad totum suum esse comprehensam à corpore. Nec enim potentiæ eius sunt nobiliores aut eleuatiores quàm sua essentia (vt Proclus insolubiliter probat;) ergo vires illæ superiores iam actuatæ scientiâ competenti & intelligibili formâ, agere queunt ex suâ naturâ sine communione & conuersione ad corporale phantasma, & absque adminiculo virium sensitiuarum, cùm modus agendi sequatur modum essendi, & proprietas actionis naturam agentis.

Quomodo & qualia possit anima intelligere sine actuali reflexione ad phantasmata.

Proclus.

Præterea, si istud negetur, non poterit naturali ratione ostendi immortalitas animæ (cuius oppositum S. Thomas sæpiùs scripsit.) Nam & Philosophus libro de Animâ dicit: Si anima rationalis in hac vitâ non habet aliquam operationem liberam, propriam ac separatam à corpore, non potest extra corpus subsistere: si autem habet actionem huiusmodi, potest à corpore separari. Quòd si dixeris, quòd separata habeat alium modum essendi, ergo & operandi; iam præsupponis quod restat probandum. Adde quòd in ipsâ scientiâ rei, & intelligibili specie eius, sufficienter reluceat natura obiecti; etiam puriùs & illimitatiùs quàm si species illa ad phantasmata retorqueatur; ergo per speciem illam puriùs cernit. quod & experimento docetur in his qui interdum omnino abstrahuntur à corpore.

Aristoteles.

Neque his obstat quòd S. Dionysius cap. 1. Cælestis Hierarchiæ dicat, fieri non posse vt aliter diuino-principalis ille radius nobis illucescat, nisi sacrorum varietate operimentorũ anagogicè obuelatus, nobis quoque paternâ prouidentiâ connaturaliter ac propriè sit accommodatus: quia hoc intelligendum est quantũ ad primam intellectus informationem, iuxta quod Philosophus ait: Intelligentem oportet phantasmata speculari. Sed hæc locum minimè habent in Mysticâ contemplatione, ad quam Cap. 1. huius Libri Timotheum instituens ait: *Tu verò, ô chare Timothee, circa mystica spectacula intensâ exercitatione, & sensus relinque, & intellectuales operationes, & sensibilia & intelligibilia omnia, & ea quæ sunt, & quæ non sunt omnia, vt ad vnionem eius qui supra omnem essentiam & notionem est, quantum fas est, indemonstrabiliter assurgas. Nam tuiipsius & rerũ omnium libero & absoluto excessu, ad supernaturalem diuinæ caliginis radium, ab omnibus abstractus & absolutus, purè eueheris.* Quo quid clariùs, quid sententiosiùs à sancto Doctore dici potuit? Certè qui phantasmata speculatur, haudquaquam purè ac penitus omnem sensum & sensibilia vniuersa deserit aut trãsscendit. Attamen in mysticâ illâ contemplatione minimè sufficit sensilia relinquere, nisi & intelligibilia omnia deserantur, & res omnes creatæ, operationesque propriæ, & ipse qui contemplatur, ne semetipsum quidem intueatur. Quid enim in ista contemplatione cõferre possent phantasmata, quando iam apex ipse mentis, soli increatæ luci intentus, & per theorica lumina, per sapientiæ radium, per impressiones deificas eidem intimè est vnitus?

Ad primã intellectus informationem tantùm naturaliter requiri phantasmata.

Mystica contemplatio trãsscendit phantasmata.

ANNOTATIONES CORDERII.

Rursus eodem capite ait, de bonâ omnium causâ, quòd *ipsa omnibus superessentialiter superemineat, iisq; solis absque velamine vereq; effulgeat, qui & impura omnia, & pura pertranseunt, & omnem omnium sanctorum cacuminum ascensum trãsscendunt, & omnia diuina lumina & sonos, verbaq; cælestia quasi à tergo relinquunt, & in caliginem absorbentur.* Quòd si igitur in hac contemplatione oportet etiam Angelicas purissimas mentes transscendere, quomodo non magis vilia & materialia ista phantasmata?

Præterea, si sine phantasmate nequit mens humana quidquam cognoscere, quomodo vera sunt quæ de anagogicâ ac purè mentali contemplatione & supernâ illustratione Sancti locuti sunt & scripserunt? Cur B. Dauid ceteris præfertur Prophetis, qui imaginarias visiones sortiti sunt, quòd ipse anagogicè & purè immaterialiter sine phantasmatum velamento diuina præuiderit mysteria, & sacra cognouerit arcana? *Incerta*, inquit, & *occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Audi iterùm quid ipse de se dicat. *Spiritus*, inquit, *Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Sicut lux auroræ oriente sole, manè absque nubibus rutilat, & sicut pluuiis germinat herba de terrâ.*

Dauid & alij Sancti, sine phantasmatis diuina contemplati sunt.

Psal. 50.

2. Reg. 23, 2.

Quòd si dixerint, mentem humanam non illuminari immediatè à mente Angelicâ luce immateriali, sed lucem illam vniri phantasmati, & prout in illo relucet, à mente humanâ conspici. At contrà, nónne mens humana simplex, immaterialis

ANNOTATIONES CORDERII.

rialis ac deiformis, capacior est directæ & immediatæ lucis Angelicæ, quàm materiale phantasma?

Ad illud autem quod superiùs ex sancto Dionysio & Damasceno dictum fuit, nempe illa quæ de Deo & creaturis prædicantur, non ipsum Deum designare, sed aliquid eorum quæ sunt circa ipsum, & quid non est; ita videtur intelligendum, quòd nimirum non significent Deum purè ac plenè prout est in seipso, sed prout in suis relucet effectibus, seu secūdùm quod cognoscitur ex iisdem, non quòd significent quid creatum in recto, quamuis denotent tale quid in obliquo; & quod aptiùs negentur de Deo secūdùm quod nos ea concipere possumus. Attamen magna est differentia nominum diuinorū: & quamuis quædam designent Deum secundùm modum proprium sibi, non tamen talia intelligimus quoad significata, nisi quantum *ad quia*, non *quoad quid*. Ex quibus ritè intellectis, superiora obiecta facilè solui possunt.

Quomodo Deus in hac vita intuitiuè cognosci possit, aut non possit.

Denique si cognitio intuitiua dicatur, quâ res in seipsâ, & quoad suam quidditatem cognoscitur, mentaliterque videtur, dicendum est, nos Deum in hoc sæculo non posse intuitiuè cognoscere. Quòd si verò intuitio laxiùs sumatur, pro cognitione qua aliquid quomodocumque obiectiue agnoscitur quoad essentialia sua seu propria sibi, quamuis non clarè ac distinctè secundùm quod in seipso est; posset etiam dici, quòd in vitâ hac cognoscamus Deum etiam intuitiuè, scilicet quoad *quia est*, non autem quoad *quid est*, nisi valdè obscurè & imperfectè. Nihilominùs etiam distinctam aliquo modo de Deo habemus cognitionem, ita vt multa de ipso cognoscamus quæ ei soli conueniunt, v.g. quòd sit esse eius increatum, independens, purum, perfectum, &c. quamuis ignoremus quid hoc sit. Hinc in Commentariis ad librum Boëtij de Trinitate sanctus Thomas fatetur, de nullâ re posse sciri an sit, nisi aliquo modo sciatur de eâ quid sit, aut perfectè, aut confusè, secundùm Philosophū in principio Physicorū.

Præter cognitionem experimentalem dari potest etiam mystica abstractiua, & qualis illa sit.

Ex his quoque apparet dicendum, quòd vltra, & præter notitiam Dei experimentalem affectiuam & mysticam, haberi etiam possit aliqua de Deo notitia intellectualis mystica abstractiua & absoluta, iuxta modum prædictum, abstrahendo ipsum esse ab omni prorsus imperfectione; accipiendoque illud cum omnimodâ excellētiâ, nobilitate & perfectione, ac perfectionali infinitate; quemadmodum etiam Alphorabus & Auempothe dixerunt, quòd intellectus noster cognoscēdo quidditates sensibilium ac materialium substantiarum, abstractissimè cognosceret quidditatem substantiæ separatæ; quorum tamen opinio non fuit omnino vera, quia ex tali sensibilium abstractissima cognitione, non sciretur propria & vltima differentia cuiuscumque separatæ substantiæ, quemadmodū etiam ex prædictâ Deitatis abstractiuâ contemplatione non agnosceretur quidditas esse diuini.

Quomodo Deus innominabilis, &c.

Postremò patere videtur ex dictis, quomodo Deus dicatur innominabilis, ineffabilis, indesignabilis, quia videlicet nullo nomine exprimi potest, quo clarè ac plenè insinuari atque intelligi possit *quid sit*, & qualiter in seipso sit ens, &c. Nihilominùs innumerabilia nomina sunt ipsius, quæ ipsum aliquo modo, imò & variis modis designant, quædam perfectiùs, quædam minùs perfectè. Quòd verò in libro de Causis asseritur, primam causam non narrari nisi per causas secundas, non est intelligendum, quasi nomina secundarum causarum propriè & vniuocè conueniant causæ primæ, sed quòd sicut cognoscitur per causas secundas, omni illarum imperfectione tandem exclusâ, sic nominetur per eas, verumtamen per excellentiam infinitam.

SCHOLIA S. MAXIMI.



VOD NEC EST ANIMA, NEQVE MENS.] Hæc inter se discrepant (vti superiùs declaratum est) imaginatio, opinio, ratio, intelligentia, sicut ea, quæ secundùm mentem considerantur. Subintelligendum autem est, non habere ipsum rationem secundùm nostram rationem, similiter etiam intelligentiam, secundùm eam quæ est in creaturis intelligentibus. Cetera etiam eodem modo accipe. Aliter. Et in his similiter vt nos cognoscimus

Quomodo Deus non habeat rationē, &c.



Σ οὔτε ψυχή ἐστιν, οὔτε νοῦς.] Διαφέρει ταῦτα ἀλλήλων (ὡς ἐν τοῖς ἀνωτέρω δεδήλωται) φαντασία, δόξα, λόγος, νόησις, ἃ κατὰ τὸν νοῦν θεωρεῖται. Προσεπινοητέον δὲ, τὸ κατὰ τὸν ἡμέτερον λόγον μὴ ἔχειν λόγον, ὁμοίως καὶ νόησιν κατὰ τὴν ἐν τοῖς νοεροῖς κτίσμασι. Καὶ τὰ ἑξῆς δὲ οὕτως ἐκδέχεσθαι χρή. Ἄλλως. Καὶ ἐπὶ τούτων ὁμοίως τὸ ὡς ἡμᾶς εἰδέναι θετέον,

τὴν

τῶν μετ' αὐτὴν δὲ δηλαδὴ τὴν θείαν φύσιν, τουτέστι τῶν κτισμάτων τὰς θέσεις ποιεῖσθαί φησιν ἐν τῷ λέγειν, ζωὴν ἢ φῶς, καὶ τὰ ἐν τοῖς γεννητοῖς θεωρούμενα, ἐξ ὧν τὸν ταῦτα ὑποστήσαντα ἐννοοῦμεν, καὶ οὐ τῆς αὐτοῦ φύσεως, διὰ τούτων θέσιν τινὰ εἰσάγομεν, καὶ πάλιν ἀφαίρεσιν ποιοῦμεν, τῷ καὶ μηδὲν τούτων εἶναι λέγειν τὸ Θεῖον.

Οὐδὲ ἕν, οὐδὲ ἑνότης.] Διαφέρουσιν ἀλλήλων ἓν καὶ ἑνότης· τὸ μὲν γὰρ δηλοῖ τὸ ὑποκείμενον, τὸ δὲ τὴν τοιαύτην ποιότητα, ὥσπερ λευκὸν καὶ λευκότης, ἀγαθὸν καὶ ἀγαθότης. Σημείωσαι δὲ, ὅτι οὔτε ἡ θεότης οὐσία ἐστὶ τοῦ Θεοῦ, ὥσπερ οὐδὲ ἕν τι τῶν εἰρημένων, οὐδὲ τῶν ἐναντίων αὐτοῖς· διὸ οὐδὲν αὐτῶν ἐστιν· οὐ γάρ ἐστι ταῦτα οὐσία αὐτοῦ, ἀλλὰ δόξα περὶ αὐτόν. Οὕτω καὶ Σέξτος ὁ Ἐκκλησιαστικὸς φιλόσοφος εἶπε, καὶ ὁ Θεόλογος Γρηγόριος ἐν τῷ τρίτῳ τῶν Θεολογικῶν αὐτοῦ, ὡς οὔτε ἡ θεότης, οὔτε τὸ ἀγέννητον, οὔτε ἡ πατρότης οὐσίαν σημαίνουσι Θεοῦ.

Οὐδὲ θεότης, ἢ ἀγαθότης.] Σημείωσαι δὲ καὶ, ὅτι οὐδὲ πνεῦμά ἐστιν ὡς ἡμᾶς εἰδέναι, οὔτε υἱότης, οὔτε πατρότης, καὶ τὸ, Ὡς ἡμᾶς εἰδέναι, ἐπὶ πάσης τῆς ἐν τοῖς προκειμένοις ἀποφάσεως λάβε. Δηλοῖ δὲ τὸ, κατὰ τὴν ἡμετέραν εἴδησιν.

Οὐδὲ τὰ ὄντα αὐτὴν γινώσκει.] Μή σε ταρασσέτω τὸ κεφάλαιον τοῦτο, καὶ νομίσῃς βλασφημεῖν τὸν θεῖον τοῦτον ἄνδρα· σκοπὸς γὰρ αὐτῷ δεῖξαι, τὸν Θεὸν μηδὲν τῶν ὄντων ὄντα, ἀλλ' ὑπὲρ τὰ ὄντα· εἰ γὰρ τὰ πάντα αὐτὸς δημιουργήσας παρήγαγε, πῶς ἔχει εὑρεθῆναι ἕν τι τῶν ὄντων; Εἶπε γὰρ, ὅτι οὐδὲ τὰ ὄντα γινώσκει τὸν πάντων αἴτιον Θεόν· τοῦτο δὲ ἀπώλεια σαφὴς, τὸ μὴ γινώσκειν Θεόν· Ἀλλὰ ταχέως αὐτὸ ἐσαφήνισεν, εἰπὼν, Ἧι αὐτός ἐστι, τουτέστιν, οὐδὲν τῶν ὄντων γινώσκει Θεὸν καθ' ὃ αὐτός ἐστιν, ἀντὶ τοῦ τὴν ἀνεννόητον καὶ ὑπερούσιον οὐσίαν αὐτοῦ, ἢ ὕπαρξιν καθ' ἣν ὑπάρχει· εἴρηται γὰρ, Οὐδεὶς γινώσκει τὸν Υἱὸν εἰ μὴ ὁ Πατὴρ, οὐδὲ τὸν Πατέρα τις ἐπιγινώσκει εἰ μὴ ὁ Υἱός. Καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου ἐπάγει ὁ μέγας Διονύσιος, καί φησιν, Οὐδὲ αὐτὸς ὁ Θεὸς γινώσκει τὰ ὄντα ᾗ ὄντα ἐστὶ, τουτέστιν, οὐκ οἶδεν ἐπιβάλλειν

SCHOLIA S. MAXIMI.

mus ponendum, eorum quæ post ipsam scilicet diuinam naturam existunt, id est, creaturarum positiones fieri dicit, vt cùm dicitur vita, vel lux, iuxta illa quæ in rebus genitis considerantur, ex quibus earumdem conditorem intelligimus, non autem per hæc quamdam naturæ eius positionem inducimus, & rursum ponimus ablationem, dicendo diuinitatem secundùm nihil horum existere.

Vnum & vnitas, quomodo differant.

NEC VNVM, NEC VNITAS.] Vnum & vnitas inter se differunt: illud enim significat subiectum, illa verò talem qualitatem, sicut album & albedo, bonum & bonitas. Obserua verò quòd neque diuinitas substantia sit Dei, sicut nec vnum aliquid eorum quæ dicta sunt, neque contrariorum eis; quare nihil ipsorum est, non enim sunt hæc substantia, sed gloria circa eum. Sic Sextus Ecclesiasticus Philosophus dixit, & Gregorius Theologus libro tertio Theologiæ suæ, quòd neque diuinitas, nec ingenitum, neque paternitas substantiam Dei significent.

Quomodo Deus neque diuinitas sit, neque spiritus.

NEQVE DIVINITAS, NEQVE BONITAS.] Obserua præterea, quod neque spiritus sit vt nos spiritum cognoscimus; neque Filius, neque Pater: & illud, *vt nos cognoscimus*, in omni negatione superiorum accipe. Declarat autem illud, secundùm nostram cognitionem.

Quomodo nihil Deum cognoscat.

NEQVE QVÆ SVNT EAM COGNOSCVNT.] Neque te moueat hoc caput, vt putes hunc diuinum auctorem aliquid blasphemè dicere: propositum enim est ei demonstrare, Deum nihil eorum esse quæ sunt, sed esse supra omnia. Etenim si ipse omnia produxit, quomodo potest esse aliquid eorum quæ sunt? Dixit autem, quòd nec ea quæ sunt, cognoscunt Deum causam omnium: at nõ cognoscere Deum, interitus planè est. Verùm statim idem exposuit, quod dixerat, cùm subiunxit, *quatenus ipse est*; quod perinde est, vt si dicatur. Nihil ex iis quæ sunt, cognoscit Deum quatenus est, id est substantiam eius, quæ supra substantiam est, & quæ intelligi non potest, vel existentiam secundùm quam existit. dictum enim est: *Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius.* Matth. 11. Ac rursus subiungit Magnus Dionysius, & ait: Nec ipse Deus cognoscit ea quæ sunt quatenus sunt; id est, non nouit intendere mentem secundùm

SCHOLIA S. MAXIMI.

dùm ſenſum ad ea quæ ſenſilia ſunt, nec ad ſubſtantias quatenus ſubſtantiæ ſunt: hoc enim non conuenit Deo. Nos enim, qui homines ſumus, ea quæ ſenſu percipiuntur, aut aſpectu, aut guſtatu, aut tactu intelligimus quid ſint: ea verò, quæ ſub intelligentiam cadunt, aut per diſciplinam, aut doctrinam, aut per illuminationem cognoſcimus. Deus autem nullo modo ex iſtis nouit ea quæ ſunt, ſed potiùs ex ſeipſo cognitionem omnium habet; hoc enim ſignificat ſubobſcurè Scriptura, quæ ait, *Qui nouit omnia antequam fierent*. quod quidem declarat, non ſecundùm rationem productionis eorum nouiſſe ea Deum, ſed potiùs ſecundùm alium intelligendi modum. Angeli quidem illa ſcientificè atque immaterialiter cognoſcunt, non vt nos ſenſiliter: Deus autem illa nouit abſolutè & transſcendentaliter, ipſis rerum ſubſtantiis minimè intendens. Aliter. Ea quæ ſunt, id eſt creaturæ, non poſſunt ſupra naturam ſuam ferri intelligendo. Conſentaneè igitur cùm in ſe intuentur, diuinam naturam ignorant, ſecundùm illud quod ipſa eſt. Sic igitur diuina natura in ſeipſam intuens, non nouit in ſe eſſe creaturas ſecundùm rationẽ ſubſtantiæ eorum; hoc enim ſignificauit, cùm dixit, *quatenus ſunt:* ſiquidem eſt ſupra omnia quæ ſunt, & ipſum eſſe ſupraſubſtantiam habet; aliter enim nemo dicet ignorare Deum creaturas ſuas. Ibidem ait, Neminem noſſe intemeratam Trinitatem, ſecundùm quod ipſa eſt, id eſt, nihil eſt ſicut illa, vt ipſam cognoſcat prout ipſa eſt. Nos enim cognoſcimus quidem quid ſit humanitas, quoniam homines ſumus; ſed ſubſtãtiam ſanctiſſimæ Trinitatis neſcimus quid ſit, quoniam non ſumus eiuſdem ſubſtantiæ: ſic neque Deus nouit ea quæ ſunt quatenus ſunt, vti nos, quoniam non eſt aliquid eorum quæ ſunt, nec ſecundùm ipſa. Etſi enim Deus ſpiritus ſit, atque ideò ſanctus Spiritus appelletur, ſpiritus tamen eſt, qui neque nobis neque Angelis ſit cognitus. Sed quare ſuperiùs quidem dixit, *Neque lux, neque veritas*, nunc verò paulò pòſt dicit, *Neque tenebræ, neque lux, neque error, neque veritas*? Ac reſpondere liceat, primùm quidem, cùm lumen dicit, ipſum loqui de lumine abſoluto; neque errorem eſſe, vt in ſubſtantiis Angelicis, & eſſe veritatem earum per ſe abſolutam, & veri-

Dan. 13.

Quomodo Angeli & nos Deum cognoſcamus.

Quomodo nos non cognoſcamus SS. Trinitatem, neq; ipſa nos.

τοῖς αἰσθητοῖς αἰσθητῶς, ἢ ταῖς οὐσίαις ὡς οὐσίαις· ἀνοίκειον γὰρ τοῦτο Θεοῦ. Οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰ αἰσθητὰ, ἢ διὰ θέας, ἢ γεύσεως, ἢ ἁφῆς νοοῦμεν τί εἰσι· τὰ δὲ νοητὰ ἀπὸ μαθήσεως, ἢ διδασκαλίας, ἢ ἐλλάμψεως καταλαμβάνομεν. Ὁ δὲ Θεὸς οὐδὲ ἐξ ἑνὸς τρόπου τοιούτου οἶδε τὰ ὄντα, ἀλλὰ γνῶσιν ἔχει τὴν αὐτοῦ πρέπουσαν· τοῦτο γὰρ αἰνίττεται τὸ ῥητὸν τὸ λέγον, Ὁ εἰδὼς τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν, ὅπερ δηλοῖ, ὅτι οὐ κατὰ τὸν λόγον τῆς γενέσεως τῶν ὄντων οἶδεν αὐτὰ ὁ Θεὸς, ἀλλὰ καθ᾽ ἕτερον γνώσεως τρόπον. Οἱ Ἄγγελοι δὲ γνωστικῶς αὐτὰ καὶ αὔλως γινώσκουσιν, οὐχ ὡς ἡμεῖς αἰσθητῶς· οὕτως οὖν ἐστὶν ὁ Θεὸς ἀσυγκρίτως καὶ ὑπερανα-βεβηκότως, οὐ μὴν ταῖς οὐσίαις ἐπιβάλλων οἶδε τὰ ὄντα. Ἄλλως. Τὰ ὄντα, ἤγουν τὰ κτίσματα, ὑπὲρ τὴν ἑαυτῶν φύσιν ἐκταθῆναι ταῖς νοήσεσιν οὐ δύναται. Εἰκότως οὖν εἰς ἑαυτὰ βλέποντα, ἀγνοεῖ τὴν θείαν φύσιν καθ᾽ ὃ αὐτή ἐστιν. Οὕτως οὖν καὶ ἡ θεία φύσις ἑαυτὴν βλέπουσα, οὐκ οἶδεν ἐν ἑαυτῇ εἶναι τὰ ὄντα κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον· τοῦτο γὰρ ἐδήλωσεν εἰπὼν, Ἧι ὄντα ἐστὶν, ἐπειδὴ ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα ἐστὶ, αὐτὸ τὸ εἶναι κέκτηται ὑπερουσίως· ἑτέρως γὰρ οὐκ ἄν τις εἴποι ἀγνοεῖν τὸν Θεὸν τὰ ἑαυτοῦ κτίσματα. Εἰς τὸ αὐτό. Ὅτι οὐδεὶς γινώσκει τὴν ἄχραντον Τριάδα, καθ᾽ ὃ αὐτή ἐστιν, ἀντὶ τοῦ, οὐδέν ἐστιν ὡς αὐτὴ, ἵνα καὶ γινώσκῃ αὐτὴν ὡς αὐτή ἐστιν. Ἡμεῖς μὲν γὰρ γινώσκομεν τί ἐστιν ἀνθρωπότης, ἐπειδὴ ἄνθρωποί ἐσμεν· τὴν δὲ ὕπαρξιν τῆς ἀχράντου Τριάδος οὐκ ἴσμεν τί ἐστιν, οὐ γάρ ἐσμεν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτῆς· οὕτως οὐδὲ ὁ Θεὸς εἶδε τὰ ὄντα ᾗ ἐστι, καθὼς ἡμεῖς, οὐ γάρ ἐστί τι τῶν ὄντων ἢ κατ᾽ αὐτά. Κἂν γὰρ αὐτὸς πνεῦμα ὁ Θεὸς, καὶ τὸ ἅγιον μέν τοι Πνεῦμα οὕτως ὠνόμασται, ἀλλ᾽ ἔστι πνεῦμα οὐ γνώριμον ἡμῖν ἢ Ἀγγέλοις. Τί δὲ ἀνωτέρω εἰπὼν, Οὐκ ἔστι φῶς, οὐδὲ ἀλήθεια, ὑποκαταβὰς πάλιν λέγει, Οὐκ ἔστι σκότος, οὐδὲ φῶς, οὐδὲ πλάνη, οὐδὲ ἀλήθεια; Δυνατὸν οὖν ἐπιχειροῦντα εἰπεῖν, ὅτι τὸ μὲν πρῶτον περὶ τοῦ ἀπολύτως φωτὸς λέγει· οὐδὲ πλάνη, ὡς ἐν οὐσίαις τῶν Ἀγγέλων· καὶ ἀλήθειαν τὴν αὐτοαπολελυμένως καὶ ἀναιτίως

SCHOLIA S. MAXIMI.

ἀλήθειαν. Τὰ δὲ ἐφεξῆς, Ὅτι οὔτε τῶν πρός τι, οἷον ἐκ σκότους μεταβάλλων φῶς, ὡσανεὶ ἐκ τοῦ δυνάμει φωτὸς εἰς τὸ ἐνεργείᾳ φῶς, μεταβάλλων ἐκ τῶν σχετικῶν εἰς ἄλληλα φῶς καὶ σκότος· οὔτε γὰρ γνόφος ἐστὶν, οὔτε πολὺ φῶς. Οὕτως οὔτε ἐκ τῆς ἐναντίας ἐκ τῆς κατὰ δύναμιν πλάνης εἶναι εἰς ἀλήθειαν ἐνεργείᾳ μετέβαλε· πάντα γὰρ ταῦτα, δεύτερα αὐτοῦ, ἐξ αὐτοῦ προνοητικῶς ἐκφοιτήσαντα. Οὐδὲν οὖν ἐστι τῶν ἐξ αὐτοῦ.

tatem causæ expertem. Quę autem sequuntur, *Nec eorum quæ ad aliquid*, verbi gratia ex tenebris lumen commutans, quasi ex lumine, quod tantùm virtute est, in lumen quod actu est, ex iis quæ virtute sunt, vicissim in se mutuò lucem ac tenebras mutuans. neque enim caligo est, neque lumen copiosum. Sic neque à contrario, ex errore, qui erat virtute veritas, transiuit in veritatem actualem; hæc enim omnia sunt ipso posteriora, cùm ab ipsius prouidentia promanent. Nihil ergo est eorum quæ ab ipso sunt.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.



ἈΠΟΦΗΝΑΜΕΝΟΣ, πρότερον μὲν τὰς στερήσεις, μετέπειτα δὲ τὰς θέσεις τῶν αἰσθητῶν, ἐν τῷ εἰπεῖν, Οὔτε ἀνούσιος, καὶ τὰ λοιπὰ στερητικά· καὶ αὖθις ἐν τῷ εἰπεῖν, Οὔτε σῶμα, καὶ τὰ λοιπὰ θετικά· νῦν ἀποφαίνεται καὶ τὰ νοητὰ, τὸ, Οὔτε ψυχὴ, οὔτε νοῦς. Πλὴν μὴ ἔχε, ὅτι κἀκεῖσε περὶ λόγου καὶ νοὸς ἐμνημόνευσεν, Οὔτε ἄλογος, εἰπὼν, οὔτε ἄνους· καὶ λοιπὸν ἀποφαίνεται κἀκεῖ τὰ νοητά. Ἀλλ' ἴσθι, ὅτι ἐκεῖ τὰ τοιαῦτα, αἰσθητά εἰσιν· οὐδὲ γὰρ ἀποφαίνεται ἀπόλυτον τὸν λόγον, ἢ τὸν κεχωρισμένον τῶν αἰσθητῶν νοῦν· ἀλλὰ τὸ ἄλογον καὶ τὸ ἄνουν, ζῶα δηλαδὴ αἰσθητὰ, ἐστερημένα λόγου τε καὶ νοός. Ἀλλ' ἐνταῦθα λέγει, ὡς οὔτε ψυχή ἐστιν, οὔτε τι ἀπὸ τῶν ἐχόντων τὰ μέρη ταύτης, καὶ ταῦτα κατὰ τάξιν· οὔτε τι ἔχον φαντασίαν, μόνην ἄλογον, καὶ τύπον ἀσθενῆ, ἣν δὴ ἔχουσι καὶ τὰ ἄλογα· οὔτε δόξαν, ἀσυλλόγιστον γνῶσιν καὶ ἀμυδρὰν, ἣν τὰ λογικὰ ἔχουσιν· οὔτε λόγον, δηλονότι διάνοιαν καὶ ἐπιστήμην· οὔτε μὴν νόησιν ἐνέργειαν νοὸς, μέρος κρεῖττον τῆς ψυχῆς. Μετὰ ταῦτα ἀνάγει τὸν λόγον εἰς αὐτὰς γυμνὰς τὰς δυνάμεις δίχα τῶν ἐχόντων αὐτὰς, καὶ λέγει, Οὔτε λόγος ἐστὶ προφορικὸς, οὔτε νόησις, δηλαδὴ ἐνδιάθετος λόγος. Καὶ αὖθις ἔτι ἀνάγει τὸν λόγον, καὶ αὐτῶν ἐξαιρεῖται τὸ Θεῖον, καὶ λέγει, Τί λέγω ταῦτα; οὔτε αὐτὸς ὁ λόγος καὶ ἡ νόησις ἐφικνεῖται εἰς τὸ τὸ Θεῖον καταλαβεῖν. Μετὰ ταῦτα ἀριθμεῖται πάντα, τὰ ἐν ἡμῖν μὲν φαινόμενα, ἀσώματα δὲ, καὶ διὰ τοῦτο



CVM primùm quidem priuationes explicasset, deinde verò positiones rerum sensibilium, dicendo, Neque substantiæ est expers, & cetera priuatiua; atque iterùm dicendo, Neque corpus, & cetera positiua: nunc etiam demonstrat intellectilia, dicendo, Neque anima, neque mens. Verùm nec habet illa, quoniam etiam ibi de ratione ac mente mentionē fecit, dicens, Neque rationis neque mentis expers; & ceteroquin etiam ibi intellectilia demonstrat. Sed scito ibi illa quæ talia sunt, sensilia esse: neque enim declarat rationem absolutam, vel mentem à sensilibus separatam; sed rationis mentisque carentiam, animalia nimirum sensilia, ratione menteque priuata: verùm hîc dicit, neque animam esse, neque quidquam illorum quæ animæ portiones idque secundùm ordinem participant, vt neque habeat imaginationem solam irrationalem & debilem illam formam quam etiam bruta habent; neque opinionem, obscuram illam cognitionem quæ non ratiocinatur, quam habent ea quæ vtuntur ratione; neque rationem, id est cogitationem & scientiam, neque intellectionem seu mentis operationem, quæ potissima pars animæ est. Posteà deriuat sermonem ad ipsas nudas virtutes sine illis qui eas habent, & ait: Neque sermo est prolatitius, neque intellectio, siue locutio interna. Atque iterùm adhuc adducit rationem, atque ex his Deum eximit, aitque, Vt quid hæc memoro? neque ipsa ratio, neque intellectio valet Deum concipere. Post hæc omnia enumerat quæ in nobis videntur, sed sunt incorporea, atque adeò intellectilia,

Quomodo res intellectiles de Deo negentur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

lia, hactenus tamen in ſubiectis conſpecta. Intellectilis porrò tactus, eſt mentis cognitio. Sicut enim tactus ſenſilis, eſt ſenſatio: quia tunc ſentimus, quando tactus ſenſilium à ſentientibus ſiue ſenſu percipitur; ſiquidem etiam nobis eminus igni aſſidentibus, dummodò calefiamus, quidam contactus dicitur exiſtere. & in olfactu ceteriſq; etiam idem accidit; neque enim ſimpliciter contactus corporeus fit dum corpora coniunguntur, ſed dum in ſenſilibus excitant ſenſationem. Sicut itaque hæc, inquam, ſe habent in tactu ſenſili, ſic etiam cogita in tactu intellectili ſiue cognitione. Neque verò veritas eſt, neque ſapientia, tametſi Dominus dicat, *Ego ſum veritas*; & diuus Paulus Apoſtolus, *Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia*: quia ipſa per ſe veritas, & per ſe ſapientia eſt, & ſupra noſtram veritatem & ſapientiam. Aliter etiam, quia nec hæc Dei ſubſtantiam ſignificant. Vnum autem & vnitas ab inuicem differunt: ſiquidem vnum ſignificat ſubiectum, vnitas verò ipſammet qualitatem. ſicut album & albedo, bonum & bonitas. Neque verò diuinitas ſubſtantia eſt Dei, quemadmodum neque bonitas: neque ſpiritus eſt, tametſi in diuinis Euangeliis audiamus, Spiritus eſt Deus; & rurſum, Spiritus veritatis; ſed ſicut nos ſcire ait beata illa ſanctaque nomina perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis: hoc enim hîc etiam accipe, & in omni negatione, prout videlicet nos intelligimus, ſiue ſecundùm noſtram intelligendi facultatem. Non enim ea iam enumerata vt bonitas, diuinitas, & cetera, ſubſtantia ſunt Dei, ſed gloria circa ipſum. Sic etiam Gregorius Theologus libro tertio Theologiæ ſuæ dixit, quòd neque diuinitas, neque ingenitum, neque paternitas ſubſtantiam Dei ſignificent. Neque te hoc moueat turbétve, quòd dicat Deum non noſſe entitates quatenus ſunt entitates: propoſitum enim eſt huic Sancto demõſtrare, Deum nihil eſſe eorum quæ ſunt, neque tamen quidquam eſſe eorum quæ non ſunt. Id autem, Neque eorum quæ non ſunt, per exceſſum poſuit: quædam enim ſunt non entia; ac ſi diceremus, quòd non ſit aliquid eorum quæ non ſunt, & hoc modo ſit nihil eorum quæ ſunt: etenim ſi ipſe omnia produxit, quomodo poteſt eſſe aliquid eorum quæ ſunt? Dicit itaque,

Ioan. 14, 6.

1. Cor. 1, 24.

Vnum & vnitas quomodo differant.

Ioan. 4, 24.

Quomodo Deus ſit non ens, &c.

νοητὰ, τέως δὲ ἐν ὑποκειμένοις θεωρούμενα. Νοητὴ δὲ ἐπαφή ἐστιν, ἡ τοῦ νοὸς γνῶσις. Ὡς γὰρ ἐπαφὴ αἰσθητή ἐστιν ἡ αἴσθησις, τότε γὰρ αἰσθανόμεθα, ὅτ' ἐπαφὴ τῶν αἰσθητῶν τοῖς αἰσθανομένοις ἢ τῇ αἰσθήσει γίνεται, καὶ μακρόθεν γὰρ τοῦ πυρὸς καθημένων ἡμῶν, εἴπερ μόνον θερμαινόμεθα, ἐπαφὴ λέγεται εἶναι· καὶ ἐπὶ τῆς ὀσφρήσεως καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τοῦτο συμβαίνει· οὐδὲ γὰρ ἁπλῶς ἡ ἐπαφὴ, σωματικὴ γίνεται ἐν τῷ τὰ σώματα συνεχίζεσθαι, ἀλλ' ἐν τῷ τὴν αἴσθησιν προσβάλλειν τοῖς αἰσθητοῖς. Ὡς γοῦν οὕτω ταῦτα ἐπὶ τῆς αἰσθητῆς ἐπαφῆς, οὕτω νόει καὶ ἐπὶ τῆς νοητῆς ἐπαφῆς, ἤγουν τῆς γνώσεως. Οὔτε δὲ ἀλήθειά ἐστιν, οὔτε σοφία, καίτοι γε τοῦ Κυρίου λέγοντος, Ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια· καὶ τοῦ θείου Ἀποστόλου Παύλου, Χριστὸς Θεοῦ δύναμις, καὶ Θεοῦ σοφία· ὅτι αὐτοαλήθεια καὶ αὐτοσοφία ἐστὶ, καὶ ὑπὲρ τὴν ἡμετέραν ἀλήθειαν καὶ σοφίαν. Καὶ ἄλλως, ὅτι οὐδὲ ταῦτα Θεοῦ οὐσίαν σημαίνουσι. Τὸ δὲ ἓν καὶ ἡ ἑνότης ἀλλήλων διαφέρουσι· τὸ μὲν γὰρ ἓν, δηλοῖ τὸ ὑποκείμενον, ἡ δὲ ἑνότης αὐτὴν τὴν ποιότητα· ὥσπερ λευκὸν καὶ λευκότης, ἀγαθὸν καὶ ἀγαθότης. Οὔτε δὲ ἡ θεότης οὐσία ἐστὶ τοῦ Θεοῦ, ὥσπερ οὐδὲ ἡ ἀγαθότης· οὐδὲ πνεῦμά ἐστι, καίτοι γε ἐν τοῖς θείοις Εὐαγγελίοις ἀκούομεν, Πνεῦμα ὁ Θεός· καὶ πάλιν, Τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας· ἀλλ' ὡς ἡμᾶς εἰδέναι φησὶ τὰ μακαριστικὰ καὶ ἁγιαστικὰ ὀνόματα τῶν τῆς ἁγίας Τριάδος ὑποστάσεων· τοῦτο γὰρ λάβε καὶ ἐνταῦθα καὶ ἐπὶ πάσης ἀποφάσεως τὸ ὡς ἡμᾶς εἰδέναι, ἤγουν κατὰ τὴν ἡμετέραν δύναμιν. Οὐ μέν τοι γε οὐσία τὰ ἀπηριθμημένα Θεοῦ, ἡ ἀγαθότης, ἡ θεότης, καὶ τὰ λοιπὰ, ἀλλὰ δόξα περὶ αὐτόν ἐστιν. Οὕτω καὶ ὁ Θεολόγος Γρηγόριος ἐν τῷ τρίτῳ τῶν αὐτοῦ Θεολογικῶν λόγων λέγει, ὡς οὔτε ἡ θεότης, οὔτε τὸ ἀγέννητον, οὔτε ἡ πατρότης οὐσίαν σημαίνει Θεοῦ. Μὴ ταραττέτω δέ σε τὸ, Οὔτε ὁ Θεὸς οἶδε τὰ ὄντα ᾗ ὄντα εἰσί· σκοπὸς γὰρ τῷ Ἁγίῳ, δεῖξαι τὸν Θεὸν μηδὲν μήτε τῶν ὄντων, μήτε μὴν τῶν οὐκ ὄντων ὄντα. Τὸ δὲ, Μηδὲν τῶν οὐκ ὄντων, ὑπερβολικῶς τέθεικε· τίνα γάρ εἰσι τὰ μὴ ὄντα, ὡς ἂν εἴποιμεν, ὅτι οὐκ ἔστι τὶ τῶν μὴ ὄντων, ἀλλὰ οὐδὲν τῶν ὄντων οὕτως· ὅτι ἐπεὶ τὰ πάντα παρήγαγε, πῶς ἔχει εὑρεθῆναι ἕν τι τῶν ὄντων; Λέγει τοίνυν,

νην, ὅτι οὐδὲ τὰ ὄντα γινώσκει τὸν πάντων αἴτιον Θεόν· ἀλλὰ ταχέως αὐτὸ ἐσαφήνισεν, εἰπών, Ἧι αὐτός ἐστι, τουτέστιν, Οὐδὲν τῶν ὄντων γινώσκει Θεὸν καθό ἐστιν, ἀντὶ τοῦ τὴν ἀνεννόητον καὶ ὑπερούσιον αὐτοῦ οὐσίαν καὶ ὕπαρξιν· εἴρηται γὰρ, Οὐδεὶς γινώσκει τὸν Υἱὸν, εἰ μὴ ὁ Πατὴρ, καὶ τὸν Πατέρα, εἰ μὴ ὁ Υἱός. Καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου ἐπάγει ὁ Πατὴρ οὗτος, καί φησιν, Οὐδεὶς γινώσκει τὸν Θεὸν ᾗ ἐστιν, οὐδὲ αὐτὸς ὁ Θεὸς γινώσκει τὰ ὄντα ᾗ ὄντα ἐστί· τουτέστιν, οὐκ οἶδεν ἐπιβάλλειν τοῖς αἰσθητοῖς αἰσθητῶς, ἢ ταῖς οὐσίαις ὡς οὐσίαις, ἀνοίκειον γὰρ τοῦτο Θεοῦ. Οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰ μὲν αἰσθητὰ ἢ διὰ θέας, ἢ δι' ἁφῆς, ἢ διὰ γεύσεως νοοῦμεν τί εἰσι· τὰ δὲ νοητὰ, ἀπὸ μαθήσεως, ἢ διδασκαλίας, ἢ ἐλλάμψεως καταλαμβάνομεν. Ὁ δὲ Θεὸς οὐδὲ ἐξ ἑνὸς τοιούτου τρόπου οἶδε τὰ ὄντα, ἀλλὰ γνῶσιν ἔχει τὴν αὐτῷ πρέπουσαν· τοῦτο γὰρ αἰνίττεται τὸ, Ὁ εἰδὼς τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν δηλονότι, οὐ κατὰ τὸν λόγον τῆς γενέσεως τῶν ὄντων οἶδεν αὐτὰ ὁ Θεὸς, ὅπερ ἐστὶν αἰσθητῶς, ἀλλὰ καθ' ἕτερον γνώσεως τρόπον. Οἱ Ἄγγελοι δὲ γνωστικῶς καὶ αὔλως αὐτὰ γινώσκουσιν, οὐχ ὡς ἡμεῖς αἰσθητῶς. Οὕτως οὖν καὶ ὁ Θεὸς ἀσυγκρίτως καὶ ὑπεραναβεβηκότως, οὐ μὴν ταῖς οὐσίαις συμβάλλων, οἶδε τὰ ὄντα. Λοιπὸν τὰ ὄντα Θεὸν οὐκ οἶδεν ᾗ ἐστι Θεός· ὑπὲρ γὰρ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ἐκταθῆναι ταῖς νοήσεσιν οὐ δύνανται. Εἰκότως οὖν εἰς ἑαυτὰ βλέποντα, ἀγνοεῖ τὴν θείαν φύσιν καθὸ αὐτή ἐστιν. Οὕτως οὖν καὶ ἡ θεία φύσις ἑαυτὴν βλέπουσα, οὐκ οἶδεν ἐν ἑαυτῇ τὰ ὄντα κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, ἐπειδὴ ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα ἐστὶ, καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι κέκτηται ὑπερουσίως. Καὶ πάλιν, ἀνωτέρω μὲν εἶπεν, Οὔτε φῶς, οὔτε ἀλήθεια· νῦν δὲ, Οὔτε σκότος, οὔτε φῶς, οὔτε πλάνη, οὔτε ἀλήθεια. Καί ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι τὸ μὲν πρότερον φῶς λέγων, περὶ τοῦ ἀπολύτως φωτὸς λέγει, ἤγουν περὶ τῶν Ἀγγελικῶν οὐσιῶν, καὶ ἀλήθειαν, τὴν αὐτοαπολελυμένως· οὐ μὴν δὲ τὴν ἀντικειμένην τῷ ψεύδει ἀλήθειαν, ἀφ' ὧν ἀποφάσκει τὸ Θεῖον, ὅτι καὶ ὑπὲρ ταῦτα ἐξῃρημένον ἐστιν. Ἐνταῦθα δὲ λέγει, ὅτι Οὔτε τῶν πρός τι,

que, quòd nec ea quæ ſunt, cognoſcant Deum cauſam omnium: verùm ſtatim idem expoſuit, dicens, Quatenus ipſe eſt; quod perinde eſt ac ſi dicatur, Nihil ex iis quæ ſunt, cognoſcit Deum quatenus eſt, id eſt ſubſtantiam eius quæ ſupra ſubſtantiam eſt, & quæ intelligi non poteſt. vel eius exiſtentiam. dictum eſt enim: *Nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius*. Atque è contrario ſubiungit hic Pater, atque ait: Nemo cognouit Deum quatenus eſt, nec ipſe Deus cognoſcit ea quæ ſunt quatenus ſunt; id eſt, non nouit intendere mentem ſecundùm ſenſum ad ea quæ ſunt ſenſilia, nec ad ſubſtantias quatenus ſubſtantiæ ſunt: hoc enim non conuenit Deo. Nos enim qui homines ſumus, ea quæ ſenſu percipiuntur, aut aſpectu aut guſtatu aut tactu intelligimus quid ſint; ea verò quæ ſub intelligentiam cadũt, aut per diſciplinam, aut doctrinam, aut per illuminationem cognoſcimus. Deus autem nullo modo ex iſtis nouit ea quæ ſunt, ſed potiùs ex ſeipſo cognitionẽ ſibi congruam habet; hoc enim inſinuat Scriptura, cùm ait: *Qui nouit omnia antequam fierent.* ſcilicet non ſecundùm rationem generationis rerum nouit ea Deus, quod eſt ſenſibiliter, ſed ſecundùm alium intelligendi modum. Angeli verò illa cognoſcunt ſcienter & immaterialiter, non ſenſiliter, vt nos. Sic vtique etiam Deus abſque comparatione & tranſſcendentaliter, non autem cum ſubſtantiis comparans res nouit. Ceterùm ea quæ ſunt, non nouerunt Deum in quantum Deus eſt, quoniam non poſſunt ſupra naturam ſuam ferri intelligendo. Conſentaneè igitur cùm ſe intuentur, diuinam naturam ignorant ſecundùm illud quod ipſa eſt. Sic igitur diuina natura in ſeipſam intuens, non nouit in ſe eſſe creaturas, ſecundùm rationem ſubſtantiæ earum, ſiquidem eſt ſupra omnia quæ ſunt, & ipſum eſſe ſupraſubſtantiam habet. Et rurſum ſuperiùs quidem dixit, Neque lux, neque veritas; nunc verò, Neque tenebræ, neque lux, neque error, neque veritas. Et dicere liceat, primùm quidem, cùm lumen dicit, ipſum loqui de lumine abſoluto, ſiue de ſubſtantiis Angelicis, & eſſe veritatem earum per ſe abſolutam, non autem eſſe veritatem mendaciis oppoſitam, quæ in Deo negat, quoniam ſupra iſta exemptus eſt. Hic autem dicit: Nec eorum quæ ad aliquid,

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Matth. 11.

Quomodo Deus res cognoſcat & ignoret.

Dan. 13.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

magis autem eorum quæ ſecundùm priuationem & habitum exiſtunt; vt quòd ex tenebris in lumen non ſit commutatus, quaſi ex lumine quod tantùm eſt virtute, mutatus ſit in lumen quod actu eſt lumen; neque rurſum ex errore exiſtat, ſcilicet ex veritate virtuali, in veritatem actualem commutatus: hæc enim omnia ipſo poſteriora ſunt; & lumen, & veritas ipſius prouidentiâ lucent. Neque penitus eius eſt poſitio, vt ſit vel vita, vel veritas, vel quidquam aliud earum quæ ſunt. Neque rurſum omnimoda ablatio, vt nullo modo quidquam ſit; ſed earum quæ poſt ipſum ſunt, ſcilicet creaturarum, etiam poſitiones & ablationes faciunt: poſitiones quidem, veluti vitam, veritatem, ens; ablationes verò, veluti non vitam, non veritatem, non ens. Hæc itaque quæ poſt ipſum ſunt, & ponentes & auferentes, Deum ipſum neque ponimus, ſiue ex ipſis ſubſtantiam eius noſcimus, neque auferimus omnino, vt qui perfectè incomprehenſibilis exiſtit (quod enim perfectè eſt incomprehenſibile, & ſpem & conatum excedit) verùm imagines quaſdam ex iis quæ circa ipſum ſunt concinnantes, obſcurum quemdam veritatis conceptum componimus, quandoquidem ſit ſupra omnem etiam poſitionem, tamquam exempta rerum omnium cauſa, & ſupra omnem ablationem collocata, cùm ſecundùm nullam rerum ablationem Deus cognoſcatur; ſiquidem ab omnibus abſolutus, etiam ſupra omnia exiſtit.

μᾶλλον δὲ τῶν κατὰ στέρησιν καὶ ἕξιν· οἷον, ὅτι οὔτε ἐκ σκότους εἰς φῶς μετέβαλεν, ὡσανεὶ ἐκ τοῦ δυνάμει φωτὸς εἰς τὸ ἐνεργείᾳ φῶς· οὔτε πάλιν ἐκ τοῦ πλάνην εἶναι, δηλονότι δυνάμει ἀλήθειαν, εἰς ἀλήθειαν ἐνεργείᾳ μετέβαλε· πάντα γὰρ ταῦτα δεύτερα αὐτοῦ, καὶ τὸ φῶς καὶ ἡ ἀλήθεια, ἐξ αὐτοῦ προνοητικῶς φανέντα. Οὐδέ ἐστι παντελῶς αὐτοῦ θέσις, ὡς εἶναι ἢ ζωὴν, ἢ ἀλήθειαν, ἢ ἄλλο τι τῶν ὄντων. Οὐδὲ πάλιν ἀφαίρεσις παντελῶς, ὡς μηδαμῆ μηδαμῶς εἶναι, ἀλλὰ τῶν μετ' αὐτὸν, δηλονότι τῶν κτισμάτων τὰς θέσεις καὶ ἀφαιρέσεις ποιοῦντες· θέσεις μὲν, οἷον ζωὴν, ἀλήθειαν, ὄν· ἀφαιρέσεις δὲ, οἷον οὐ ζωὴν, οὐκ ἀλήθειαν, οὐκ ὄν. Ταῦτα γοῦν τὰ μετ' αὐτὸν, καὶ τιθέντες καὶ ἀφαιροῦντες, αὐτὸν τὸν Θεὸν οὔτε τίθεμεν, ἤγουν ἐξ αὐτῶν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ γνωρίζομεν, οὔτε ἀφαιροῦμεν παντελῶς, ὥστε τελέως ἄληπτον εἶναι (τὸ γὰρ τελέως ἄληπτον, ἀνέλπιστον καὶ ἀνεπιχείρητον) ἀλλ' εἰκόνας τινὰς ἐκ τῶν περὶ αὐτὸν ἀναματτόμενοι, ἀμυδρόν τι συνάγομεν τῆς ἀληθείας ἴνδαλμα, ἐπεὶ καὶ ὑπὲρ πᾶσαν θέσιν ἐστὶν, ὡς ἐξῃρημένη αἰτία πάντων· καὶ ὑπὲρ πᾶσαν ἀφαίρεσιν ἐν τῷ κατὰ μηδεμίαν τῶν ὄντων ἀφαίρεσιν, τὸ Θεῖον γινώσκεσθαι· ἀπολελυμένον γὰρ πάντων, καὶ πάντων ἐστὶν ἐπέκεινα.



TOY

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΑΡΕΟΠΑΓΙΤΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE EPISTOLÆ:

INTERPRETE BALTHASARE CORDERIO SOCIETATIS IESV DOCTORE THEOLOGO.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ Α'.

Γαΐῳ θεραπευτῇ.

EPISTOLA I.

Caio Monacho.

SYNOPSIS.

Docet, illam Dei ignorationem, quam in libro de Mysticâ Theologiâ supra omnem cognitionem commendat, non priuatiuè sed superlatè intelligendam esse. Et simul ostendit, omnem notitiam, quam per cognitionem de Deo habemus, ex creaturis accipi.

Ο σκότος ἀφανὲς γίνεται τῷ φωτὶ, καὶ μᾶλλον τῷ πολλῷ φωτί· τὴν ἀγνωσίαν ἀφανίζουσιν αἱ γνώσεις, καὶ μᾶλλον αἱ πολλαὶ γνώσεις. Ταῦτα ὑπεροχικῶς, ἀλλὰ μὴ κατὰ στέρησιν ἐκλαβὼν, ἀπόφηθι ὑπεραληθῶς, ὅτι λανθάνει τοὺς ἔχοντας ὂν φῶς, καὶ ὄντων γνῶσιν ἡ κατὰ Θεὸν ἀγνωσία· καὶ τὸ ὑπερκείμενον αὐτοῦ σκότος καὶ καλύπτεται παντὶ φωτὶ, καὶ ἀποκρύπτεται πᾶσαν γνῶσιν. Καὶ εἴ τις ἰδὼν Θεὸν, συνῆκεν ὃ εἶδεν, οὐκ αὐτὸν ἑώρακεν, ἀλλά τι τῶν αὐτοῦ τῶν ὄντων καὶ γινωσκομένων· αὐτὸς δὲ

ENEBRAE abolentur lumine, & præsertim copioso lumine: ignorationem abolent cognitiones, præsertim amplæ cognitiones. Hæc superlatè & non priuanter accipiens, plus quàm verè enuntia, quòd sui possessores verum lumen, & rerum cognitionem, latet ignoratio illa quæ est secundùm Deum: & tenebræ eius supereminentes omni quoque lumini occuluntur, & omnem abscondunt cognitionem. Et si quis viso Deo, cognouit id quod vidit, nequaquam ipsum vidit, sed aliquid è rebus eius quæ existunt & cognoscuntur; ipse autem

Deum intelligentiâ non comprehendi.

TEXTVS S. DIONYSII.

ſupra mentem & ſubſtantiam conſtanter manens, per hanc ipſam cognitionis & eſſentiæ negationem & ſupra ſubſtantiam exiſtit, & ſupra mentem cognoſcitur. Et illa perfectiſſima in bonam partem ignoratio, notitia eſt eius qui eſt ſupra omnia quæ in cognitionem cadunt.

ὑπὲρ νοῦν καὶ ὑπὲρ οὐσίαν ὑπερειδρυμένος, αὐτῷ τῷ καθόλου μὴ γινώσκεσθαι, μηδὲ εἶναι, καί ἐστιν ὑπερουσίως, καὶ ὑπὲρ νοῦν γινώσκεται. Καὶ ἡ κατὰ τὸ κρεῖττον παντελὴς ἀγνωσία, γνῶσίς ἐστι τοῦ ὑπὲρ πάντα τὰ γινωσκόμενα.

ANNOTATIONES CORDERII.

Quid ſit priuanter ignorare, & quid ſuperlatè.

ET *non priuanter.*] Ne id ſecundùm ſenſum communem intelligendum eſſe ſuſpiceris, quòd ſicut tenebræ lumine ſoluuntur, & multo lumine maximè ſoluuntur; aut ſicut ignorantia, quæ eſt tenebræ quædam, cognitione tollitur, & multâ cognitione maximè tollitur; ſic ignorantia de Deo ſimilis ſit ignorantiæ per inſcitiam. Imò quò magis quis illuminatur in cognitione Dei, & quò magis cognitionem colligit eorum quæ ſunt, id eſt intellectilium & intelligētium, Angelorum inquam, & animarum, eò magis aſcendens ad altiorem cognitionem, cognoſcet, hoc ipſum, non poſſe ſcilicet comprehendi, & ignorari, lumen eſſe, & cognitionem ſupra omnia cognita. Non igitur ſecundùm priuationem dicitur ignorari Deus, ſed ſecundùm ſuperlationem cognitionis: non enim ſic ignoramus, quaſi alius aliquis ſciat, ſiquidem non alio ſciente nos ignoramus, tamquam qui non didicerimus, quod eſſet ignorare priuanter, ſiue ſecundùm priuationem; ſed ignoramus quod ab omni creaturâ ignoratur, & omni creaturæ ſupra quam ignotum eſt, quod eſt ignorare ſuperlatè.

Si quis viſo Deo, cognouit id quod vidit, nequaquam ipſum vidit, &c.] Ita quoq; Chryſoſtomus in Homiliâ de Eutropio, quando inuentus extra Eccleſiam, abſtractus & abſorptus fuit, *Nemo*, inquit, *vidit id quod Deus eſt.* Non igitur, cùm Deus videtur, apparet quod eſt, ſed quod poteſt videre is cui apparet; non mutans ſubſtantiam ſuam, ſed aſpectum figurâ informans pro varietate rerum ſubiectarum.

Deum non poſſe in hac vitâ clarè cognoſci.

Hinc Cypariſſiotus Decade 2. cap. 5. ait, quòd neque integram de Deo cogitationem habere in hoc ſæculo poſſumus; aut per eam plenè de Deo philoſophari; neque per aliam quamlibet à nobis informatam notionem. Et Gregorius Theologus in ſecundâ Oratione de Theologiâ, Iuſtificatus, inquit, eſt ex fide magnus Patriarcha Abraham, & ſacrificat ſacrificium nouum & inauditum, ac illius magni Sacrificij imaginem. Deum verò non vt Deum vidit, ſed ei tamquam homini cibum appoſuit; & laudatus eſt quòd tantum venerationis adhibuit, quantum intelligentia comprehendit. Ibidem cùm de Iacob meminiſſet, Et luctatur, inquit, cum Deo tamquam cum homine, quæcumque iſta eſt Dei cum homine lucta, fortaſſis humanæ virtutis cum diuinâ comparatio. Rurſus in eodem loco: Quomodo Manoëm Iudicem priùs, & Petrum diſcipulum poſteà, non es miratus? illum quidem, quia nec aſpectum Dei typo & imagine informati paſſus eſt; vnde illud, Perijmus, inquit, ô vxor, vidimus Deum; tamquam non poſſint homines imaginem Dei in ſenſus notione effictam & informatam capere, nedum naturam eius: nunc verò, quia Chriſtum quem cernebat, in nauiculam non recipiebat, & ob eam cauſam illum dimittebat. Et Gregorius Nyſſenus, Quomodo, inquit, reperiatur, quem nihil eorum quæ noteſcunt declarat? Non forma, non color, non circumſcriptio, non figura, non quantitas, non qualitas, non locus, non coniectura, non ſimilitudo, non proportio; quin potiùs ſemper eſt extra omnē viam comprehendendi. Vnde Cypariſſiotus ibidem cap. 6. concludit, quòd Deus neque ex repræſentatione naturali cognoſcitur, nec quidquam ex intelligentibus aut intellectis, vt ex ſubſtantiâ eius liceat de eo philoſophari. D. Maximus primo capite ex Theologicis, Vnus, inquit, Deus ſine principio, incomprehenſibilis, totam vim, vt ſit, habens per totum, notionem quando & quomodo ſit, penitus repellens, vtpote nulli eorum qui ſunt ex repræſentatione naturali cognitus. Et rurſus idem, Omnis,

Gen. 15, 6. *Gen. 18, 5.* *Gen. 32, 24* *Iud. 13, 32* *Luc. 5, 8.* *Nihil hic Deum repræſentat prout eſt.* *Centuria 1. cap. 1.*

Centuria 2. cap. 2. nis, inquit, intelligentia sicut in substantiâ omnino ponitur, vt qualitas, sic etiam circa substantiam qualitate affectam habet motionem: non enim aliquid ex toto solutũ, & simplex per se existens potest ipsam intelligentiam suscipere, quia non est soluta & simplex: Deus autem cùm in vtroque horum omnino simplex sit, & substantia scilicet soluta ab eo quod est in subiecto, & intelligentia non habens vllum prorsus subiectum; efficitur, vt neque sit ex iis qui intelligunt, neque quæ intelliguntur, quippe quæ supra substantiam & intelligentiam sit. Adhuc idem cap. 11. primæ Centuriæ: Res omnes quæcumque sunt, intelligentiâ priùs perceptas, nominamus, quæ in seipsis habent principia notitiarum demonstrabilia: at Deus non cognitus nominatur, quin potiùs ex iis tantùm, quæ intelligentiâ percipiuntur, creditur esse; quamobrem nihil eorum quæ intelliguntur, cum eo quacumque ex parte confertur. Vnde concluditur, magis propriam Theologiam esse quæ versatur in negantibus, quàm quæ in aientibus, quamquam æquo interuallo ambæ istæ Theologiæ à Deo absint. Est enim Deus supra omnem negationẽ & affirmationem quæ sit cognitio eius, adeoque iuxta Dionysium, verior est Theologia Mystica, nihil videlicet de eo cognoscere aut philosophari, sed potiùs nescienter, & sine omni intelligentiâ eorum quæ intelligentiâ percipiuntur, cum eo coniungi & copulari. *ANNOTATIONES CORDERII.*

Et illa perfectißima in bonam partem ignoratio.] Ignorationem vocat non quidem inscientiam, quæ est quædam tenebræ animæ; sed relictâ omni cogitatione rerum externarum, & omni intelligentiâ à proposito alienâ, vniri in quodam silentio secundùm meliorem partem cum Deo ignoto quid sit, qui est super omnem cognitionẽ, & nihil aliud cognoscendo & contemplando, supra mentem cognoscere & contemplari, vt Dionysius in Mysticâ Theologiâ cap. 1. tradit. Hæc ignoratio vocata est Exodi 19. caligo, in quam dicitur Moyses ingressus, vt S. Maximus notauit. Hanc vnionem optat Dionysius Timotheo in principio Mysticæ Theologiæ, vnde meliùs eam licet intelligere.

SCHOLIA S. MAXIMI.



ΠΙΒΑΛΛΩ Γάϊον τοῦτον εἶναι, ᾧ τὴν τρίτην Ἐπιστολὴν ἔγραψεν ὁ θεῖος Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης, τεκμαιρόμενος καὶ ἐκ τῶν ἄλλων, οἷς συγγέγονε μετὰ τῶν Ἀποστόλων ὁ θεῖος οὗτος ἀνήρ. Θεραπευτὰς δὲ ἔφη καλεῖσθαι ἐν τῷ περὶ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας κεφαλαίῳ ϛ. τοὺς μοναχοὺς, εἰπὼν ἐκεῖ καὶ πῶς καθίστανται μὴ ὄντες Κληρικοὶ, ἀλλὰ ἀνώτεροι τοῦ λαοῦ. Τούτους δὲ ἔοικε θαυμάζειν Φίλων ὁ Ἰουδαῖος ἐν τῷ περὶ Θεωρητικοῦ ἢ Ἱκετῶν συντάγματι, θεραπευτὰς αὐτοὺς καλῶν, καὶ τὴν δίαιταν αὐτῶν διηγούμενος, πρὸ ὀλίγου τοῦ τέλους τοῦ βιβλίου τούτου. Ἀνάγνωθι τὰ τοῦ αὐτοῦ Φίλωνος.

Ἀλλὰ μὴ κατὰ στέρησιν.] Τοῦτο, φησὶ, μὴ κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας ὑπολάβῃς, ὅτι ὥσπερ τὸ σκότος λύεται φωτὶ, καὶ μάλιστα πολλῷ, ἢ ὥσπερ ἡ ἀγνωσία, ἥτις καὶ αὐτὴ σκότος ἐστὶ, παύεται γνώσεων, καὶ μάλιστα πολλῶν ἐπιγινομένων· οὕτω καὶ ἡ κατὰ Θεὸν ἀγνωσία ἔοικε τῇ κατ' ἀμαθίαν ἀγνωσίᾳ, ὡς ἔφημεν· ἀλλ' ὅσῳ φωτίζεταί τις περὶ Θεοῦ, καὶ ὅσῳ τὶς συνάγει γνῶσιν τῶν ὄντων, τουτέστι τὴν περὶ τῶν νοητῶν καὶ νοερῶν, τοσούτῳ μᾶλλον ἀναβαίνων περὶ τὴν γνῶσιν, τὴν περὶ Θεὸν



ONIICIO Caium hunc esse, ad quem D. Ioannes Euangelista tertiam suam scripsit Epistolam, coniecturam hanc quoque firmans ex aliis, quibus diuinus hic vir vnà cum Apostolis conuixit. Therapeutas autem capite sexto de Ecclesiasticâ Hierarchiâ dixit appellari monachos, ibidem docens, quánam ratione instituantur, cùm non sint Clerici, populo tamen sublimiores. Hos autem Philo Iudæus admirari visus est in libro de Vitâ contemplatiuâ, siue de Supplicibus, therapeutas ipsos vocans, & eorum vitæ institutum explicans paulò ante finẽ istius libri. Legẽ de ipsis verba Philonis. *Caius quis fuerit.*

SED NON SECVNDVM PRIVATIONEM.] Hoc, inquit, non secundùm communes sensus accipias, quòd sicut tenebræ abolentur lumine, & præsertim copioso, vel sicut ignorantia, quæ quædam tenebra est, cognitionibus cedit, maximè luculentis; ita etiam ea, quæ secundùm Deum est, ignoratio similis sit ignorationi, quæ per inscitiam existit, vti dicebamus: sed quantò magis quis à Deo illustratur, vberioremque rerum colligit cognitionem, scilicet intellectilium & intelligentium, tantò magis ad eam, quæ de Deo habe- *Quæ sit ignoratio per priuationem, & quæ per excellentiam.*

SCHOLIA S. MAXIMI.

habetur, cognitionem aſcendens, diuinam incomprehenſibilitatem cognoſcet, id eſt, illam Dei ignorationem, lucem eſſe atque cognitionē quæ cuncta cognoſcibilia tranſſcendat, ceterumque hanc ſuam de Deo eloquentiam ſilentio honorat. Itaque non ſecundùm priuationem dicitur illa Dei ignorantia, ſed per excellentiam & exceſſum cognitionis, quoniam cognoſcit quis id quod omnibus & ſibi ipſi incognitum & incomprehenſibile exiſtit. Hæc etiam dicta ſunt cap. I. Myſticæ Theologiæ, & cap. 2. de Diuinis nominibus.

Scire Deum incognoſcibilem eſſe, eſt propriè ipſum noſſe.

SED ALIQVID E REBVS EIVS.] Quantò enim quis, inquit, maiorem habet rerum notitiam, ac veram lucem, id eſt, veritatis cognitionē, tantò magis ignota cernet eſſe illa quæ de Deo dicuntur: non enim vel lumine quopiam, vel cognitione manifeſtantur, ſed potiùs latent poſſeſſores ſuos. Ipſa quoque quantalibet promotio, & incrementum in his, lumine dico & cognitione, Deum declarant inuiſibilem eſſe & incognoſcibilem; quoniam quiſquis viſo Deo intelligit id quod vidit, nequaquam ipſum vidit, ſed quidpiam eorum quæ exiſtunt & cognoſcuntur.

γνώσεται τὴν ἀκαταληψίαν, ἤτοι τὴν ἀγνωσίαν τὴν περὶ Θεὸν φῶς εἶναι, καὶ γνῶσιν ὑπὲρ πάντα τὰ γνωσθέντα· καὶ λοιπὸν σιγῇ τιμᾷ τὴν περὶ Θεὸν ἀφασίαν. Οὐκοῦν οὐ κατὰ στέρησιν γνώσεως λέγεται ἡ περὶ Θεοῦ ἀγνωσία, ἀλλὰ καθ' ὑπεροχὴν καὶ ὑπερβολὴν γνώσεως, ὅτι ἔγνω τις τὸν πᾶσι καὶ ἑαυτῷ ἄγνωστον καὶ ἀκατάληπτον. Ταῦτα καὶ ἐν τῷ περὶ Μυστικῆς θεολογίας κεφαλαίῳ α. εἴρηται, καὶ ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων κεφαλαίῳ β.

Ἀλλά τι τῶν αὐτοῦ τῶν ὄντων.] Ὅσον τὶς ἔχει, φησὶ, τῶν ὄντων τὴν γνῶσιν, καὶ τὸ ὂν φῶς, τουτέστι τῆς ἀληθείας τὴν νόησιν, τοσοῦτον τὰ περὶ Θεοῦ ὄψεται ἄγνωστα· οὐ γὰρ τῷ φωτὶ, ἢ τῇ γνώσει φανεροῦνται, ἀλλὰ μᾶλλον τοὺς ταῦτα ἔχοντας λανθάνει. Καὶ ἡ ἐν τούτοις ἐπίδοσίς τε καὶ αὔξησις, τῷ φωτί φημι καὶ τῇ γνώσει, τὸ Θεῖον δεικνύει ἀθέατόν τε καὶ ἄγνωστον· ὅτι ὁ Θεὸν θεασάμενος καὶ νοήσας ὃ εἶδεν, αὐτὸν μὲν οὐχ ἑώρακεν, ἀλλά τι τῶν αὐτοῦ τῶν ὄντων καὶ γινωσκομένων.

Αὐτῷ τῷ καθόλου.] Προσεπινοεῖν δεῖ τὸ ἐπὶ τούτοις τὸ κατὰ τὰ ὄντα καὶ γινωσκόμενα. Τὸ δὲ μὴ εἶναι πρόσκειται, ἐπειδὴ τὸ ἐστὶ τῶν κτιστῶν ἐστιν, ὁ δὲ Θεὸς καὶ ὑπὲρ τὸ εἶναι, διότι ἄκτιστος.

HOC IPSO QVOD OMNINO.] In his etiam ſubintelligendum eſt, ſecundùm ea quæ exiſtunt & cognoſcuntur. Verùm illud non eſſe ipſi conuenit, quoniam id quod ſic eſt, creaturarum eſt, Deus autem eſt ſupra exiſtentiam, quippe increatus.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Caius hic quis fuerit.

ONIICIO, inquit quidam antiquorum, Caium hunc eſſe, cui tertiam Epiſtolam ſcripſit diuiniſſimus Apoſtolus & Euangeliſta Ioannes Theologus, coniecturam hanc quoque firmans ex aliis, quibus colligitur vnà cum Apoſtolis diuinus hic vir fuiſſe conuerſatus. Therapeutas autem in Tractatu de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ monachos appellabat, dicens ibi etiam quomodo inſtituantur, cùm non ſint Clerici, populo alioquin ſuperiores. Hos autem Philo Iudæus admirari viſus eſt in libro de Vitâ contemplatiuâ, ſiue de Supplicibus, therapeutas ipſos vocans, & eorum vitæ inſtitutum explicans. Non abs re fuerit ipſiuſmet Philonis verba etiam adferre. In iſto itaque tractatu dicit: In pluribus

Therapeutæ qui.

ΕΠΙΒΑΛΛΩ, φησί τις τῶν παλαιῶν, Γάϊον τοῦτον εἶναι, ᾧ τὴν τρίτην Ἐπιστολὴν ἔγραψεν ὁ θειότατος Ἀπόστολος καὶ Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης ὁ Θεόλογος, τεκμαιρόμενος καὶ ἐκ τῶν ἄλλων οἷς συγγέγονε μετὰ τῶν Ἀποστόλων ὁ θεῖος οὗτος ἀνήρ. Θεραπευτὰς δὲ τοὺς μοναχοὺς ἔλεγεν ἐν τῷ περὶ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας συντάγματι, εἰπὼν ἐκεῖ καὶ πῶς καθίστανται μὴ ὄντες Κληρικοὶ, ἀλλ' ἀνώτεροι τοῦ λαοῦ. Τούτους δὲ ἔοικε θαυμάζειν Φίλων ὁ Ἰουδαῖος ἐν τῷ περὶ Θεωρητικοῦ βίου ἢ Οἰκετῶν συντάγματι, θεραπευτὰς αὐτοὺς καλῶν, καὶ τὴν δίαιταν αὐτῶν διηγούμενος. Οὐ χεῖρον δὲ τὸ αὐτολεξεὶ τὰ τοῦ Φίλωνος θεῖναι. Φησὶ τοίνυν ἐν τῷ τοιούτῳ συντάγματι· Πολλαχοῦ μὲν

οὖν τῆς οἰκουμένης ἐστὶ τὸ γένος· ἔδει γὰρ ἀγαθοῦ τελείου μετασχεῖν καὶ τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν βάρβαρον. Πλεονάζει δὲ ἐν Αἰγύπτῳ καθ' ἕκαστον τῶν ἐπικαλουμένων νομῶν, καὶ μάλιστα περὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν. Οἱ δὲ πανταχόθεν ἄριστοι, καθάπερ εἰς πατρίδα, θεραπευτῶν ἀποικίαν στέλλονται, πρός τι χωρίον ἐπιτηδειότατον, ὅπερ ἐστὶν ὑπὲρ λίμνης κείμενον Μαρείας ἐπὶ γεωλόφου, χθαμαλωτέρου σφόδρα εὐκαίρως, ἀσφαλείας γε ἕνεκα, καὶ ἀέρος εὐκρασίας. Καὶ πάλιν ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου· Ἐν ἑκάστῃ δὲ οἰκίᾳ ἐστὶν οἴκημα ἱερὸν, ὃ καλεῖται Σεμνεῖον καὶ Μοναστήριον· ἐν ᾧ μονούμενοι, τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦνται, μηδὲν εἰσκομίζοντες, μὴ σιτίον, μὴ ποτὸν, μηδ' ἕν τι τῶν ἄλλων ὅσα πρὸς τὰς τοῦ σώματος χρείας ἀναγκαῖα· ἀλλὰ νόμους, καὶ λόγια θεσπισθέντα διὰ Προφητῶν, καὶ ὕμνους, καὶ τἄλλα οἷς ἐπιστήμη καὶ εὐσέβεια συναύξάνεται καὶ τελειοῦται. Καὶ πάλιν ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου· Τὸ δὲ ἐξ ἑωθινοῦ μέχρι ἑσπέρας, διάστημα σύμπαν αὐτοῖς ἐστὶν ἄσκησις· ἐντυγχάνοντες γὰρ τοῖς ἱεροῖς γράμμασι, φιλοσοφοῦσι τὴν πάτριον φιλοσοφίαν, ἀλληγοροῦντες, ἐπειδὴ σύμβολα τὰ τῆς ῥητῆς ἑρμηνείας νομίζουσιν, ἀποκεκρυμμένης φύσεως ἐν ὑπονοίαις δηλουμένης. Ἔστι δὲ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἳ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν ἀρχηγέται γενόμενοι, πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπολείποντο, καθάπερ τισὶν ἀρχετύποις χρώμενοι, μιμοῦνται τῆς προαιρέσεως τὸν τρόπον. Καὶ μετ' ὀλίγα· Ὥστε οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ᾄσματα καὶ ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν διὰ παντοίων μέτρων καὶ μελῶν ἀριθμοῖς σεμνοτέροις ἀναγκαίως χαράσσοντες. Καὶ πάλιν· Ἐγκράτειαν δὲ ὥσπερ τινὰ θεμέλιον προκαταβαλλόμενοι τῇ ψυχῇ, τὰς ἄλλας ἐποικοδομοῦσιν ἀρετάς. Σιτίον δὲ ἢ ποτὸν οὐδεὶς αὐτῶν προσοίσεται πρὸ ἡλίου δύσεως, ἐπεὶ τὸ μὲν φιλοσοφεῖν ἄξιον φωτὸς κρίνουσιν εἶναι, σκότους δὲ τὰς τοῦ σώματος ἀνάγκας· ὅθεν τῷ μὲν ἡμέραν, ταῖς δὲ βραχύ τι μέρος νυκτὸς ἔνειμαν. Ἔνιοι δὲ καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ὑπομιμνήσκονται τροφῆς, οἷς πλείων ὁ πόθος ἐπιστήμης ἐνίδρυται. Τινὲς δὲ οὕτως ἐνευφραίνονται καὶ τρυφῶσιν ὑπὸ σο-

orbis locis hoc genus Monachorum reperire est; oportebat enim boni illius tam perfecti participem existere non solùm Græciam, sed & barbariem. Abundat verò in Ægypto per singulas regiones, Græcè *μονάς* dictas, & maximè circa Alexandriam. Vndique autem optimi quique in therapeutarum coloniam, tamquam in patriam, ad regionem quamdam opportunissimã commigrant, quæ iuxta stagnum Mariæ, in colliculo quodam humiliore sita est, perquam opportuno, cùm securitatis gratiâ, tum ob commodam aëris temperiem. Rursus ex eodem Opere: In qualibet autem familiâ est ædes sacra, quæ vocatur *σεμνεῖον* & monasterium, in quâ solitarij degentes, religiosę vitæ munia obeunt, nihil eò inferentes, non cibum, non potum, neque quidquam rerum ceterarum, ad corporis vsum necessariarum, præterquam leges, & oracula Prophetarum, & hymnos, ceteraque quibus eruditio & pietas adaugetur atque perficitur. Rursus ex eodem Opere: A manè autem vsque in vesperam, omne spatium illis est exercitatio; quoniam sacris Litteris incumbentes philosophantur, patriam philosophiam ad allegoriam traducentes: quandoquidem illa tritæ interpretationis symbola, censent arcanæ cuiusdam naturæ esse coniecturis probabilibus explicandæ. Sed & commentaria habent priscorum, qui cùm suæ sectæ primarij duces essent, multa monuméta formulæ in eruendis allegoriis obseruandæ reliquerunt, quibus quasi primariis exemplaribus vtentes, eorumdem propositi rationem imitantur. Idem post pauca: Itaque non solùm contemplantur, verùm etiam Cantica hymnosque ad Deum scribunt, omnigenâ numerositate metrorum ac membrorum eleganter exarantes. Et rursus: Temperantiam verò tamquam fundamentum quoddam animæ præmittentes, ceteras virtutes superextruunt. Cibum enim potúmve nemo gustat ante solis occasum, cùm philosophiam quidem luce dignam censeant, tenebras verò corporis necessitatibus addicant: vnde fit vt illi quidem diem, his verò exiguam quamdam noctis portiunculam attribuant. Quin etiam nonnulli tertio vixdum die de cibo cogitant, vt qui maiori scientiæ desiderio teneantur. Quidam etiam à sapientiâ,

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Frequentia & ratio viuendi Monachorum olim in Aegypto.

Abstinentia antiquorũ Monachorum.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

tiâ, doctrinam suam copiosè ac sine inuidiâ communicãte, deliciosè pasti, tantâ gestiunt lætitiâ, vt duplo temporis spatio inediam sustineant, & vix sexto demum die necessaria degustent alimenta. Itemque: Sunt & feminæ quædam therapeutides, quarum plurimæ vetulæ, virgines existunt, non necessitate, vt apud Gentiles quædam sacerdotes coactæ magis quàm spontaneâ voluntate, castitatem conseruantes, propter zelum ac desiderium sapientiæ, cui conuiuere satagentes, corporis molestias contempserunt, nequaquam liberorum mortalium, sed immortalium desiderio æstuantes, quos sola anima Deo chara parere potest. Item: Ab iis in sacras Litteras commentationes eduntur allegoriis adopertæ: siquidem omnis legis sanctio videtur illis similis animali, cuius corpus quidem sint dictæ legis sanctiones, anima verò, sit sensus inuisibilis sub eius verbis delitescens, quem vbi luce suâ excellenti modo cœperit contemplari, tamquam per speculum quoddam nominum seu dictionum, eximiam quamdam pulchritudinem conspicit repræsentari. Atque hæc quidem ex Philone, quæ de Therapeutis scripsit, quorum vnus erat Caius, ad quem Sanctus hic Epistolam hanc scribit, dicens: Quoniam secundùm nos tenebræ ipsæ priuatio quædam est, lux verò habitus; lux non tenebris, sed tenebræ luce abolentur; siquidem absentia lucis, tenebræ sunt, non verò absentia tenebrarum lux existit. Idem etiam intellige in ignorantiâ & cognitione: cognitio enim habitus est, ignorantia verò priuatio cognitionis. Cùm itaque absentia cognitionis quodammodò existens, faciat ignorantiam, non secùs atque lucis secessio tenebras, omnino etiam præsentia cognitionis dissoluit ignorationem; quantoq; copiosius est lumen, tantò magis tenebræ euanescunt; & quantò luculentiores sunt cognitiones, tantò citiùs ignoratio dissipatur. Obserua verò, quòd non dixit multas luces, sed multam lucem; vna enim lux est, siue remissa, siue sit intensa. Contrà non multam cognitionem, sed multas dixit cognitiones. Cùm enim cognitio sit cognitorum cognitio, cognita autem sint multa & infinita, vtique etiam cognitiones plurimæ sunt & infinitæ. Multam autem cognitionem non dixit, quòd cognitio mediocritas quædam sit, & vtrimque habeat, tamquam

Moniales antiquitus quales.

Tenebræ & lux, quid sint.

Cur dixerit Dionysius lucem in singulari, & cognitiones in plurali.

φίας ἐστιώμενοι, πλουσίως καὶ ἀφθόνως τὰ δόγματα χορηγούσης, ὡς καὶ διπλασίονα χρόνον ἀντέχειν, καὶ μόλις δι' ἓξ ἡμερῶν ἀπογεύεσθαι τροφῆς ἀναγκαίας ἐθισθέντες. Καὶ πάλιν· Εἰσὶ δὲ καὶ γυναῖκες θεραπευτίδες, ὧν αἱ πλεῖσται γηραλέοι, παρθένοι, τυγχάνουσι, τὴν ἁγνείαν οὐκ ἀνάγκῃ, καθάπερ ἔνιαι τῶν παρ' Ἕλλησιν ἱερειῶν, φυλάττουσαι μᾶλλον ἢ καθ' ἑκούσιον γνώμην, διὰ ζῆλον καὶ πόθον σοφίας, ᾗ συμβιοῦν σπουδάζουσαι, τῶν περὶ τὸ σῶμα ἡδονῶν ἠλόγησαν, οὐ θνητῶν ἐκγόνων, ἀλλ' ἀθανάτων ὀρεχθεῖσαι, ἃ μόνη τίκτειν ἀφ' ἑαυτῆς οἵα τέ ἐστιν ἡ θεοφιλὴς ψυχή. Καὶ πάλιν· Αἱ δὲ ἐξηγήσεις τῶν ἱερῶν γραμμάτων γίνονται αὐτοῖς δι' ὑπονοιῶν ἐν ἀλληγορίαις· ἅπασα γὰρ ἡ νομοθεσία δοκεῖ τοῖς ἀνδράσι τούτοις ἐοικέναι ζώῳ, καὶ σῶμα μὲν ἔχειν τὰς ῥητὰς διατάξεις, ψυχὴν δὲ τὸν ἐναποκείμενον ταῖς διαλέξεσιν ἀόρατον νοῦν, ὃν ἤρξατο διαφερόντως τῇ οἰκείᾳ αὐγῇ θεωρεῖν, ὡς διὰ κατόπτρου τῶν ὀνομάτων ἐξαίσια κάλλη ἐμφαινόμενα κατιδοῦσα. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν τὰ τοῦ Φίλωνος, ἃ δὴ περὶ θεραπευτῶν ἔγραψεν, ὧν εἷς ἐστι καὶ Γάϊος, πρὸς ὃν ἐπιστέλλει ὁ Ἅγιος, λέγων, Ὅτι ἐφ' ἡμῖν μὲν, ἐπεὶ τὸ σκότος στέρησίς ἐστι, τὸ δὲ φῶς ἕξις, οὐ γίνεται ἀφανὲς τὸ φῶς τῷ σκότει, ἀλλὰ τὸ σκότος τῷ φωτί· ἀπουσία γὰρ τοῦ φωτὸς, τὸ σκότος ἐστίν· οὐ μὴν ἀπουσία τοῦ σκότους, τὸ φῶς. Τοῦτο λάβε καὶ ἐπὶ τῆς ἀγνωσίας καὶ τῆς γνώσεως· ἡ γὰρ γνῶσις ἕξις, ἡ δὲ ἀγνωσία στέρησις γνώσεως. Καὶ ἐπεὶ ἡ ἀπουσία τῆς γνώσεως παρυφίσταται, τὴν ἀγνωσίαν ποιεῖ, ὡς τὸ σκότος ἡ τοῦ φωτὸς ὑποχώρησις, πάντως καὶ ἡ παρουσία τῆς γνώσεως διαλύει τὴν ἀγνωσίαν· καὶ ὅσῳ μᾶλλον πλέον τὸ φῶς, τοσούτῳ τὸ σκότος ἀφανίζεται· καὶ ὅσον πλείους αἱ γνώσεις, τοσοῦτον ἡ ἀγνωσία ἀφανίζεται. Καὶ ὅρα, ὅτι πολλὰ φῶτα οὐκ εἶπε, πολὺ δὲ φῶς· ἓν γὰρ τὸ φῶς, εἴτε ἀνιέμενον, εἴτε ἐπιτεινόμενον. Καὶ πάλιν, πολλὴν μὲν γνῶσιν οὐκ εἶπε, πολλὰς δὲ γνώσεις εἶπεν. Ἐπειδὴ γὰρ ἡ γνῶσις, γνωστῶν γνῶσις, τὰ δὲ γνωστὰ, πολλὰ καὶ ἄπειρα, ἄρα καὶ αἱ γνώσεις πολλαὶ καὶ ἄπειροι. Πολλὴν δὲ γνῶσιν οὐκ εἶπεν, ἐπειδὴ μεσότης ἐστὶν ἡ γνῶσις, καὶ παρ' ἑκάτερα ἔχει, ὡς

κακίας,

κακίας, τὴν ἄνεσιν καὶ τὴν ἐπίτασιν, ἔνθεν μὲν τὴν ἄγνοιαν, ἐκεῖθεν δὲ τὴν περίνοιαν, ἣ δὴ καὶ πολλὴ γνῶσις λέγοιτ' ἄν. Ὡς γοῦν αἱ πολλαὶ γνώσεις ὡς μεσότητες τὴν φρόνησιν συνιστῶσιν, οὕτως αἱ πολλαὶ ἄγνοιαι τὴν μωρίαν, καὶ αἱ πολλαὶ περίνοιαι τὴν πονηρίαν. Μὴ τοῦτο γοῦν, φησί, κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας ὑπολάβῃς, ὅτι ὥσπερ τὸ σκότος λύεται φωτί, καὶ μάλιστα πολλῷ· ἢ ὥσπερ ἡ ἀγνωσία, ἥτις καὶ αὐτὴ σκότος ἐστί, παύεται, γνώσεων καὶ μάλιστα πολλῶν ἐπιγινομένων· οὕτω καὶ ἡ κατὰ Θεὸν ἀγνωσία ἔοικε τῇ κατὰ ἀμαθίαν ἀγνωσίᾳ, ὡς ἔφημεν. Ἀλλ' ὅσῳ φωτίζεταί τις παρὰ Θεοῦ, καὶ ὅσῳ τις συνάγει γνῶσιν τῶν ὄντων, τουτέστι τῶν περὶ τῶν ὄντων καὶ νοερῶν, τοσούτῳ μᾶλλον ἀναβαίνων περὶ τὴν γνῶσιν τὴν περὶ Θεὸν γνώσεται τὴν ἀκαταληψίαν, ἤτοι ἀγνωσίαν τὴν περὶ Θεόν, φῶς εἶναι καὶ γνῶσιν ὑπὲρ πάντα τὰ γνωσθέντα, καὶ λοιπὸν, σιγῇ τιμᾷ τὴν περὶ Θεὸν ἀφασίαν. Οὐκοῦν οὐ κατὰ στέρησιν γνώσεως λέγεται ἡ περὶ Θεοῦ ἀγνωσία, ἀλλὰ καθ' ὑπεροχὴν καὶ ὑπερβολὴν πάσης γνώσεως, ὅτι ἔγνω τις τὸ πᾶσι καὶ ἑαυτῷ ἄγνωστόν τε καὶ ἀκατάληπτον· ταῦτα καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ κεφαλαίῳ τοῦ περὶ Θείων ὀνομάτων εἴρηται. Ταῦτα τοίνυν, τὸ σκότος φημὶ καὶ τὴν ἀγνωσίαν, ὑπεροχικῶς, ἀλλὰ μὴ κατὰ στέρησιν ἐκλαβὼν, ὅτε περὶ Θεοῦ ἐκλαμβάνεις ταῦτα, ἀπόφησον ὑπεραληθῶς, δηλονότι εἰπὲ σαφῶς. Ἐπειδὴ γὰρ ταῦτα καὶ ὑπὲρ ὃ ἐνταῦθά εἰσι, νοοῦνται ἐκεῖσε καὶ ὁ περὶ τούτων λόγος οὐχ ἁπλῶς ἀληθινὸς λόγος ἔσται, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τοῦτο τὸ ἀληθινὸν μιμουμένου τοῦ λόγου τὸ τῶν πραγμάτων ὑπεροχικόν· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ, Ὑπεραληθῶς ἀπόφησον. Ἐπειδὴ ὅσον τις ἔχει, φησί, τῶν ὄντων τὴν γνῶσιν, καὶ τὸ ὂν φῶς, τοῦτ' ἔστι τῆς ἀληθείας τὴν νόησιν, τοσοῦτον τὰ περὶ τοῦ Θεοῦ ὄψεται ἄγνωστα· οὐ γὰρ τῷ φωτὶ ἢ τῇ γνώσει φανεροῦνται, ἀλλὰ μᾶλλον τοὺς ταῦτα ἔχοντας λανθάνει. Καὶ ἡ ἐν τούτοις ἐπίδοσίς τε καὶ αὔξησις, τῷ φωτί φημι καὶ τῇ γνώσει, τὸ Θεῖον δείκνυει ἀθέατόν τε καὶ ἄγνωστον· οὐδὲ γὰρ ἀφανὲς γίνεται τὸ τοιοῦτον σκότος ἐν τῷ πολλῷ φωτὶ τῆς περὶ τούτου ἀληθείας, ἀλλὰ περικαλύπτεται, καὶ μᾶλλον γινώσκεται ὅτι

vitia, remiſſionem & intenſionem; & huic quidem ignorantiam, inde verò curioſitatem, quæ & multa ſeu nimia cognitio dici poſſit. Vt igitur multæ cognitiones, quaſi mediocritates, conſtituunt prudentiam, ſic etiam multæ ignorationes fatuitatem, & multæ curioſitates vafritiem. Ne itaque hoc, inquit, ſecundùm communes intelligentias accipias, vt ſicut tenebræ luce ſoluuntur, præſertim multâ luce; vel prout ignoratio, quæ & ipſa tenebræ, cognitionibus cedit, præſertim ſi multæ ingruant: ſic etiam ea quæ ſecundùm Deum eſt ignorantia, ſimilis ſit ignorationi quæ per inſcitiam exſiſtit, vti dicebamus. Sed quantò magis quis à Deo illuſtratur, vberioremque rerum colligit cognitionem, earum nimirum quæ ſubſiſtunt & intelligunt; tantò magis ad eam quę de Deo habetur cognitionem adſcendens, diuinam incomprehenſibilitatem cognoſcet, id eſt, illam Dei ignorationem, lucem eſſe atque cognitionem quæ cetera cognoſcibilia tranſſcendat; ceterumq; hanc ſuam de Deo ineloquentiam ſilentio honorat. Non itaque ſecundùm priuationem dicitur iſtiuſmodi de Deo ignorantia, ſed per exceſſum & excellentiam omnis cognitionis, quoniam cognoſcit quis id quod omnibus & ſibi ipſi incognitum & incomprehenſibile exiſtit. hæc etiam capite ſecundo Diuinorum nominũ explicata ſunt. Hæc igitur, tenebras dico & ignorationem, per exceſſum, ſed non ſecundùm priuationem de Deo intelligendo accipiens, ſupraquam verè enuntia, id eſt, dic perſpicuè. Cùm enim hæc, vltra id etiam quòd hîc ſunt, ibi intelliguntur, ſermo quoque de his non ſimplici modo verus erit, verùm etiam veritatem quantumcumq; noſtri imitatitij ſermonis, ipſa rerum magnitudo ſuperabit; hoc enim inſinuant illa verba, *ſupraquam verè enuntia*. Quantò enim quis, inquit, maiorem habet rerum notitiã, ac lucem, id eſt veritatis cognitionem, tantò magis ignota cernet eſſe illa quæ de Deo dicuntur: non enim vel lumine quopiam, vel cognitione manifeſtantur, ſed potiùs latent poſſeſſores ſuos. Ipſa quoque quantalibet promotio & incrementum in his, lumine dico & cognitione, Deum declarant inuiſibilem eſſe & incognoſcibilem: neq; enim iſtiuſmodi tenebræ in tam multâ luce iſtius veritatis abolentur, ſed operiuntur, magiſque tenebræ eſſe dignoſcuntur,

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Ignorantia quo ſenſu dicatur in Deo.

Qualis cognitio Dei ſit perfectior.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

tur, dum omnem occulunt cognitionem. Vbi igitur concurrerint eæ quæ de intelligentiis habentur notitiæ, non aufugit ignorantia, ſed permanet arcana prorſus, omnemque effugit cognitionem, nuſquam recedens, ſed exſtans & permanens, omnesq; ſuperás notiones, aliud nihil pro comperto habentes, quàm quòd ſupereminenter hoc manet incognitum quod inquiritur. Quocircà quiſquis viſo Deo, intelligit id quod vidit, nequaquam ipſum vidit (*Deum enim nemo vidit vmquam*) ſed quidpiam eorum quæ exiſtunt, & cognoſci ſolent ab iis qui ſe propter puritatem tali viſione dignos præſtiterunt. Ipſe verò ſupra omnem mentem, omnemque ſubſtantiam ſupra poſitus, hoc ipſo quo penitus non cognoſcitur, ſupra mentem noſcitur, quoniam ſupra omnia eſt, hoc ipſo nimirum quo omnino non eſt; quoniam eſſe creaturarum eſt, & eorum quæ ſub exiſtentiam cadunt, Deus verò eſt ſupra ipſam exiſtentiam, atque adeò quidem eſt, ſed ſupra-eſſentialiter, perfectiſſimaque in bonam partem ignoratio eſt. quantum enim quis ad ſupera ducitur, in tantum meliori occurrit ignorationi. Hæc itaque ignoratio non eſt priuatio cognitionis, ſed excellens notitia, quæ Deum prout poteſt, apprehendit, quoniam exiſtit ſupra omnia quæ cognoſcuntur.

1. Ioan. 4. 12.

σκότος, καὶ ἀποκρύπτεται πᾶσαν γνῶσιν. Ὥστε ὅταν συνέλθωσιν αἱ περὶ τὴν νοερῶν γνώσεις, οὐκ ἀποδιδράσκει ἡ ἀγνωσία, ἀλλὰ μένει ἀποκρυπτομένη, καὶ διαφεύγουσα πᾶσαν γνῶσιν, οὐχ ὑποχωροῦσα, ἀλλ᾽ οὖσα καὶ μένουσα, καὶ νικῶσα τὰς γνώσεις, οὐδὲν ἄλλο καταλαμβανούσας, ἢ ὅτι ὑπεροχικῶς ἄγνωστόν ἐστι τὸ ζητούμενον. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Θεὸν θεασάμενος, καὶ νοήσας ὃ εἶδεν, αὐτὸν μὲν οὐχ ἑώρακε (Θεὸν γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε) ἀλλά τι τῶν περὶ αὐτὸν ὄντων, καὶ πεφυκότων καταλαμβάνεσθαι, καὶ τότε τοῖς ἀξίοις διὰ καθάρσεως γινομένοις. Αὐτὸς δὲ ὑπὲρ πάντα νοῦν, καὶ πᾶσαν οὐσίαν ὑπεριδρυμένος, ἐν αὐτῷ μὲν τῷ μὴ καθόλου γινώσκεσθαι, ὑπὲρ νοῦν γινώσκεται, ὅτι ὑπὲρ πάντα ἐστὶν, ἐν δὲ τῷ μὴ εἶναι καθόλου πάλιν· τὸ γὰρ εἶναι, τῶν κτιστῶν ἐστι, καὶ τῶν ἐλθόντων εἰς ὕπαρξιν, ὁ δὲ Θεὸς καὶ ὑπὲρ τὸ εἶναι· διὰ τοῦτό ἐστι μὲν, ἀλλ᾽ ὑπερουσίως, καὶ ἡ κατὰ τὸ κρεῖττον παντελὴς ἀγνωσία. ὅσῳ γὰρ ἀνάγεταί τις, εἰς ἀγνωσίαν κρείττονα καταντᾷ. Αὕτη γοῦν ἡ ἀγνωσία οὐ στέρησίς ἐστι γνώσεως, ἀλλὰ γνῶσις ὑπερέχουσα καὶ καταλαμβάνουσα ὡς ἐφικτὸν τὸν Θεὸν, ὅτι ὑπὲρ πάντα ἐστὶ τὰ γινωσκόμενα.

EPISTOLA II.

Eidem Caio Monacho.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ Β'.

Τῷ αὐτῷ Γαΐῳ θεραπευτῇ.

SYNOPSIS.

Explicat quo ſenſu dicatur Deus eſſe ſupra-principium diuinitatis & bonitatis, ſcilicet participatæ & creatæ.

Deus principium diuinitatis & bonitatis.



QVOMODO qui eſt ſupra omnia, etiam ſupra-principium diuinitatis & ſupra-principium bonitatis exiſtit? Si diuinitatem & bonitatem intelligas rem ipſam deifici & bonifici doni, & inimitabilem imitationem ſupraquam Dei & ſupraquam boni, ſecundùm quam deificamur & boni efficimur. Etenim cùm



ΠΩΣ ὁ πάντων ἐπέκεινα, καὶ ὑπὲρ θεαρχίαν ἐστί, καὶ ὑπὲρ ἀγαθαρχίαν; Εἰ θεότητα καὶ ἀγαθότητα νοήσαις, αὐτὸ τὸ χρῆμα τοῦ ἀγαθοποιοῦ καὶ θεοποιοῦ δώρου, καὶ τὸ ἀμίμητον μίμημα τοῦ ὑπερθέου καὶ ὑπεραγάθου, καθ᾽ ὃ θεούμεθα καὶ ἀγαθυνόμεθα· Καὶ γὰρ εἰ τοῦτο

ἀρχὴ


ἀρχὴ γίνεται τοῦ θεοῦσθαι καὶ ἀγαθύνεσθαι τοῖς θεουμένοις καὶ ἀγαθυνομένους, ὁ πάσης ἀρχῆς ὑπεράρχιος, καὶ τῆς οὕτω λεγομένης θεότητος καὶ ἀγαθότητος, ὡς θεαρχίας καὶ ἀγαθαρχίας ἐστὶν ἐπέκεινα, καθ' ὅσον ἀμίμητος, καὶ ἄσχετος, ὑπερέχει τῶν μιμήσεων καὶ σχέσεων, καὶ τῶν μιμουμένων καὶ τῶν μετεχόντων.

TEXTVS S. DIONYSII.

hoc etiam principium sit deificationis ac bonificationis eorum qui deificantur & boni efficiuntur, qui est omnis principij supraquam-principium, etiam sic dictâ diuinitate ac bonitate, tamquam principium diuinitatis, & principium bonitatis superior existit: in quantum inimitabilis & incomprehensus, antecellit imitationibus & comprehensionibus, & eis qui imitantur & participes fiunt.

ANNOTATIONES CORDERII.

Quo sensu dicatur Deus auctor & principium diuinitatis.



SVPRA *principium diuinitatis*, &c.] Scilicet in creaturis, quia Deus est auctor Diuinitatis in sanctis hominibus & Angelis, qui Deum imitantur, & eis similes fiunt, de quibus scriptum est: *Ego dixi, Dÿ estis, & filÿ Excelsi omnes.* (Psal. 81, 6.) Eodem sensu cap. XI. de Diuinis nominibus §. 6. sub finem ait, Deum auctorem esse per se bonitatis & per se diuinitatis. Vocant autem (inquit) per se bonitatem, & per se diuinitatem, donum à Deo profectum, quod bonos & Deos facit. Nempe tamquam principium, participans principium omnium rerum, quod non potest participare, neq; in se participari, quia non potest fieri pars alicuius, quod est solus Deus; & tamquam principium imparticipatum, quia est formale principium participantibus in suo genere; vt per se bonitas, principium formale bonis non re, sed ratione separatum à bonis, qui participatione bonitatis creatæ dicuntur & sunt formaliter boni. Et similiter in reliquis huiusmodi principiis, secundùm vniuscuiusque principij naturam & ordinem. Vide Annotationes ad Cap. VI. & XI. de Diuinis nominibus.

Nota hîc ipsam imitationem Dei, vocari deificationem, quia non deificamur nisi imitando Deum. Deificatio autem ipsa quæ dici solet per se deificatio, est donum Dei, & principium nostræ deificationis, à Deo donatum nobis. Deus igitur est supra huiusmodi principium formale diuinitatis deificæ, quâ tamquam dono Dei boni efficimur ab eo. De hoc deificationis principio S. Maximus in disputatione contra Pyrrhum, Sicut, inquit, inflammatio inflammatum & inflammantem secum infert, & refrigeratio refrigeratum & refrigerantem, & visio visum & videntem, & intelligentia intellectam rem & intelligentem (non enim potest habitudo sine habitis dici aut intelligi;) sic, vt consequens est, deificatio deificatum & deificantem secum inducit. Idem: Oportebat, vt verè dicam, eum qui est auctor eorum quæ secundùm naturam sunt, esse etiam auctorem deificationis secundùm gratiam. Idem iterùm, Demonstraui, inquit, diuinam potentiam, quæ supra substantiam est, efficere deificationem eorum qui secundùm gratiam deificati sunt. Nonnumquam etiam latiùs sumitur deificatio, vt à Gregorio Theologo in Oratione postquam factus est Presbyter. Solitudinem, inquit, maximè omnium amplexus sum, & tamquam adiutricem & parentem diuini ascensus; & deificam vehementer admiratus sum.

Deificatio quid.

SCHOLIA S. MAXIMI.



ΠΩΣ ὁ πάντων ἐπέκεινα.] Ταῦτα πολλάκις μὲν καὶ ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων διαφόρως εἴρηται· κατ' ἐξαίρετον δὲ αὐτὰ ἡρμήνευσεν ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ κεφαλαίῳ ια. περὶ τὸ τέλος, λέγων, Πῶς ὁ πάντων αἴτιος, καὶ θεότης

Quomodo Deus sit supra-principium diuinitatis.



QVOMODO QVI EST SVPRA OMNIA.] Hæc quidem in libro de Diuinis nominibus diuersimodè explicuit; excellenter autem hæc ipsa capite vndecimo sub finem interpretatus est, dicens: Quomodo qui omniũ est auctor, imò

SCHOLIA S. MAXIMI.

ipsa deitas & bonitas effector sit tam bonitatis quàm deitatis, & his emineat. Legendum autem hoc modo: Rogas quomodo Deus sit supra-principium diuinitatis? Deinde respondet: Si diuinitatem intelligas esse donum ipsum per quod deificamur, non tamen ipsum Deum, habes solutioné: Deus enim, secundùm se inquam, vt superessentialis essentia est supra-principium illud diuinitatis, quod ipse dat atque communicat, id est, supra deificationem, & sic de ceteris. Deinde sic argumentando ait, quòd si hoc à Deo promanans donum, principium est nostræ deificationis, vtique etiam auctor idem est totius principij, imò potiùs supra-principium est, atque ita dictam etiam diuinitatem transscendit. Deus enim non secundùm habitum, vti nos, bonitatem obtinet, sed sine habitu habet; nos autem per habitudinem, siquidem nos mutabiles sumus, ipse verò immutabilis.

SI DIVINITATEM ET BONITATEM.] Non ipsam, inquit, secundùm substantiam diuinitatem & bonitatem, dico quid tandem ipsa sit, sed bonificum & deificum donum veri Dei ac boni. Hoc enim est principium & causa deificationis ac bonificationis; & hoc modo ait ipsum dici supra-principium diuinitatis ac bonitatis, sic nempe intellectum. Quin etiam hinc nota, diuinitatem ac bonitatem illam non esse ipsam Dei essentiam, quoniam supra hanc etiam Deus est, vt de Diuinis nominibus capite vndecimo fusiùs est explicatum.

EST INIMITABILIS ET HABITVS EXPERS.] Qui secundùm habitum non habet quidquam, sed ex seipsis imitatio & habitus sunt res ipsæ, participantes verò & imitantes, circa quos talia conspiciuntur. Deum autem dixit inimitabilem & habitus expertem, quoniam quantò quis ad imitationem & Dei habitudinem accesserit, tantò magis intelligit, ipsum nullâ vel imitatione vel habitudine attingi posse.

καὶ ἀγαθότης καὶ θεότητος ὑποστάτης, καὶ ὑπὲρ ταῦτα. Οὕτω δὲ ἀναγνωστέον· Ἐρωτᾷς πῶς ὁ Θεὸς ὑπὲρ θεότητος ἀρχήν; Εἶτα ἀποκρίνεται· Εἰ νοήσεις, ὅτι θεότης αὐτὸ τὸ ἐκ Θεοῦ δῶρόν ἐστι καθ' ὃ θεούμεθα, οὐ μὴν αὐτὸς ὁ Θεὸς, ἔχεις τὴν λύσιν· ὁ γὰρ Θεὸς, αὐτό φημι καὶ ὑπερούσιος οὐσία ὑπὲρ τὴν παρ' αὐτοῦ δωρουμένην καὶ χαριζομένην θεαρχίαν, τουτέστι θέωσίν ἐστι, καὶ τὰ ἑξῆς ὁμοίως. Εἶτα λοιπὸν συλλογίζεται, φάσκων, ὅτι εἰ τὸ ἐκ Θεοῦ δῶρον ἀρχὴ γίνεται τοῦ θεοῦσθαι ἡμᾶς, δῆλον ὅτι πάσης ἀρχῆς αἴτιος, καὶ ἀρχὴ ὤν, μᾶλλον δὲ ὑπεράρχιος οὕτω καὶ τῆς λεγομένης θεότητος, ἢ ὡς θεαρχίας ἐπέκεινά ἐστιν. Ὁ μὲν γὰρ Θεὸς οὐ κατὰ σχέσιν, ὡς ἡμεῖς, κτᾶται τὸ ἀγαθὸν, ἀλλ' ἀσχέτως ἔχει· ἡμεῖς δὲ σχετῶς, τρεπτοὶ γὰρ, ἐκεῖνος δὲ ἄτρεπτος.


Εἰ θεότητα καὶ ἀγαθότητα.] Οὐκ αὐτὴν, φησὶ, τὴν κατ' οὐσίαν θεότητα καὶ ἀγαθότητα, ὅ,τι ποτέ ἐστι λέγω, ἀλλὰ τὴν ἀγαθοποιὸν καὶ θεοποιὸν δωρεὰν τοῦ ὄντος Θεοῦ καὶ ἀγαθοῦ, τοῦτο γὰρ ἡ ἀρχὴ καὶ αἰτία τοῦ θεοῦσθαι καὶ ἀγαθύνεσθαι· καὶ κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον φησὶ λέγεσθαι ὑπὲρ θεαρχίαν καὶ ἀγαθαρχίαν τὴν οὕτω δηλαδὴ νοουμένην. Σημείωσαι δὲ καὶ ἐντεῦθεν, ὅτι ἡ θεότης καὶ ἡ ἀγαθότης, οὐκ αὐτουσία ἐστὶ τοῦ Θεοῦ· καὶ γὰρ καὶ τούτο ἐπέκεινα ὁ Θεὸς, ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων κεφαλαίῳ ια. πλατύτερον εἴρηται.

Ἀμίμητος καὶ ἄσχετος.] Ὁ κατὰ σχέσιν οὐκ ἔχων τι, ἀλλ' ἐξ ἑαυτοῦ μίμησις καὶ σχέσις αὐτὰ τὰ πράγματα, μετέχοντες δὲ καὶ μιμούμενοι, περὶ οὓς ταῦτα ὁρῶνται. Ἀμίμητον δὲ καὶ ἄσχετον ἔφη τὸ Θεῖον, ὅτι ὅσῳ τὶς πρὸς μίμησιν καὶ σχέσιν Θεοῦ προκόπτει, τοσοῦτον καταλαμβάνει τὸ ἀνέφικτον τῆς μιμήσεως καὶ σχέσεως.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.



HÆC sæpè quidem in libro de Diuinis nominibus diuersimodè explicuit, excellenter auté hæc ipsa capite vndecimo sub finem interpretatus est, dicens: Quonam pacto qui omnium est auctor, imò ipsa bonitas, ipsa Deitas, effector



ΤΑΥΤΑ πολλάκις μὲν ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων λόγῳ διαφόρως εἶπεν, ἐξαιρέτως δὲ αὐτὰ ἡρμήνευσεν ἐν τῷ ἑνδεκάτῳ κεφαλαίῳ περὶ τὸ τέλος λέγων· Πῶς ὁ πάντων αἴτιος, καὶ ἀγαθότης, καὶ θεότης, ὑποστάτης

ἐστὶ

καὶ ἀγαθότητος καὶ θεότητος, καὶ ὑπὲρ ταῦτά ἐστιν. Οὕτω δὲ ἀναγνωστέον· Ἐρωτᾷς, πῶς ὁ Θεὸς ὑπὲρ θεότητος ἀρχὴν καὶ ὑπὲρ ἀγαθότητος ἀρχήν ἐστιν. Εἶτα ἀποκρίνεται, καί φησιν, Ἐννοήσεις ὅτι ἡ θεότης, αὐτὸ τὸ ἐκ Θεοῦ δῶρόν ἐστι καθὸ θεούμεθα, οὐ μὴν αὐτὸς ὁ Θεὸς, ἕξεις τὸ ζητούμενον. Οὐ γὰρ αὐτὴν, φησὶ, τὴν κατ' οὐσίαν θεότητα καὶ ἀγαθότητα, ὅ,τι ποτέ ἐστι λέγω, ἀλλὰ τὴν ἀγαθοποιὸν καὶ θεοποιὸν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ τοῦ ὄντως καὶ ἀγαθοῦ· τοῦτο γὰρ ἡ ἀρχὴ καὶ αἰτία τοῦ θεοῦσθαι καὶ ἀγαθύνεσθαι. Καὶ κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον φησὶ λέγεσθαι ὑπὲρ θεαρχίαν καὶ ὑπὲρ ἀγαθαρχίαν, τῆς οὕτω δηλαδὴ νοουμένης. Εἰ γοῦν τὸ ἐκ Θεοῦ δῶρον, ἀρχὴ γίνεται τοῦ θεοῦσθαι ἡμᾶς, δηλονότι, πάσης ἀρχῆς αἴτιος καὶ ἀρχὴ ὁ Θεός· οὕτω δὴ καὶ τῆς λεγομένης θεότητος ἐπέκεινά ἐστιν. Ὁ μὲν γὰρ Θεὸς οὐ κατὰ σχέσιν, ὡς ἡμεῖς, κτᾶται τὸ ἀγαθὸν, ἀλλ' ἀσχέτως ἔχει, καὶ οὐ κατὰ μετοχὴν, ἡμεῖς δὲ σχετικῶς· ἡμεῖς γὰρ τρεπτοὶ, ἐκεῖνος δὲ ἄτρεπτος. Ἀμίμητον δὲ μίμημά φησι τοῦ Θεοῦ, τὴν ἡμῶν ὡς ἐφικτὸν θέωσιν. Ἐπεὶ γὰρ οὐ καλῶς θεούμεθα, εἰ μὴ ἐν τῷ μιμεῖσθαι τὸ Θεῖον, διὰ τοῦτο μίμημα λέγεται· ἐπεὶ δὲ οὐκ ἐφικνούμεθα πρὸς τὸ ἀρχέτυπον, οὐδ' ὁπωσοῦν ἀμίμητον λέγεται. Τοίνυν καὶ μίμησις μὲν καὶ σχέσις ἐστὶν, αὐτὰ τὰ πράγματα, ἡ θεότης καὶ ἡ ἀγαθότης· μετέχοντες δὲ καὶ μιμούμενοι, οἱ Ἄγγελοι, καὶ τῶν ἀνθρώπων περὶ οὓς ταῦτα ὁρῶνται. Τὸ δὲ Θεῖον, ἀμίμητόν ἐστι καὶ ἄσχετον· ὅτι ὅσῳ τις πρὸς μίμησιν καὶ σχέσιν Θεοῦ προκόπτει, τοσούτῳ καταλαμβάνεται τὸ ἀνέφικτον τῆς μιμήσεως καὶ τῆς σχέσεως. Ὑπερέχον τοιγαροῦν τὸ Θεῖον τῶν μιμήσεων καὶ τῶν σχέσεων, δηλονότι τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀγαθότητος, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν τῶν μιμουμένων καὶ μετεχόντων, τουτέστι τῶν κατὰ χάριν Θεῶν τε καὶ ἀγαθῶν. Εἰκότως ὑπὲρ τὴν θεαρχίαν καὶ τὴν ἀγαθαρχίαν ἐστίν.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Quomodo Deus sit supra Deitatem & bonitatem.

ſit tam bonitatis quàm deitatis, & his emineat? Legendum autem hoc modo: Rogas quomodo Deus ſit ſupra-principium diuinitatis, & ſupra principium bonitatis. Deinde reſpondet, & ait: Si diuinitatem intelligas eſſe donum ipſum, per quod deificamur, non autem ipſum Deum, habebis id quod quæritur. Non enim, inquit, ſecundùm eſſentiam dico quid ſit Deitas, & quid ſit bonitas, ſed ipſummet donum deificum & bonificum Dei verè boni; ſiquidem hoc principium eſt & cauſa deificationis & bonificationis. Et hoc modo inquit Deum dici ſupra-principium diuinitatis, & ſupra-principium bonitatis, hoc modo nimirum intellectum. Si igitur hoc à Deo promanans donum principium eſt noſtræ deificationis, nimirum auctor idem eſt totius principij, imò principium ipſe Deus; atque ita etiam dictam diuinitatē transſcendit. Deus enim non ſecundùm habitum, vti nos, bonitatem obtinet, ſed ſine habitu habet, & non per participationem, nos autem per habitudinem; ſiquidem nos mutabiles ſumus, ille verò immutabilis. Inimitabilem autem Dei imitationem, ait eſſe noſtram quoad fieri poteſt deificationem. Cùm enim non ritè deificemur, niſi Deum imitemur, idcircò dicitur imitatio: quoniam verò ad exemplar primarium nullo modo pertingimus, inimitabile dicitur. Ipſæ igitur res, nempe Deitas & bonitas, ſunt imitatio & habitus: participantes verò & imitantes, Angeli, & illi homines circa quos talia conſpiciuntur. Ipſe verò Deus inimitabilis eſt, & habitus expers: nam quantò quis ad imitationem & Dei habitudinem acceſſerit, tantò magis intelligit, ipſum nullâ vel imitatione vel habitudine attingi poſſe. Siquidem Deus antecellit imitationibus habitudinibusque, diuinitatis ſcilicet ac bonitatis, quinimò ipſiſmet imitantibus ac participantibus, id eſt iis qui per gratiam Dij bonique appellantur. Meritò igitur ſupra-principium Diuinitatis ac bonitatis exiſtit.

Deus inimitabilis eſt.

EPI-

TEXTVS S.DIONYSII.

EPISTOLA III. — ΕΠΙΣΤΟΛΗ Γ'.

Eidem Caio. — Τῷ αὐτῷ Γαΐῳ.

SYNOPSIS.

QVid significet vox ἐξαίφνης, *seu* repentè, *& quam vim habeat de incarnatione pronuntiata.*

REPENTE est, quod præter spem, & ex eo quod huc vsque obscurum erat, profertur in lucẽ. In Christi autem humanitate, arbitror hoc etiam sermonem diuinum voluisse insinuare, ex abdito suprasubstantialem illum in conspectum nostrũ humanitus substantiatum prodiisse. Attamen occultus etiam est post ipsam manifestationem; aut, vt diuinius dicam, in ipsâ manifestatione: etenim hoc IESV mysterium occultum est, nec vllo sermone vel intellectu expressum; quin imò dum profertur, arcanum; & dum intelligitur, ignotum manet.

Quid significet ἐξαίφνης.

ΕΞΑΙΦΝΗΣ ἐστὶ, τὸ παρ' ἐλπίδα, καὶ ἐκ τοῦ τέως ἀφανοῦς, εἰς τὸ ἐμφανὲς ἐξαγόμενον. Ἐπὶ δὲ τῆς κατὰ Χριστὸν φιλανθρωπίας, καὶ τοῦτο οἶμαι τὴν Θεολογίαν αἰνίττεσθαι, τὸ ἐκ τοῦ κρυφίου τὸν ὑπερούσιον εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς ἐμφάνειαν ἀνθρωπικῶς οὐσιωθέντα προεληλυθέναι. Κρύφιος δέ ἐστι καὶ μετὰ τὴν ἔκφανσιν, ἢ ἵνα τὸ θειότερον εἴπω, καὶ ἐν τῇ ἐκφάνσει· καὶ τοῦτο γὰρ Ἰησοῦ κέκρυπται, καὶ οὐδενὶ λόγῳ οὔτε νῷ τὸ κατ' αὐτὸν ἐξῆκται μυστήριον, ἀλλὰ καὶ λεγόμενον ἄρρητον μένει, καὶ νοούμενον ἄγνωστον.

ANNOTATIONES CORDERII.

NOTA Primò, hîc alludi ad illud Malachiæ cap. 3, 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* Vbi agit de aduentu Christi, & Ioanne eius præcursore. Loci huius explicationem vide apud Cornelium.

Nota Secundò, Christi mysterium hîc etiam occultum dici, post eius declarationem, quia vt supernaturale non intelligitur, sed solùm creditur. Fides autem est argumentũ non apparentium, Heb. 11, 1.

In supernaturalibus mysteriis non est quærendũ quomodo vel quare.

Vnde in hoc mysterio, vti & in aliis supernaturalibus, non est quærendum quomodo & quare, vt benè monet S. Iustinus Martyr in Oratione de Rectâ confessione. Euidens, inquit, argumentum est perfidiæ dicere de Deo, Quomodo? Quomodo cæli effector est, quómodo terræ, quomodo maris aërisque & stirpium, & animantium omnium, & tui ipsius? Qui omnia diligenter de Deo quæris, planè dices, omnia produxisse potentiâ suâ. Num igitur potentia Dei aderat secundùm accidens iis quę fiebant, an secundùm substantiam? Si secundùm accidens, aderat quidem illis quasi essent antequam fierent; siquidem accidens non est secundùm naturam per se, sed in aliquibus priùs subiectis existit. At si hoc ridiculum est, relinquitur, potentiam Dei omnibus adesse secundùm substantiam. Num igitur, quia potentia Dei omnibus quę fiunt secundùm substantiam aderat, nihil ampliùs templum ipsum in quo fuit habebat? Habet hoc dubitationẽ, & illud habet: & fides est vtriusque dubitationis

Deus adest omnibus secundùm substantiâ.

tationis solutio. Ibidem: Dic igitur, quomodo Verbum caro factum cælos non dereliquit? Sanè dicetis, quòd manens Deus sic factus est. Rursus ergo dicite nobis, quomodo manens factus est? Si enim mansit quod erat, quomodo factus est quod non erat? Sin autem factus est quod non erat, quomodo mansit quod erat? Dubium habes de solutione, habe etiam dubium de modo vnionis. At credis quòd manens factus est; crede etiam adesse vbique secundùm substantiam Verbum, & præcipuo quodam modo esse in templo suo.

ANNOTATIONES CORDERII.

SCHOLIA S. MAXIMI.

ΕΞΑΙΦΝΗΣ ἐστὶ τὸ παρ' ἐλπίδα.] Ἐφίστημι, ὡς ὅτι μᾶλλον ἐκεῖνο τὸ προφητικὸν τοῦ Μαλαχίου Προφήτου ἠρώτησεν ὁ Γάϊος, τὸ ἔχον, Καὶ ἐξαίφνης ἥξει εἰς τὸν ναὸν αὐτοῦ ὁ Κύριος ὃν ὑμεῖς ζητεῖτε, καὶ ὁ Ἄγγελος τῆς διαθήκης ὃν ὑμεῖς ἐπιποθεῖτε. Ἔδοξε δέ μοι τοῦτο ἠρωτῆσθαι ἐκ τῆς ἐπαγαγεῖν, Τοῦτο οἶμαι τὴν Θεολογίαν αἰνίττεσθαι, θαυμασίως ἐνταῦθα θεολογεῖ τὰ περὶ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Σημείωσαι δὲ πῶς ἐτυμολογεῖ τὸ Ἐξαίφνης· σημείωσαι καὶ τὸ ἀνθρωπίνως οὐσιωθῆναι Χριστόν.

Κρύφιος δέ ἐστι.] Τὸ Κρύφιος πολλάκις ἀντὶ τοῦ Θεὸς εἴπε, καὶ κρυφιότητα τὴν θεότητα, ὡς ἐν τοῖς ἄνω λόγοις. Τὸ Κρύφιος οὖν ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ ὁ Θεὸς εἴρηται, ὡς ἀόρατος.

REPENTE EST ID QVOD PRÆTER SPEM.] Existimo potissimùm istud propheticum dictum Malachiæ Prophetæ Caium interrogasse, quod sic habet: *Repentè veniet ad templum suum Dominus quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos desideratis.* Mihi autem visus est hæc interrogasse, eò quòd subiungat, *Hoc arbitror Scripturam insinuare*, vbi ea, quæ de Domino IESV CHRISTO sunt, mirificè exponit. Obserua verò, quomodo vocis ἐξαίφνης originem inuestiget: ibidemq; nota, Christum humanam substantiam assumpsisse. Malach. 3, 1.

OCCVLTVS AVTEM EST.] *Occultus* ab ipso sæpè ponitur pro voce *Deus*, & arcanum pro diuinitate, vt ex præcedentibus libris patet. Occultus igitur etiam hîc pro Deo ponitur, vt qui inuisibilis est. *Hæc vox occultus pro Deo accipitur.*

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

ΤΗΝ τοῦ Προφήτου Μαλαχίου ῥῆσιν ἐν τούτοις βούλεται διδάξαι, λέγοντος, Ἐξαίφνης ἥξει εἰς τὸν ναὸν αὐτοῦ Κύριος ὃν ὑμεῖς ζητεῖτε, καὶ ὁ Ἄγγελος τῆς διαθήκης ὃν ὑμεῖς ἐπιποθεῖτε. Οἶμαι δὲ τὸ ῥητὸν τοῦτο, παρὰ Γαΐου ἐρωτᾶσθαι· Τὸ γοῦν παρ' ἐλπίδα, καὶ τὸ τέως ἀφανοῦς εἰς τὸ ἐμφανὲς ἐξαγόμενον, ἐξαίφνης ἐστὶν, ὡς τὸ, Ἐξαίφνης γέγονεν ἡ ἀστραπή. Λοιπὸν καὶ ἐπὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Θεοῦ Λόγου, ἣν δὴ καὶ φιλανθρωπίαν καλεῖ, τοῦτο δηλοῖ τὸ ἐξαίφνης. Τί γὰρ ἀφανέστερον Θεοῦ; Τὸ γοῦν ἐκ τοῦ κρυφίου, τῆς θεότητος· τὸ Κρύφιος γὰρ πολλάκις ἀντὶ τοῦ Θεὸς εἴληφε, καὶ Κρυφιότητα, τὴν Θεότητα. Κρύφιος γοῦν καὶ ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ Θεὸς, ὡς ἀόρατος, εἴρηται. Τὸ γοῦν ἐκ τοῦ κρυφίου τῆς θεότητος τὸν ὑπερούσιον εἰς τὸ καθ' ἡμᾶς οὐσιωθέντα φανῆναι, τοῦτό ἐστι τὸ ἐξαίφνης. Τί δὲ; Διὰ τοῦτο, διὸ καὶ ἐξεφάνη, ἤδη καὶ τὸ κρύφιον ἀπεβάλλετο; Οὐδαμῶς, ἀλλὰ

VVLT hîc exponere dictionem Prophetæ Malachiæ, dicentis, *Repentè veniet ad templum suum Dominus quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos desideratis.* Equidem existimo sententiam hanc à Caio propositam: Quod itaque præter spem, & veluti ex abdito profertur in lucem, id derepentè existit, iuxta illud: Repentè facta est coruscatio. Ceterùm in incarnatione quoque Verbi Dei, quam & φιλανθρωπίαν vocat, id ipsum etiam dictio ἐξαίφνης significat. Quid enim occultius Deo? Illud igitur ex occulto, est diuinitatis; siquidem *occultus* ipse sæpè accipit pro voce Deus, & *arcanum* pro Diuinitate. Occultus igitur etiam hîc pro Deo ponitur, vt qui inuisibilis dictus est. Quòd itaque ex occulto diuinitatis is qui supra substantiã est in substantiâ nostrâ appareat, illud est derepentè. Quid tandem? Ideóne quod derepentè apparuit, id quod arcanum erat exuit? Nullo modo, quinimò

Mal. 3, 1.

Quid repentè significet.

Vox occultus pro quo ponatur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

post incarnationem quoque occultus est: IESVS enim CHRISTVS perfectus Deus, perfectus item homo est. Obserua illud militare contra Nestorianos. Magis autem, vt quid diuinius dicam; hoc enim admirabilius est, quòd in hac suâ manifestatione, in eo ipso quod apparuit, arcanum retinet. Dominus enim noster IESVS CHRISTVS, in ipsâ assumptæ carnis nostræ reuelatione, incognitum seruat suæ dispensationis mysterium. Quis enim cognouit, quomodo se Deus carni attemperarit, vnde etiam dum profertur, arcanum, & dum intelligitur, manet ignotum.

καὶ μετὰ τὴν σάρκωσιν κρύφιός ἐστιν· ὁ γὰρ Ἰησοῦς Χριστὸς Θεὸς τέλειος, καὶ ἄνθρωπος τέλειος. Καὶ ὅρα κατὰ Νεστοριανῶν. Μᾶλλον δὲ, ἵνα τὸ θειότερον εἴπω· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ θαυμασιώτερον, ὅτι ἐν αὐτῇ τῇ ἐκφάνσει, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ φαίνεσθαι, τὸ κρύφιον ἔχει. Ὁ γὰρ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ καθ᾽ ἡμᾶς ἐκφάνσει, ἄγνωστον ἔχει τὸ τῆς οἰκονομίας μυστήριον. Τίς γὰρ ἐνόησε, πῶς Θεὸς συνανεκράθη σαρκί; Ὅθεν καὶ λεγόμενον, ἄρρητον μένει· καὶ νοούμενον, ἄγνωστον.

EPISTOLA IV.

Eidem Caio Monacho.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ Δ΄.

Τῷ αὐτῷ Γαΐῳ θεραπευτῇ.

SYNOPSIS.

QVòd Christus & verus homo fuerit, & simul supernaturali ratione naturam humanam assumpserit Deus homo.

QVOMODO, inquis, IESVS, cùm sit omnibus superior, ceteris hominibus substantialiter aggregatus est? Non vtique vt auctor hominum, hoc loco homo dicitur, sed in quantum est reuerà homo, secundùm totam hominis substantiam. Nos autem IESVM non humanitus definimus, neque enim ille homo tantùm est (quia nequaquam suprasubstantialis existeret, si solus homo foret) sed reuerà homo, præcipuo quodam hominũ amore captus, supra homines, & secundùm homines, ex hominum substantiâ, cùm supra substantiam existeret, substantiam assumpsit. Verumtamen suprasubstantialitate supra modum plenus est, vt qui semper supra substantiam sit, abundantiâ quadam suprasubstantialitatis; etiam ad substantiam verè veniens, supra substantiam

Christus verus homo.

Christus plus quàm homo.

Πῶς, φῄς, Ἰησοῦς ὁ πάντων ἐπέκεινα, πᾶσίν ἐστιν ἀνθρώποις οὐσιωδῶς συντεταγμένος; Οὐ γὰρ ὡς αἴτιος ἀνθρώπων, ἐνθάδε λέγεται ἄνθρωπος, ἀλλ᾽ ὡς αὐτὸ κατ᾽ οὐσίαν ὅλην ἀληθῶς ἄνθρωπος ὤν. Ἡμεῖς δὲ τὸν Ἰησοῦν οὐκ ἀνθρωπικῶς ἀφορίζομεν· οὐδὲ γὰρ ἄνθρωπος μόνον (οὐδὲ ὑπερούσιος, ἢ ἄνθρωπος μόνον) ἀλλ᾽ ἄνθρωπος ἀληθῶς, ὁ διαφερόντως φιλάνθρωπος ὑπὲρ ἀνθρώποις καὶ κατὰ ἀνθρώπους ἐκ τῆς τῶν ἀνθρώπων οὐσίας ὁ ὑπερούσιος οὐσιωμένος. Ἔστι δὲ οὐδὲν ἧττον, ὑπερουσιότητος ὑπερπλήρης ὁ ἀεὶ ὑπερούσιος, ἀμέλει τῇ ταύτης περιουσίᾳ· καὶ εἰς οὐσίαν ἀληθῶς ἐλθὼν, ὑπὲρ οὐσίαν

οὐσιώθη, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐνήργει τὰ ἀνθρώπου. Καὶ δηλοῖ παρθένος ὑπερφυῶς κύουσα, καὶ ὕδωρ ἄστατον, ὑλικῶν καὶ γεηρῶν ποδῶν ἀνέχον βάρος, καὶ μὴ ὑπεῖκον, ἀλλ' ὑπερφυεῖ δυνάμει πρὸς τὸ ἀδιάχυτον συνιστάμενον. Τί ἄν τις τὰ λοιπά, πάμπολλα ὄντα, διέλθοι; δι' ὧν ὁ θείως ὁρῶν, ὑπὲρ νοῦν γνώσεται καὶ τὰ ἐπὶ τῇ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Ἰησοῦ καταφασκόμενα, δύναμιν ὑπεροχικῆς ἀποφάσεως ἔχοντα. Καὶ γάρ, ἵνα συνελόντες εἴπωμεν, οὐδὲ ἄνθρωπος ἦν, οὐχ ὡς μὴ ἄνθρωπος, ἀλλ' ὡς ἐξ ἀνθρώπων, ἀνθρώπων ἐπέκεινα, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἀληθῶς ἄνθρωπος γεγονώς Καὶ τὸ λοιπόν, οὐ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα δράσας, οὐ τὰ ἀνθρώπεια κατὰ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνδρωθέντος Θεοῦ, καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος.

TEXTVS S. DIONYSII.

ſubſtantiatus eſt, & ſupra hominum conditionem geſſit ea quæ ſunt hominis. Quod declarat & Virgo quæ ſupra naturam parit: & aqua profluens, quæ pedum ex materiâ terrâque concretorum grauitatem ſuſtinet, neque cedit; ſed virtute ſupernaturali, ſine diffuſione ſubſiſtit. Quid verò cetera, quæ valdè multa, quis memoret? in quæ ſi diuinus quiſpiam intueatur, ſupra mentem etiam cognoſcet ea quæ de humanitate Iesv affirmantur, excellentis quoque negationis virtutem continere. Nam, vt ſummatim dicamus, ne homo quidem erat, non quòd non eſſet homo, ſed quòd ex hominibus natus, homines longè ſuperaret, & ſupra hominem verè homo factus ſit. Ceterùm diuina non quà Deus patrabat, neque humana quatenus homo gerebat; ſed quatenus erat Deus & homo, nouam quamdam nobiſcum conuerſando deiuirilem operationem exhibebat.

Chriſtus eſt Deus homo.

ANNOTATIONES CORDERII.

Nota Primò, Chriſtum non ſic hominem dici, ſicut in Diuinis nominibus Deum vocauit lucem, vitam, ſapientiam, &c. quia eſt auctor lucis, vitæ, &c. ſed propriè & ſubſtantialiter hominem vocari, propter ſubſtantialem naturæ humanæ in perſona Verbi vnionem. De quâ vide D. Thomam in 3. Par. quæſt. 2. ar. 3.

Nota Secundò, Chriſtum à Dionyſio dici hominem ſupraſubſtantialem ſiue ſupranaturalem, quia ſubſiſtétia diuina vnioque hypoſtatica, quâ humana eius natura terminatur & ſubſiſtit, omnem naturæ ordinem tranſcendit. vnde Chriſtus quoque magis propriè *θεάνθρωπος*, id eſt *Deus-homo*, dicitur, quàm homo.

Nota Tertiò, Quòd actiones quoque Chriſti, dignitatis ſunt plus quàm humanæ, imò Angelicæ, quia ſunt ſuppoſiti diuini, & meritò eius opera non humana ſed *θεανδρικά*, id eſt Dei-virilia nuncupantur. De quibus in Actis ſextæ Synodi Oecumenicæ ſic habetur: Vtriuſque naturæ vtramque operationem ſcimus, naturalem dico & ſubſtantialem, & congruam ſine diuiſione ex vtraque, ſubſtantiâ & naturâ, prodeuntem, ſecundùm operationem & qualitatem naturaliter inſitam; & ſimul neque partibilem neque confuſam alterutrius ſubſtantiæ operationem coniunctè inductam, hoc facit differentiam operationum in Chriſto, ſicut & differentiam naturarum. Vbi obſerua cum Turriano, quòd dicat *ſine diuiſione*, ſcilicet perſonæ. Non enim propter differentiam ſubſtantiarum diuinæ & humanæ, diuiſus eſt Chriſtus, quin potiùs idem eſt perfectus Deus & perfectus homo. Rurſus *ſine diuiſione*, quia operatio diuinæ naturæ, eſt operatio trium perſonarum, quarum vnitas eſſentiæ (vt eſt in Synodo ſextâ, Actione

Operationes Chriſti quales.

Actiones Chriſti indiuiſæ ſunt.

ANNOTATIONES CORDERII. ne XI.) non poteſt partiri, nec alteri vnitati copulari, ſed potiùs ſingularis eſt, & extra omnem numerum. Item, *Operationem*
In actionibus Chriſti quid diuinitati & quid humanitati competeret. *alterutrius ſubſtantiæ coniunctè inductam* dicit; quia ſic operabatur vtraque natura quod proprium erat, vt altera ſimul operaretur conuenienter ſibi, & vt ſe decebat. Siue enim operationes eſſent Deo conuenientes, vt miraculorum, caro operabatur; vt cùm poteſtate diuinâ remittebat pec-
Matth. 9. cata, & ore dicebat, *Remittuntur tibi peccata tua*; & poteſtate diuinâ reſtituebat viſum, & manu & ſputo linibat oculos: ſiue Luc. 18.
operationes humanæ naturæ cōuenirent, vt ſitire, eſurire, fatigari, Verbum operabatur permittendo & volendo: ſiue opera- Ioan. 9.
tiones eſſent mixtæ, id eſt partim diuinæ, Ioan. 4.
partim humanæ, hoc eſt Deo conuenientes & homini, vt ambulare ſuper mare; Matth. 14.
ambulare enim homini conueniebat, non deprimi ambulando ſuper mare, Deum decebat: quæ operationes, vti ſuprà diximus, θεανδρικαὶ à Dionyſio dicuntur, id eſt ſimul diuinæ & humanæ.

SCHOLIA S. MAXIMI.



QVOMODO, INQVIS, IESVS.] Quæris, inquit, quomodo hoc? Nota autem *hîc*, id eſt in diſpenſatione, quoniam ſine hac, vt hominum auctor atque opifex, etiam homo dicitur.

NON ENIM VT AVCTOR HOMINVM.] Hoc etiam tradit Africanus in ſuis Chrono-
Ieſus qualis homo. graphiis: dicitur enim eodem nomine Deus omnibus quæ ex ipſo ſunt, quoniam in omnibus exiſtit. In hac autem diſpenſatione, tamquam ſecundùm totam hominis ſubſtantiam ſubſtantialis homo dici-
Coloſſ. 2. tur, iuxta quod dictum eſt: *In quo inhabitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Obſerua autem totum Epiſtolæ contextum, quoniam eſt contra omnem hæreſim, tam antiquam quàm nouam.

Ieſus totã hominis ſubſtãtiam aſſumpſit. NOS AVTEM IESVM.] Non per humanitatem, inquit, Chriſti ipſum definimus, ſiue ſupra hominem dicimus, quaſi prodigium hoc ſecundùm rationem ſubſtantiæ communis naturæ definiremus, ſed manifeſtè ſecundùm rationem diuinitatis. Nam ſubiunxit, Neque enim homo tantùm, verùm etiam Deus. Etſi, inquit, totam hominis ſubſtantiam aſſumpſit, haud tamen ſeparamus ipſum à diuinitate; quoniam ſubiungit: Non enim homo tantùm; deinde cùm hoc dixit, infert, Neque ſuprasſubſtantialis ſolùm, quatenus etiam homo.

Supra hominem. SVPRA HOMINES.] Supra homines quidem, quia ex Virgine; ſecundùm homines verò, propter tempus in vtero, nempe ſecundùm conceptionis leges expletum. Ex humana verò ſubſtantia, quoniam, vt idem ſanctus Pater dicebat, ex virgineis ſanguinibus ſanctum Chriſti corpus conſtabat.

SVPRA SVBSTANTIAM, SVBSTANTIAM ASSVMPSIT.] Etiam poſt incarnationem



ΠΩΣ, φὴς, Ἰησοῦς.] Ἐπερωτᾷς, φησὶ, πῶς τοῦτο; Σημείωσαι δὲ τὸ Ἐνθάδε, τουτέστιν ἐν τῇ οἰκονομίᾳ, ἐπεὶ δίχα ταύτης, καὶ ὡς αἴτιος ἀνθρώπων, λέγεται ἄνθρωπος, ὡς ποιητὴς ἀνθρώπων.

Οὐ γὰρ ὡς αἴτιος ἀνθρώπων.] Τοῦτό φησι καὶ Ἀφρικανὸς ἐν ταῖς Χρονογραφίαις· λέγεται γὰρ ὁμωνύμως ὁ Θεὸς πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτοῦ, ἐπειδὴ ἐν πᾶσίν ἐστιν. Ἐν δὲ τῇ οἰκονομίᾳ ὡς κατὰ τὴν οὐσίαν ὅλην οὐσιωθεὶς ἄνθρωπος λέγεται, κατὰ τὸ εἰρημένον, Ἐν ᾧ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. Πᾶσαν δὲ λέξιν τῆς Ἐπιστολῆς σημείωσαι, ἔστι γὰρ κατὰ πάσης αἱρέσεως, πρεσβυτέρας τε καὶ νεωτέρας.

Ἡμεῖς δὲ τὸν Ἰησοῦν.] Οὐ διὰ τὸ ἀνθρώπινον, φησὶ, τοῦ Χριστοῦ αὐτὸν ἀφορίζομεν, ἤγουν ὑπὲρ ἄνθρωπον λεγόμενον, ὡς ξένον τοῦτο κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον τοῦ κοινοῦ τῆς φύσεως ὁριζόμενοι, ἀλλὰ προδήλως κατὰ τὸν τῆς θεότητος λόγον. Ἐπήγαγε γὰρ, Οὐδὲ γὰρ ἄνθρωπος μόνος, ἀλλὰ καὶ Θεός. Εἰ καὶ ὅλην οὐσίαν ἀνθρώπου ἀνέλαβε, φησὶν, ἀλλ' οὐ διαιροῦμεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς θεότητος· ἐπάγει γὰρ, Οὐ γὰρ ἄνθρωπος μόνον· εἶτα τοῦτο εἰπὼν ἐπιφέρει, Οὐδὲ ὑπερούσιος μόνον, καθ' ὃ καὶ ἄνθρωπος.

Ὑπὲρ ἀνθρώπους.] Ὑπὲρ ἀνθρώπους μὲν, διὰ τὸ ἐκ παρθένου· κατ' ἀνθρώπους δὲ, διὰ τὸν ἐν μήτρᾳ χρόνον, ἢ ὡς τοὺς νόμους τῆς κυήσεως. Ἐκ τῆς ἀνθρώπων δὲ οὐσίας, ὅτι, ὡς αὐτὸς ὁ ἅγιος Πατὴρ ἔφη, ἐκ τῶν παρθενικῶν αἱμάτων τὸ ἅγιον σῶμα Χριστοῦ.

Ὑπὲρ οὐσίαν οὐσιώθη.] Καὶ μετὰ τὴν ἐνανθρώπησιν,

πησιν, ὑπερουσιότητα ὠνόμασε τὴν θεότητα. Τὸ δὲ ταύτης ὑπερούσιον, τὸ ὑπερβάλλον τῆς οὐσίας, καὶ σοφίας, καὶ δυνάμεως.

Καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον.] Ἀνθρώπου μὲν, τὸ ἐκ γυναικός· ὑπὲρ ἄνθρωπον δὲ, τὸ ἐκ παρθένου. Σημείωσαι δὲ, ὅτι γήϊνον τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ οὐχὶ οὐράνιον, ὥς τινες ᾠήθησαν.

Δύναμιν ὑπεροχικῆς.] Ἰδοὺ καὶ ἐνταῦθα Ὑπεροχικῶς εἶπε πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν κατὰ στέρησιν λαμβανομένων. Εὐθὺς δὲ διὰ τῶν ἐπαγομένων ἑαυτὸν ἑρμηνεύει. Τί δέ ἐστι κατάφασις, εἴπομεν ἄνω ἐν τῷ περὶ Μυστικῆς θεολογίας, κεφαλαίῳ γ. Πῶς δὲ ἐπὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ αἱ καταφάσεις δύναμιν ἔχουσι ὑπερεχούσης ἀποφάσεως, τὰ κατὰ ἀνθρώπους ἐξηγεῖται. Εἰ γὰρ καταφάσκομεν Χριστοῦ, λέγοντες ἄνθρωπον εἶναι, καὶ ἐκ παρθένου μητρὸς κατ' οὐσίαν ἡμῶν, ἀλλὰ κεκρυμμένην ἔχει καὶ ὑπὲρ νοῦν τὴν τῆς ἀποφάσεως δύναμιν. Ἐρεῖ γὰρ ὁ ἀκούων, οὐκ ἄνθρωπος, ἐπειδὴ ἐκ παρθένου, ἀλλ' ὑπὲρ ἄνθρωπον, εἰ καὶ κατὰ τὰ ἄλλα ἄνθρωπος. Ἐξηγεῖται δὲ καὶ τοῦτο, φάσκων, ὅτι τὸ λέγειν αὐτὸν ἄνθρωπον καταφατικῶς, τοῦτο δηλοῖ, οὐκ εἶναι αὐτὸν ἄνθρωπον ἀποφατικῶς, ἀλλ' ὑπὲρ ἄνθρωπον, δηλονότι διὰ τὰ σημεῖα τὰ γενόμενα παρ' αὐτοῦ.

Οὐ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα δράσας.] Οὐ κατὰ Θεὸν μὲν δρᾶσαι τὰ θεῖα λέγει τὸν Χριστὸν, ὅτι μετὰ σαρκὸς, καὶ οὐ γυμνῇ τῇ θεότητι. Ὅμως δ' οὖν θεῖα, οὔτε τὰ ἀνθρώπινα κατ' ἄνθρωπον, ἐν ἐξουσίᾳ γὰρ θεϊκῇ, ὅτε ἐβούλετο, διδοὺς καιρὸν τῇ σαρκὶ τὰ ἑαυτῆς ἐνεργεῖν, ὅμως δ' οὖν ἀνθρώπινα. Τὸ δὲ Ἀνδρωθέντος, δηλοῖ τὸ ἐνανθρωπήσαντος. Ἡ δὲ θεανδρικὴ ἐνέργεια σημαίνει θείαν καὶ ἀνθρωπίνην. Οὕτω γὰρ ἡμῖν, ἤγουν δι' ἡμᾶς, ἐπὶ γῆς δηλαδὴ, πεπολιτευμένος, ἔδρασεν ὡς πρόκειται τὰ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα. Σημείωσαι δὲ τὴν ὑπερφυῆ καὶ ἄφραστον τοῦ Κυρίου ἕνωσιν, ὅτι οὐ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα ἔδρασεν (ἦν γὰρ ἄνθρωπος) οὔτε κατὰ ἄνθρωπον τὰ ἀνθρώπινα (ἦν γὰρ καὶ Θεός.) Ὅθεν θαυμαστῶς ὁ θεῖος Γρηγόριος ὁ Θεολόγος φησὶ, κιρναμένων ὥσπερ τῶν φύσεων, οὕτω δὴ καὶ τῶν κλήσεων καὶ περιχωρουσῶν εἰς ἀλλήλας τῷ λόγῳ τῆς συμφυΐας. Πῶς δὲ οὐ κατὰ

supraſubſtantialitatem appellauit diuinitatem. Huius autem superſubſtantialitas eſt eminentia ſubſtantiæ, & ſapientiæ ac poteſtatis.

Et svpra hominem.] Hominis quidem, quòd ſit ex muliere; ſupra hominem verò, quòd ex Virgine. Nota autem, Chriſti corpus terrenum eſſe, non autem cæleſte, vt quidam exiſtimarunt.

Vim excellentis.] Ecce etiam hîc *excellenter* dixit, ad differentiam eorum quæ ſumuntur ſecundùm priuationem. Statim autem per ea quæ ſubiunguntur, ſemetipſum explicat. Quid porrò ſit affirmatio, diximus ſupra de Myſticâ Theologiâ capite tertio. Sed quomodo in Domino noſtro Iesv Christo affirmationes vim habeant excellentis negationis, res humanæ declarant. Etſi enim Chriſtum affirmemus, dum eſſe hominem dicimus, & ex Virgine matre ſecundùm ſubſtantiam noſtram, tamen occultam quoque habet, eamque mente ſublimiorem negationis vim. Quiſquis enim hoc audit, dicet, ipſum non ſimplicem eſſe hominem, cùm ex Virgine natus ſit, ſed homine ſublimiorem, etiamſi cetera ſit homo. Explicat autem hoc, cùm ait, quòd ipſum dicere hominem affirmatiuè, ſignificet ipſum non eſſe hominem negatiuè, ſed ſupra hominem, nempe propter ſigna quæ ab ipſo fiebant.

Quomodo affirmatio in Christo vim habeat excellentis negationis.

Non qva Devs divina patrabat.] Dicit autem Chriſtum non quà Deum diuina perficere, quia cum carne, & non ſolâ diuinitate. quemadmodum igitur diuina, ſic nec humana ſecundùm hominem, quoniam in poteſtate diuinâ, quando volebat, dando tempus carni propria operandi, ſimul & humana: illud autem *vir factus*, idem ſignificat, quod *incarnatus*. Deiuirilis autem operatio deſignat diuinam ſimul & humanam. Sic enim nobis, ſiue propter nos, in terrâ nimirum, cõuerſatus, vti propoſitum eſt, diuina & humana geſſit. Aduerte autem admirabilem & inexplicabilem Domini vnionem: quoniam non vt Deus diuina geſſit: (erat enim homo) nec vt homo humana: (erat enim Deus.) Vnde mirabiliter D. Gregorius Theologus ait, naturis quodammodò permixtis, denominationes quoque propter mutuas circumincesſiones, cognatas eſſe [ſeu communes.] Quomodo verò non vt

Christus θεάνδρωπος.

Quales ſint eius actiones θεανδρικαί.

Deus

SCHOLIA S. MAXIMI.

Deus diuina opera patrarit, declarat id, quòd corporeis pedibus supra mare ambularit. Dei enim est aquam consolidare, non Dei autem, corporeis pedibus ambulare. Neque caro pedum & ossa diuinitatis sunt. Rursum item Dei est efficere, vt Virgo pariat: facie autem ceterisque membris humanis efformari, non est diuinitatis. Sic etiam è diuerso vicissim hæc eadem se habent: non enim quà homo gessit ea quæ hominum sunt, siquidem homo erat ex Virgine; sed hoc non est secundùm hominis conditionem. Qualis enim homo natus ex Virgine? Rursus pedibus incedere est hominis; at supra aquam, non est hominis. qualis enim homo hoc fecit?

NOVAM QVAMDAM.] Nemo in stultiloquium erumpens dicat, ipsum Dominum Iesum θεανδρίτην appellasse: non enim θεανδριτικὴν à θεανδρίτης efformando, sed θεανδρικὴν seu deiuirilem operationem dixit, quasi à Deo ac viro compositam. Vnde etiam Deum vocat ἀνδρωθέντα, id est Deum virum factum. Nunc autem illam miscellanam operationem solam deiuirilem appellauit: siquidem vt Deus tantùm operabatur, quando absens Centurionis filium sanabat; in quantum verò homo tantùm (etsi etiam Deus erat) quando comedebat & tristabatur. Mixtim autem operabatur miracula, cæcis oculos illiniendo restituens, hæmorrhoüsæ fluxum solo tactu sistens.

Θεὸν τὰ θεῖα ἔργα πεποίηκε, δηλοῖ τὸ σωματικῶς ποσὶν ἐπὶ θαλάσσης βαδίσαι· Θεοῦ μὲν γὰρ, τὸ συμπιλῆσαι ὕδωρ· οὐ Θεοῦ δὲ, τὸ σαρκικοῖς ποσὶ περιπατῆσαι. Οὐδὲ θεότητος σὰρξ ποδῶν καὶ ὀστᾶ. Θεοῦ πάλιν, παρθένον τὸ κύειν ποιῆσαι· ἀλλ' οὐ θεότητος, τὸ διαμεμορφῶσθαι ὄψει καὶ τοῖς λοιποῖς ἀνθρωπίνοις μέλεσιν. Οὕτω καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου τὰ αὐτὰ· οὐ γὰρ κατὰ ἄνθρωπον τὰ ἀνθρώπων ἐποίησεν, ἄνθρωπος μὲν γὰρ ἦν ἐκ τῆς παρθένου, ἀλλ' οὐ κατὰ ἄνθρωπον τοῦτο. Ποῖος γὰρ ἄνθρωπος ἐκ παρθένου; Πάλιν τὸ ποσὶ βαδίζειν, ἀνθρώπου ἐστί· τὸ δὲ ἐπὶ ὕδατος, οὐκ ἀνθρώπου. ποῖος γὰρ ἄνθρωπος τοῦτο πεποίηκε;

Καινήν τινα.] Μηδεὶς εἰς μωρολογίαν ῥαγεὶς, λεγέτω, ὅτι θεανδρίτην τὸν Κύριον Ἰησοῦν φησιν· οὐ γὰρ θεανδριτικὴν εἶπεν, ἀπὸ τοῦ ὁ θεανδρίτης σχηματίσας, ἀλλὰ θεανδρικὴν ἐνέργειαν, οἷον Θεοῦ καὶ ἀνδρὸς συμπεπλεγμένην ἐνέργειαν· ὅθεν καὶ ἀνδρωθέντα φησὶ Θεὸν, ἀντὶ τοῦ Θεὸν ἄνδρα γενόμενον. Νῦν δὲ τὴν μικτὴν ἐνέργειαν μόνην θεανδρικὴν ἐκάλεσεν· ἐνήργησε μὲν γὰρ ὡς Θεὸς μόνον, ὅτε ἀπὼν τὸν τοῦ ἑκατοντάρχου παῖδα ἰάσατο· ὡς ἄνθρωπος δὲ μόνον, εἰ καὶ Θεὸς ἦν, ἐν τῷ ἐσθίειν καὶ λυπεῖσθαι. Μικτῶς δὲ ἐνήργησε τὰ θαύματα, τυφλοῖς ὀφθαλμοὺς διὰ χρίσεως δημιουργῶν, καὶ τῆς αἱμορροούσης τῇ ἀφῇ συστέλλων τὴν ῥύσιν.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.



ALIIS quoque aliquot locis prædixerat hic Sanctus, & quidem fusius in libro de Diuinis nominibus, quòd nimirum Deus ex omnibus denominetur, omnibusq; adsit; illud quidem tamquam causa ex effectis, hoc verò ex prouidentia, qua cunctis prospicit. Istiusmodi itaque sententiis Caius assentiens, cùm vnũ idemque diuinissimi IESV nomen, etiam hominem significare reperiatur, iuxta quod dicitur filius hominis; & adhuc manifestiùs, *Quid me quæritis interficere, hominem qui veritatem dixi vobis?* Ait Caius ad hunc Sanctum (ab ipso enim hæc quæstio mouetur) Quid dicemus de IESV qui omnibus superior est, quando secundùm substantiam homo visus, adlectus est ceteris substantia-

Propter vnionem hypostaticam homo aliter de Deo prædicatur quàm cetera omnia.

Ioan. 7, 19.



ΕΦΘΑΣΕΝ εἰπεῖν ὁ Ἅγιος καὶ ἐν ἄλλοις, τέως δὲ πλατύτερον ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων, ὅτι καὶ ἐκ πάντων ὁ Θεὸς ὀνομάζεται, καὶ πᾶσι πάρεστι· τὸ μὲν ὡς αἴτιος ἐκ τῶν αἰτιατῶν, τὸ δὲ τῇ προνοίᾳ, ὡς προνοητὴς πάντων. Τοῖς τοιούτοις γοῦν νοήμασιν ὁ Γάϊος κατακολουθῶν, ἐπεὶ ἓν εὑρίσκεται ἐπὶ τοῦ θεαρχικοῦ Ἰησοῦ ὄνομα καὶ τὸ ἄνθρωπος, ὥς τὸ, Ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου· καὶ ἔτι σαφέστερον, Τί ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι, ἄνθρωπον ὃς εἶπον ὑμῖν τὴν ἀλήθειαν; Φησὶ τοίνυν ὁ Γάϊος πρὸς τὸν Ἅγιον (ἀπ' ἐκείνου γὰρ ἡ ἐρώτησις) Τί λεξόμεν περὶ τοῦ Ἰησοῦ τοῦ πάντων ἐπέκεινα, ὅτε κατ' οὐσίαν βλεπόμενος ἄνθρωπος συντέτακται πᾶσιν οὐ-

σιωδῶς,

σιωδῶς, καὶ ἄνθρωπος λέγεται, καὶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ πάντως; Οὐ μὴ φήσομεν καὶ ἐνταῦθα, ὅτι ἄνθρωπος λέγεται, ὡς αἴτιος ἀνθρώπων· ὥσπερ δηλαδὴ καὶ ἥλιος, καὶ φῶς, ὡς αἴτιος ἡλίου καὶ φωτός; Καὶ πάλιν· Οὐ μὴ φήσομεν ἐπὶ τούτου, ὅτι συνεῖναι λέγεται τοῖς ἀνθρώποις ὡς προνοητὴς τούτων, καθὼς καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι συνεῖναι λέγεται; Ἐνθάδε γάρ, ἤγουν ἐν τῇ οἰκονομίᾳ, λόγον τινὰ ἴδιον ζητήσομεν, ἐπεὶ καὶ δίχα ταύτης, καὶ ὡς αἴτιος ἀνθρώπων καὶ ποιητής, κληθείη ἂν ἄνθρωπος. Τοῦτό φησιν ἐν ταῖς Χρονογραφίαις καὶ Ἀφρικανός, ὡς οἱ παλαιοὶ λέγουσι. Λέγεται γὰρ ὁμωνύμως ὁ Θεὸς πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτοῦ, ἐπειδὴ ἐν πᾶσίν ἐστιν. Ἐν δὲ τῇ οἰκονομίᾳ δοκεῖ οὐχ ὡς αἴτιος ἀνθρώπων, ὡς κατὰ τὴν οὐσίαν ὅλην οὐσιωθείς, ἄνθρωπος λέγεσθαι. Πρὸς ταῦτα γοῦν ὁ Πατὴρ ἀπολογούμενος, καὶ ἔχων μὲν εἰπεῖν ἴδιον λόγον ἐνταῦθα, ὅτι ὡς ἀληθῶς σαρκωθεὶς ἄνθρωπος λέγεται, καὶ μὴ λυμήνασθαι τὴν ἀλήθειαν· τέως δὲ καὶ τοῦτο θέλων κατὰ τὸν λόγον τῶν ἑτέρων ὀνομάτων ἐξηγήσασθαι, δηλονότι κατὰ τὸ αἴτιον (τοῦτο γὰρ ὁ σκοπὸς) φησίν, Ἡμεῖς δὲ τὸν Ἰησοῦν οὐκ ἀνθρωπικῶς ἀφορίζομεν, τοῦτ' ἔστιν, οὐ μόνον ἄνθρωπον λέγομεν. Πῶς γὰρ λέγοιμεν, ὑπερούσιος Ἰησοῦς; Εἴπερ γὰρ ἦν μόνος ἄνθρωπος, πῶς ἐλέγετο ὑπερούσιος; Ἀλλὰ ἄνθρωπος μὲν ἀληθῶς ὁ λίαν φιλάνθρωπος· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ Διαφερόντως, δηλονότι ὁ πάντων διαφέρων κατὰ τὸ φιλάνθρωπον. Ἄνθρωπος τοίνυν ἀληθῶς ὁ ὑπερούσιος, οὐσιωμένος ἐκ τῆς τῶν ἀνθρώπων οὐσίας, καὶ κατ' ἀνθρώπους, καὶ ὑπὲρ ἀνθρώπους. Κατ' ἀνθρώπους μέν, διὰ τὸ ἐν μήτρᾳ χωρηθῆναι, καὶ ἐκ τῶν παρθενικῶν καὶ ἁγίων αἱμάτων συστῆναι, καὶ χρόνον ἐννεάμηνον ἐν τῇ κοιλίᾳ ὡς ἄρτος πλήρης οὐράνιος ἐν ἁγίᾳ τραπέζῃ διαβιβάσαι, καὶ διὰ τὰ ἄλλα ἅπερ ᾠκονόμησε κατ' ἀνθρώπους. Ὑπὲρ ἀνθρώπους δέ, διὰ τὸ ἀσπόρως συλληφθῆναι, καὶ ἐκ παρθένου γεννηθῆναι, καὶ ἀνωδίνως ἀποτεχθῆναι. Ἄνθρωπος τοιγαροῦν ὁ φιλάνθρωπος ἀληθῶς· ἀλλ' οὐδὲν ἧττον, καὶ ὑπερπλήρης ὑπερουσιότητος, δηλονότι θεότητος, κατὰ τὸ εἰρημένον, Ἐν ᾧ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. Τοῦτο δὲ εἶπε, διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῆς οὐσίας καὶ

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

liter, & homo dicitur, & omnino inter homines est? Num hîc quoque dicemus, quia homo dicitur, quatenus auctor est hominum? quemadmodum exempli gratiâ idem vocatur & sol, & lux, quòd solem ipsum lucemq; condiderit? Et rursum: Numquid de hoc dicemus, quòd adesse hominibus dicatur tamquam horum prouisor, sicut & aliis omnibus adesse dicitur? Hîc enim, videlicet in hac dispensatione, ratio aliqua peculiaris quærenda est, cùm etiam sine hac, vt hominum auctor atque opifex, vocari homo possit. Cõfirmat hoc in Chronographiis suis Africanus, vti veteres tradunt. Dicitur enim eodẽ nomine Deus omnibus quæ ex ipso sunt, quoniam in omnibus existit. In hac autem dispensatione non tamquam auctor hominum, sed secundùm totam hominis substantiam homo dicitur. Ad hæc igitur hic Pater respondens, cùm posset hic propriam rationẽ reddere, quòd tamquam verè incarnatus, homo appelletur, neque quidquam officere veritati; voluit tamen illud etiam iuxta ceterorum nominum rationem explanare, videlicet secundùm causam (hoc enim sibi proposuerat) dicens, Nos autem IESVM non humanitus definimus; hoc est, Non solum hominem dicimus. Quâ enim aliàs ratione diceremus IESVM esse suprasubstantialem? Nam si homo tantùm erat, quî dici poterat suprasubstantialis? At profectò verè homo erat ille valdè hominum amans: hoc enim *excellenter* est, nempe omnibus excellens beneuolentiâ erga homines. Homo igitur verè idemque suprasubstantialis humanâ circumamictus substantiâ est, secundùm homines, quin & supra homines. Secundùm homines quidem, quòd materno vtero exceptus sit, & ex virgineis sanctisque sanguinibus constiterit, & tamquam panis integer & cælestis in sacrâ mensâ repositus, in vtero nouem menses exegerit, & propter alia quæ tamquam homo dispensauit. Supra homines verò, quòd sine semine conceptus, & ex virgine natus, & sine partitudine sit editus. Homo igitur hic hominum amator est; verumtamen suprasubstantialitate supra modum plenus est, scilicet diuinitate, iuxta quod dicitur: *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Hoc sanè dixit, propter eminentissimam sub-

Iesus secundùm excellentiam homo dictus.

Coloss. 2.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

substantiam & potestatem ac virtutem eius, videlicet in opulentiâ diuinitatis; & verè factus homo, substantiam quidem nostram assumpsit, sed supra substantiam: licet enim ex muliere, tamen ex virgine; & supra hominum conditionem gessit ea quæ sunt hominis. Liquet vel ex eo quòd super aquam, tamquam terram solidam, ambularit. Quid verò cetera, quæ valdè multa, quis memoret? quæ si quis Deo dignè perscrutetur, supra mentem etiam cognoscet, ea, quæ de dispensatione Saluatoris affirmantur, excellentis quoque negationis vim habere. Quid autem sit affirmatio, & quid negatio, diximus suprà tertio capite Mysticæ Theologiæ. Sed quomodo affirmationes hîc vim habent excellentis negationis? Hoc modo. Etsi enim affirmemus esse hominem, idque ex virgine matre, & nostræ substantiæ participem; tamen occultam quoque habet, eamque mente sublimiorem negationis vim. Quisquis enim hoc audit, dicet ipsum, non simplicem esse hominem, cùm ex virgine natus sit, sed homine sublimiorem, etiamsi cetera sit homo. *Excellentis* verò dixit, ad differentiam earum quæ priuatiuè sumuntur negationum. Nam vt summatim dicamus, Neque homo erat, inquit. Breuiter verò hic Pater semetipsum explicans subiungit, non quòd non esset homo, sed quòd, cùm hominibus superior existeret, etiam supra hominis conditionem verè homo factus sit. Obserua verò, totam epistolam esse contra Nestorianos. Item obserua mirabilem & inexplicabilem Domini vnionem, quoniam non vt Deus diuina perfecit, (erat enim homo) nec vt homo humana (erat enim Deus.) Vnde mirabiliter Gregorius Theologus ait, naturis quodammodò permixtis, denominationes quoque propter mutuas circuminsessiones cognatas esse, seu communes. Quomodo verò etiam vt Deus diuina gesserit, cogita vt pedibus corporeis supra mare ambularit: Dei enim est aquam consolidare. Rursum verò, caro & ossa, pedesque non sunt diuinitatis. Rursum item Dei est efficere vt virgo concipiat: facie autem ceterisque membris efformari, non est diuinitatis. Sic etiam è diuerso, vicissim hæc eadem se habent: non enim quà homo gessit ea quæ sunt hominum; siquidem homo erat ex virgine, verùm hoc non est secun-

In Christo etiam negationes per excellentiam prædicantur.

Communicatio idiomatum in Christo.

Opera Christi θεάνδρικα.

ἐξουσίας καὶ δυνάμεως, ἀμέλει ἐν τῇ τῆς θεότητος περιουσίᾳ· καὶ ἀληθῶς γενόμενος ἄνθρωπος, οὐσιώθη μὲν, ἀλλ' ὑπὲρ οὐσίαν· εἰ γὰρ καὶ ἐκ γυναικὸς, ἀλλ' ἐκ παρθένου· καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐνήργει τὰ ἀνθρώπου. Καὶ δῆλον, ἐξ ὧν ἐπὶ ὕδατος, ὡς ἐπί τινος στερεοῦ, ἐπορεύετο. Τί ἄν τις λέγει τὰ λοιπὰ πάμπολλα ὄντα; δι' ὧν ὁ θεοπρεπῶς ἐξετάζων, ὑπὲρ νοῦν γνώσεται, καὶ τὰ ἐπὶ τῇ οἰκονομίᾳ τοῦ Σωτῆρος καταφασκόμενα, δύναμιν ἔχοντα ὑπεροχικῆς ἀποφάσεως. Τί δέ ἐστι κατάφασις, καὶ τί ἀπόφασις, εἴπομεν ἄνω ἐν τῷ περὶ Μυστικῆς θεολογίας τρίτῳ κεφαλαίῳ. Πῶς δὲ αἱ καταφάσεις ἐνταῦθα δύναμιν ἔχουσιν ὑπεροχικῆς ἀποφάσεως; Οὕτως. Εἰ γὰρ καὶ καταφάσκομεν λέγοντες ἄνθρωπον εἶναι, καὶ ἐκ παρθένου μητρὸς κατ' οὐσίαν ἡμῶν, ἀλλὰ κεκρυμμένην ἔχει καὶ ὑπὲρ νοῦν τὴν τῆς ἀποφάσεως δύναμιν. Ἐρεῖ γὰρ ὁ ἀκούων, οὐκ ἄνθρωπος ἁπλῶς, ἐπειδὴ ἐκ παρθένου, ἀλλ' ὑπὲρ ἄνθρωπον, εἰ καὶ τὰ ἄλλα ἄνθρωπος. Ὑπεροχικῆς δὲ εἶπε, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν κατὰ στέρησιν λαμβανομένων ἀποφάσεων. Καὶ γὰρ ἵνα συνελόντες εἴπωμεν, Οὐδὲ ἄνθρωπος ἦν, φησί. Συντόμως δὲ ἑαυτὸν σαφηνίζων ὁ Πατὴρ, ἐπιφέρει, οὐχ ὡς μὴ ἄνθρωπος, ἀλλ' ὡς ἀνθρώπων ἐπέκεινα, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἀληθῶς ἄνθρωπος γεγονώς. Σημείωσαι δὲ πᾶσαν τὴν Ἐπιστολὴν κατὰ Νεστοριανῶν. Σημείωσαι δὲ καὶ τὴν ὑπερφυῆ καὶ ἄφραστον τοῦ Κυρίου ἕνωσιν, ὅτι οὐ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα ἔδρασεν (ἦν γὰρ ἄνθρωπος) οὔτε κατὰ ἄνθρωπον τὰ ἀνθρώπινα (ἦν γὰρ Θεός.) Ὅθεν θαυμαστῶς ὁ θεολόγος Γρηγόριός φησι, κιρναμένων ὥσπερ τῶν φύσεων, οὕτω δὴ καὶ τῶν κλήσεων καὶ περιχωρουσῶν εἰς ἀλλήλας τῷ λόγῳ τῆς συμφυΐας. Πῶς δὲ καὶ κατὰ Θεὸν τὰ Θεοῦ ἔργα ἐποίησεν, ἐννόησον, ὅτι σωματικοῖς ποσὶν ἐπὶ θαλάττης ἐβάδισε· Θεοῦ μὲν γὰρ τὸ συμπιλῆσαι ὕδωρ. Πάλιν δὲ, σὰρξ καὶ ὀστᾶ, καὶ πόδες, οὐ θεότητος. Θεοῦ πάλιν, παρθένον ποιῆσαι κύειν· τὸ δὲ διαμεμορφῶσθαι ὄψει, καὶ τοῖς λοιποῖς μέλεσιν, οὐ θεότητος. Οὕτω καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου τὰ αὐτά· οὐ γὰρ κατὰ ἄνθρωπον τὰ ἀνθρώπων ἐποίησεν· ἄνθρωπος μὲν γὰρ ἦν ἐκ τῆς παρθένου, ἀλλ' οὐ κα-

τὰ ἄνθρωπον τοῦτο· ποῖος γὰρ ἄνθρωπος ἐκ παρθένου; Πάλιν, τὸ ποσὶ βαδίζειν, ἀνθρώπου· ἐπὶ δὲ ὕδατος, οὐκ ἀνθρώπου· ποῖος γὰρ ἄνθρωπος, καθὸ ἄνθρωπος, καὶ εἰ μή τινι θείᾳ δυνάμει, ἐπὶ ὑδάτων ἐβάδισε; τοῦ Θεοῦ γὰρ ἐνανθρωπήσαντος, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ Ἀνδρωθέντος· ἀνὴρ γὰρ καὶ ἄνθρωπος ἰδίως λέγεται ὁ ἐκ τῶν δύο φύσεων φανεὶς Ἰησοῦς, τὰ τῆς θεανδρικῆς ἐνεργείας ἡμῖν ἐπεδείξατο. Σημείωσαι δὲ, ὅτι νῦν μὲν ὁ Ἅγιος τὴν μικτὴν ἐνέργειαν θεανδρικὴν ἐκάλεσεν· ἐνήργησε γὰρ καὶ ὡς Θεὸς μόνον, ὅτε ἀπὼν τὸν τοῦ ἑκατοντάρχου παῖδα ἰάσατο· καὶ ὡς ἄνθρωπος μόνον, εἰ καὶ Θεὸς ἦν, ἐν τῷ ἐσθίειν καὶ λυπεῖσθαι. Ὁ δὲ Ἅγιος, τὴν θεαρχικὴν εἰπὼν ἐνέργειαν, δηλονότι καθ᾽ ἣν ἐνήργει τὰ θαύματα, καὶ τυφλοῦ μὲν ὀφθαλμοὺς διὰ χρίσεως ἐδημιούργει, ἁφῇ δὲ κρασπέδου τὴν αἱμοῤῥοοῦσαν ἰᾶτο, τὰς ἐπὶ Χριστοῦ δύο ἐνεργείας ἐδήλωσε. Συνάγεται ἄρα ἐκ τούτων ἁπάντων, ὅτι καὶ ἄνθρωπος εἴπερ λέγοιτο, ὡς αἴτιος καὶ ἀνθρώπων δημιουργὸς, καθὼς ἐλέγομεν καὶ ἐπὶ τοῖς ἑτέροις ὀνόμασιν, ἐπεὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐνήργει, οὐκ ἂν διαλυμανθείη καθόλου ἡ ἀλήθεια.

dùm hominis conditionem; quis enim homo natus ex virgine? Rursum pedibus incedere, est hominis; at supra aquam, non est hominis. Quis enim homo, in quantum homo, nisi diuinâ quapiam virtute supra aquas ambulauit? Dei enim incarnati hoc est, vti vox ἀνδρωθέντος insinuat: vir enim & homo propriè appellatur IESVS, qui ex duabus naturis conflatus apparens, dei-virilis operationis effectus nobis exhibuit. Nota verò, sanctum hunc miscellaneam Christi operationem Dei-virilem appellasse: nam etiam in quantum Deus solus operabatur, quando absens Centurionis filium sanabat; in quantum verò homo solus (licet etiam Deus esset) quando comedebat, & tristabatur. Hic sanctus verò cùm dixit * θεαρχικὴν ἐνέργειαν, quâ scilicet miracula edebat, & cæco quidem oculos inungendo restituebat, hæmorrhoüsam verò solo attactu fimbriæ curabat, duas in Christo operationes fuisse significauit. Concluditur ergo ex his omnibus, quòd si etiam homo dicatur, in quantum est auctor opifexque hominum, vt dicebamus, etiam in aliis nominibus, cùm supra hominis conditionem ea quæ hominum sunt gesserit, nihil omnino veritas lædetur.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

* Dionys. θεανδρικὴν

ΕΠΙΣΤΟΛΗ Ε´.

Δωροθέῳ λειτουργῷ.

EPISTOLA V.

Dorotheo ministro.

SYNOPSIS.

Explicat quid sit caligo diuina, de quâ egit libro de Mysticâ Theologiâ.

ὉΘΕΙΟΣ γνόφος ἐστὶ τὸ ἀπρόσιτον φῶς, ἐν ᾧ κατοικεῖν ὁ Θεὸς λέγεται. Καὶ ἀοράτῳ γε ὄντι διὰ τὴν ὑπερέχουσαν φανότητα, καὶ ἀπροσίτῳ τῷ αὐτῷ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ὑπερουσίου φωτοχυσίας, ἐν τούτῳ γίγνεται πᾶς ὁ Θεὸν γνῶναι καὶ ἰδεῖν ἀξιούμενος, αὐτῷ τῷ μὴ ὁρᾶν, μηδὲ γινώσκειν, ἀληθῶς ἐν τῷ ὑπὲρ ὅρασιν καὶ γνῶσιν γιγνό-

DIVINA caligo lux est inaccessa, quam inhabitare Deus perhibetur. Et cùm quidem sit inaspectabilis, propter exuberantem supernaturalis luminis effusionem, ad hanc pertingit, quisquis Deum nosse ac videre meruit, eoque ipso quo neque videt neque cognoscit, in illo verè, qui visionem & cognitionem supe-

1. Tim. 6, 16.

Diuina caligo quid sit.

TEXTVS S. DIONYSII.

rat, exsistit hoc ipsum sciens, eum in omnibus, tã sensilibus quàm intellectilibus, existere, & cum Propheta pronũtians: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Quemadmodũ etiam D. Paulus Deum cognouisse dicitur, quando illum supra omnem scientiã & intelligentiam existere cognouit: quocircà etiam vias eius inuestigabiles esse asserit, & inscrutabilia iudicia illius, & inenarrabilia dona eius, & pacem ipsius omnem sensum exsuperare; quippe vt qui inuenerat eum qui est supra omnia, & supra mentem agnouerat, eum qui rerum omnium auctor est, rebus quoque omnibus superiorem esse.

Psal.138,6 — Rom.11,33 — Phil.4,7.

μένος, τοῦτο αὐτὸ γιγνώσκων, ὅτι μετὰ πάντα ἐστὶ τὰ αἰσθητὰ καὶ τὰ νοητά, καὶ προφητικῶς ἐρῶν, Ἐθαυμαστώθη ἡ γνῶσίς σου ἐξ ἐμοῦ, ἐκραταιώθη, οὐ μὴ δύνωμαι πρὸς αὐτήν. Ὥσπερ οὖν καὶ ὁ θεῖος Παῦλος ἐγνωκέναι τὸν Θεὸν λέγεται, γνοὺς αὐτὸν ὑπὲρ πᾶσαν ὄντα νόησιν καὶ γνῶσιν· διὸ καὶ ἀνεξιχνιάστους εἶναι τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ φησι, καὶ ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεκδιηγήτους τὰς δωρεὰς αὐτοῦ, καὶ τὴν εἰρήνην αὐτοῦ ὑπερέχουσαν πάντα νοῦν, ὡς εὑρηκὼς τὸν ὑπὲρ πάντα, καὶ τοῦτο ὑπὲρ νόησιν ἐγνωκώς, ὅτι πάντων ἐστὶν ἐπέκεινα, πάντων αἴτιος ὤν.

ANNOTATIONES CORDERII.

DIVINA *caligo lux est inaccessa*, &c.] Alludit S. Dionysius ad illud 1. ad Timoth. 6, 16. vbi de Deo dicit: *Qui lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, scilicet iuxta legem ordinatam â Deo in hac vitâ, aut viribus naturæ. Vide S. Thomam p.1. quæst.2. artic.1. & seqq. item quæ de diuinâ caligine dicta sunt primo & secundo Capite Mysticæ Theologiæ, & in Annotationibus ibidem.

Deus nullis naturæ viribus prout in se est cognoscibilis.

Dicitur autem *diuina caligo lux inaccessa* scilicet viribus naturæ, quia nimirum Deus neque ex repræsentatione naturali cognoscitur, nec est quidquam ex intelligentibus aut intellectis, vt ex substantiâ eius liceat de eo philosophari. Repræsentatio enim naturalis in mente siue intellectu est, quæ ortum & principium ducit ex phantasmatibus rei sub sensum cadentis, cum quâ Deus nullo modo potest comparari, vt intellectus conuersus ad phantasmata possit aliquo modo Deum cognoscere, sicut potest alias substãtias alioqui incorporeas. Omnia enim quæ intelliguntur, habent in se principium cognitionis, quia vel sunt in sensilibus, quorum sunt phantasmata, à quibus abstrahuntur species intelligibiles, quibus intellectus informatus intelligit; aut sunt incorporea, quæ in se habent vnde comparentur cum sensilibus, ad quorum phantasmata, quæ sunt imagines & similitudines eorum, ad animos peruenientes, se conuertit intellectus vt aliquid de incorporeis intelligat. Sunt autem similitudines principia sentiendi & intelligẽdi, vt ait S. Thomas p.1. q.84. a.3. Deus autem non potest sic cum creaturâ sensibili comparari, vnde non sic intelligitur, sed tamquam causa per excessum, vt ait S. Thomas eâdem quæstione 84. art. 7. vel per reuelationem supernaturalem, siue fidei, quæ obscura est; siue quæ euidentiam simul habeat in attestante, & perfectissima est, quæ in hac vitâ haberi potest. Et in vtraque Deus tamquam in caligine & inaccessâ luce cognoscitur, quæ omnem superat demonstrationem, in quâ videlicet mens nostra sine vllâ notione, & absque omni intelligentiâ eorum quæ naturali intelligentiâ percipiuntur, cum Deo coniungitur & copulatur.

Quomodo Deus cognoscatur sine notione propriâ.

Nemo potest cognoscere Deum quid sit.

Est igitur hæc *lux inaccessa*, quia, vt ait Gregorius Theologus lib.1. de Theologiâ, quid tandem Deus sit substantiâ & naturâ, nemo hominum vmquam reperit, neque reperire queat. Et rursus ibidem, Salomon, inquit, qui fuit sapientior cunctis hominibus, qui ante eum & post eum fuerunt;

runt; cui fuit latitudo cordis donum Dei, & affluentia contemplationis copiosior arenâ maris; quantò plus scrutatur profundum, tantò magis æstuat, & finem quemdam facit sapientiæ inuenire quantum effugerat. Paulus autem conatur quidem assequi non dico naturam Dei (hoc enim omnibus modis fieri non potest) sed iudicia tantùm Dei. Quia verò non potest reperire exitum, nec vbi gradum ascensus sistat, nec vbi desinat curiositas mentis; dum semper aliquid subapparet eius quod relinquitur (ô rem miram! vt mihi similiter eueniat) stupore orationem circumscribit: & diuitias Dei, atque profundum hanc rem vocat: confiteturque iudicia Dei cõprehendi non posse; eadem ferè atque Dauid loquens, qui nunc quidem iudicia Dei vocat abyssum multam, cuius fundum mensurâ aut sensu non licet comprehendere. Aliquando verò dicit, admirabilem factam esse cognitionem ex seipso, & ex sui formatione. Et adhuc idem in eodem libro: Quia expetit quidem omnis natura primam causam; comprehendere verò non potest, propter causas quas dixi; laborans desiderio, & veluti anxia, & damnum non potens ferre, secundam nauigationem suscipit, vt intueatur scilicet in ea quæ cernuntur; & aliquid ex eis faciat Deum, malè docta. Quid enim quod sub aspectum cadit, eo qui aspicit, altius & Deo similius est, vt hic colat, illud colatur?

Rom. 11, 33.

Psal. 35, 7.

Omnis natura conatur, prout potest, Deum nosse.

S. Gregorius Nyssenus in Vitâ Moysis: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit homo faciem meam, & viuet.* Hoc autem non dicit Scriptura, quasi Deus sit causa mortis (quomodo enim facies vitæ fieri vmquam potest causa mortis eis qui appropinquauerunt?) sed quia Deus est naturâ vitæ auctor. proprium autem signum diuinæ naturæ est, esse celsius omni signo. Qui igitur aliquid eorum quæ cognoscuntur, Deum esse arbitratur, tamquam ab eo qui verè est, malè deflexus ad id quod comprehensione fictæ cogitationis esse existimatur, vitam non habet. Qui enim est auctor eorum quæ sunt, is est vera vita: hic autem cognosci non potest [scilicet quid sit.] Quia igitur cognitionem vincit natura effectrix vitæ, sic expletur Moysi desiderium per id quod fecit, vt maneret cupiditas inexplebilis. Idem in explanatione illius beatitudinis, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* Qui cor suum, inquit, ab omni affectione turbidâ emundauit, in propriâ pulchritudine imaginem diuinæ naturæ perspicit. Mensura enim perspicientiæ Dei, quæ à te capi potest, in te est. Igitur qui se ipse videt, in se quod desiderat videt, atque ita mundus corde efficitur beatus, cùm intuens in suam munditiem, in imagine suâ videt exemplar. Hæc cordis mundities, ad mysticam contemplationem prorsus necessaria est, nec sine illâ vlli ad diuinam caliginem aditus patet.

Exod. 33, 20.

ANNOTATIONES CORDERII.

Matth. 5.

Mundities cordis necessaria contemplanti.

Ex his liquet, quòd Deus nec naturali repræsentatione cognosci ab vllo vmquam possit. Fugit enim omnibus modis cognitionem, quando aut quomodo sit, nec est eorum quæ intelligunt, aut eorum quæ intelliguntur. Est enim substantia, quæ subiectum esse non potest; & notio, quæ nullâ ratione subiectum habet. In quo igitur id fundatum cognoscet, quod non potest prorsus recipere subiectum ad notionem? Rectè igitur est immensitas supra substantiam, & mens omnibus cogitationibus incogitabilis; quin potiùs mens non cadens sub intelligentiam, & ratio ineffabilis nobis, idque propter superlationem substantiæ & intelligentiæ.

Deus est supra omnia quæ intelligunt & quæ intelligũtur.

SCHOLIA S. MAXIMI.

Ἐν τούτῳ γίγνεται.] Τὸ εἰρημένον ἐνταῦθα τῷ Πατρὶ, λάβε μοι ἀπὸ ὑποδείγματος τοῦ κατὰ τὸν σωματικὸν ὀφθαλμόν. Ὅπερ γὰρ ποιεῖ φωτὸς ἀπουσία, ἀνενεργησίαν τῶν ὀπτικῶν δυνάμεων ἐργαζομένη, τοῦτο καὶ ἡ πρὸς ἥλιον ἐν μεσημβρίᾳ ἀτενὴς ἀπόβλεψις ἀποτελεῖ.

In hoc existit.] Ad intelligendum id quod hîc à Patre dictum est, sume exemplum ab oculo corporis. Quod enim efficit absentia luminis, scilicet vacationem sensus oculorum, hoc efficit intendere fixè aciem oculorum aduersus solis radios meridie.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Περὶ τοῦ θείου γνόφου καὶ πρότερον εἴρηκεν ἐν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ τοῦ περὶ Μυστικῆς Θεολογίας. Ἔστι δὲ ἡ ῥῆσις ἐκ τοῦ θεσπεσίου Δαβὶδ λέγοντος, Καὶ

De diuinâ caligine etiam anteà disseruit capite primo Mysticę Theologiæ. Est autem dictio hæc desumpta ex diuino illo Dauide dicente: *Et* Ps. 17, 10.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Caligo quid de Deo dicta significet. Isa. 6,4.

caligo sub pedibus eius. idcircò enim addit, Quam inhabitare Deus perhibetur. Nam si sub eius pedibus caligo est, liquet eum totâ istâ caligine incomprehensibilem alioquin & inuisibilem circumquaque operiri. Rursum Isaias, *Et impleta est domus fumo*. Dorotheo igitur Liturgo, id est Diacono (sic enim id explicuit in Ecclesiasticâ Hierarchiâ) sciscitâti quænam hæc esset caligo, respondet, eam esse, quam quis putare possit esse tenebras, cùm lux sit inaccessa, & idcircò caliginis nomen accepit, quòd nimirũ inaspectabilis sit: inaspectabilis inquam, non eo modo quo terra à principio inaspectabilis nominatur (terra autem erat inaspectabilis, & incondita) sed propter splendorem exuberantem, sicut solem in meridie dicimus inaspectabilem, cùm lucidissimos radios eiaculetur. Nam quod lucis absentia facit, dum scilicet videndi facultatem operatione suâ priuat, idem prorsus efficit contuitus in solem meridianum fixus. In hac caligine versatur, quisquis, vt Moyses, censetur dignus cognitione ac visione Dei. Porrò talis cognitio visioque Dei quid tandem est, nisi aliquem esse supra visionem & cognitionem, & neq; videre neque cognoscere, sed illud solum cognoscere quòd Deus transscendat omnia quæ sensu & intellectu percipiuntur? Illud autem ὑπὲρ πάντα, dixit μετὰ πάντα, vt sensilium simul & intellectilium transscensionem declararet, sermone ad nostrum intelligendi captũ accommodato. Sic enim etiam nostra cognitio, vbi cuncta transscendit, ad Deum surrigitur, & quæ supra omnia sunt, quærit. Cùm itaque quis eo dignus habitus fuerit, is cum Prophetâ dicet: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam*. Diuus quoque Paulus Deum nouerat, omnem scilicet cognitionem notionemque transscendere, quoniam inuestigabilis est, & inscrutabilia iudicia eius, muneraque inenarrabilia, nec non pax eius exuperat omnem sensum. Hoc enim est, quod supra omnem sensum esse nouerat, quòd videlicet cunctis superior est, vt qui auctor sit omnium. Ne quis igitur obiecerit, Quomodo supra intelligentiam est aliquem scire, quia Deus quatenus vniuersa transscendit, manet inscrutabilis communi intelligentiæ? cùm hoc quodammodò certum, atque omnibus sine demonstra-

Gen. 1.

Quid sit esse in caligine sacrâ.

Psal. 138,6

Rom. 11, 33. *Deus inscrutabilis.*

γνόφος ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ· διὰ τοῦτο γὰρ τίθησι καὶ τό, Ἐν ᾧ κατοικεῖν λέγεται ὁ Θεός. Εἰ γὰρ ὑπὸ τοὺς πόδας ἐστὶν ὁ γνόφος, εὔδηλον ὅτι ἐν ἐκείνῳ παντὶ περικαλύπτεται ὁ ἀπερίληπτος καὶ ἀθέατος. Καὶ πάλιν ὁ Ἡσαΐας, Καὶ ἐπλήσθη καπνοῦ ὁ οἶκος. Ἐρωτῶντι τοίνυν τῷ Λειτουργῷ, δηλονότι Διακόνῳ (οὕτω γὰρ ἔλεγεν ἐν τῇ Ἐκκλησιαστικῇ ἱεραρχίᾳ) Δωροθέῳ, τίς ἐστιν ὁ τοιοῦτος γνόφος, φησίν· Οὗτός ἐστιν ὃν σκότος οἰήσαιτό τις, τὸ ἀπρόσιτον φῶς· εἰ γὰρ καὶ φῶς ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ἀπρόσιτον· καὶ διὰ τοῦτο τὸ τοῦ γνόφου ὄνομα εἴληφε, διὰ τὸ ἀόρατον δηλαδή· ἀόρατον δέ, οὐ κατὰ τὸ περὶ τῆς ἀρχῆθεν γῆς σημαινόμενον (ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος) ἀλλὰ διὰ τὴν ὑπερέχουσαν φανότητα, ὡς ἀόρατον λέγομεν τὸν ἥλιον ἐν μεσημβρίᾳ, ἀποπάλλοντα τὰς ἀκτῖνας καθαρωτάτας. Ὅπερ γὰρ ποιεῖ φωτὸς ἀπουσία, ἀνενεργησίαν δηλονότι τῶν ὀπτικῶν δυνάμεων ἐργαζομένη, τοῦτο καὶ ἡ πρὸς ἥλιον ἐν μεσημβρίᾳ ἀτενὴς ἀπόβλεψις ἀποτελεῖ. Ἐν τούτῳ γίνεται πᾶς ὁ κατὰ Μωϋσῆν Θεὸν γνῶναι καὶ ἰδεῖν ἀξιούμενος. Τί δέ ἐστιν ἡ γνῶσις καὶ ἡ θέα ἐπὶ Θεοῦ, αὐτὸ τὸ γίνεσθαί τινα ὑπὲρ ὅρασιν καὶ γνῶσιν, καὶ μήτε ὁρᾶν μήτε γινώσκειν· τοῦτο δὲ μόνον γινώσκειν, ὅτι μετὰ πάντα τὰ αἰσθητὰ καὶ τὰ νοητά, ὁ Θεός ἐστι; Τὸ δὲ Ὑπὲρ πάντα, μετὰ πάντα εἶπε, δηλῶν τὴν τῶν αἰσθητῶν ἅμα καὶ νοητῶν ἁπάντων διάβασιν, πρὸς τὴν ἡμετέραν γνῶσιν ῥηθέντος τοῦ λόγου. Οὕτω γὰρ καὶ ἡ γνῶσις μεθ' ὃ διέλθοι πάντα, πρὸς Θεὸν ἀνάγεται, καὶ ζητεῖ τὰ ὑπὲρ πάντα. Ὅτε γοῦν τούτου τις ἀξιωθείη, μετὰ τοῦ Προφήτου ἐρεῖ, Ἐθαυμαστώθη ἡ γνῶσίς σου ἐξ ἐμοῦ, ἐκραταιώθη, οὐ μὴ δύνωμαι πρὸς αὐτήν. Ἔγνω καὶ ὁ θεῖος Παῦλος τὸν Θεόν, ὅτι δηλαδή ἐστιν ὑπὲρ πᾶσαν γνῶσιν καὶ νόησιν, ὅτι ἀνεξιχνίαστος, ὅτι τὰ κρίματα αὐτοῦ ἀνεξερεύνητα, ὅτι αἱ δωρεαὶ ἀνεκδιήγητοι, ὅτι ἡ εἰρήνη αὐτοῦ ὑπερέχει πάντα νοῦν. Τοῦτο γάρ ἐστιν ὅπερ ὑπὲρ νόησιν ἔγνωκεν, ὅτι πάντων ἐστὶν ἐπέκεινα, ὡς αἴτιος πάντων ὤν. Μὴ γοῦν εἴποι τις, Πῶς ὑπὲρ νόησίν ἐστι τὸ εἰδέναι τινά; ὅτι ὁ Θεὸς ὡς ἐπέκεινα πάντων ἐστὶν ἀνεξερεύνητος· κοινῆς ἐννοίας ὡσανεὶ ταύτης οὔσης, καὶ πάντων εἰδότων,

ἀναπο-

ἀναποδείκτως, ὅτι ὁ Θεὸς ἀκατάληπτος. Ἀλλ' εἰδέτω, ὡς ὅτι μὲν ὁ Θεὸς ἀκατάληπτος, καὶ ὑπὲρ γνῶσιν τῶν πολλῶν ἐστιν εἰδέναι· Διότι δὲ τοιοῦτος, καὶ πῶς, ἐκείνων ἐστὶ μόνων εἰδέναι τῶν ἀξιωθέντων γνώσεως θείας καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον, οἷος ἦν ὁ Δαβίδ, οἷος ὁ Παῦλος, καὶ οἱ κατ' αὐτούς· ἐπεὶ καὶ τὸ ἐκλείπειν τὸν ἥλιον, ἢ τὴν σελήνην, ἢ ἄλλο τι τῶν κατὰ κόσμον γίνεσθαι, ὅτι μὲν οἴδασιν οἱ πολλοὶ, οὐδεὶς ἀμφιβαλεῖ, αὐτὴ γὰρ ἡ αἴσθησις διδάσκει τοῦτο. Δι' ὃ δὲ ταῦτα γίνονται, οὐκ οἴδασιν ἄλλοι, ἢ οἱ περὶ ταῦτα ἀκριβεῖς ἐπιστήμονες.

tione notum sit, Deum incomprehensibilem existere. Verùm sciat, plerosque quidem nosse Deum esse incomprehensibilẽ, notionemq́ue transscendere. Cur autem quomodoque talis sit, eorum solùm nosse est, qui digni sunt habiti diuinâ supra hominem cognitione, qualis erat Dauid, & qualis Paulus, iisq́ue similes: nam & solem lunámve deficere, vel aliud quidpiam in orbe fieri, complures nosse nulli dubium est; nam & ipse sensus hoc docet. Ad quid autem ista fiant, non est notum aliis, prætérquã iis qui istarum rerũ exactè periti sunt. PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ϛ'.

Σωπάτρῳ ἱερεῖ.

EPISTOLA VI.

Sosipatro Sacerdoti.

SYNOPSIS.

SVadet Sosipatro, vt non tam in falsis opinionibus arguendis, quàm in veritate stabiliendâ se occupet.

ΜΗ τοῦτο οἴου νίκην, ἱερὲ Σώπατρε, τὸ εἰς θρησκείαν ἢ δόξαν ὑβρίσαι, μὴ ἀγαθὴν φαινομένην· οὐδὲ γὰρ οὐδ' εἰ κεκριμένως αὐτὴν ἐξελέγξαις, ἤδη τὰ Σωπάτρου καλά· δυνατὸν γὰρ καί σε καὶ ἄλλους ἐν πολλοῖς τοῖς ψεύδεσι καὶ φαινομένοις, ἓν ὂν, καὶ κρύφιον, τὸ ἀληθὲς λανθάνειν. Οὐδὲ γὰρ εἴ τι μὴ ἐρυθρὸν, ἤδη λευκόν· οὐδὲ εἴ τις μὴ ἵππος, ἐξ ἀνάγκης ἄνθρωπος. Οὕτω δὲ ποιήσεις, ἐμοὶ πειθόμενος, ἀφέξῃ μὲν τοῦ καθ' ἑτέρων λέγειν, ὑπὲρ ἀληθείας δὲ οὕτως ἐρεῖς, ὡς πάντη εἶναι ἀνεξέλεγκτα τὰ λεγόμενα.

NOLI hoc putare victoriam, venerande Sosipater, quòd in eam religionem vel opinionem inueheris, quæ non bona videatur: neq; enim, vt illam rectè coarguas, continuò Sosipatri res benè habent; potest enim tam te quàm alios, inter multa falsa & apparentia, vnum illud & occultum & verum latere. Neque enim vt quid rutilum non sit, iam continuò album est: neque si quis non equus, necessariò est homo. Sic itaque, si me audies, facito: desistes quidem aduersus alios dicere, sed omnino ita pro veritate dices, vt & ea quæ dicuntur refelli non valeant. *Non superuacaneis refutationibus esse inhærendum.*

ANNOTATIONES CORDERII.

NOTA prudentissimum Dionysij consilium pro iis qui agunt cum hæreticis, cum quibus non est contentiose arguendum, quia id parum vtile est, iuxta illud ad Titum 3, 9. *Contentiones & pugnas legis deuita, sunt enim inutiles.* Prodest autem proferre ac stabilire veritatem, quâ cognitâ, errores non secùs ac tenebræ in luce euanescunt.

SCHOLIA S. MAXIMI.

SCHOLIA S. MAXIMI.

Veritas vnitate gaudet & simplicitate.



FIERI ENIM POTEST.] Potest, inquit, quispiam dum inter multa splendidum aliquod mendacium coarguit, ipsemet à vero aberrare, quod vnum est: vnica enim veritas, arcana tamen propter mysticam dogmatum intelligentiã, multáque adhuc cum Dei gratiâ opus habet indagatione; veluti Nestorius, dum Arij Apollinarijque placita conuellit, vel alij similes aliorum similium, qui in alias ipsi æquè absurdas hæreses inciderunt. Nemo autem hinc offendatur, existimans improbari Patrum studia in hæreticis refutandis collocata: non enim hoc dicit, quasi non refellendæ & euertendæ sint opiniones impiorum (quomodo enim alioquin ipsemet in libro de Diuinis nominibus Elymæ dogmata sic exagitaret?) sed non in hoc præcipuum studium ponendum esse, vt contra alios dicatur, sed vt eruditè & exactè veritatis ratio exponatur, refutatio autem adhibeatur contra oppositionem instantiæ impiorum. Aliter. Non oportere aliorum opiniones refutare, sed suam stabilire; neque contra opinionem aut cultum, qui haud bonus apparet, sed pro veritate scribendum esse. Quomodo autem hoc intelligat, epistola deinceps declarat.



ΔΥΝΑΤΟΝ γὰρ καί.] Δύναται, φησί, τις ἐν πολλοῖς περιφανὲς ψεῦδος ἐλέγχων, αὐτὸς διαμαρτάνειν τοῦ ἀληθοῦς, ὅπερ ἕν ἐστι· μία γάρ ἐστιν ἡ ἀλήθεια, κρύφιον δὲ, διὰ τὸ μυστικὸν τῶν δογμάτων, καὶ πολλῆς ἐρεύνης μετὰ τῆς θείας δεόμενον χάριτος, οἷον Νεστόριος τὰ Ἀρείου καὶ Ἀπολιναρίου διασείων, ἢ ἕτεροι τοιοῦτοι ὁμοίων ἑτέρων, εἰς ἑτέρας ἀτόπους αἱρέσεις ἐνέπεσον. Μηδεὶς δὲ ἐκ τούτων παρακρουέσθω, ἀποβάλλεσθαι τὰ κατὰ τῶν ἑτεροδόξων πονήματα τῶν Πατέρων· οὐ γὰρ τοῦτό φησι, τὸ μὴ ἐλέγχειν καὶ ἀνατρέπειν τὰς τῶν ἀσεβῶν δόξας (ἐπεὶ πῶς αὐτὸς ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων φαίνεται τὰ τοῦ Ἐλύμα διασαλεύων;) ἀλλ' ὅτι οὐ χρὴ κατὰ προηγούμενον λόγον εἰς τοῦτο ἐνασχολεῖσθαι τὸ καθ' ἑτέρων λέγειν, ἀλλὰ διδασκαλικῶς τὸν τῆς ἀληθείας ἐκτίθεσθαι λόγον ἠκριβωμένως, τῇ ἀντιρρήσει δὲ κατὰ περίστασιν τῆς τῶν ἀσεβῶν ἐπαναστάσεως χρῆσθαι. Ἄλλως. Ὅτι οὐ δεῖ τὰς τῶν ἑτέρων δόξας διαβάλλειν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν κρατύνειν· ἀλλ' οὐδὲ κατὰ δόξης ἢ θρησκείας οὐκ ἀγαθῆς φαινομένης γράφειν, ἀλλ' ὑπὲρ ἀληθείας. Πῶς δὲ τοῦτό φησιν, ἡ ἑξῆς Ἐπιστολὴ σαφηνίζει.

Ὑπὲρ ἀληθείας.] Σημείωσαι δὲ, διατί ὑπὲρ ἀληθείας μόνον συγγραπτέον, οὐ μὴν καθ' ἑτέρων.

PRO VERITATE.] Aduerte verò cur pro veritate solùm scribendum sit, & non contra alios.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.



SACERDOTEM vocat Presbyterum, sicut etiam in Ecclesiasticâ Hierarchiâ dicit, & vsus obtinuit. Hic itaque * Sopater, vti videtur, in hoc vnum incumbebat, vt eos qui peruersæ opinionis erant refutaret atque perstringeret. Et hinc verosimile est, eum istiusmodi proposito studioque, tamquam à Deo existente, confisum, vt sæpè fit, proprij profectus incurium negligentemque fuisse, quòd hunc qualemcumque zelum, ad salutem sufficere existimaret. Cupiens igitur Sanctus hoc à * Sopatro remouere, vt quod arrogantiæ potiùs quàm zeli videretur,

*Sosipater,

Zelus temperandus modestiâ & charitate

* Sosipatre



ΙΕΡΕΑ λέγει τὸν πρεσβύτερον, καθὼς καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησιαστικῇ ἱεραρχίᾳ φησὶ, καὶ ἡ συνήθεια ἐπεκράτησεν. Οὗτος οὖν ὁ Σώπατρος, ὡς δοκεῖ, ἓν εἶχε σπούδασμα, τὸ τὰ τῶν ἑτεροδόξων διασύρειν καὶ καθυβρίζειν. Κἀντεῦθεν πολλάκις εἰκὸς ἦν θαρρῆσαι τοῦτον τῇ τοιαύτῃ προθέσει, καὶ τῷ τοιούτῳ σπουδάσματι, ὡς ὑπὲρ Θεοῦ γινομένῳ, ἀμελεῖν καὶ καταρραθυμεῖν τῆς οἰκείας αὐτοῦ προκοπῆς, ἱκανὸν τοῦτο εἰς σωτηρίαν ἡγούμενον. Βουλόμενος γοῦν ὁ Ἅγιος ἐκκόψαι τοῦτο ἀπὸ τοῦ Σωπάτρου, ὡς μᾶλλον οἰήσεως εἶναι δοκοῦν ἢ ζήλου,

καὶ

καὶ πλάνην ἐμποιεῖν τῷ ὀρθῷ λογισμῷ, ἄλλως τε καὶ τοὺς λόγους ἐν κρίσει ποιούμενος, καὶ εἰδὼς, ὡς τὸ τοιοῦτον μὲν ἀπέχθειαν κατεργάζεται, καθ' ὧν οἱ λόγοι λέγονται, κέρδος δὲ οὐ τὸ τυχὸν προξενεῖ, τὸ δὲ ἀγαθοθελῶς διακεῖσθαι μᾶλλον πρὸς τοὺς τοιούτους, καὶ ἀγαπᾷν, καὶ προσίεσθαι, κατορθοῖ πολλάκις τὰ μέγιστα, καὶ τὸν πλανώμενον ἐπιστρέφει, πεισθέντα, ὅτι οὐ διὰ κακίαν, ἀλλὰ δι' ἀγάπην μᾶλλον καὶ κηδεμονίαν οἱ λόγοι γίνονται· διὰ τοῦτο τίθησι τὴν Ἐπιστολὴν ταύτην, ἐκφοβῶν αὐτὸν, μή πως ἀπὸ τῆς τοιαύτης οἰήσεως ἐγκαταληφθείη παρὰ Θεοῦ, καὶ ὅπερ ἐγκαλεῖ πρὸς ἐκείνους, αὐτὸς πείσεται, ἐξ ὧν ἐλέγχει ἐκείνοις αὐτὸς περιπίπτων καὶ βλασφημῶν. Λέγει τοίνυν, ὅτι οὐ δεῖ τὰς ἑτέρων δόξας διαβάλλειν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν κρατύνειν· ἀλλ' οὐδὲ κατὰ δόξης ἢ θρησκείας οὐκ ἀγαθῆς φαινομένης γράφειν, ἀλλ' ὑπὲρ ἀληθείας. Πῶς δὲ τοῦτό φησιν, ἡ ἑξῆς ἐπιστολὴ σαφηνίζει. Δύναται γάρ τις, φησὶ, τὸ ἐν πολλοῖς προφανὲς ψεῦδες ἐλέγχων, αὐτὸς διαμαρτάνειν τοῦ ἀληθοῦς, ὅπερ ἕν ἐστι καὶ κρύφιον· μία γάρ ἐστιν ἀλήθεια, κρύφιον δὲ, διὰ τὸ μυστικὸν τῶν δογμάτων, καὶ πολλῆς ἐρεύνης μετὰ τῆς θείας δεόμενον χάριτος, οἷον Νεστόριος τὰ Ἀρείου καὶ Ἀπολιναρίου διασείων, καὶ Εὐτυχὴς καὶ Διόσκορος τὰ τοῦ Νεστορίου, ἢ ἕτεροι τοιοῦτοι ὁμοίων ἑτέρων, εἰς ἑτέρας ἀτόπους αἱρέσεις ἐξέπεσον. Μηδεὶς δὲ ἐκ τούτων παρακρουέσθω, ἀποβάλλεσθαι τὰ κατὰ τῶν ἑτεροδόξων πονήματα τῶν Πατέρων τὸν Ἅγιον· οὐ γὰρ τοῦτό φησιν ὁ Πατὴρ, τὸ μὴ ἐλέγχειν καὶ ἀνατρέπειν τὰς τῶν ἀσεβῶν δόξας (ἐπεὶ, πῶς αὐτὸς ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων βιβλίῳ τὰ τοῦ Ἐλύμα διασαλεύων;) ἀλλ' ὅτι οὐ χρὴ, κατὰ προηγούμενον λόγον, εἰς τοῦτο ἐνασχολεῖσθαι, τὸ καθ' ἑτέρων λέγειν· ἀλλὰ τότε λέγειν, ὅτε τυχὸν χρεία τοῖς ἄλλοις ὠφελείας, ὅτε κατισχύει τὸ ψεῦδος, ὅτε σαλεύονται οἱ πιστοί· τότε γοῦν προηγουμένως μὲν, τὸν τῆς ἀληθείας ἐκτίθεσθαι χρὴ λόγον καὶ ἠκριβωμένως· μετέπειτα δὲ καὶ τῇ ἀντιῤῥήσει κατὰ τῆς τῶν ἀσεβῶν ἐπαναστάσεως χρῆσθαι, μὴ νίκην ζητοῦντας, ἀλλ' ἀδελφῶν διόρθωσιν. Τοῦτό φησι καὶ ὁ θεολόγος μέγας Γρηγόριος, μὴ πάντα νικᾷν, ἀλλ' ἔστιν οὗ καὶ ἡττᾶσθαι ἀνέχεσθε. Θέλει γοῦν ἀναλογίζεσθαι

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

rectæque rationi errorem ingenerare, aliaſque ſciret ac iudicaret, iſtiuſmodi verba potiùs offendere illos contra quos proferuntur, quàm vel tantilli lucri adferre, cùm contrà pius erga tales beneuolentiæ affectus, dilectio, affabilitas, plurimùm ſæpè proſit, & errantem conuertat, perſuaſum, quia ſermones iſti non à malignitate proficiſcuntur, ſed potiùs à dilectione, & prouidâ erga ſe curâ loquentis; idcircò hanc Epiſtolam ſcribit, vt ipſum deterreret, ne iſtiuſmodi inſolentiæ à Deo coargueretur, & in eadem laberetur quæ in illis carpit, & maledictis perſtringit. Dicit igitur, non oportere aliorum opiniones traducere, ſed propriam confirmare. Quin ne ſcribendum quidem aduerſus opinionem religionémve, tametſi non bona videatur, ſed pro veritate. Ceterùm quo pacto id dicat, reliquū Epiſtolæ declarat. Poteſt enim quiſpiam, inquit, dum inter multa ſplendidum aliquod mendacium coarguit, ipſemet à veritate aberrare, quod vnum eſt & occultum: vna enim eſt veritas, arcana tamen propter myſticam dogmatum intelligentiam, multaque adhuc præter Dei gratiam opus eſt indagatione, veluti Neſtorius, dum Arij Apollinarijque placita conuellit, & Eutyches Dioſcoruſque, dum Neſtorij, ſiue alij ſimiles ſimilium aliorum, qui in alias ipſi æquè peruerſas hæreſes inciderunt. Nemo autem hinc offendatur, exiſtimans hunc Sanctum improbare Patrum ſtudia in hæreticis refutandis collocata: non enim hoc dicit Pater, quaſi non refellendæ & euertendæ ſint opiniones impiorum (quomodo enim alioquin ipſemet in libro de Diuinis nominibus Elymę dogmata ſic exagitaret?) verùm, iuxta prædictam rationem, non in hoc præcipuum ſtudium ponendum eſt, vt contra alios dixiſſe videaris, ſed tunc dicendum, ſi qua fortè vrgeat neceſſitas aut vtilitas aliorum, vt quando inualeſcit falſitas, cùm fideles exagitantur, tum ſanè vel inprimis veritatis ratio expromenda, idque accuratè: deinde verò refutatione etiam aduerſus impiorum oppugnationem vtendū, non tam victoriam quærendo, quàm fratrum emendationem. Sic etiam Magnus ille Theologus Gregorius: Non omnia, inquit, vincenda, ſed eſt etiam vbi te vinci ſuſtinere debeas. Debet itaque, quiſquis

Quomodo tuenda veritas ſit.

contra

PARAPHRASIS PACHYMERÆ. contra aduersarios disputat, cogitare, quòd quando victoria contingit, non suâ virtute vincat, sed potestate veritatis quam tenet: supra omnia enim, inquit, veritas. Et hoc modo in nullam vmquam incidet elationem, sed nec à Deo destituetur, vt in quo alios reprehendit, ipsemet in aliud maledicti cuiusdam præcipitium ruat.

ὁ κατὰ τῶν πρὸς ἐναντίων λέγων, ὡς ὅτε δὴ καὶ νικᾷ, οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ ἐστὶν ἡ νίκη, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς τῆς ἀληθείας κυρίας, ἣν οὗτος κατέχει· ὑπὲρ γὰρ πάντα νικᾷ, φησὶν, ἡ ἀλήθεια· καὶ οὕτως οὐ μὴ πεσεῖταί ποτε εἰς ἔπαρσιν, οὐδ' οὐ μὴ ἐγκαταλειφθείη ἀπὸ Θεοῦ εἰς τὸ ἐν ὅσῳ ἑτέρους ἐλέγχει, καταπίπτειν αὐτὸς εἰς ἕτερον βλασφημίας ὄλισθον.

EPISTOLA VII.

Polycarpo Antistiti.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ Ζ'.

Πολυκάρπῳ Ἱεράρχῃ.

SYNOPSIS.

1. DOcet, aduersus infideles non esse contentiosiùs agendum, sed veritatem stabiliendã, quâ stabilitâ falsitas per se corruet. 2. Conuitia infidelium parum esse curanda, & in ipsos retorquenda. Et simul argumenta suggerit Polycarpo, quibus contra Apollophanem vti debeat; præsertim à prodigiosâ eclipsi, quam Apollophanes vnà cum Dionysio spectauit tempore crucifixionis Christi. 3. Ex ipsiusmet confessione ostendit ipsum istâ eclipsi conuictum.

§. I. QVIDEM haud scio me aduersus Gentiles aut alios inuectum, ratus viris probis esse satis, si ipsam in se veritatem & agnoscere & proferre possint, prout reuerà se habet. Vbi enim quidquid est ex lege veritatis demonstratum fuerit clareque constiterit, quidquid aliter se habet, ac veritatem simulat, arguetur etiam aliud esse ab eo quod verè est, & potiùs esse dissimile & apparens, quàm reuerà existens. Superuacaneum igitur est, vt is qui demonstrat veritatem, aduersus hos aut illos dimicet: quilibet enim affirmat se habere Regium numisma, & fortassis habet particulæ cuiusdam veræ fallacem aliquam imaginem; quam si confutaueris, alius iterùm atque alius de eadem dimicabit. At si vera

Stabilitâ veritate falsitas per se corruit.

ΓΩ μὲν οὐκ οἶδα πρὸς Ἕλληνας ἢ πρὸς ἑτέρους εἰπὼν, ἀρκεῖν οἰόμενος ἀγαθοῖς ἀνδράσιν, εἰ τὸ ἀληθὲς αὐτὸ ἐφ' ἑαυτοῦ δυνήσοιντο καὶ γνῶναι καὶ εἰπεῖν, ἢ ὄντως ἔχει. Τούτου γὰρ ὅ,τι ποτέ ἐστι, κατὰ νόμον ἀληθείας ὀρθῶς ἀποδεικνυμένου, καὶ ἀκραιφνῶς ἑστηκότος, πᾶν τὸ ἑτέρως ἔχον, καὶ τὴν ἀλήθειαν προσποιούμενον, ἐξελεγχθήσεται καὶ ἕτερον ὂν τοῦ ὄντως ὄντος, καὶ ἀνόμοιον, καὶ δοκοῦν ἐκεῖνο μᾶλλον ἢ ὄν. Περιττὸν οὖν ἐστι, τὸν ἀληθείας ἐκφάντορα πρὸς τούτους ἢ ἐκείνους διαμάχεσθαι· λέγει γὰρ ἕκαστος αὐτὸς ἔχειν τὸ νόμισμα τὸ βασιλικὸν, καὶ ἴσως γε ἔχει τι μορίου τινὸς τοῦ ἀληθοῦς ἀπατηλὸν εἴδωλον· καὶ εἰ τοῦτον ἐλέγξεις, ὁ ἕτερος καὶ αὖθις ὁ ἄλλος περὶ τοῦ αὐτοῦ φιλονεικήσει. Τοῦ δ' ἀλη-

θοῦς

θοὺς αὐτοῦ τεθέντος ὀρθῶς λόγου, καὶ πρὸς τῶν ἄλλων πάντων ἀνεξελέγκτου μένοντος, πᾶν τὸ μὴ οὕτω κατὰ πάντα ἔχον, αὐτὸ ἐφ' ἑαυτοῦ τῇ ἀηττήτῳ στάσει τοῦ ὄντως ἀληθοῦς καταβάλλεται. Τοῦτο μὲν οὖν, ὡς οἶμαι, καλῶς ἐγνωκὼς, οὐκ ἐσπούδασα πρὸς Ἕλληνας ἢ πρὸς ἑτέρους εἰπεῖν· ἀλλ' ἱκανόν μοι, καὶ τοῦτο Θεὸς δοίη, περὶ ἀληθείας εἰδέναι πρῶτον, ἔπειτα εἰδότα ὡς χρὴ λέγειν.

Σὺ δέ φῂς λοιδορεῖσθαί μοι τὸν σοφιστὴν Ἀπολλοφάνη, καὶ πατραλοίαν ἀποκαλεῖν, ὡς τοῖς Ἑλλήνων ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας οὐχ ὁσίως χρωμένῳ. Καίτοι πρὸς αὐτὸν ἡμᾶς ἦν ἀληθέστερον εἰπεῖν, ὡς Ἕλληνες τοῖς θείοις οὐχ ὁσίως ἐπὶ τὰ θεῖα χρῶνται, διὰ τῆς σοφίας τοῦ Θεοῦ τὸ θεῖον ἐκβάλλειν πειρώμενοι σέβας. Καὶ οὐ τὴν τῶν πολλῶν ἔγωγέ φημι δόξαν, τοῖς τῶν Ποιητῶν προσύλως καὶ ἐμπαθῶς ἐναπομενόντων, καὶ τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα λατρευόντων· ἀλλὰ καὶ αὐτὸς Ἀπολλοφάνης οὐχ ὁσίως τοῖς θείοις ἐπὶ τὰ θεῖα χρῆται· τῇ γὰρ τῶν ὄντων γνώσει, καλῶς λεγομένῃ πρὸς αὐτοῦ Φιλοσοφίᾳ, καὶ πρὸς τοῦ θείου Παύλου σοφίᾳ Θεοῦ κεκλημένῃ, πρὸς τὸν αἴτιον καὶ αὐτῶν τῶν ὄντων καὶ τῆς γνώσεως αὐτῶν, ἐχρῆν ἀνάγεσθαι τοὺς ἀληθεῖς φιλοσόφους. Καὶ ἵνα μὴ τὴν τῶν ἄλλων, ἢ τὴν αὐτοῦ παρὰ τὸ δοκεῖν ἐξελέγχοι μοι δόξαν, ἔδει συνιδεῖν Ἀπολλοφάνη, σοφὸν ὄντα, μὴ ἂν ἄλλως ποτὲ δυνηθῆναι τῆς οὐρανίας

TEXTVS S. DIONYSII.

ratio ritè fuerit stabilita, ceterisq; omnibus irrefragabilis persistat, quidquid cum eâ non eodem modo per omnia se habet, id ipsum per se, insuperabili eius quod omnino verum est stabilitate, deiicitur. Hoc itaque cùm, meâ quidem sententiâ, probè nossem, minimè dedi operam, vt aduersus Gentiles aliósve dicerem, sed mihi satis est, si mihi donet Deus, vt de veritate primùm quidem rectè sentiam, ac deinde scitè eloquar vt oportet.

§. 2. *Conuitia infidelium parum curanda, & in ipsos retorquenda.*

Tu autem ais, Sophistam Apollophanem me conuitiari, ac parricidam appellare, vt qui Gentilium dictis, aduersus ipsos non sincerè vtar. Atqui nos illi veriùs obiicere possemus, Gentiles illos, aduersus diuina diuinis sacrilegè abuti, dum per Dei sapientiam, diuinæ religionis cultum abolere moliuntur. Neque verò hîc de multitudinis opinione loquor, quæ Poëtarum fictionibus materialiter tenaciterque adhærens, creaturæ potiùs quàm creatori famuletur; verùm etiam ipsemet Apollophanes diuinis aduersus diuina nefariè vtitur: nam per hanc ipsam rerum scientiam, quæ ab ipso rectè Philosophia dicitur, & à diuo Paulo sapientia Dei nominatur, ad rerum ipsarum scientięque illius auctorem, veros Philosophos ascendere oportebat. Ac ne præter institutum meum, aliorum potiùs quàm ipsius sententiam à veritate deflectere conuincam, scire debebat Apollophanes, cùm sapiens esset, nihil vmquam cælestis ordinis

Apollophanem ex prodigiis in cælo visis ad Deum adduci debuisse.

TEXTVS S. DIONYSII.

nis ac motus immutari vllo modo potuisse, sine instinctu auctoris sui, à quo & vt esset accepit, & cuius potentiâ conseruatur, qui, secundùm Scripturæ testimoniũ, cuncta perficit ac mutat. Cur igitur non colit eum, quem hinc quoque cognouimus veraciter esse omnium Deum, admirando eius, à quo cuncta subsistunt, admirabilem potestatem? Quandoquidem ab ipso Sol & Luna, potentiâ statuque mirabili, simul cum hac rerum vniuersitate, ad omnimodam immobilitatem redacta sint, nec non ad integri diei spatium, in iisdem vniuersa signis constiterint; vel, quod amplius est, etiam cunctis orbibus primariis, qui ceteros complexu suo continent, more suo gyrantibus, ea quæ illorum complexu continebantur, non vnà in orbem circumlata sint: quin & alius quidam dies continuatione ferè triplo longior effectus, & totis viginti horis, vniuersum æquali omnino temporis spatio, motu contrario supraquam admirandis retrogyrationibus retrogressum ac reuersum sit: vel ipse sol in cursu suo, quinqueformem istum motum ad decem horas contractum, denuò gradu retrogrado, aliis item decem horis nouam quamdam semitam ineundo, repetierit: quod vtiq; Babylonios iure merito consternauit, & eos Ezechiæ tamquam Deo suppari similíve, atque hominibus præstantiori, sine pugnâ subegit. Omitto quæ in Ægypto magnificè gesta sunt, atque alia quædam signa, quæ alibi diuinitus patrata sunt, hæc tan-

τὶ παραγεγράπτην τάξεως καὶ κινήσεως, εἰ μὴ τὸν τοῦ εἶναι αὐτὴν καὶ συνοχέα, καὶ αἴτιον ἔχειν εἰς τοῦτο κινοῦντα, τὸν ποιοῦντα τὰ πάντα, καὶ μετασκευάζοντα, κατὰ τὸν ἱερὸν λόγον. Πῶς οὖν οὐ σέβει τὸν ἐγνωσμένον ἡμῖν κἀκ τούτου, καὶ ὄντως ὄντα τῶν ὅλων Θεὸν, ἀγάμενος αὐτὸν τῆς παναιτίου καὶ ὑπεραρρήτου δυνάμεως; ὅταν ἥλιος ὑπ' αὐτοῦ καὶ σελήνη, κατὰ δύναμιν καὶ στάσιν ὑπερφυεστάτην, ἅμα τῷ παντὶ πρὸς τὸ πάντη ἀκίνητον ὁρίζωνται, καὶ εἰς μέτρον ἡμέρας ὅλης ἐπὶ τῶν αὐτῶν ἑστᾶσι τὰ πάντα σημείων· ἢ τό γε τούτου πλεῖον, εἴπερ τῶν ὅλων καὶ τῶν κρειττόνων καὶ περιεχόντων οὕτω φερομένων οὐ συμπεριήγετο τὰ περιεχόμενα· καὶ ὅτε ἄλλη τις ἡμέρα κατὰ συνέχειαν σχεδὸν τριπλασιάζηται, καὶ ἐν εἴκοσι ταῖς πάσαις ὥραις, ἢ τὸ πᾶν τοσοῦτον χρόνου φορᾶς ἐναντίας ἀναποδίζῃ καὶ ἐπαναστρέφῃ ταῖς οὕτως ἄγαν ὑπερφυεστάταις ἀντιπεριαγωγαῖς· ἢ ὁ ἥλιος ἐν ἰδίῳ δρόμῳ τὴν πεντάτροπον αὐτοῦ κίνησιν ἐν ὥραις δέκα συνελὼν, ἀναλυτικῶς αὖθις ὅλην αὐτὴν ἐν ταῖς ἑτέραις δέκα καινήν τινα τρίβων ὁδὸν ἀναποδίζῃ· τοῦτο δὴ τὸ καὶ Βαβυλωνίους εἰκότως ἐκπλῆξαν, καὶ μάχης ἐκτὸς τῷ Ἐζεκίᾳ καθυποτάξαν, ὡς ἂν ἰσοθέῳ τινὶ καὶ ὑπερέχοντι τῶν ἀνθρώποις. Καὶ οὐ δήπου φημὶ τὰς ἐν Αἰγύπτῳ μεγαλουργίας, ἢ ἄλλας τινὰς ἀλλαχοῦ θεοσημείας γεγενημένας,

ἀλλὰ

ἀλλὰ τὰ κοινὰ καὶ οὐράνια, καὶ ἐν τῷ παντὶ καὶ πᾶσι θρυλλουθέντα. Φησὶ δὲ πάντως Ἀπολλοφάνης, οὐκ εἶναι ταῦτα ἀληθῆ· μάλιστα μὲν οὖν τοῦτο ταῖς Περσῶν ἱερατικαῖς ἐμφέρεται φήμαις, καὶ εἰσέτι Μάγοι τὰ μνημόσυνα τοῦ τριπλασίου Μίθρου τελοῦσιν. Ἀλλ' ἐξέστω αὐτῷ τούτοις διὰ τὴν ἄγνοιαν, ἢ τὴν ἀπειρίαν ἀπιστεῖν. Εἰπὲ δὲ αὐτῷ, Τί λέγεις περὶ τῆς ἐν τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ γεγονυίας ἐκλείψεως; ἀμφοτέρω γὰρ τότε κατὰ Ἡλιούπολιν ἅμα παρόντε τε καὶ συνεστῶτε, παραδόξως τῷ ἡλίῳ τὴν σελήνην ἐμπίπτουσαν ἑωρῶμεν (οὐ γὰρ ἦν συνόδου καιρὸς) αὖθίς τε αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἐνάτης ὥρας ἄχρι τῆς ἑσπέρας, εἰς τὸ τοῦ ἡλίου διάμετρον ὑπερφυῶς ἀντικαταστᾶσαν. Ἀνάμνησον δέ τι καὶ ἕτερον αὐτόν· οἶδε γὰρ, ὅτι καὶ τὴν ἔμπτωσιν αὐτὴν ἐξ ἀνατολῶν ἑωράκαμεν ἀρξαμένην, καὶ μέχρι τοῦ ἡλιακοῦ πέρατος ἐλθοῦσαν, εἶτα ἀναποδίσασαν, καὶ αὖθις, οὐκ ἐκ τοῦ αὐτοῦ καὶ τὴν ἔμπτωσιν καὶ τὴν ἀνακάθαρσιν, ἀλλ' ἐκ τοῦ κατὰ διάμετρον ἐναντίου γεγενημένην. Τοσαῦτά ἐστι τοῦ τότε καιροῦ τὰ ὑπερφυῆ καὶ μόνῳ Χριστῷ τῷ παναιτίῳ δυνατὰ, τῷ ποιοῦντι μεγάλα καὶ ἐξαίσια ὧν οὐκ ἔστιν ἀριθμός.

Ταῦτα εἴ σοι θεμιτὸν εἰπὲ, καὶ εἰ δυνατὸν, Ἀπολλόφανες, ἐξέλεγχε, καὶ πρὸς ἐμὲ τὸν τότε καὶ συμπαρόντα σοι, καὶ συνεωρακότα, καὶ συνανακρίναντα πάντα, καὶ συναγάμενον. Ἀμέλει καὶ μαν-

tùm memoro quæ sunt obuia cælestiaque, & per vniuersum orbẽ ab omnibus celebrata. Sed omnino dicet Apollophanes, ista minimè vera esse: attamen id vel maximè sacris Persarum monumentis celebratur, atque etiamnum Magi triplicis Mithri siue solis memoriam recolunt. Verùm illi liceat siue per ignorantiã, siue per inscitiam istis fidem derogare: sed dic illi, Quid sentis de illâ solis defectione, quæ accidit in cruce salutari? Tunc enim ambo iuxta Heliopolim præsentes simul & adstantes, mirabili ratione soli lunam coincidere cernebamus (neq; tamen tempus coniunctionis erat) ipsamque rursus sub horam nonam vespertinam diametro soli opposito supernaturaliter restitui. Quin etiam in memoriam illi reuoca quiddam aliud: scit enim, quomodo vidimus illum lunæ occursum ab Oriente cœpisse, & vsque ad solis extremitatem peruenisse, ac tum demum resiliisse, & rursum, non ex eadem parte occursum illum & recessum extitisse, sed ex aduerso diametri. Ista sunt, quæ tunc supra naturam omnino contigerunt, & à solo rerum omnium conditore Christo fieri possunt, qui facit magna ac stupenda quorum non est numerus.

TEXTVS S. DIONYSII.

Qualis eclipsis contigerit tempore crucifixionis.

Hæc si fas est ei dicito, tuque Apollophanes refelle si potes, idque aduersum me, qui tunc præsens vnà tecum adfui, & simul aspexi, & obseruaui omnia cum admiratione. Denique tunc nescio

§. 3. *Conuincit Apollophanem propriâ ipsius confessione.*

TEXTVS S. DIONYSII.

ſcio quo ſpiritu afflatus, in diuinationem quoque Apollophanes prorupit, & ad me conuerſus, Iſtæ, inquiebat, ô præclare Dionyſi, diuinarum ſunt viciſſitudines rerum. Hæc à nobis tamquam per epiſtolam dicta ſint ſatis. Potes porrò ipſe ſupplere quæ deſunt, & ad Deum perfectè virum adducere, multis ſanè in rebus ſapientem; neque fortaſſe dedignabitur manſuetè ac humiliter diſcere pluſquam ſapientem Religionis noſtræ veritatem.

τείας τότε, οὐκ οἶδ᾽ ὅθεν, ὁ Ἀπολλοφάνης ἀπάρχεται, καὶ πρὸς ἐμὲ, ὥσπερ τὰ γιγνόμενα συμβάλλων, ἔφη, Ταῦτα, ὦ καλὲ Διονύσιε, θείων ἀμοιβαὶ πραγμάτων. Τοσαῦτα ὡς κατ᾽ ἐπιστολὴν ἡμῖν εἰρήσθω. Σὺ δὲ ἱκανὸς καὶ τὰ ἐλλείποντα προσαναπληρῶσαι, καὶ προσαγαγεῖν τελέως τῷ Θεῷ τὸν ἄνδρα σοφὸν τὰ πολλὰ ὄντα· καὶ ἴσως οὐκ ἀπαξιώσοντα πρᾳέως μαθεῖν τὴν ὑπέρσοφον τῆς θρησκείας ἡμῶν ἀλήθειαν.

ANNOTATIONES CORDERII.

§.1. NOTA, Epiſtolam hanc ſcriptam S. Polycarpo, Smyrnæ in Aſiâ Epiſcopo, S. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulo, cuius extat Epiſtola ad Philippenſes. Huic itaque S. Dionyſius modum præſcribit agendi cum Apollophane Philoſopho, & argumenta ſuggerit, quibus, vtpote Philoſophus, maximè putaretur capiendus, & ſuauiter inducendus ad fidem Catholicam amplectendam.

§.2. *Sapientia Dei in myſterio quæ.* *A diuo Paulo ſapientia Dei nominatur.*] Scilicet Epiſt. ad Corinth. 1. cap. 2, 7. vbi ait: *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſondita eſt*, &c. vocat autem ſapientiam in myſterio ſiue myſterij, ſcilicet magni illius & arcani conſilij de redemptione hominum per Chriſtum.

Qui ſecundùm Scripturæ teſtimonium.] Dan. 2, 21. *Mutat tempora & ætates, transfert regna atque conſtituit.*

Sol ſiſtitur à Ioſue. *Siquidem ab ipſo ſol & luna*, &c.] Alludit ad illud Ioſue 10, 12. *Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die quâ tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitq; coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. ſteteruntq; ſol & luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Doctè ac fusè de hoc prodigio vide Serarium ad locum Ioſue citatum.

Sub Ezechiâ dies 20 horis prolongatus. *Atque alius etiam dies*, &c.] Hoc miraculum contigit ſub Ezechiâ Rege Iuda, vti habetur lib. 4. Reg. 20, 11. *Inuocauit itaque Iſaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz retrorſum decem gradibus.* vnde facta eſt dies artificialis iſta triplo ferè longior, quia hoc contigit ſub occaſum ſolis, vt Scriptura indicat, atque adeò die ferè expleto, quando retrogrado itinere iterùm rediit ad primum gradum, ſeu notam horariam diei artificialis, per totidem horas: atque inde denuò decem diei horas vſque ad occaſum peregit; quo miraculo perculſus Rex Babyloniorum, à bello deſtitit, & Ezechiæ munera miſit, vt loco citato in quarto Regum ſequitur.

Triplicis Mithri ſiue ſolis, &c.] Hinc conſtat, S. Dionyſium in Perſicis quoque Annalibus & Babyloniorum hiſtoriis fuiſſe verſatum, eorumdemque linguæ haud ignarum: ſiquidem Perſico vocabulo *Mithri* vtitur, quo Perſæ & Babylonij ſolem (vt vetus Scholium habet) ſignificant. De hoc ita Strabo lib. 15. Πέρσαι τοίνυν ἀγάλματα μὲν καὶ βωμοὺς οὐχ ἱδρύονται, θύουσι δὲ ἐν ὑψηλῷ τόπῳ, τὸν οὐρανὸν ἡγούμενοι Δία. Τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν. Id eſt: *Perſæ nec ſtatuas nec aras erigunt, ſacrificant verò in loco excelſo, cælum Ioue͂ putantes. Quin etiã colunt ſolem, quem Mithram vocant.* Et quia dies tẽpore Ezechiæ ferè in morâ ſeu duratione triplicata fuit, ideò ait, Perſas triplicis ſeu triplicati ſolis memoriam celebraſſe. Quòd autem Perſæ ſoli ſacrificent, etiam Herodotus ait, alijque multi. Quòd ſolem vocent Mithram, diſſentit quidem Herodotus, qui ſic Venerem à Perſis vocari ſcribit (niſi quis Μίτραν & Μίθραν differre putet) ſed plurimi alij aſſentiunur, inter *Mithra quid Perſis.*

quos

quos Hesychius: Μίθρας ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις. Μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός. Id est, *Mithras sol apud Persas: Mithres primus apud Persas deus.*

Eramus tunc ambo iuxta Heliopolim,&c.] Describit hîc prodigiosam illam eclipsim quæ contigit Christo de cruce pendente, quam vnà cum Apollophane Dionysius spectauerat Heliopoli (quæ ciuitas erat Ægypti, olim cultui solis dedicata.) Huius etiam meminit Phlegon, quem citat Philoponus lib. 2. de Mundi creatione cap. 21. his verbis: Λέγει γὰρ, ὅτι τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς διακοσιοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος, ἐγένετο ἡλίου ἔκλειψις μεγίστη, καὶ τῶν ἐγνωσμένων πρότερον· καὶ νὺξ ὥρᾳ ἕκτῃ τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. *Ait enim, secundo anno ducentesimæ secundæ Olympiadis factam fuisse maximam solis defectionem omnium quæ vmquam priùs innotuerant, & horâ diei sextâ noctem extitisse, ita vt etiam stellæ in cælo apparerent.* Sed & Euangelistæ, quorum fides longè supra omnem historiam est, defectionis huius mentionem faciunt. Marci 15, 33. *Et factâ horâ sextâ, tenebræ factæ sunt per totam terram, vsque in horam nonam.* & Lucæ 23, 44. *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam, & obscuratus est sol.* Sanctus autem Dionysius huius defectionis oculatus testis, & accuratus obseruator, ceteris exactiùs, vtpote Philosophus, eius modum describit, quem vide inferiùs explicatum & schemate illustratum in Notationibus ad Caput 1. Vitæ sancti Dionysij per Petrum Halloix.

Phlegon de eclipsi Christo moriente.

ANNOTATIONES CORDERII.

§. 3. *Denique tunc nescio quo spiritu afflatus*, &c.] Viso hoc solis deliquio Dionysius adhuc Ethnicus dixisse fertur: *Aut Auctor naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur.* Similia quoque Apollophanem tunc dixisse aut cogitasse, hîc insinuat Dionysius.

SCHOLIA S. MAXIMI.



ΑΓΙΟΣ οὗτος Πολύκαρπος Σμύρνης τῆς ἐν Ἀσίᾳ γέγονεν Ἐπίσκοπος, ἀκροατὴς γενόμενος τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Εὐαγγελιστοῦ, ὥς φησιν Εἰρηναῖος ἐν τῷ τρίτῳ βιβλίῳ τῶν κατὰ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως· καὶ μαρτυρίῳ δὲ ἐτελειώθη διὰ πυρός. Ἔχει δὲ καὶ ἐπιστολὰς ὁ αὐτὸς θεῖος Πολύκαρπος πρὸς Φιλιππησίους. Περιέχει δὲ ἡ τοῦ μακαρίου Διονυσίου αὕτη ἐπιστολὴ πολλὰ θαυμαστὰ καὶ ξένα ἐπὶ τῇ κατὰ τὸν σταυρὸν τοῦ Χριστοῦ ἡλιακῇ ἐκλείψει.

Ἐξελεγχθήσεται.] Κατὰ κοινοῦ τὸ Ἐξελεγχθήσεται· οὕτω γὰρ καὶ ἡ σύνταξις.

Τὸν σοφιστὴν Ἀπολλοφάνη.] Περὶ Ἀπολλοφάνους τοῦ σοφιστοῦ, ἑταίρου γεγονότος τοῦ μεγάλου Διονυσίου, καὶ λοιδοροῦντος αὐτὸν, ὡς Χριστιανὸν γενόμενον, καὶ καθ' Ἑλλήνων λέγοντα.

Καὶ οὐ τὴν τῶν πολλῶν.] Τὸ ῥητὸν οὕτω συντακτέον, Καὶ οὐ τὴν τῶν πολλῶν ἔγωγε λέγω δόξαν, τῶν προσύλως καὶ ἐμπαθῶς ἐναπομενόντων τοῖς τῶν Ποιητῶν λόγοις ἢ πάθεσι.

Τῇ γὰρ τῶν ὄντων γνώσει.] Τῶν ὄντων γνῶσιν ἐκάλεσε, τὸ ἐπιτετηρημένον τῆς κινήσεως τῶν οὐρανίων, καὶ τὴν θεωρίαν τῶν ἄλλων τῆς κτίσεως μερῶν, κατὰ τὸν ἕνα τῶν τῆς σοφίας ὅρων τὸν λέγοντα, γνῶναι τὰ ὄντα ᾗ ὄντα ἐστί. Τοῦ δὲ Ἀποστόλου ἡ φωνὴ, τὸ εἰπεῖν ἐν cognoscuntur res quatenus res sunt.



§. 1. SANCTVS hic Polycarpus Smyrnæ in Asiâ fuit Episcopus, & discipulus S. Ioannis Euangelistę, vti testatur Irenæus libro tertio aduersus Falsi nominis scientiam: martyrium autem igne consummauit. Diuinus hic Polycarpus scripsit etiam Epistolas ad Philippenses. Continet autem hæc Epistola B. Dionysij multa admiranda prodigia, quæ in eclipsi illa solari tempore crucifixionis Christi contigerunt.

S. Polycarpus quis fuerit.

ARGVETVR.] Subaudiendo illud *redarguetur*, sic enim exigit constructio.

§. 2. SOPHISTAM APOLLOPHANEM.] De Apollophane sophistâ, qui fuerat socius Magni Dionysij, & conuitiabatur ipsum, quòd Christianus factus esset, & aduersus Gentiles diceret.

Apollophanes collega S. Dionysij.

NEQVE HIC DE MVLTITVDINIS.] Dictum hoc sic construendum est, Neque ego de multitudinis opinione loquor, quæ Poëtarum fabulis aut passionibus materialiter tenaciterque adhæret.

NAM PER HANC IPSAM RERVM SCIENTIAM.] Rerum scientiam vocauit obseruationem motus cælorum, & aliarum creaturæ partium considerationem, iuxta quamdam sapientiæ definitionem, quâ Est autem illa vox Apostoli in primâ ad Corin-

SCHOLIA S. MAXIMI.

1.Cor.2I.

Corinthios, dicentis: *Nam quia in sapientiâ Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum:* id est, per sapientiam in concinnâ decoraque creaturæ compositione apparentem, quæ hoc intellexit. Nota igitur rerum notitiam vocari philosophiam, quam etiam Apostolus in primâ ad Corinthios Dei sapientiam appellauit.

Deum ex rerum ordine cognosci posse.

SCIRE DEBEBAT APOLLOPHANES.] Ex eo nempe quod apud Gentiles in confesso est, rerum omnium ordinem earumdem auctori Deo tribuendum esse, docet, ex hoc cognosci posse Deum rebus omnibus legem ponere, quòd sol & luna terminos diei constitutos habeant, & simul cum vniuerso cælorum orbe circumuoluantur; scilicet ex Oriente in Occidentem. Quòd si non circumferantur vnà cum cælo quo continentur, ita vt cælum quidem & inerrantium atque stabilium stellarum sphæræ ex Oriente in Occidentem circulariter vertatur, ipse autem sol & luna contrarium vniuerso cursum teneant ex Occidente in Orientem; vtique vel hinc maximè cognoscibilis & admiratione dignus censebitur vniuersi creator atque gubernator Deus. Hæc exponemus contra Apollophanem dicentem, non vnà cum sole cælum tunc constitisse, tametsi id in priori scriptione accuratè probauimus.

De solstitio sub Iosue facto.

QVANDO SOL AB IPSO.] Proponit hîc quæ sub Iesu Naue contigerunt, & B. Polycarpo hanc historiam in memoriam reuocat, vt eam Apollophani opponat. Ait itaque: Dic illi: Disce quomodo Deus solem & lunam, cùm secundùm diametralem lineam è regione sese respectarent, sole quidem iam deuergente in occasum, luminaria illa stiterit in statione suâ, vtique virtute ineffabili auctoris eorum Dei. Et immobile etiam tum substitit vniuersum cum vtroq; luminari: etenim non cælum ipsum, non cetera sidera circumuoluebantur, sed vnà cum duobus istis luminaribus absque motu substiterunt. Neque paruo dumtaxat tempore cursus vniuersi ac motus inhibitus, sed integro die, ita vt sub Iesu Naue dies fuerit duplicata, nempe ad viginti quatuor horas, quemadmodum clarè docet IESVS filius Sirach in hymno Patrum. Deinde subiungit: Si verò dicat Apollophanes, id esse impossibile, vt vnà cum duobus lu-

τῇ α΄ πρὸς Κορινθίους, Ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔγνω ὁ κόσμος διὰ τῆς σοφίας τὸν Θεόν· τουτέστι, τῆς ἐμφαινομένης τῇ ἐναρμονίῳ καὶ τεταγμένῳ τῆς κτίσεως, τοῦτο συνῆκε. Σημείωσαι οὖν, ὅτι ἡ τῶν ὄντων γνῶσις, φιλοσοφία λέγεται, ἥν τινα καλεῖ ὁ Ἀπόστολος ἐν τῇ α΄ τῇ πρὸς Κορινθίους, σοφίαν Θεοῦ.

Ἔδει συνιδεῖν τὸν Ἀπολλοφάνη.] Ἀπὸ τῶν παρ' Ἕλλησιν ὁμολογουμένων, τὴν διάταξιν τοῦ πάντων αἰτίου Θεοῦ παρατίθεται, φήσας, ἐκ τούτου ἄξιον ἐπιγνῶναι τὸν πάντων ὁροθέτην Θεόν, ἐκ τοῦ τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην τοὺς διατεταγμένους τῆς ἡμέρας ἔχειν ὅρους, καὶ τῷ παντὶ τοῦ οὐρανοῦ κύκλῳ συμπεριθεῖν, τουτέστιν ἐξ ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμάς. Εἴτε μὴ συμπεριφέρονται τῷ περιέχοντι αὐτοὺς οὐρανῷ, τοῦ μὲν οὐρανοῦ καὶ τῆς ἀπλανοῦς τῶν ἀκινήτων ἀστέρων σφαίρας, ἀπὸ ἀνατολῶν εἰς δυσμὰς κυκλικῶς στρεφομένων, αὐτῶν δὲ ἡλίου καὶ σελήνης τὴν ἐναντίαν τῷ παντὶ τρεχόντων, ἐκ δυσμῶν εἰς ἀνατολάς· καὶ οὕτω μάλιστα γνωρίζεσθαι καὶ θαυμάζεσθαι δίκαιος ὁ τοῦ παντὸς δημιουργὸς καὶ διατάκτης Θεός. Ταῦτα ἡρμηνεύσαμεν κατὰ Ἀπολλοφάνην τὸν λέγοντα, μὴ σὺν τῷ ἡλίῳ καὶ τὸν οὐρανὸν ἑστάναι τότε, ἐπεὶ ἐν τῇ πρὸ ταύτης προγραφῇ τὸ ἀκριβὲς προειρήκαμεν.

Ὅταν ἥλιος ὑπ' αὐτοῦ.] Τὰ τοῦ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ ἐν τούτοις παρατίθεται, καὶ ἀναμιμνήσκει τὸν ἅγιον Πολύκαρπον τῆς ἱστορίας τοιαύτης, ἵνα ταύτην ἀντιθῇ τῷ Ἀπολλοφάνει. Φησὶν οὖν· Εἰπὲ αὐτῷ, Μάθε πῶς ὁ Θεὸς τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην κατὰ διάμετρον ὄντας τότε ἀντικρὺ ἀλλήλων, δυομένου ἤδη τοῦ ἡλίου, ἔστησεν ἐπὶ τόπου τοὺς φωστῆρας, στάσιν τινὰ καὶ δύναμίν τινα ἄφατον τοῦ αἰτίου αὐτῶν Θεοῦ. Καὶ ἔστη τὸ πᾶν ἀκίνητον μετὰ τῶν δύο φωστήρων· οὔτε γὰρ οὐρανός, οὔτε οἱ λοιποὶ ἀστέρες περιεπόλουν, ἀλλὰ συνειστήκεσαν τοῖς δύο φωστῆρσιν ἀκίνητοι. Καὶ οὔτε ἐπὶ ὀλίγον ὁ δρόμος τοῦ παντός, καὶ ἡ κίνησις ἔστη μόνον, ἀλλ' ἐφ' ἡμέραν ὁλόκληρον, ὡς γενέσθαι ἐπὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ ἡμέραν διπλῆν, κδ. ὡρῶν, ὡς σαφῶς τοῦτό φησιν Ἰησοῦς ὁ τοῦ Σιρὰχ ἐν τῷ ὕμνῳ τῶν πατέρων. Εἶτα ἐπάγει, Εἰ δὲ εἴποι Ἀπολλοφάνης ἀδύνατον, οὐ γὰρ ἔστη μετὰ τῶν δύο

φωστ-

φωστήρων οὐρανὸς καὶ οἱ λοιποὶ ἀστέρες, ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν ἐκινοῦντο, οὗτος δὲ ἵστατο· ἀπόκριναι αὐτῷ, ὅτι μάλιστα τοῦτο χρή σε ἐπιστρέψαι πρὸς τὸν ἀληθῆ Θεὸν καὶ τὴν αὐτοῦ γνῶσιν, τὸ τοῦ κινοῦντος μὲν τοὺς περιέχοντας τοὺς φωστῆρας οὐρανὸν, ἱστάντος δὲ ἀκινήτους τοὺς περιεχομένους φωστῆρας. Τοῦτο γὰρ μείζονός ἐστι δυνάμεως, τὸ κινουμένου οὐρανοῦ καὶ τῶν λοιπῶν ἀστέρων, στῆναι ἥλιον καὶ σελήνην ἀκινήτους, καὶ μὴ τὴν αὐτὴν φορὰν συγκινηθῆναι τῷ παντὶ, μεθ' οὗ ἀεὶ συμπεριήγοντο.

Ὑπερφυεστάτην ἅμα τῷ παντί.] Λέγει μὲν, ὡς ὁμοῦ τῷ πόλῳ ἀκινήτῳ μείναντι (τοῦτο γὰρ ὠνόμασε τὸ πᾶν) ἡ τοῦ ἡλίου καὶ τῆς σελήνης ἐγένετο στάσις. Μᾶλλον δὲ, φησὶ, πολλῷ θαυμασιώτερον, εἴπερ ὁ μὲν πόλος περιήγετο (τοῦτον γὰρ ἐδήλωσεν, εἰπὼν τῶν ὅλων, καὶ κρειττόνων, καὶ περιεχόντων) ἥλιος δὲ καὶ σελήνη (τὰ γὰρ περιεχόμενα ταῦτα) οὐ συμπεριήγετο τῷ περιέχοντι.

Κατὰ συνέχειαν σχεδὸν τριπλασιάζηται.] Τὸ Σχεδὸν προσέθηκεν, ἐπειδὴ τριπλῆ κατὰ τὸ πλῆρες οὐκ ἐγένετο ἡ ἡμέρα ἐκείνη (λβ. γὰρ ὡρῶν γέγονε) τὸ ἀπὸ ἀνατολῆς μέχρι τοῦ τόπου ἐν ᾧ ἦν ὅτε τὸ σημεῖον ἐδόθη, καὶ δέκα ἐκεῖθεν ἐπὶ ἀνατολὰς, καὶ δώδεκα μέχρι τῆς τελευταίας δύσεως. Τῷ αὐτῷ δὲ σχήματι τοῦ λόγου καὶ ἐνταῦθα ἐχρήσατο, ὅτι ἢ ὁ πόλος αὐτὸς σὺν τῷ ἡλίῳ ἐν τῷ τῶν κ. ὡρῶν διαστήματι τὴν ὑπερφυῆ ἐκείνην ἀντιπεριαγωγὴν ἐποιήσατο, ἢ μόνος ὁ ἥλιος.

Ἢ τὸ πᾶν τοσούτου χρόνου.] Τὸ ῥητὸν οὕτω σύνθες καθ' ὑπέρβασιν ὂν, ἢ τὸ πᾶν ἐπαναστρέφει τὰς ἐναντίας ταύτας φορὰς, τοσοῦτον διάστημα χρόνου ἀναποδίζων ταῖς ὑπὲρ λόγον ταύταις περιδινήσεσι. Ταῦτα δὲ καὶ ἐν τῇ δ. τῶν Βασιλειῶν δηλοῦται, καὶ μάλιστα ἐν τῇ κατὰ Σύμμαχον ἐκδόσει, καὶ ἐν τῇ β. τῶν Παραλειπομένων.

Ἢ ὁ ἥλιος ἐν ἰδίῳ δρόμῳ.] Ἡ τοῦ ἡλίου ἐνιαύσιος κίνησις πέντε ποιεῖται τροπὰς, ἀνάβασιν βορείαν, τουτέστιν ἀπὸ ἰσημερινῆς ἐν τῷ ἔαρι εἰς τὸν θερινὸν τροπικὸν, καὶ κατάβασιν βορείαν ἀπ' αὐτοῦ ἐπὶ τὸν ἰσημερινὸν τῷ μετοπώρῳ, καὶ κατάβασιν νοτίαν ἀπὸ τοῦ

minaribus cælum & reliqua astra substiterint, sed illa mota fuisse sole subsistente: responde ipsi, vel hoc maximè ad verum Deum eiusdemque cognitionem ipsum conuertere debuisse; quòd nempe polus, qui luminaria continebat, circumageretur, luminaria verò, quæ ipsius complexu continebantur, immota constiterint. Hoc enim maioris est virtutis cælo ceterisque stellis motis, solem & lunam sine motu consistere, & non eodem motu cum vniuerso moueri, cum quo semper circumagi consueuerunt. SCHOLIA S. MAXIMI.

STATVQVE MIRABILI SIMVL CVM HAC VNIVERSITATE.] Ait nempe, quomodo simul ipso polo immoto manēte (hunc enim vniuersitatem appellauit) solis & lunæ statio facta sit. Quin potiùs, inquit, multò magis mirandum, si polus quidem circumagebatur (hunc enim significauit, dicens, vniuersis, & potioribus, & continentibus) sol autem & luna (hæc enim continebantur) non vnà simul cum eo, cuius complexu tenebantur, circumagebantur.

CONTINVATIONE FERE TRIPLO LONGIOR EFFECTVS SIT.] Apposuit *ferè*, quòd dies ille non vsquequaque plenus fuerit triplici dimensione: (duarum enim & triginta fuit horarum) ab Oriente scilicet ad eum vsque locum, in quo sol tum inuentus est, quando editum est istud signum, decem horæ præterierant, & iterùm decem, dum illinc iter reflexit ad Orientem, & duodecim inde vsque ad Occidentem. Eâdem autem loquendi formulâ hîc vsus est, quòd nempe polus vnà cum sole viginti horarum spatio admirandam istam retrogressionem fecerit, vel sol ipse solus.

VEL VNIVERSVM ÆQVALI TEMPORIS SPATIO.] Dictum hoc ita construe, cùm sit per traiectionem, quòd nempe vniuersum per contrarias has lationes æquali omnino temporis spatio mirandis istis vertiginibus retrocesserit. Hæc etiam libro quarto Regum declarantur, & præsertim in editione Symmachi, & libro secūdo Paralipomenon.

SOL IN PROPRIO CVRSV.] Anniuersarius solis motus quinque facit conuersiones, scilicet, ascensionem borealem, quam conficit à verno æquinoctio ad æstiuum vsque solstitium & descensum borealem, ab eodem vsque ad æquinoctium autumnale, & descensum australem ab hoc æquino- *Quis sit annuus solis cursus.*

SCHOLIA S. MAXIMI.

æquinoctio ad hibernum vsque solstitium, & ab hoc rursus ascensum australem ad æquinoctium; & quintam, vniuerso contrariam. Quando igitur quinqueformem eius motum appellauit, appositione articuli subindicauit illum notum & consuetum solis motum. Sic itaque expendamus quid à Patre per hæc verba dictum sit. Supponamus solem illâ die, horâ sui ortus, fuisse in primâ parte Arietis, quæ non habeat minuta; non poterat itaque ad hanc primam partem Arietis redire, nisi confectâ, quam præscripsimus, quinqueformi motione, per dies videlicet trecentos sexaginta quinq; & quartá partem. In decem igitur horis, à duodecimâ, in quâ erat, vsque ad locum in quo ortũ suum fecit, id est, à primâ parte Arietis, ad ipsam retrogrediens, quinqueformem motum, siue annuum curriculum absoluit; & in aliis decem post retrogradationẽ, in eodem signo fuit, in quo erat, quando signum exhibebatur, vt quodammodò dicam ex suppositione in primâ & dimidiâ parte Arietis. Similiter in reditu (quod resolutoriè dixit) eumdem quinqueformem motum expleuit, quoniam non poterat iterum primam & dimidiam illam Arietis partem attingere, postquam semel ab eâ recesserat, nisi per dierum anni spatium, vti dictũ est.

FERVNTVR FAMA.] Id est historiis.

Mithra Persis idem qui sol.

MITHRI CELEBRANT.] Mithram vocant Persæ solem. Diei autem illius extensionem per ritus, quos propter memoriam triplicati solis obseruant, significauit. Nota insuper quid dicat hic Pater de tenebris illis, quæ tempore crucifixionis Domini factæ sunt super vniuersam terram, ab horâ sextâ vsque ad nonam.

IVXTA HELIOPOLIM.] Verisimiliter intelligit Heliopolim, quæ est in Ægypto. ibi enim adhuc simul degebant.

PRODIGIOSE.] Aiunt enim, non aliter eclipsim fieri, nisi luna cum sole inciderit.

De eclipsi tempore crucifixionis.

ET EAMDEM RVRSVS.] Obserua hinc solutionem dubij apud Lucam Euangelistá. Nemo enim prodigiosum istum miraculi modum explicauit præter hunc solũ. Cùm enim D. Lucas dicat, ab horâ sextâ tenebras in cruce Domini factas esse, sole deficiente, ab omnibus passim dubitabatur,

ἰσημερινοῦ ἐπὶ τὸν χειμερινὸν τροπικὸν, καὶ ἀπ' αὐτοῦ πάλιν ἀνάβασιν νοτίαν ἐπὶ τὸν ἰσημερινὸν, καὶ πέμπτην, τὴν ἐναντίαν τῷ παντί. Εἰπὼν οὖν αὐτοῦ τὴν πεντάτροπον κίνησιν, διὰ τῆς προσθήκης τοῦ ἄρθρου, καὶ τοῦ προσθεῖναι αὐτοῦ, τὴν γνώριμον καὶ συνήθη ὑπέφηνε. Τὸ δὲ ἐν τούτοις λεγόμενον ὑπὸ τοῦ Πατρὸς, νοήσωμεν οὕτως. Ὑποθώμεθα τὸν ἥλιον εἶναι κατὰ τὴν ἡμέραν ἐκείνην τῇ ὥρᾳ τῆς ἀνατολῆς ἐν πρώτῃ μοίρᾳ τοῦ Κριοῦ πλήρει, μὴ ἐχούσῃ λεπτά· εἰς τὴν αὐτὴν οὖν μοῖραν αὐτὸν ἐπανελθεῖν οὐκ ἦν, μὴ τελέσαντα τὴν προσταγεῖσαν τὴν πεντάτροπον κίνησιν, ἢ ὡς δι' ἡμερῶν τξε. καὶ τεταρτημορίου. Ἐν ταῖς ι. οὖν ὥραις ταῖς ἀπὸ ιβ. ἐν ᾗ ἦν, μέχρι τοῦ τόπου ἐν ᾧ τὴν ἀνατολὴν αὐτοῦ ἐποιήσατο, τουτέστι τῆς πρώτης μοίρας τοῦ Κριοῦ, ἀναποδίσας ἐν αὐτῇ τὰ τῆς πεντατρόπου κινήσεως, ἤγουν τῆς ἐνιαυσιαίου περιόδου ἐπλήρωσε, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ι. ταῖς μετὰ τὸν ἀναποδισμὸν κατὰ τὸν τόπον γενόμενος, ἐν ᾧ ἦν ὅτε τὸ σημεῖον ἐδόθη, ὡς ἐν ὑποθέσει εἰπεῖν ἐν τῇ μιᾷ καὶ ἡμισείᾳ μοίρᾳ τοῦ Κριοῦ. Ὁμοίως τὰ τῆς αὐτῆς πεντατρόπου κινήσεως ἐπλήρωσε κατὰ ἀνάλυσιν, ὅπερ ἀναλυτικῶς ἐκάλεσεν· οὐκ ἦν γὰρ αὐτὸν πάλιν ἐν τῇ μιᾷ καὶ ἡμισείᾳ μοίρᾳ ταύτῃ τοῦ Κριοῦ γενέσθαι, ἅπαξ ἀποστάντα ἀπ' αὐτῆς, μὴ διὰ τῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμερῶν, ὡς εἴρηται.

Ἐμφέρεται φήμαις.] Ἀντὶ τοῦ ἱστορίαις.

Μίθρου τελοῦσι.] Μίθραν τὸν ἥλιον Πέρσαι καλοῦσι. Τὸ παρέκταμα οὖν τῆς ἡμέρας ἐκείνης διὰ τοῦ τριπλασίου ἐσήμανε. Σημείωσαι δὲ πρὸς τούτῳ καὶ περὶ τοῦ ἀπὸ ὥρας ἕκτης ἕως ὥρας θ. γενομένου σκότους, ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν τῷ καιρῷ τῆς τοῦ Κυρίου σταυρώσεως, τί λέγει ὁ Πατήρ.

Κατὰ τὴν Ἡλιούπολιν.] Τὴν ἐν Αἰγύπτῳ Ἡλιούπολιν ἴσως φησίν· ἔτι γὰρ ἀνεγίνωσκον ἐκεῖ ἅμα.

Παραδόξως.] Φασὶ γὰρ, μὴ ἑτέρως γίνεσθαι τὴν ἔκλειψιν, εἰ μὴ συνεμπέσοι ἡ σελήνη τῷ ἡλίῳ.

Αὖθίς τε αὐτήν.] Σημείωσαι ἐντεῦθεν τὴν λύσιν τοῦ παρὰ τῷ Εὐαγγελιστῇ Λουκᾷ ἀπορήματος. Οὐδεὶς δὲ τὸ ξένον τοῦ τρόπου καὶ τοῦ θαύματος διηγήσατο, εἰ μὴ μόνος οὗτος. Τοῦ γὰρ θείου Λουκᾶ εἰπόντος, ἀπὸ ς. ὥρας σκότος ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου γενέσθαι, τοῦ ἡλίου ἐκλείποντος, παρὰ πᾶσιν ἀμφεβάλλετο,

πῶς

πῶς ἔκλειψιν ἐκάλεσε ταύτην τῆς σελήνης τεσσαρεσκαιδεκαταίας οὔσης, οὐ μὴν συνόδου οὔσης ἡλίου καὶ σελήνης. Οἱ γὰρ ἐξηγηταὶ σχεδὸν πάντες μεταγενέστεροι πολλῷ τῶν χρόνων τούτων ὄντες, ὑπέλαβον τὸν ἥλιον αὐτὸν ἀποβαλεῖν τὰς ἀκτῖνας τὰς τρεῖς ὥρας, ἕως τῆς ἐνάτης. Ἐνταῦθα μέντοι καὶ ὁ ξένος τρόπος εἴρηται τῆς ἐκλείψεως. Φησὶν οὖν, ὅτι ἀπ' ἀνατολῶν τεσσαρεσκαιδεκαταία οὖσα (οὐ γὰρ ἦν συνόδου καιρὸς) ἔφθασεν ὥραν ς. τὸν ἥλιον, καὶ ἐμπεσοῦσα εἰς αὐτὸν ὑπέδραμεν, αὐτὸν εἰσβάλλουσα εἰς τὸ πρὸς ἀνατολὰς τοῦ ἡλιακοῦ δίσκου μέρος. ὅθεν καὶ ἦλθεν ἡ σελήνη, καὶ εἰσέβη ὑποτρέχουσα αὐτὸν καὶ ἀναποδίζουσα, ἕως οὗ ὅλον τὸν αὐτοῦ δίσκον ἐσκίασεν. Ἔδει οὖν, εἰ ἦν κατὰ τὸ σύνηθες ἔκλειψις, ἐκ τοῦ αὐτοῦ μέρους καὶ τὴν ἔκλειψιν καὶ τὴν ἀνακάθαρσιν γενέσθαι· οἷον ὅτε ὑποτρέχει ἡ σελήνη τὸν ἥλιον, φέρε εἰπεῖν, ἐξ ἀνατολῶν πρῶτον ἀντιφράττει μέρος τοῦ ἡλιακοῦ δίσκου τὸ ἀνατολικὸν, ὅπερ καὶ ἤρξατο ὑποτρέχειν· ἐκεῖθεν οὖν ἐκ τοῦ ἀνατολικοῦ μέρους καὶ ἀνακαθαίρεσθαι ἄρχεται ὁ δίσκος τοῦ ἡλίου, τῆς σελήνης ἐπὶ δυσμὰς τρεχούσης, καὶ πρῶτον ἀνακαλυπτούσης μέρος ἐν τῷ παριέναι καὶ παρατρέχειν τὸν ἥλιον, ὃ καὶ πρῶτον ἐκάλυψε, τουτέστι τὸ ἀνατολικόν. Ἐπὶ δὲ τοῦ σωτηρίου πάθους οὐχ οὕτω γέγονεν, ἀλλὰ τοὐναντίον. Ἐξ ἀνατολῶν γὰρ ἐλθοῦσα ἡ σελήνη ὑπέδραμε τὸν ἥλιον, καὶ ἔφραξεν ὅλον τὸν δίσκον αὐτοῦ. Εἶτα οὐκέτι ἐπὶ δυσμὰς παρῆλθεν, ἀλλ' ἀνεπόδισε πάλιν ἐπὶ ἀνατολὰς, καὶ ἐγύμνωσε πρῶτον μέρος τὸ δυτικὸν τοῦ ἡλιακοῦ δίσκου· εἰς τοὐπίσω γὰρ ἀνέδραμεν ἐπὶ τὸ ἐναντίον διάμετρον τοῦ ἡλίου ἐπὶ ἀνατολάς· ὥστε μηκέτι τὴν ἔμπτωσιν καὶ τὴν ἀνακάθαρσιν ἐκ τοῦ αὐτοῦ μέρους γενέσθαι. Μέμνηται μὲν καὶ Φλέγων ὁ Ἑλληνικὸς χρονογράφος ἐν τρισκαιδεκάτῳ Χρονογραφιῶν ἐν τῇ σγ. Ὀλυμπιάδι, τῆς ἐκλείψεως ταύτης, παρὰ τὸ εἰωθὸς αὐτὴν λέγων γενέσθαι, οὐ μὴν τὸν τρόπον ἀνέγραψε. Καὶ Ἀφρικανὸς δὲ ὁ ἡμέτερος ἐν πέμπτῳ Χρονογραφιῶν, καὶ Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἐν ταῖς αὐταῖς μέμνηται τῆς αὐτῆς ἐκλείψεως.

SCHOLIA S. MAXIMI.


quomodo hanc eclipsim appellarit, cùm esset luna decima quarta, quando non est coniunctio solis & lunæ. Commentatores fermè omnes, vtpote longo tempore posteriores, suspicabantur solem ipsum per tres horas radios abdidisse vsque ad horam nonam. Hîc certè nouus ille eclipsandi modus est explicatus. Ait itaque quòd ab Oriente, cùm esset luna decima quarta (neque enim tempus coniunctionis erat) sub horam sextam solem assecuta sit, & coincidens sub ipso cursum tenuerit, ipsum vsque ad Orientalem orbis solaris partem inuadendo. Vnde etiam venit luna & ingressa sub ipso cursum tenuit, ac retrogressa est donec totum eius orbem obscurauit. Oportebat vtique, si vsitata fuisset eclipsis, ex eadem parte & defectionem & repurgationem existere, vt quando luna sub sole cursum suum peragit, v. g. ex Oriente, primam Orientalem solaris disci partem obfuscat, sub quam etiam currere cœpit: inde igitur etiam ex Orientali parte primùm incipit solis discus repurgari, dum luna tendit ad Occidentem, & prima pars (nempe Orientalis, quam etiam primam occultauerat) detegitur, dum sub solem præterit atque transcurrit. Sub salutarem autem passionem, non hoc modo contigit, sed contrario. Nam luna veniens ab Oriente sub solem cucurrit, & totum eius orbem obduxit: deinde non vltrà ad Occidentem transiit, sed rediit rursus ad Orientem, & primùm denudata est solaris disci pars Occidentalis, siquidem retrocessit versus Orientem ad diametrum soli oppositum, ita vt coniunctio & repurgatio non ab eadem parte facta sint. Phlegon gentilis Chronographus libro decimo quarto Chronographiæ suæ in Olympiade centesima tertia, huius quidem eclipseos etiam meminit, dicens eam more solito accidisse, sed modum eius non expressit. Quin etiam Africanus noster libro quinto Chronographiæ, & Eusebius Pamphilus ibidem eiusdem defectionis mentionem fecit.

Phlegon & Africanus istius eclipseos meminere.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§. I. *S. Polycarpus quis fuerit.*



SANCTVS hic Polycarpus Smyrnæ in Asiâ fuit Episcopus, auditor primùm sancti Apostoli & Euangelistæ Ioannis Theologi, & prout Irenæus libro tertio aduersus Falsi nominis scientiam: Vt veteres, inquit, prodiderunt, martyrium quoque igne consummauit. Exstat autem diui huius Polycarpi Epistola ad Philippenses. Ad hunc igitur diuus Dionysius, de Apollophane scribens edisserit, vt hic gentilis cùm esset, & Philosophus Asianus, multis virum sanctum incusaret, quòd ad Christum accessisset, tametsi cum hoc vnà perspexisset plurima illa mirabiliaque, quæ in solari illâ defectione sub crucis tempus contigerunt. Ait igitur ad sanctum Polycarpum: Equidem haud scio me aduersus aliquos alterius sectæ doctores inuectum, aut illorum ritum vmquam perstrinxisse, ratus viro probo satis esse, si ipsam in se veritatẽ sicuti se habet nosse possit simul & expromere. Sicut enim nulla ratio est constituendæ veritatis ex eo quòd mendacium reprehenditur, sed ipsa per se sufficit; vt omnibus palàm exerat natiuum splendorem suum, siue cum mendacio conferatur, siue non. Quin potiùs periclitabitur, vt ita dicam, non minimam portionem virtutis suæ deperdere, vbi quibusdam visa fuerit, non à se vim illam obtinere, sed ex eius quod omnino infirmum est, scilicet mendacij, refutatione: quasi verò non per se completè talem potentiam sortiatur. Similiter nequaquam decet viros probos religionem suam hoc nomine commendare quasi rectæ sint fidei, quòd alios probris aspergant, aut reprehendant; sed magis expendere debent, num fortè propter rectum iudiciũ admiratione digni sint. Hoc enim vero (quodcumque tandem illud est) demonstrato secundùm ipsam legem veritatis (lex autem veritatis est, tale quidpiam secundùm ipsam expendere) & liquidò constante, quidquid aliter se habet, ac veritatẽ simulat, cõuincetur etiam aliud ac dissimile esse ab eo quod verè est, seu veritate; & magis apparere quàm esse coarguetur. Superuacaneum igitur sit, eum qui de omnibus

Veritas sibi sufficit, clarè proposita.



Ὁ ΑΓΙΟΣ οὗτος Πολύκαρπος, Σμύρνης τῆς ἐν Ἀσίᾳ γέγονεν Ἐπίσκοπος, ἀκροατὴς γενόμενος τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου τοῦ θεολόγου, καθὼς καὶ Εἰρηναῖος ἐν τῷ τρίτῳ βιβλίῳ τῷ κατὰ τῆς Ψευδωνύμου γνώσεως. Ὡς οἱ παλαιοὶ λέγουσι, φησὶ, καὶ μαρτυρίῳ τῷ διὰ πυρὸς ἐτελειώθη. Ἔχει δὲ καὶ ἐπιστολὴν ὁ αὐτὸς θεῖος Πολύκαρπος πρὸς Φιλιππησίους. Ἐπιστέλλων γοῦν πρὸς τοῦτον ὁ θεῖος Διονύσιος, τὰ περὶ τοῦ Ἀπολλοφάνους διέξεισιν, ὃς Ἕλλην ὢν, καὶ Ἀσιανὸς φιλόσοφος, πολλὰ τοῦ ἁγίου κατηγόρει τῷ Χριστῷ προσελθόντος, καίτοι γε ἅμα τούτῳ συνεωρακὼς τὰ πολλὰ ἐκεῖνα καὶ θαυμαστὰ τὰ ἐπὶ τῇ κατὰ τὸν σταυρὸν ἡλιακῇ ἐκλείψει. Λέγει γοῦν πρὸς τὸν θεῖον Πολύκαρπον, Ὅτι ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα πρός τινας ἑτεροδόξους εἰπὼν, καὶ διασύρας τὴν ἐκείνων θρησκείαν, ἀρκεῖν οἰόμενος τῷ ἀγαθῷ ἀνθρώπῳ, ἐὰν δυνηθείη αὐτὸ καθ' αὑτὸ τὸ ἀληθὲς καθὼς ἔχει καὶ γνῶναι καὶ εἰπεῖν. Ὥσπερ γὰρ οὐκ ἔχει λόγον συνίστασθαι τὸ ἀληθὲς, ἐκ τοῦ τὸ ψεῦδος ἐλέγχεσθαι, ἀλλ' αὐτὸ καθ' αὑτὸ αὔταρκές ἐστιν εἰς τὸ πᾶσιν ἀναφαίνειν τὴν ἑαυτοῦ λαμπρότητα, κἂν συγκρίνηται πρὸς τὸ ψεῦδος, κἂν οὐ συγκρίνηται. Μᾶλλον μὲν οὖν καὶ τῆς οἰκείας δυνάμεως, οἷον εἰπεῖν, κινδυνεύσει, οὐ τὸ ἐλάχιστον προσαποβαλεῖν, δόξαντός τισιν οὐ καθ' αὑτὸ τὴν ἰσχὺν ἔχειν· ἀλλὰ τοῦ πάντη ἀσθενοῦς ἐλεγχομένου, δηλονότι τοῦ ψεύδους, αὐτὸ ὡς μὴ τοιοῦτον τελέως, τὸ κράτος κληροῦσθαι. Οὕτως οὐδ' ἀγαθοὺς ἀνθρώπους πρέπον ἐστὶ συνίστασθαι κατὰ τὸ οἰκεῖον σέβας, ὡς καλῶς πιστεύουσιν, ἀπὸ τοῦ καθυβρίζεσθαι τοὺς ἑτέρους, ἢ ἐξελέγχεσθαι· ἀλλὰ καθ' αὑτοὺς ἐξετάζεσθαι, εἰ ἄρα ἄξιοί εἰσι θαυμασμοῦ τῆς ὀρθῆς κρίσεως ἕνεκα. Τοῦ γὰρ ἀληθοῦς, ὅ,τι ποτέ ἐστιν ἀποδεικνυμένου, κατ' αὐτὸν τὸν τῆς ἀληθείας νόμον (νόμος δὲ ἀληθείας, τὸ καθ' αὑτὴν ἐξετάζεσθαι) καὶ καθαρῶς ἑστηκότος, πᾶν τὸ ἄλλως ἔχον, καὶ ὑποκρινόμενον τὴν ἀλήθειαν, ἐλεγχθήσεται καὶ ἕτερον ἀνόμοιον τοῦ ὄντως ὄντος, ἤγουν τοῦ ἀληθοῦς, καὶ δοκοῦν ἐλεγχθήσεται μᾶλλον ἢ ὄν. Περιττὸν τοίνυν τὸν ἐπὶ πάντων λέγοντα καὶ

φανε-

φανερῶντα τὴν ἀλήθειαν, πρὸς τούτους ἢ ἐκείνους διαμάχεσθαι· ἕκαστος γὰρ πλανώμενος, οἴεται τὴν ἀλήθειαν κατέχειν, ὥσπερ τι βασιλικὸν νόμισμα· καὶ ἴσως κατέχει μορίου τινὸς τῆς ἀληθείας, οὐ μὴν δὲ πάσης τῆς ἀληθείας, ἀπατηλὸν εἴδωλον. Θαυμάσιον δὲ καὶ τὸ εἴδωλον, καθὸ καὶ εἰδωλολάτραι καλοῦνται, ὡς εἰδώλοις ἀπατηλοῖς μορίου ἀληθείας λατρεύοντες, φάσκοντες τοὺς οὐ θεοὺς θεούς, καὶ τὸ ὀφειλόμενον τῷ Θεῷ σέβας, εἰς τοὺς ψευδωνύμους θεοὺς ἀπονέμοντες. Λάβε τοίνυν, τὸν μὲν ἀλήθειαν ἔχοντα, ὡς τὸν τὸ βασιλικὸν κατέχοντα νόμισμα. Εἰ γοῦν οὗτος ἐξελέγχειν πειρώμενος τοὺς μὴ κατέχοντας, καὶ οἰομένους, κἂν τοῦτον ἐξελέγξῃ, ἕτερος φιλονεικήσει· κἂν αὐτὸν, ἕτερος πάλιν, κἂν αὖθις τοῦτον, ἕτερος ἀναστήσεται. Τοῦ γοῦν ἀληθοῦς ἀνεξελέγκτου μένοντος, πᾶν τὸ μὴ οὕτως ἔχον, αὐτὸ ὑφ᾽ ἑαυτοῦ καταβληθήσεται· προσκρούσαν μὲν τῷ ἀληθεῖ, αὐτὸ δὲ πεσὸν τῇ ἀηττήτῳ στάσει τῆς ἀληθείας ἀποκρουσθέν. Ἐπεὶ γὰρ οὐ κατισχύσει ποτὲ τῆς ἀληθείας τὸ ψεῦδος, ἀεὶ δὲ ὡς ἐναντίον μάχεται ταύτῃ ἐκείνῃ, πάντως αὐτὸ προσκρούσει, καὶ αὐτὸ πεσεῖται. Τίς γὰρ κοινωνία χύτρας πρὸς λέβητα; Αὐτὴ προσκρούσει, καὶ αὐτὴ συνθλασθήσεται. Τοῦτο γοῦν ὡς οἶμαι καλῶς εἰδὼς, οὐκ ἐσπούδασα πρός τινας διαμαχέσασθαι· ἀλλ᾽ ἱκανόν μοι (τοῦτο δοίη Θεὸς) πρῶτον γινώσκειν περὶ τῆς ἀληθείας ὡς δεῖ, καὶ ἔπειτα εἰδότα λέγειν ὡς χρή.

Σὺ δὲ λέγεις, ὅτι λοιδορεῖταί μοι ὁ Ἀπολλοφάνης, ἀποκαλῶν με πατραλοίαν, ὅτι δῆθεν τοῖς πατρίοις θεοῖς ἐμνησικάκησα, καὶ ὅτι τοῖς τῶν Ἑλλήνων κατὰ τῶν Ἑλλήνων ἀπεχρησάμην. Καίτοι γε ἀληθέστερόν ἐστιν ὃ κατηγορεῖ ἐμοῦ, τοῦτο ἐμὲ πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν, ὡς Ἕλληνες μᾶλλον τῇ θείᾳ σοφίᾳ κακῶς καὶ οὐχ ὁσίως ἐχρήσαντο. Λαβόντες μὲν αὐτὴν παρὰ Θεοῦ, ἵνα τὸν Θεὸν γνῶσιν, ἀποπλανηθέντες δὲ πρὸς μὴ ὄντας θεούς. Καὶ οὐ τὴν πολλῶν φημι δόξαν τῶν προσύλως καὶ ἐμπαθῶς ἐναπομενόντων τοῖς τῶν Ποιητῶν· ἐκεῖνοι γὰρ ἀγαπήσαντες τὴν ὕλην καὶ τὰ πάθη, ἠγάπησαν καὶ τὰ τῶν Ποιητῶν, καὶ ἐναπέμειναν τοῖς ἐκείνων συγγράμμασιν, ἐμπαθὲς τὸ Θεῖον λεγόντων. Οὐ περὶ τούτων γοῦν

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

parat dicere, ac veritatem manifestare, aduersus hos aut illos dimicare: quilibet enim qui errat, veritatem se habere putat, non secùs ac regium numisma, & fortasse alicuius particulæ veritatis, nequaquam verò vniuersæ veritatis, imaginem subdolam tenet. Porrò dignum hîc admiratione nomen hoc *εἴδολον*, à quo & idololatræ vocantur, vt qui cultum exhibeant idolis fucatam & fallacem particulam veritatis præ se ferentibus, eos qui non sunt dij deos appellent, & debitum Deo cultum transferant ad falsi nominis deos. Eum igitur qui veritatem tenet, accipe pro eo qui Regium numisma possidet. Si igitur hic conetur confutare eos qui non habent veritatem, cùm habere se putent, tametsi hunc coarguat, alter contendet; quòd si & ipsum conuincat, rursum alius dimicabit, quem si superaueris, iterùm alius exurget. At si veritas irrefragabilis cõstiterit, quidquid aliter se habet, ipsum per se concidet: vbi enim in veritatem impegerit, mox inuincibili constantiâ veritatis repulsum corruet. Cùm enim falsitas aduersus veritatem minimè præualeat, semper autem illi vt contraria repugnet, vtique in ipsam impinget & corruet. Quæ enim ollæ ad lebetem collatio est? Ipsa quidem impinget lebeti, at eâdem confringetur. Hoc itaq; cùm meâ quidem sententiâ probè nossem, minimè dedi operam vt aduersus aliquos dimicarem. Sed mihi satis est (si mihi donet Deus) vt de veritate primùm quidem rectè sentiam, ac deinde scitè eloquar vt oportet.

Veritate stabilitâ, falsa per se corruunt.

§.2. *Retorquet obiectionem Apollophanis.*

Tu autem ais Apollophanem me conuitiari, ac parricidam appellare, quòd nimirum erga patrios Deos ob antiquam iniuriam maleuolus extiterim, & quòd Gentilium dictis aduersus ipsos abusus sim. Atqui cuius me accusat, id veriùs ipsimet obiicerem, quòd nimirum Gentiles diuinâ sapientiâ perperàm & sacrilegè sint abusi. Cùm enim hanc à Deo accepissent, vt Deum agnoscerent, in errorem lapsi desciuerunt ad eos qui non sunt dij. Omitto hîc opinionem multitudinis Poëtarum fictionibus materialiter tenaciterque adhærentis: illi enim cùm materiam passionesque diligerent, Poëtarum fabulas nimiùm amantes, eorumdemque lectioni inhæserunt, asserentium Numen ipsum affectibus moueri. De his itaque nihil

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

dico, qui creaturam præ creatore colunt. Quin & ipſemet Apollophanes, diuinis iis, quæ ſcilicet ex Philoſophiâ petuntur, rationibus, non rectè vtitur: oportebat ſanè ipſum, ſi quidem verus ſit Philoſophus, & philoſophia ſit rerum quatenus exiſtētium cognitio, ad rerum auctorem Deum ſurrigi, ipſarum rerum notitiâ fretum, quam ipſe quidem philoſophiam vocat, at Paulus Dei ſapientiam appellauit in priori ad Corinthios Epiſtolâ ſcribens: *Nam quia in ſapientiâ Dei non cognouit mundus per ſapientiam Deum:* hoc eſt, per ſapientiam in concinnâ decoraque creaturæ compoſitione ſimul & ordine manifeſtè apparentem. Atqui ne videar eos coarguere præter prius inſtitutum meum ac propoſitum, propter quod neque contra Gentiles neque contra alios ſtilum ſtrinxi; ſcire debebat Apollophanes, cùm ſapiens eſſet, nihil vmquam præſtitutum ſibi ordinem mutare potuiſſe ſine inſtinctu auctoris ſui, ac conſeruatoris, quemadmodum contigit circa ſolem & lunam, ſub Ieſu Naue & Ezechiâ. Denique ſciendum, apud Gentiles etiam in confeſſo eſſe, rerum omnium ordinem earumdē auctori tribuendum. Dicens enim, ex hoc cognoſci poſſe Deum vniuerſo leges ponere, quia ſol & luna terminis diei naturalis conſtitutis currunt, & ſimul cum vniuerſo cælorum orbe circumuoluuntur; arguit hunc qui ex his opificem eorum nec agnoſcit, neque colit. Quídni igitur Deum admirabilem prædicat, cuius omnium effectricem, ineffabilemque virtutem confeſſus eſt? Beato Polycarpo hîc in memoriam reuocat hiſtoriam, quæ contigit ſub Ieſu Naue, vt eam Apollophani opponat. Ait itaque: Dic illi, Diſce quomodo Deus ſolem & lunā, cùm ſecundùm diametralem lineam è regione ſeſe reſpectarent, ſole quidem iam deuergente in occaſum, vtrumque luminare ſubſiſtere iuſſit in ſtatione ſuâ, vtique virtute ineffabili auctoris eorum Dei. Vniuerſum hoc inſuper immobile ſubſtitit vnà cum vtroque luminari: etenim non cælum ipſum, non cetera ſidera circumuoluebantur, ſed vnà cum duobus iſtis luminaribus ſuis quæque ſedibus ſubſtiterunt. hoc enim indicant illa verba, *Simul cum vniuerſo, ad omnimodam immobilitatem redacta ſunt*, ita vt totius diei dimenſio, duodecim horarum ſpatio excreuerit, quanto quoque tempore,

1. Cor. 1, 21.

Suggerit argumenta contra Apollophanē.

Solſtitium ſub Ioſue, quale.

λέγω, τὴν τῆς κτίσιν παρὰ τὸν κτίσαντα λατρευόντων. Ἀλλὰ καὶ αὐτὸς Ἀπολλοφάνης οὐ καλῶς τοῖς θείοις, λέγω τοῖς ἐμφιλοσόφοις, λόγοις χρᾶται· ἔδει γὰρ ἀνάγεσθαι αὐτὸν, εἴπερ ἦν ἀληθὴς Φιλόσοφος, καὶ ἡ φιλοσοφία γνῶσις τῶν ὄντων ἐστὶν ᾗ ὄντα, πρὸς τὸν τῶν ὄντων αἴτιον Θεὸν, χρώμενον τῇ τῶν ὄντων γνώσει, ἣν αὐτὸς μὲν φιλοσοφίαν καλεῖ, ὁ δὲ θεῖος Παῦλος Θεοῦ σοφίαν ἐκάλεσεν ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους πρώτῃ γράφων ἐπιστολῇ· Ἐπειδὴ γὰρ ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔγνω ὁ κόσμος διὰ τῆς σοφίας τὸν Θεὸν, τουτέστι τῆς ἐμφαινομένης τῇ ἐναρμονίῳ καὶ τεταγμένῃ τῆς κτίσεως. Καὶ ἵνα μὴ τούτους ἐλέγχοιμι παρὰ τὸ δόξαν ἐμοὶ ἀρχῆθεν, καὶ τὸν σκοπὸν δι' ὃν οὔτε κατὰ Ἑλλήνων, οὔτε καθ' ἑτέρων συνέγραψα, ἔδει συνιδεῖν σοφὸν τὸν Ἀπολλοφάνη ὄντα, μὴ ἂν ἄλλως δυνατὸν γενέσθαι παραξεπλῶσαί τι τῆς ἰδίας τάξεως, εἰ μὴ ἐκίνησεν εἰς τοῦτο ὁ αἴτιος καὶ συνοχεὺς αὐτοῦ, ὡς ἐπὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ, καὶ τοῦ Ἐζεκίου ἐγένετο εἰς τὸν ἥλιον καὶ εἰς τὴν σελήνην. Τέως δὲ ἰστέον, ὅτι ἀπὸ τῶν παρ' Ἕλλησιν ὁμολογουμένων, τὴν διάταξιν τοῦ πάντων αἰτίου παρατίθεται. Φήσας γὰρ, ὅτι ἄξιον ἐκ τούτου ἐπιγνῶναι τὸν ὁροθέτην τοῦ παντὸς Θεὸν, ἐκ τοῦ τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην τοὺς διατεταγμένους τῆς ἡμέρας τρέχειν ὅρους, καὶ τῷ παντὶ τοῦ οὐρανοῦ κύκλῳ συμπεριθέειν, ἐλέγχει τοῦτον μὴ γνόντα ἐκ τούτων μηδὲ σεβόμενον τὸν δημιουργόν. Πῶς οὖν οὐκ ἄγασαι καὶ λέγων καὶ οὗτος τὸν Θεὸν τῆς παναιτίου καὶ ἀῤῥήτου δυνάμεως; Ἀναμιμνήσκει γοῦν τὸν ἅγιον Πολύκαρπον τῆς κατὰ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ ἱστορίας, ἵνα ταύτην ἀντιτεθῇ τῷ Ἀπολλοφάνει. Φησὶν οὖν, Εἰπὲ αὐτῷ· Μάθε πῶς ὁ Θεὸς τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην κατὰ διάμετρον ὄντας τότε ἄντικρυς ἀλλήλων, δυομένου ἤδη τοῦ ἡλίου, ἔστησεν ἐπὶ τοῦ τόπου, τοὺς φωστῆρας, στάσιν τινὰ κατὰ δύναμιν ἄφατον τοῦ αἰτίου αὐτῶν Θεοῦ· Καὶ ἔστη τὸ πᾶν ἀκίνητον μετὰ τῶν δύο φωστήρων· οὔτε γὰρ ὁ οὐρανὸς οὔτε οἱ λοιποὶ ἀστέρες περιεπόλουν, ἀλλὰ συνειστήκεισαν τοῖς δυσὶ φωστῆρσι· τοῦτο γάρ ἐστιν, Ἅμα τῷ παντὶ πρὸς τῷ πάντη ἀκίνητον ὁρίζονται, ὡς γενηθῆναι μεῖζον ἡμέρας ὅλης, δηλονότι δωδεκάωρον διάστημα, ἐν ὅσῳ ἵσταντο ἐπὶ τῶν αὐτῶν σημείων, καὶ

οἱ

οἱ φωστῆρες, καὶ τὸ πᾶν. Ὅτι δὲ ἐδιπλασιάσθη ἡ τότε ἡμέρα, σαφῶς φησιν Ἰησοῦς ὁ τοῦ Σιρὰχ ἐν τῷ ὕμνῳ τῶν πατέρων· εἰκοσιτεσσάρων γὰρ ὡρῶν ἡ ἐπὶ τοῦ Ἰησοῦ υἱοῦ Ναυῆ ἡμέρα ἐκείνη ἐγένετο, καθὼς αὐτὸς ἐδήλωσεν. Εἰ δὲ εἴποι Ἀπολλοφάνης, ἀδύνατον στῆναί ποτε τὸν οὐρανὸν, ἀεικίνητος γάρ· ἀπόκριναι αὐτῷ, ὅτι τοῦτο μᾶλλον θαυμασιώτερον, καὶ τοῦτο ἔδει σε ἐπιστρέψαι πρὸς τὸν ἀληθῆ Θεὸν, καὶ τὴν περὶ αὐτοῦ γνῶσιν· εἴπερ ὁ μὲν πόλος περιήγετο ὁ περιέχων τοὺς φωστῆρας. Τοῦτο γὰρ ἐδήλωσεν εἰπὼν, Τῶν ὅλων καὶ τῶν κρειττόνων καὶ περιεχόντων. Ὁ δὲ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη, οἱ περιεχόμενοι, ἀκίνητοι ἵσταντο, καὶ οὐ τὴν αὐτὴν φορὰν συνεκινοῦντο τῷ παντὶ, μεθ' οὗ ἀεὶ συμπεριήγοντο. Πάλιν ἐπὶ τοῦ Ἐζεκίου, ὅτε ἄλλη τις ἡμέρα κατὰ συνέχειαν σχεδὸν τριπλασιάζεται. Τὸ Σχεδὸν προσετέθη, ἐπειδὴ τριπλῆ κατὰ τὸ πλῆρες οὐκ ἐγένετο ἡ ἡμέρα ἐκείνη· τριακονταδύο γὰρ ὡρῶν γέγονε, δέκα ἀπὸ ἀνατολῆς μέχρι τοῦ τόπου ἐν ᾧ εὑρέθη ὁ ἥλιος, ὅτε τὸ σημεῖον ἐδόθη, καὶ δέκα ἐκεῖθεν πάλιν ἐπὶ ἀνατολὴν, κἀκεῖθεν πάλιν δώδεκα μέχρι τῆς τελείας δύσεως. Τὸ αὐτῷ δὲ σχήματι τοῦ λόγου καὶ ἐνταῦθα ἐχρήσατο, ὅτι ὁ πόλος αὐτὸς σὺν τῷ ἡλίῳ ἐν τῷ τῶν εἴκοσι ὡρῶν διαστήματι τὴν ὑπερφυῆ ἐκείνην ἀντιπεριαγωγὴν ἐποιήσατο, ἢ μόνος ὁ ἥλιος· τοῦτο γάρ ἐστιν ὃ λέγει· Ἢ τὸ πᾶν τοσούτου χρόνου (δηλονότι εἴκοσιν ὡρῶν) φορᾶς ἐναντίας ἀναποδίζει· ἢ ὁ ἥλιος ἰδίῳ δρόμῳ τὴν τοιαύτην κίνησιν ἐποιήσατο. Τὸ πεντάτροπον δὲ τῆς τοῦ ἡλίου κινήσεως, οὕτως νόησον· Ἡ τοῦ ἡλίου ἐνιαύσιος κίνησις πέντε ποιεῖται τροπάς· ἀνάβασιν βορείαν, τουτέστιν ἀπὸ ἐαρινῆς ἰσημερίας εἰς τὸν θερινὸν τροπικόν· κατάβασιν βορείαν, ἀπ' αὐτοῦ δηλονότι ἐπὶ τὸν μετοπωρινὸν ἰσημερινόν· κατάβασιν νοτίαν ἀπὸ τοῦ τοιούτου ἰσημερινοῦ ἐπὶ τὸν χειμερινὸν τροπικόν· καὶ ἀνάβασιν νοτίαν, ἀπὸ τοῦ χειμερινοῦ τροπικοῦ ἐπὶ τὸν ἐαρινὸν ἰσημερινόν· καὶ πέμπτην τὴν ἐναντίαν τῷ παντί. Εἰπὼν οὖν τὴν πεντάτροπον αὐτοῦ κίνησιν, διὰ τῆς προσθήκης τοῦ ἄρθρου τὴν γνώριμον καὶ συνήθη

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

tam luminaria, quàm vniuersum in signis suis constiterunt. Quòd autem dies tunc duplicata fuerit luculenter indicat Iesus filius Sirach in hymno Patrum: nam ad horas quatuor supra viginti, dies illa sub Iesu Naue porrecta memoratur, quemadmodũ is expressit. Si verò dicat Apollophanes, impossibile esse cælum sisti, quia perpetuò mouetur: responde ipsi, vel hoc nomine tale prodigium magis admirandum, quod & te debuit ad verum Deum eiusque cognitionem conuertere. Polus siquidem, qui luminaria continet, circumagebatur. Nam & hoc expressit, dicens: *Vniuersis etiam orbibus primariis, & qui ceteros continent circumgyrantibus.* Sol tamen & luna, quæ illorum complexu continebantur, immota cõsistebant, nec eodem cum vniuerso motu agebantur, quo cum semper circumagi consueuerant. Rursus Ezechiæ tempore, quando alius item dies continuatione ferè triplo longior effectus est. Appositum est ferè, quòd dies ille non vsquequaque plenus fuerit triplici dimensione; duarũ enim & triginta fuit horarum, ab Oriente siquidem ad eum vsque locum, in quo sol tum inuentus est, quando editum est eiusmodi signum, decem illius diei horæ præterierant; rursum alteræ decem quo ex cursu temporis illinc iter reflexit sol ad Orientẽ; itemque illinc ab Oriente ad Occiduum vsque limitẽ perlatus est horis duodecim. Hac sanè dicendi formulâ vsus hîc est, quòd polus ipse vnà cum sole, toto illo intercedente spatio horarum viginti, admirandam illam retrogressionem fecerit, vel sol ipse solus; hoc enim est quod dicit: *Vel vniuersum æquali omnino temporis spatio* (scilicet viginti horarum) *motu contrario retrocesßit: vel ipse sol cursu proprio talem motum peregit.* Quod autem vocat *quinqueformem istum solis motum*, sic intellige: Anniuersarius solis motus quinque facit conuersiones: Ascensionem scilicet Borealem, quam conficit à verno æquinoctio ad æstiuum vsq; solstitium: descensum Borealem, ab hoc nimirum solstitio ad æquinoctium autumnale; descensum Australem, à dicto æquinoctio ad hibernum vsque solstitium; & ascensum Australem ab hiberno tropico ad vernum deducit æquinoctium; quintam denique vniuerso contrariam. Quando igitur quinqueformem eius motum appellauit, appositione articuli subindicauit illum

Sub Ezechiâ qualiter dies vna tridui spatio producta.

 notum

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

notum & consuetum solis motũ. Ad hunc modum itaque expendamus quid Patri per hæc verba dictum sit. Supponamus solem illâ die, horâ sui ortus fuisse in primâ parte Arietis: ipsum itaque in hanc primam Arietis partem redire, nisi confectâ, quam præscripsimus, quinqueformi motione, nequaquam erat possibile, per dies videlicet trecentos sexaginta quinque, & quartam partem. At verò in horis decem, à loco in quo contigit illud signum, denuò ad primam vsque partem Arietis in Oriente, pristino gradui se perfectè restituit; & secundùm hoc, quoniam non aliter hanc primam signi Arietis partem sol rursus attingere poterat, nisi absoluto iusti ad id temporis interstitio, quo vtique tempore quinqueformis ille solaris motus perficitur; decem interim horæ supputantur, non iam illæ nimirum primæ quæ ei tempori attributæ sunt, quo sol ab Oriente excitus, ad eum vsque locum prouectus est, in quo sub Ezechiâ signum fieri contigit: sed aliæ, quibus sol retrogrado cursu à loco signi recurrit, relatusque est in Orientem. Istæ igitur horæ decem, quibus sol primæ parti Arietis propior factus est, censentur implentque vicem soliti vnius anni: siquidem vniuersam illam temporis periodum ita compendio contraxit, dum se restituit in locum istum vnde illo die ortus fuerat. Deinde sole rursus ab Oriente moto, quoniam aliter ad illud signum remeare non poterat, in quo tum fuerat, quando sub Ezechiâ id signum editum est, nisi per totius annui temporis traiectionem simul & motionem illam quinqueformem, in decem iterùm horis illò se recepit. Quare decem illas horas, quę erant ab ortu vsque ad signum illud, accepit pro anniuersario & quinqueformi motu: neque enim sol semel egressus signum Arietis in Oriente, repetere illud poterat, nisi decursâ priùs anniuersariâ periodo. Sed neque aliter poterat fieri, vt qui semel desciuisset ab eo signo in quo tum erat, quando sub Ezechiâ signum contigit, velut postliminio se in idem redintegraret, nisi intercessu alterius anniuersariæ progressionis. Et idcircò ait: Hunc motum annuum, quem compendio contraxit ad decem horas, in loco vbi Ezechiæ signum datum est, emotus sol in Orientem,

ὑπέφηνε. Τὸ δὲ ἐν τούτοις λεγόμενον ὑπὸ τοῦ Πατρὸς, νοήσωμεν οὕτως. Ὑποθώμεθα τὸν ἥλιον εἶναι κατὰ τὴν ἡμέραν ἐκείνην τῇ ὥρᾳ τῆς ἀνατολῆς ἐν τῇ πρώτῃ μοίρᾳ τοῦ Κριοῦ· εἰς τὴν αὐτὴν οὖν μοῖραν ἐπανελθεῖν αὐτὸν οὐκ ἦν δυνατὸν, εἰ μὴ ποιήσεται τὴν προταγεῖσαν πεντάτροπον κίνησιν, ἤγουν δι' ἡμερῶν τξε. καὶ τεταρτημόριον. Ἐν οὖν ταῖς δέκα ὥραις, ταῖς ἀπὸ τοῦ τόπου ἐν ᾧ γέγονε τὸ σημεῖον, ἕως πάλιν τῆς ἐν τῇ ἀνατολῇ πρώτης μοίρας τοῦ Κριοῦ, τὴν τελείαν ἀποκατάστασιν ἐποιήσατο· καὶ κατὰ τοῦτο, ἐπεὶ ἄλλως οὐκ ἦν ἅψασθαι τοῦ τῆς πρώτης μοίρας σημείου τοῦ Κριοῦ τὸν ἥλιον πάλιν, εἰ μὴ μετὰ τελείου χρόνου περαίωσιν, ἐν ᾧ δὴ χρόνῳ καὶ ἡ πεντάτροπος τελεῖται κίνησις, λογίζονται αἱ δέκα ὧραι, οὐχ αἱ πρῶται δηλαδὴ, αἵ τινες ἦσαν κινηθέντος ἀπὸ ἀνατολῆς τοῦ ἡλίου μέχρι τοῦ τόπου ἐν ᾧ τὸ σημεῖον ἐπὶ τῷ Ἐζεκίᾳ ἐγένετο· ἀλλ' αἱ ἀπὸ τούτου τοῦ σημείου εἰς τὴν ἀνατολὴν ὀπισθοδρομήσαντος τοῦ ἡλίου διαβιβασθεῖσαι. Αὗται οὖν αἱ δέκα ὧραι ἐπεὶ πάλιν εἰς τὴν ὑποκειμένην πρώτην μοῖραν τοῦ Κριοῦ ὁ ἥλιος ἐγεγόνει, λογίζονται ὡς ἐνιαυτὸς ὁλόκληρος· συνεῖλε γὰρ ἀναλυτικῶς ἅπασαν τὴν τοῦ χρόνου περίοδον, ἀποκαταστὰς ἐν τῷ κατ' ἀνατολὴν σημείῳ, ἀφ' οὗπερ τὴν ἀρχὴν κατ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἀνέτειλεν. Ἔπειτα, πάλιν κινηθέντος ἀπ' ἀνατολῆς, ἐπεὶ οὐκ ἦν ἄλλως ἐπανελθεῖν εἰς ἐκεῖνο τὸ σημεῖον, ἐν ᾧ ὄντος αὐτοῦ τὸ ἐπὶ τῷ Ἐζεκίᾳ σημεῖον ἐγένετο, εἰ μὴ κατὰ περαίωσιν ὁλοκλήρου χρόνου καὶ πεντάτροπον κίνησιν· ἐν δέκα δὲ πάλιν ὥραις ἐκεῖσε ἀποκατέστη. Διὰ τοῦτο τὰς τοιαύτας δέκα ὥρας, τὰς ἀπὸ ἀνατολῆς ἕως τοῦ σημείου ἐκείνου, ἀντὶ ἐνιαυσίου παρέλαβε καὶ πεντατρόπου κινήσεως· οὐκ ἦν γὰρ τὸν ἥλιον ἅπαξ ἀποστάντα τοῦ κατὰ τὴν ἀνατολὴν σημείου ἐπανελθεῖν εἰς αὐτὸ, εἰ μὴ κατὰ ἐνιαυσιαίαν περίοδον. Καὶ οὐκ ἦν ἄλλως ἅπαξ ἀποστάντα ἀπὸ τοῦ σημείου, καθὸ τὸ ἐπὶ Ἐζεκίᾳ σημεῖον γέγονε, πάλιν ἐπανελθεῖν εἰς αὐτὸ, εἰ μὴ κατὰ ἐνιαυσιαίαν ἑτέραν καὶ πάλιν περίοδον. Καὶ διὰ τοῦτο λέγει, Ἣν ἐνιαυσιαίαν κίνησιν συνεῖλεν ἀναλυτικῶς ἐν δέκα ὥραις, ἀπὸ τοῦ τόπου ἐν ᾧ τὸ κατὰ τὸν Ἐζεκίαν σημεῖον ἐδόθη ἐπὶ τὴν ἀνατολὴν κινούμενος,

τὴν

τὴν αὐτὴν ὅλην ἐνιαυσιαίαν τρίβον ἐν ἑτέραις δέκα ὥραις ἀπ' ἀνατολῆς μέχρι τοῦ τόπου ἐν ᾧ τὸ σημεῖον γέγονεν, ἐποιήσατο. Τοῦτο δὲ ἦν καὶ τὸ τοὺς Βαβυλωνίους ἐκπλῆξαι, ἅτε καὶ αὐτοὺς οὐρανοθεάμονας, καὶ ἀστρολέσχας ὄντας, καὶ καθυποτάξαι μάχης ἐκτὸς τῷ τῆς Ἱερουσαλὴμ βασιλεῖ, ὡσανεὶ ἰσοθέῳ τινὶ ὄντι, καὶ ὑπὲρ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους. Καὶ οὐ λέγω τὰς ἐν Αἰγύπτῳ θαυματουργίας, ἢ ἄλλας τινὰς ἀλλαχοῦ γεγενημένας· ἀλλ' ἐκεῖνα λέγω, ἅπερ καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ ἐγεγόνεσαν, καὶ κατὰ τὸν ἥλιον συνέβησαν· καὶ διὰ τοῦτο πᾶσιν ἐθρυλλήθησαν. Εἴτι γὰρ τῷ ἡλίῳ συμβαίη, οὐδείς ἐστι τῶν ὁρώντων τὸν ἥλιον, ὃς οὐκ ἐκεῖνο θεάσαιτο. Εἰ μέντοι γε διαπιστήσει ὁ Ἀπολλοφάνης πρὸς ταῦτα, οἱ Πέρσαι μαρτυρήσουσιν, οἵτινες Μίθραν μὲν τὸν ἥλιον λέγουσι· τὸ παρέκταμα δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης διὰ τῆς τελετῆς τῶν μνημοσύνων τοῦ τριπλασίου σημαίνουσιν. Ἀλλ' ἔστω τοῦτο· τί φήσει περὶ τῆς κατὰ τὸν σωτήριον σταυρὸν ἐκλείψεως. Ἀμφότεροι γὰρ ἡμεῖς, ἐγώ τε καὶ αὐτὸς, κατὰ τὴν τῆς Αἰγύπτου Ἡλιούπολιν παρόντες (ἔθος γὰρ ἦν τότε τοῖς ὁπουδήποτε Ἕλλησιν ἀποδημεῖν εἰς Αἴγυπτον Μαθήσεως ἕνεκα) καθεωρῶμεν τὴν τοιαύτην ἔκλειψιν, καὶ ὅπως ξένη καὶ παρὰ λόγον ἐγένετο, ἐθαυμάζομεν· κατὰ διάμετρον γὰρ ἡ σελήνη, τεσσαρεσκαιδεκαταία οὖσα, τῷ ἡλίῳ ἦν, καθ' ὃν καιρὸν οὐδέποτε συμβαίνει ἡλίου ἔκλειψιν γίνεσθαι. Εἰ μὴ γὰρ παρεμπέσοι ἡ σελήνη, καὶ ὑποδράμοι τὸν ἥλιον, οὐ μὴ γενήσεται ἡ τοῦ ἡλίου ἔκλειψις. Τότε γοῦν οὐκ ἦν συνόδου καιρός. Καὶ τὸ θαυμάσιον, ὅτι καὶ ἔκλειψις ἐγένετο ἀπὸ ὥρας ϛ. ἕως ὥρας ἐνάτης, καὶ ἀπ' ἐνάτης ὥρας ἕως ἑσπέρας πάλιν κατὰ διάμετρον τῷ ἡλίῳ ἡ σελήνη ἐγένετο. Ἀνάμνησον δὲ καὶ ἕτερον αὐτὸν ταῖς ἀστρονομικαῖς ἀνάγκαις ἀκόλουθον. Ἐν γὰρ τῇ κατὰ τάξιν ἐκλείψει τοῦ ἡλίου, ἐκ τοῦ αὐτοῦ μέρους τοῦ ἡλιακοῦ δίσκου ἀνάγκη καὶ τὴν ἔμπτωσιν, δηλονότι τὴν σκότωσιν· καὶ πάλιν τὴν ἀνακάθαρσιν, δηλονότι τὴν φαῦσιν γίνεσθαι. Τοῦ γὰρ ἡλίου ἄνω διερχομένου κατὰ τὸν οἰκεῖον κύκλον, καὶ τῆς σελήνης ὑποθεούσης κατὰ τὸν ἴδιον, ἀνάγκη προλαμβάνειν τὴν σελήνην, ὡς ἐλάττονα κατὰ πολὺ διερχομένην κύκλον. Λοιπὸν εἰ καὶ ἀμφότεροι οἱ φωστῆρες τὴν ἐναντίαν τῷ παντὶ τρέχουσιν, ἀλλ' οὖν ἡ σελήνη προλήψεται.

eamdem totam semitam annuam in aliis decem horis ab ortu vsq; ad locum in quo signum contigit, confecit. Hoc vtique Babylonios etiam consternauit, vtpote cælestium signorum & astrorum contemplationi deditos; nec non eos Ierosolymorum Regi tamquam Deo suppari similive, atque ceteris hominibus præstantiori, sine pugnâ subegit. Omitto illa quæ in Ægypto mirificè gesta sunt, aut alibi patrata: sed hæc memoro, quæ in cælo & in sole contigerũt, & idcircò ab omnibus celebrata sunt. Si quid enim soli acciderit, nemo est eorum qui solem contuentur, qui non id dilucidè conspiciat. Quòd si ne his quidem fidem accommodabit Apollophanes, vel Persæ ipsi testimonio esse poterunt, qui Mithram quidem solem ipsum vocant: diei autem illius extensionem per ritus, quos propter memoriam triplicati solis obseruant, significant. Ceterùm id ita se habeat: quid dicet de illâ solis defectione, quæ accidit sub crucifixionem Saluatoris? Nam ambo nos, ego & ipse, apud Heliopolim Ægypti præsentes (Græcis enim tum erat vsitatum, vt vndiq; in Ægyptum proficiscentur Matheseos discendæ causâ) contemplabamur istam eclipsim, & quòd noua & insolita contra rationem accideret, mirabamur. Luna quippe quarta erat & decima soli è diametro opposita, quo tempore numquam aliàs cõtigit solis fieri deliquium. Neque enim eclipsis solaris accidit, nisi soli luna inciderit, subq; solem intercalaris rectà cursum suum peragat. Tum verò non erat tempus congressionis. Et quod etiam mirandum, ab horâ sextâ vsque ad nonam ista contigit eclipsis, & à nonâ vsque ad vesperam è diametro soli luna erat opposita. Proinde memoriam illi renoua alterius cuiusdã, quod ex Astronomicis sequitur. Etenim in solis defectu ordinato, ex eadem parte solaris orbis necesse est fieri incidentiam, tenebrarum videlicet offusionem; & ex obliquo repurgationem, hoc est illustrationem. Sole enim sursum circulum suum permeante, lunâ item suum subtercurrente, necessariò luna præuertit, vt quæ minorem multò circulum transcurrat. Ceterùm etsi hæc luminaria contrariam omnino viam decurrerent, vtique luna anteuerteret.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

De eclipsi sub crucifixionem Christi.

Con-

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Consequens igitur fuerit, lunam obtenebrescere qua parte incidit soli, & in eadem deficere, sicut in aliâ illustratur. Die autem salutaris illius crucis, cùm ab Oriente momento quasi temporis cum sole luna concurrisset, eclipsim hanc fecit. Oportebat autem illam in proprium locum reuerti, vt ordo eius seruaretur: hinc contigit, vt sole rursus relicto redierit. Et hæc quidem eclipsis contigit, obscuratâ priùs parte solaris disci respicientis Orientem: deinde lunâ totum subtercurrente solem, cùm iam cœpisset reuerti, conueniebat, ipsâ partem occiduam primò deserente, vt partem Orientalem occuparet, istam quoque primò illuminari. Hæc sunt quæ tum temporis perfecta sunt, à solo rerum conditore Deo disposita & ordinata.

§. 3. Ceterùm tu, Apollophane, si minùs vera refero, refelle: ego interim tibi memoriam refricabo facti alterius: Quoniam tu tum etiam nescio quo quasi numine afflatus in diuinationem prorumpebas, & ad me dicebas: O præclare Dionysi, diuinarum sunt hæ vicissitudines rerum. Et ecce hæc est vicissitudo, quæ nos ab errore ad veritatem traduxit, à tenebris ad lucem, à morte ad vitam, ab idolis ad Deum verum. Hæc per epistolam, sermonem vltrà non producens. Tu verò, ô diuine Polycarpe, supple quæ desunt, vt virum hunc sapientem ad supraquam sapientem Christianæ fidei veritatem adducas.

Εἰκὸς γοῦν ἐνι, ὃ μέρος ἐπισκοτεῖν συμπίπτουσαν, τοῦτο καὶ ἀπολείπειν, ὥστε κἀκεῖνο φωτίζεσθαι. Ἐν δὲ τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σωτηρίου σταυροῦ, ἐπεὶ ἀπὸ ἀνατολῆς ἀκαριαίως συνῆλθεν ἡ σελήνη τῷ ἡλίῳ, καὶ πεποίηκε τὴν ἔκλειψιν. Ἔδει δὲ πάλιν ὑπονοστεῖν εἰς τὸν οἰκεῖον τόπον, ἵνα ἡ τάξις αὐτῆς φυλαχθῇ· καὶ διὰ τοῦτο ἀπολιποῦσα τοῦτον πάλιν ὑπενόστησε, συνέβη. Καὶ ἡ μὲν ἔκλειψις γέγονε, σκοτισθέντος πρότερον τοῦ ἀνατολικοῦ μέρους, τοῦ ἀνατολικοῦ δίσκου μετέπειτα ὑποδεξαμένης ταύτης ὅλον τὸν ἥλιον, καὶ ἤδη ἀρξαμένης ὑπονοστεῖν, εἰκὸς ἦν, τὸ δυτικὸν μέρος τοῦ δίσκου πρῶτον ἀπολειπούσης, ἵνα τὸ τῆς ἀνατολῆς καταλάβῃ μέρος, ἐκεῖνο καὶ πρῶτον φωτίζεσθαι. Τοιαῦτα τότε ἐτελέσθησαν, τῷ παναιτίῳ μόνῳ Θεῷ διαταττόμενα καὶ κυβερνώμενα.

Σὺ δὲ λοιπὸν Ἀπολλόφανες, εἴπερ οὐκ ἀληθεύω, ἐξέλεγχε· ἐγὼ δὲ καὶ ἄλλο σὲ ἀναμνήσω· Ὅτι σὺ τότε ἔνθους οἱονεὶ γινόμενος, οὐκ οἶδ᾽ ὁπόθεν μαντείας ἀπήρχου, καὶ ἔλεγες πρὸς ἐμέ, Ταῦτα, ὦ καλὲ Διονύσιε, θείων πραγμάτων μεταβολαί. Καὶ ἰδοὺ ἡ μεταβολὴ ἐκείνη μετέθηκεν ἡμᾶς ἀπὸ τῆς πλάνης εἰς τὴν ἀλήθειαν, ἀπὸ τοῦ σκότους εἰς τὸ φῶς, ἀπὸ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν, ἀπὸ τῶν εἰδώλων εἰς τὸν ὄντως Θεόν. Ταῦτ᾽ ἐγὼ πρὸς αὐτὸν κατ᾽ ἐπιστολήν, μὴ μηκύνων τὸν λόγον. Σὺ δέ, ὦ θεῖε Πολύκαρπε, προστίθει καὶ τὰ λειπόμενα, ἵνα προσάξῃς τοιοῦτον ἄνδρα σοφὸν εἰς τὴν ὑπέρσοφον τοῦ Χριστιανισμοῦ ἀλήθειαν.

EPISTOLA VIII.

Demophilo Monacho, de propriâ operatione ac clementiâ.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ Η΄.

Δημοφίλῳ θεραπευτῇ, περὶ ἰδιοπραγίας καὶ χρηστότητος.

SYNOPSIS.

1. Ostendit, præcipuos Dei amicos, Moysem, Dauidem, Iobum, Abelem, Iosephum, mansuetudinis laude claruisse, & in ipsomet Christo præ ceteris virtutibus vel maximè clementiam & mansuetudinem emicuisse. Unde à contrario Demophilo suam exprobrat immanitatem, quòd pœnitentem à Sacerdote absolutum immaniter tractasset, & in Sacerdotem quoque temerariè debacchatus fuisset, eò quòd pœnitentem absoluisset: & exemplis eorum qui ob similem temeritatem puniti fuerant, eum deterret. 2. Proponit Demophili obiectionem, quam

quam probabiliter posse facere videretur, eamq́; elidit. 3. Ostendit, ne- TEXTVS S. DIONYSII.
quaquam conuenire vt inferiores, qualis erat Demophilus, superiores
suos increpent. 4. Docet, ordinem & subordinationem vbique
seruandam esse, eiq́; Christi boni ac mansuetissimi pastoris exemplum ob
oculos ponit. 5. Dicit, Christi mansuetudinem potiùs imitandam esse,
quàm Heliæ zelum. & simul ostendit quæ sit mansuetorum & crude-
lium retributio. 6. Rem totam confirmat visione mirabili sancti Car-
pi, quam describit.

ΑἹ τῶν Ἑβραίων ἱστορίαι φασὶν, ὦ γενναῖε Δημόφιλε, καὶ τὸν ἱερὸν ἐκεῖνον Μωσέα διὰ τὴν πολλὴν πραότητα τῆς θεοφανείας ἠξιωμένον. Καὶ εἴ ποτε αὐτὸν ἔξω τῆς θείας ὄψεως ἀναγράφουσιν, οὐ πρὸ τῆς πραότητος ἐκβάλλουσι τοῦ Θεοῦ. Λέγουσι δὲ, ὅτι λίαν ἀπαυθαδιαζομένῳ καὶ ἀντιτείνοντι ταῖς θείαις βουλαῖς ὀργίσθη θυμῷ Κύριος. Ὅταν δὲ αὐτὸν ἀνακήρυκτον ποιῶσι ταῖς θεοκρίτοις ἀξίαις, ἐκ τῆς περιεχούσης τἀγαθοῦ θεομιμησίας ἀνακηρύττεται· καὶ γὰρ ἦν πρᾶος σφόδρα, καὶ ὑπὲρ τούτου λέγεται θεράπων Θεοῦ, καὶ εἰς θεοπτίαν ἁπάντων Προφητῶν ἀξιώτερος. Ἀλλὰ καὶ ὅτε πρὸς αὐτὸν καὶ τὸν Ἀαρὼν ἰταμοί τινες ὑπὲρ ἀρχιερωσύνης καὶ ἐθναρχίας ἐφιλονείκουν, ὑπερεῖχε μὲν ἁπάσης φιλοτιμίας καὶ φιλαρχίας, καὶ παρεχώρει τῷ θεοκρίτῳ τὴν τοῦ λαοῦ προστασίαν. Ἐπειδὴ δὲ καὶ ἐπισυνέστησαν αὐτῷ, καὶ περὶ τῶν προτέρων ὀνειδίζοντες ἠπείλουν, καὶ ἤδη σχεδὸν ἐπήεσαν, ἐπεβοᾶτο μὲν ὁ πρᾶος τὸν ἀγαθὸν εἰς σωτηρίαν,

§. I. HEBRAEORVM historiæ tradunt, generose Demophile, sanctum illum etiam Moysem, propter magnam suam mansuetudinem Dei conspectu dignum fuisse iudicatum. Ac si quando ipsum diuinâ visione frustratum scribunt, non priùs eum à Deo, quàm à mansuetudine excludũt. Ipsi scilicet insolescenti admodũ, & diuinis consiliis reluctanti iratum asserunt furore Dominum. Vbi verò decretis illi à Deo dignitatibus illustrem prædicant, à præeminente benigni Dei imitatione commendatur: erat enim admodum mansuetus, atque ideò Dei famulus nuncupatur, ceterisque Prophetis dignior ad videndum Deum. Quin imò cùm aduersus eum & Aaronem de Pontificatu ac gentis principatu impudentes aliqui proteruè dimicarent, omni sanè honoris ac primatus ambitione celsior, ei qui à Deo eligeretur, populi præfecturam deferebat. Ceterùm vbi in ipsum coniurassent, pristinaque exprobrando minas intentassent, iamque ferè impetum fecissent, tum demum mansuetus ille bonum quidem Deum in salutem aduocabat, magnâ

Moyses à mansuetudine cõmendatur.

Num. 10.

TEXTVS S.DIONYSII.

verò constantiâ singularique modestiâ contestatus est, se insontem esse calamitatum omnium quæ subditis obuenissent: quippe nouerat, ei qui bono Deo familiariter vtitur, pro viribus conandum, vt eidem, quantum potest fieri, simillimus euadat, sibique bonorum operũ conscius existat.

Dauid quoque mansuetudine insignis.

Quid porrò Dauid illum Dei progenitorem, amicum Deo reddidit? Nempe quòd esset bonus,

Psal.88,21

& in hostes benignus, Inueni, inquit ille præbenignus benignitatis amator, hominem secundùm

Exod.23,4

cor meum. Quin imò benignâ lege sancitum erat, vt iumentorum quoque inimici cura gereretur.

Similiter Iob, & Abel, & Ioseph.

Iob 1,8. & 42,7.

Gen.50,20

Gen. 4, 8.

Iob etiam vt innocentiæ tenax, iustificatus est. Atque Ioseph insidiatores fratres non est vltus, Abelque simpliciter, nec quidquam suspicans comitatus est fratricidam. Omnes denique Theologia bonos prædicat, qui neque mala præsagiunt, neque simulant, sed ne aliorum quidem malitiâ bonum deserunt, sed è diuerso deiformiter prauis benefacientes, magnamque benignitatis suæ copiam in eos effundentes, benignè illos ad simile quoque prouocant.

Angelorum erga homines benignitas.

Ceterùm ad altiora contendamus, sanctorum mansuetudines virorum atque amicorum hominibus Angelorum benignitates omittentes, quomodo

Zach. 1. Apoc.7. Dan.10. Luc.15. Tob.8.& 9

scilicet illi gentibus misereantur, ac pro ipsis diuinæ bonitati preces offerant, perniciosasque ac perditas turbas increpent; ac malis quidem nostris condoleant, saluti verò eorum qui ad bo-

ἐπαρρησιάζετο δὲ λίαν ἐπιεικῶς, ὅτι πάντων εἴη κακῶν τοῖς ἀρχομένοις ἀναίτιος· ᾔδει γάρ, ὅτι χρὴ τὸν ὁμιλοῦντα Θεῷ τἀγαθῷ πρὸς τὸ ὅτι μάλιστα ὁμοιότατον, ὡς ἐφικτόν, ἀποτελυπῶσθαι, καὶ ἑαυτῷ συνειδέναι τὰς ἀγαθοφιλεῖς ἐργατείας. Τί δὲ τὸν θεοπάτορα Δαβὶδ ἐποίει θεοφιλῆ; Καὶ γὰρ ἀγαθὸν ὄντα, καὶ περὶ ἐχθροὺς ἀγαθόν, Εὕρηκα, φησὶν ὁ ὑπεράγαθος καὶ φιλάγαθος, ἄνδρα κατὰ τὴν καρδίαν μου. Καίτοι καὶ θεσμὸς ἀγαθὸς ἐδεδώρητο καὶ ὑποζυγίων ἐχθροῦ προνοεῖν. Καὶ Ἰὼβ ὡς ἀκακίας ἐχόμενος ἐδικαιοῦτο. Καὶ Ἰωσὴφ τοὺς ἐπιβούλους ἀδελφοὺς οὐκ ἠμύνετο, καὶ Ἄβελ ἁπλῶς καὶ ἀνυπόπτως συνεπορεύετο τῷ ἀδελφοκτόνῳ. Καὶ πάντας ἡ Θεολογία τοὺς ἀγαθοὺς ἀνακηρύττει, μὴ προενοοῦντας τὰ κακά, μὴ προσποιοῦντας, ἀλλὰ μηδὲ πρὸς τῆς ἄλλων κακίας ἐκ τἀγαθοῦ μεταποιουμένους, τοὐναντίον δὲ θεοειδῶς καὶ τοὺς κακοὺς ἀγαθύνοντας καὶ ἐφαπλοῦντας, καὶ ἐπ' αὐτοὺς τὴν πολλὴν αὐτῶν ἀγαθότητα, καὶ πρὸς τὸ ὅμοιον ἐπιεικῶς ἐκκαλουμένους. Ἀλλ' ἐπὶ τὸ ἄναντες ἀναδύσωμεν, οὐκ ἀνδρῶν ἱερῶν ἐπιεικείας, οὐ φιλανθρώπων Ἀγγέλων ἀγαθότητας ἐξαγγέλλοντας, ἐλεούντων ἔθνη καὶ ὑπερδεομένων αὐτῶν ἀγαθοῦ, καὶ ταῖς ὀλεθρίαις καὶ κακεργέτισιν ἐπιτιμώντων πληθύσι· καὶ ἀχθομένων μὲν ἐπὶ κακοῖς, εὐφραινομένων δὲ τῇ σωτηρίᾳ τῶν εἰς τὰ ἀ-

γαθὰ

γαθὰ μετακαλουμένων· οὐδ᾽ ὅσα, ἄλλα περὶ τῶν ἀγαθοεργιῶν Ἀγγέλων ἡ Θεολογία παραδίδωσιν· ἀλλὰ τοῦ ὄντως ἀγαθοῦ καὶ ὑπεραγάθου Χριστοῦ τὰς ἀγαθοποιοὺς ἀκτῖνας ἐν ἡσυχίᾳ παραδεχόμενοι, πρὸς αὐτῶν ἐπὶ τὰς θείας ἀγαθουργίας αὐτοῦ φωταγωγηθῶμεν. Ἆρα γὰρ οὐκ ἔστιν ἀφάτου καὶ ὑπὲρ νόησιν ἀγαθότητος, ὅτι τὰ ὄντα εἶναι ποιεῖ, καὶ ὅτι πάντα αὐτὰ πρὸς τὸ εἶναι παρήγαγε, καὶ πάντα βούλεται ἀεὶ γίνεσθαι παραπλήσια αὐτῷ, καὶ κοινωνικὰ τῶν αὐτοῦ κατὰ τὴν ἑκάστου ἐπιτηδειότητα; Τί δὲ, ὅτι καὶ τῶν ἀποφοιτώντων ἐρωτικῶς ἔχεται, καὶ φιλονεικεῖ, καὶ δεῖται μὴ ἀπαξιωθῆναι τῶν ἐρωμένων καὶ θρυπτομένων αὐτῶν· καὶ εἰκῆ κατεσκαλευμένων ἀνέχεται, καὶ αὐτὸς ἀπολογεῖται; καὶ μᾶλλον ἐπαγγέλλεται θεραπεύσειν, καὶ ἔτι αὐτοῖς ἀπέχουσιν, ὅμως προσιοῦσι προστρέχει καὶ ὑπαντᾷ, καὶ ὅλος ὅλοις περιφὺς ἀσπάζεται, καὶ οὐκ ἐγκαλεῖ περὶ τῶν προτέρων, ἀλλὰ ἀγαπᾷ τὰ παρόντα, καὶ ἑορτὴν ἄγει, καὶ συγκαλεῖ τοὺς φίλους, δηλαδὴ τοὺς ἀγαθοὺς, ἵνα ᾖ πάντων εὐφραινομένων ἡ κατοικία. Δημόφιλος δὲ, καὶ εἴ τις ἄλλος ἀγαθοῖς ἀπεχθάνεται, καὶ λίαν ἐνδίκως ἐπιτιμᾶται, καὶ ἐκδιδάσκεται τὰ καλὰ, καὶ ἀγαθύνεται. Πῶς γὰρ οὐκ ἔδει, φησὶ, τὸν ἀγαθὸν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἀπολωλότων εὐφραίνεσθαι, καὶ ζωῇ τῶν τεθανατωμένων; Ἀμέλει καὶ ἐπ᾽ ὤμων αἴρει τὸ μόλις ἀπὸ πλάνης ἐπιστραφὲν, καὶ τοὺς ἀγαθοὺς Ἀγγέλους εἰς εὐφροσύνην ἐγείρει, καὶ χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους,

na conuersi sunt congratulentur; & quæcumque alia de beneficis Angelis Theologia tradit: sed penitus benigni ac præbenigni Christi beneficos radios tranquillo animo suscipientes, ab iisdem ad diuinas eius beneficentias luculenter adducamur. An non ineffabilis incomprehensibilisque bonitatis, quòd ea quæ sunt esse faciat, eaque omnia ad esse produxerit, cunctaque velit sibi semper esse similia, & pro cuiusque captu communicare? Quid, quòd à se deficientes amore prosequatur, contineatque ac roget, ne dedignentur amores: quin & deliciosos ipsos ac frustrà prouocatos sustinet, atque ipsemet excusat, eoque magis se recipit illos curaturum, ipsisque iam adhuc distantibus, simul tamen aduentantibus, occurrit & obuiat, totusque totos amplectens osculatur, neque de pristinis eos arguit, sed diligit præsentia, festumque diem agit, ac conuocat amicos, videlicet bonos, vt sit omnium lætantium habitatio. Porrò Demophilus, & si quis alius bonis aduersatur, iure merito corripitur, bonaque docetur vt emendetur. Quomodo enim, inquit, non oportebat eum qui bonus est, de eorum qui perierant salute, nec non eorum qui defuncti erant vitâ lætari? Siquidem etiam in humeros tollit vixdum ab errore conuersum, & bonos Angelos ad lætitiam excitat, quin & ingratis benignus existit,

TEXTVS S. DIONYSII.

Christi quanta mansuetudo & clementia.

Ioan. 1, 3.

Matth. 11.

Luc. 15.

TEXTVS S. DIONYSII. Matt.5,45. Ioan.10,11 *Demophilo suam immanitatem ob oculos ponit.*

& oriri facit ſolem ſuum ſuper bonos & malos, atque ipſam ſuam animam pro profugis ponit. Tu verò, vt tuæ literæ declarant, accidentem Sacerdoti, illum quem impium ac peccatorem dicis, neſcio quomodo per te præſens repuleris: tum ille quidem deprecabatur & fatebatur ſe ad malorũ medicinam aduenisſe, tu autem nihil veritus, bonum inſuper Sacerdotem cum quadam inſolentiâ conuitiatus es, quòd miſeratus eſſet pœnitentis, atq; impium iuſtificaſſet; ac tandẽ, Exi inquiens Sacerdoti, cum tui ſimilibus contra fas in adyta irrupiſti, ac Sancta ſanctorum contaminaſti, & ſcribis nobis te ſancta, cùm violanda eſſent, ſummâ curâ prouidentiaque ſeruaſſe, eaque hactenus illibata cuſtodire. Nunc ergo audi noſtram ſententiam, Nefas eſt Sacerdotem à te dignioribus miniſtris, tuíve ordinis monachis corripi, quantumuis in diuina impius videatur, & etiamſi quid aliud vetitum egiſſe conuincatur. Nam ſi diſtinctionis ordinisque confuſio, diuiniſſimarum conſtitutionum legumque tranſgreſſio eſt; nulla certè ratio eſt propter Deum traditum diuinitus ordinem interuertendi. Neque enim in ſe Deus diuiſus eſt, alioquin quomodo ſtabit regnum eius? Et ſi Dei eſt iudicium, vt Eloquia teſtantur, Sacerdotes autem Angeli ſunt, & poſt Antiſtites diuinorum interpretes iudiciorum, ab iis ordine, prout te decet, mediantibus miniſtris, dum erit opportunum, erudire:

Confeſſio hîc & pœnitentia, Sacramentum intelligitur.

Sacerdotes non debent à miniſtris aut laicis iudicari.

Matth.12,25. Iſa.30,18. Rom.2,16. Malach.2,7.

καὶ ἀνατέλλει τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθούς, καὶ αὐτὴν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν ἀποφευγόντων. Σὺ δέ, ὡς τὰ γράμματά σου δηλοῖ, καὶ προσπεσόντα τῷ ἱερεῖ, τὸν ὡς φῂς ἀσεβῆ καὶ ἁμαρτωλὸν, οὐκ οἶδ' ὅπως καθ' ἑαυτοῦ παρὼν ἀπελάκτισας· εἶτα, ὁ μὲν ἐδεῖτο καὶ ὡμολόγει πρὸς ἰατρείαν κακῶν ἐληλυθέναι, σὺ δὲ οὐκ ἔφριξας, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀγαθὸν ἱερέα μετὰ θράσους προσεπηλάκιζες, ἐλεητὸν εἶναι μετανοοῦντα, καὶ τὸν ἀσεβῆ δικαιώσαντα· καὶ τέλος, Ἔξιθι ἔφης τῷ ἱερεῖ, μετὰ τῶν ὁμοίων καὶ εἰσεπήδησας, οὐκ ὄντος θεμιτοῦ, πρὸς τὰ ἄδυτα, καὶ τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων συνέστειλας, καὶ γράφεις ἡμῖν, ὅτι μέλλοντα διαφθαρῆναι τὰ ἱερὰ, προνοητικῶς ἀπέσωσα, καὶ ἔτι ἄχραντα διαφυλάττω. Νῦν οὖν ἄκουε τῶν ἡμετέρων, Οὐ θεμιτὸν ἱερέα πρὸς τῶν ὑπὲρ σὲ λειτουργῶν, ἢ τῶν ὁμοταγῶν σοι θεραπευτῶν εὐθύνεσθαι, κἂν ἀσεβεῖν εἰς τὰ θεῖα δοκῇ, κἂν ἄλλο τι τῶν ἀπειρημένων ἐξελέγχοιτο δράσας. Εἰ γὰρ ἀκοσμία καὶ ἀταξία, τῶν θειοτάτων ἐστὶ καὶ ὅρων καὶ θεσμῶν ἔκβασις, οὐκ ἔχει λόγον ὑπὲρ Θεοῦ τὴν θεοπαράδοτον ἀνατρέπεσθαι τάξιν. Οὐ γὰρ ἐφ' ἑαυτὸν ὁ Θεὸς ἐμερίσθη, πῶς γὰρ σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ; Καὶ εἰ τοῦ Θεοῦ ἐστιν, ὡς τὰ Λόγιά φησιν, ἡ κρίσις, οἱ δὲ ἱερεῖς Ἄγγελοι καὶ ὑποφῆται μετὰ τοὺς Ἱεράρχας εἰσὶ τῶν θείων κριμάτων, πρὸς αὐτῶν τὰ θεῖα προσηκόντως σοι διὰ μέσων τῶν λειτουργῶν, ὅταν ᾖ καιρὸς, ἐκδιδάσκου,

διδάσκου, δι' ὧν καὶ τὸ εἶναι θεραπευτὴς ἠξιώθης. Ἢ οὐχὶ καὶ τὰ ἱερὰ σύμβολα τοῦτο βοᾷ; καὶ γὰρ οὐχ ἁπλῶς ἁπάντων μὲν ἐξῄρηνται τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων· πλησιάζει δὲ μᾶλλον αὐτοῖς ὁ τῶν ἱερατελεστῶν διάκοσμος, εἶτα τῶν ἱερέων ἡ διακόσμησις, ἑπομένως δὲ τούτοις, ἡ τῶν λειτουργῶν· τοῖς δὲ τεταγμένοις θεραπευταῖς αἱ πύλαι τῶν ἀδύτων εἰσὶν ἀφωρισμέναι, καθ' ἃς καὶ τελοῦνται καὶ παρεστᾶσιν, οὐ πρὸς φυλακὴν αὐτῶν, ἀλλὰ πρὸς τάξιν καὶ ἐπίγνωσιν ἑαυτῶν μᾶλλον τῷ λαῷ παρὰ τοὺς ἱερατικοὺς πλησιάζοντες. Ὅθεν ἡ τῶν ἱερῶν ἁγία ταξιαρχία, μεταλαμβάνειν αὐτοὺς ἱεροθετεῖ τῶν θείων, ἑτέροις δηλαδὴ τοῖς ἐνδοτέροις αὐτῶν τὴν μετάδοσιν ἐγχειρίσασα· καὶ γὰρ οἱ περὶ τὸ θεῖον συμβολικῶς ἀεὶ παρεστηκότες θυσιαστήριον, ὁρῶσι καὶ ἀκούουσι τὰ θεῖα τηλαυγῶς αὐτοῖς ἀνακαλυπτόμενα, καὶ προϊόντες ἀγαθοειδῶς ἐπὶ τὰ ἔξω τῶν θείων παραπετασμάτων, τοῖς ὑπηκόοις θεραπευταῖς, καὶ τῷ ἱερῷ λαῷ, καὶ ταῖς καθαιρομέναις τάξεσιν, ἐκφαίνουσι κατ' ἀξίαν τὰ ἱερά, τὰ καλῶς ἄχραντα διαφυλαχθέντα, μέχρις ὅτε τυραννικῶς αὐτοῖς ἐπεισπηδήσας, ἐκπομπευθῆναί σοι τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων ἠνάγκασας οὐκ ἐθέλοντα, καὶ ἔχειν φῂς τὰ ἱερὰ καὶ διαφυλάττειν, καίτοι οὔτε εἶδες, οὔτε ἤκουσας, οὔτε ἔχεις τι τῶν προσηκόντων τοῖς ἱερεῦσιν, ὥσπερ οὐδὲ τὴν ἀλήθειαν τῶν Λογίων ἔγνωκας, ἑκάστης ἡμέρας αὐτὰ

TEXTVS S. DIONYSII.

portunum, diuina disce, per quos etiã, vt Monachus esses, habuisti. An verò non id ipsum sacra signa proclamant? neque enim simpliciter Sancta sanctorũ ab omnibus segregata sunt; verùm ad hæc proximè accedit ordo Pontificum, deinde distinctio Sacerdotum, quos deinceps ministrorum gradus sequitur: ordinatis autem Monachis adytorum postes sunt assignatæ, iuxta quas etiam initiantur & adstant, non ad custodiam earumdem, sed vt agnoscant tam se quàm ordinem suum magis populo præ Sacerdotibus propinquare. Vnde sacrorum sacer ordinis principatus, rerum eos diuinarum participes reddi sanctè statuit, aliis videlicet, qui iis interiores sunt, earumdem administrationem cedens: illi siquidem qui Symbolicè semper diuinum altare circumstant, intuentur & audiunt diuina clarè sibi reuelata, procedentesque beneuolè ad ea quæ sunt extra diuina velamenta, morigeris Religiosis, sacroque populo, & iis qui purgantur, ordinibus, sacra mysteria pro meritis pandunt; quæ profectò ritè immaculata tamdiu seruata sunt, donec ipse tyrannicè in ea irrupisti, & Sancta sanctorum vel inuita tibi publicari coëgisti, & habere te iactas & custodire sacra, cùm ea neque videris, neque audieris, neque quidquam habeas eorum quæ Sacerdotem decent, siquidem ne veritatem quidem Scripturarum nosti, cùm eas quotidie verbis impugnes

Ordo Monachorum.

Exaggerat Demophili inclementiam erga pœnitentẽ.

TEXTVS S. DIONYSII.

pugnes ad ſubuerſionem audientium. Etenim ſi quis gentilem principatum à Rege ſibi nequaquam demandatum vſurparet, iure merito puniretur. Quid ſi, Principe quempiam vel abſoluente vel damnāte, quiſpiam ex adſtantibus ſubditis præſumeret latam à Domino ſententiam retractare, nedum dicam proculcare ac de principatu deturbare viſus eſſet? Tu autem, ô homo, ita temerarius es in iis quæ clementis benignique [Dei] ſunt, & Pontificium ipſius inſtitutum attingũt. Atque hæc quidem dicenda eſſent, ſi quis, cùm maiora meritis ſuis attentaret, æqua tamen ſibi adferre videretur; nam neque hoc cuiquã fas eſt. Quid enim abſurdi Ozias geſſit, cùm incenſum Deo obtulit? Quid Saul, dum ſacrificauit? Quid truculenti dæmones, cùm Ieſum Dei Filium veriſſimè prædicarunt? Verùm in Theologiâ eiiciendus omnis qui aliena ſpectat, ſed quilibet ordinis ſui miniſteriis vacabit, ſoluſque Pontifex in anno ſemel ad Sancta ſanctorum introibit, idq́; cum omni quam lex præſcribit Pontificali puritate. Sacerdotes verò Sancta circumtegunt, verùm Leuitæ ne ſancta quidem attingunt, ne moriantur. Et iratus fuit furore Dominus ob Oziæ temeritatem, Mariaque leproſa fit, legiſlatori legem ponere conata: & in filios Sceuæ inſilierunt dæmonia, &, Non mittebam eos, dicit, & ipſi currebãt; & non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant;

Oſtendit quam temerariè ſe Demophilus aliorũ officio ingeſſerit.

2. Paral. 26, 19. 1. Reg. 13, 10. & 15, 12. Marci 3, 11.

1. Cor. 14, 23. Leuit. 16, 2 Heb. 9, 7.

Num. 4, 2.

2. Paral. 26, 19. Num. 12, 10.

Act. 19, 14. *Exemplis eum deterret.* Ierem. 23, 21.

λογομαχῶν, ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων. Καὶ εἰ μὲν ἐθναρχίαν τὶς ἐνεχείρησεν οὐ προστεταγμένον αὐτῷ παρὰ βασιλέως, ἐνδίκως ἐπιμωρεῖτο· καὶ εἰ τὸν ἄρχοντα δικαιοῦντά τινας, ἢ καταδικάζοντα, παρεστώς τις τῶν ὑπ' αὐτῷ ταττομένων ἐπανακρίνειν ἐτόλμησεν, οὔπω γάρ φημι προπηλακίζειν, ἅμα καὶ τῆς ἀρχῆς ἐκβάλλειν ἔδοξε; Σὺ δὲ, ἄνθρωπε, οὕτω τολμηρὸς εἶ κατὰ τὰ τοῦ πράου καὶ ἀγαθοῦ, καὶ τῆς ἱεραρχικῆς αὐτοῦ θεσμοθεσίας. Καὶ ταῦτα ἐχρῆν εἰπεῖν, ὅταν ὑπὲρ ἀξίαν τις ἐγχειρῶν, ὅμως εἰκότα πράττειν ἐδόκει· καὶ γὰρ οὐδὲ τοῦτο ἐφικτὸν οὐδενί. Τί γὰρ ἄτοπον Ὀζίας ἐποίει, θυμιῶν τῷ Θεῷ; Τί δὲ ὁ Σαοὺλ θύων; Τί δὲ οἱ τυραννικοὶ δαίμονες, ἀληθῶς θεολογοῦντες τὸν Ἰησοῦν; Ἀλλ' ἐκκήρυκτος τῇ θεολογίᾳ πᾶς ὁ ἀλλοτριοεπίσκοπος, καὶ ἕκαστος ἐν τῇ τάξει τῆς λειτουργίας αὐτοῦ ἔσται, καὶ μόνος ὁ Ἀρχιερεὺς εἰς τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων εἰσελεύσεται, καὶ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, καὶ τοῦτο ἐν πάσῃ τῇ κατὰ νόμον ἱεραρχικῇ καθαρότητι. Καὶ οἱ ἱερεῖς περιστέλλουσι τὰ ἅγια, καὶ οἱ Λευῖται οὐ μὴ ἅψονται τῶν ἁγίων, ἵνα μὴ ἀποθάνωσι. Καὶ ὠργίσθη θυμῷ Κύριος ἐπὶ τῇ προπετείᾳ Ὀζία, καὶ Μαριὰμ λεπροῦται, τῷ νομοθέτῃ θεσμοθετεῖν ἐγχειρήσασα· καὶ ἐπὶ τοὺς Σκευᾶ υἱοὺς ἐφήλατο τὰ δαιμόνια, καί, Οὐκ ἀπέστελλον αὐτοὺς, ἔφη, καὶ αὐτοὶ ἔτρεχον· καὶ οὐκ ἐλάλουν πρὸς αὐτούς, καὶ αὐτοὶ προεφήτευον·

καὶ

καὶ ὁ ἀσεβὴς, ὁ θύων μοι μόσχον, ὡς ὁ ἀποκτείνων κύνα. Καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, οὐκ ἀνέχεται τῶν παρανόμων ἡ παντελὴς τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνη, λεγόντων δὲ αὐτῶν, Ἐπὶ τῷ ὀνόματί σου δυνάμεις πολλὰς ἐποιήσαμεν, Καὶ οὐκ οἶδα ὑμᾶς, ἀποκρίνεται· πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ πάντες οἱ ἐργάται τῆς ἀνομίας. Ὥστε οὐ θεμιτὸν, ὡς τὰ ἱερὰ Λόγιά φησιν, οὐδὲ τὰ δίκαια μὴ κατ' ἀξίαν διώκειν. Προσέχειν δὲ ἕκαστον ἑαυτῷ χρὴ, καὶ μὴ τὰ ὑψηλότερα καὶ βαθύτερα ἐννοεῖν, διανοεῖσθαι δὲ μόνα τὰ κατ' ἀξίαν αὐτῷ προστεταγμένα.

Τί οὖν, φῂς, οὐ χρὴ τοὺς ἱερέας ἀσεβοῦντας, ἢ ἄλλο τι τῶν ἀτόπων ἐξελεγχομένους, εὐθύνεσθαι, μόνοις δὲ ἐξέσται τοῖς καυχωμένοις ἐν νόμῳ διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν Θεὸν ἀτιμάζειν; καὶ πῶς οἱ ἱερεῖς ἐκφάντορές εἰσι τοῦ Θεοῦ; πῶς γὰρ ἐξαγγέλλουσι τῷ λαῷ τὰς θείας ἀρετὰς, οὐκ ἐγνωκότες αὐτῶν τὴν δύναμιν; ἢ πῶς φωτιοῦσιν οἱ ἐσκοτισμένοι; πῶς δὲ τοῦ θείου μεταδώσουσι Πνεύματος, οὔτε εἰ ἔστι Πνεῦμα ἅγιον ἕξει καὶ ἀληθείᾳ πεπιστευκότες; Ἐγὼ δὲ ἀπολογήσομαί σοι πρὸς ταῦτα· καὶ γὰρ οὐκ ἐχθρὸς ὁ Δημόφιλος, οὐδὲ ἀνέξομαί σε πλεονεκτηθῆναι τῷ σατανᾷ. Καὶ γὰρ ἑκάστη τῶν περὶ Θεὸν διακόσμησις, θεοειδεστέρα τῆς μᾶλλον ἀφεστηκυίας ἐστί· καὶ φωτεινότερα ἅμα καὶ φωτιστικώτερα τὰ μᾶλλον τῷ ἀληθεῖ φωτὶ πλησιαίτερα. Καὶ μὴ τοπικῶς ἐκλάβοις, ἀλλὰ κατὰ τὴν θεοδόχον ἐπιτηδειότητα, τὸν πλησιασ-

& impius qui mihi immolat vitulum, ſicut qui occidit canem. Atque vt ſimpliciter dicam, non tolerat legum violatores perfecta Dei iuſtitia, dicentibusque illis, In nomine tuo virtutes multas fecimus, reſpondet, Neſcio vos, recedite à me omnes operarij iniquitatis. Nefas itaque, vti ſacra teſtantur Eloquia, ea etiam quæ iuſta ſunt, non ſecundùm dignitatem exequi. Oportet autem vnumquemq; ſibi ipſi attendere, ne ſe altiora profundioraque ſapiat, ſolumque intendat iis quæ ipſius meritis fuerint coordinata.

TEXTVS S. DIONYSII.
Iſa. 66, 3.
Matth. 7, 23.
1. Reg. 15, 22.
Rom. 11, 20. & 12, 3

§. 2.
Rom. 2, 23
Proponit Demophili obiectionē, eamq; elidit.
Act. 19, 2.

Quid igitur, inquis, non oportet Sacerdotes, qui vel impiè vel perperàm aliquid facere deprehenſi fuerint, corrigi, ſolisque licebit gloriantibus in lege per præuaricationem legis Deum inhonorare? & quomodo Sacerdotes Dei ſunt interpretes? quo enim pacto diuinas populo virtutes enuntiant, cùm earumdem vim ignorent? vel quomodo illuminabunt qui ſunt obtenebrati? quáve ratione diuinum Spiritum impertientur, qui neque affectu neque veritate Spiritum ſanctum crediderunt? Ad hæc tibi ipſe reſpondebo: neque enim inimicus Demophilus eſt, neque patiar te à ſatanâ circumueniri. Etenim quilibet circa Deum verſantium ordo, deiformior eſt eo qui magis diſtat; nec non lucidiora ſimul ſunt ac luculentiora, quæ veræ luci magis appropinquant. Nolim autem ex loco ſumas propinquitatem, ſed ex capacitate recipiendi

TEXTVS S. DIONYSII.

piendi Deum. Quòd si itaque Sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profectò penitus abhorret à Sacerdotum ordine ac facultate, quisquis illustrandi vi caret; multoque magis is qui necdum illustratus est. Ac mihi quidẽ nimis temerarius videtur huiusmodi, si sacerdotalia sibi vendicet, neq; metu neque pudore à diuinis supra dignitatẽ suam consectãdis arceatur, putetq; ea latere Deum, quorum sibi ipse conscius sit; & se Deum fallere existimat, quẽ falso nomine appellat Patrem, audetq; scelestas blasphemias suas (neq; enim preces dixerim) in diuinis mysteriis Christiformiter pronũtiare. Non est iste Sacerdos, non est, sed inimicus, dolosus, illusor sui, & lupus in Dominicum gregem ouinâ pelle armatus.

Quis dignè Sacerdos.

Matth. 7.

§. 3. *Ostendit quomodo non conueniat vt inferiores increpent superiores.*

At Demophilo fas non est ista corrigere. Nam si diuinus sermo iusta iustè prosequi iubet (iustè verò prosequi, est vnicuiq; quod suum est pro meritis reddere) iustè illud omnibus prosequendum, non præter suam dignitatem aut ordinem: nam & Angelis iustum est officia secundùm merita tribui, ac definiri, non tamẽ à nobis, ô Demophile, sed per eos nobis ex Deo, & ipsis ab Angelis superioribus. Ac simpliciter loquendo, in omnibus rebus per primas secundis, à rectâ æquissimaque omnium prouidentiâ, cuique iusta pro meritis tribuuntur, vt nimirum ij qui à Deo ordinati sunt Præsides aliorum, inferioribus quoque subditisque suis pro

μόν. Εἰ τοίνυν ἡ τῶν ἱερέων διακόσμησίς ἐστιν ἡ φωτιστικὴ, παντελῶς ἀποπέπτωκε τῆς ἱερατικῆς τάξεως καὶ δυνάμεως, ὁ μὴ φωτιστικός· ἢ πού γε μᾶλλον ὁ ἀφώτιστος. Καὶ τολμηρὸς ἔμοιγε δοκεῖ τοῖς τε ἱερατικοῖς ὁ τοιοῦτος ἐγχειρῶν, καὶ οὐ δέδοικεν οὐδὲ αἰσχύνεται τὰ θεῖα παρὰ τὴν ἀξίαν διώκων, καὶ οἰόμενος Θεὸν ἀγνοεῖν, ἅπερ αὐτὸς ἑαυτῷ συνέγνωκε, καὶ ἀπατᾷν νομίζει τὸν ψευδωνύμως ὑπ' αὐτοῦ Πατέρα καλούμενον, καὶ τολμᾷ τὰς ἐναγεῖς αὐτοῦ δυσφημίας (οὐ γὰρ εἴποιμι προσευχὰς) ἐπὶ τὰ θεῖα σύμβολα χριστοειδῶς ἐπιλέγειν. Οὐκ ἔστιν οὗτος ἱερεὺς, οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ δυσμενὴς, δόλιος, ἐμπαίκτης ἑαυτοῦ, καὶ λύκος ἐπὶ τὸν θεῖον λαὸν τῷ κωδίῳ καθωπλισμένος.

Ἀλλ' οὐ Δημοφίλῳ ταῦτα θεμιτὸν εὐθύνειν. Εἰ γὰρ ἡ θεολογία δικαίως τὰ δίκαια κελεύει μεταδιώκειν (δίκαια δέ ἐστι μεταδιώκειν, ὅταν ἀπονέμειν ἐθέλοι τις ἑκάστῳ τὰ κατ' ἀξίαν) δικαίως τοῦτο πᾶσι μεταδιωκτέον, οὐ παρὰ τὴν ἑαυτῶν ἀξίαν ἢ τάξιν· ἐπεὶ καὶ Ἀγγέλοις δίκαιον ἀπονέμεσθαι τὰ κατ' ἀξίαν, καὶ ἀφορίζεσθαι, πλὴν οὐ πρὸς ἡμῶν, ὦ Δημόφιλε, δι' αὐτῶν δὲ ἡμῖν ἐκ Θεοῦ, καὶ αὐτοῖς διὰ τῶν ἔτι προὐχόντων Ἀγγέλων. Καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, ἐν πᾶσι τοῖς οὖσι διὰ τῶν πρώτων τοῖς δευτέροις ἀπονέμεται τὰ κατ' ἀξίαν ὑπὸ τῆς πάντων εὐτάκτου καὶ δικαιοτάτης προνοίας. Οἱ μὲν οὖν καὶ ἄλλων ἐπάρχειν ὑπὸ Θεοῦ ταχθέντες ἀπονείμωσι μεθ' ἑαυτοὺς, καὶ τοῖς ὑπηκόοις τὰ

κατ'

κατ' ἀξίαν. Δημόφιλος δὲ λόγῳ καὶ θυμῷ, καὶ ἐπιθυμίᾳ τὰ κατ' ἀξίαν ἀφοριζέτω, καὶ μὴ ἀδικείτω τὴν ἑαυτοῦ τάξιν, ἀλλ' ἐπαρχέτω τῶν ὑφειμένων ὁ ὑπερκείμενος λόγος. Εἰ γὰρ ἐπ' ἀγορᾶς ἰδόντες οἰκέτην δεσπότῃ, καὶ πρεσβυτέρῳ νεώτερον, ἢ καὶ υἱὸν πατρὶ διαλοιδορούμενον, ἅμα καὶ ἐπιόντα, καὶ πληγὰς ἐπιτιθέντα, καὶ ἀσεβεῖν ἐδοκοῦμεν, εἰ μὴ τοῖς κρείττοσιν ἐπιδραμόντες, βοηθήσαιμεν, καίτοι γε ἴσως ἐκεῖνοι προηδίκησαν· πῶς οὐκ αἰσχυνθησόμεθα παρορῶντες ὑπὸ θυμοῦ καὶ ἐπιθυμίας ἀδικούμενον λόγον, καὶ τῆς ἐκ Θεοῦ δοθείσης ἀρχῆς ἐκβαλλόμενον, καὶ ἐν ἑαυτοῖς ἀσεβῆ καὶ ἄδικον ἀταξίαν, καὶ στάσιν, καὶ ἀκοσμίαν ἐγείροντες; Εἰκότως ὁ μακάριος ἡμῶν ἐκ Θεοῦ νομοθέτης, οὐκ ἀξιοῖ τῆς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ προΐστασθαι, τὸν μὴ τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς ἤδη προεστηκότα· καὶ γὰρ ὁ τάξας ἑαυτὸν, καὶ ἕτερον τάξει· καὶ ὁ ἕτερον, καὶ οἶκον· καὶ ὁ οἶκον, καὶ πόλιν· καὶ ὁ πόλιν, καὶ ἔθνος· καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, ὥς τὰ Λόγιά φησιν, ὁ ἐν ὀλίγῳ πιστὸς, καὶ ἐν πολλῷ πιστός ἐστι· καὶ ὁ ἐν ὀλίγῳ ἄπιστος, καὶ ἐν πολλῷ ἄπιστός ἐστιν.

Αὐτὸς μὲν οὖν ἐπιθυμίᾳ, καὶ θυμῷ, καὶ λόγῳ τὰ κατ' ἀξίαν ἀφόριζε, σοὶ δὲ οἱ θεῖοι Λειτουργοὶ, καὶ τούτοις οἱ ἱερεῖς, Ἱεράρχαι δὲ τοῖς ἱερεῦσι, καὶ τοῖς Ἱεράρχαις οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ τῶν Ἀποστόλων διάδοχοι. Καὶ εἴ που τὶς καὶ ἐν ἐκείνοις τοῦ προσήκοντος ἀποσφα-

TEXTVS S. DIONYSII.

meritis distribuant. Demophilus itaque sermoni ac furori concupiscentiæque suæ, sicut decet, modum statuat, neque ordinem violet, sed ratio superior inferioribus dominetur. Nam si, cùm in foro videmus famulum domino, seniori adolescentulum, siue etiam filium patri maledicere, simulque impetu facto plagas inferre, pietatem violare videmur, nisi accurrentes, præstantioribus opem ferre studeamus, quantumlibet illi fortasse priùs intulerint iniuriam; cur non erubescimus, qui rationem ab irâ & concupiscentiâ violari, & à tradito sibi diuinitus principatu deiici videmus atque negligimus, atque intra nosmetipsos, impiam iniustamque temeritatem ac seditionem confusionemque excitamus? Meritò sanè diuinus noster legifer, Ecclesiæ Dei præfici prohibet eum qui anteà domui suæ non benè præfuit: qui enim seipsum regere nouit, & alterum reget; qui alterũ, etiam domum; qui domum, etiam ciuitatem; & qui ciuitatem, etiam gentem: atque vt summatim dicam iuxta vocem Veritatis, qui in modico fidelis est, etiam in multo fidelis erit; & qui in modico infidelis, & in multo quoque infidelis erit.

Similitudo exempli. — *1. Timoth. 2,5. Tit. 1.* — *Luc. 16,10*

§. 4. *Subordinatio vbique seruanda est.*

Ipse ergo cupiditati ac furori, rationique, vti par est, sua cuique munia præscribe, tibi interim Diaconi, & his Sacerdotes, Præsules verò Sacerdotibus, atque Præsulibus Apostoli, successoresq; Apostolorum. At si quis fortè etiam inter illos à decoro aberra-

TEXTVS S. DIONYSII.

rit, is à ſanctis ſui ordinis corrigatur, ſic neque ordo ordini permiſcebitur, verùm in ordine quiſque ſuo & officio verſabitur. Atque hæc quidem tibi à nobis dicta ſint, vt & ſcias & facias quæ tui ſunt muneris. Porrò de illâ in virum (vt ais) impium ac perditum immanitate, neſcio quo fletu plãgam contritionẽ dilectiſſimi mei, cuius ſcilicet cultorem te arbitraris à nobis conſtitutum eſſe, niſi certè illius ſummi boni cultor es, profectò & à nobis, omnino & ab omni noſtræ religionis cultu alienus ſis neceſſe eſt. tibique iam Deus alius quærendus eſt, atque alij Sacerdotes, vt apud illos effereris potiùs quàm initieris, euadaſque amicæ tibi crudelitatis miniſter implacabilis. Scilicet nos ipſi planè ſancti & perfecti ſumus, & diuinæ clementiæ minimè egemus. *Duplex peccatum Demophili.* Numquid duplici peccato (vt Oracula loquuntur) impiorum more delinquimus, dum neſcientes in quo offendimus, noſmetipſos inſuper iuſtificamus, putamuſque nos videre, cùm minimè videamus? Obſtupuit cælum ſuper hoc, & exhorrui ego, mihique ipſe vix credo. Illudq́; tibi certum ſit, niſi tuas ipſe literas legiſſem (quas vtinam vidiſſem numquam) nemo ſanè vllis argumentis de te id mihi perſuaſiſſet, vt crederem Demophilum non arbitrari Deum *in omnes * ſuper omnia bonũ ac benignum eſſe, ſibique putare Dei miſerantis aut ſaluantis gratiâ non opus eſſe; quinimò Sacerdotes degradare,

λείη, παρὰ τῶν ὁμοταγῶν ἁγίων ἐπανορθωθήσεται, καὶ οὐ παρεισφρήσεται τάξις ἐπὶ τάξιν, ἀλλ' ἕκαστος ἐν τῇ τάξει αὐτοῦ καὶ ἐν τῇ λειτουργίᾳ αὐτοῦ ἔσται. Τοσαῦτά σοι παρ' ἡμῶν ὑπὲρ τοῦ εἰδέναι καὶ δρᾶν τὰ ἑαυτοῦ. Περὶ δὲ τῆς εἰς τὸν ἄνδρα τόν, ὥς φῄς, ἀσεβῆ καὶ ἀλιτήριον ἀπανθρωπίας, οὐκ οἶδ' ὅπως κλαύσομαι τὸ σύντριμμα τοῦ ἀγαπητοῦ μου· τίνος γὰρ οἴῃ θεραπευτὴς ὑφ' ἡμῶν τετάχθαι· καὶ γὰρ εἰ μὴ τοῦ ἀγαθοῦ, πάντως τοῦ καὶ ἡμῶν ἀνάγκη σε εἶναι καὶ τῆς καθ' ἡμᾶς θεραπείας ὅλης ἀλλότριον, καὶ ὥρα σοι καὶ Θεὸν ζητῆσαι, καὶ ἱερέας ἑτέρους, καὶ παρ' ἐκείνοις θηριωθῆναι μᾶλλον ἢ τελεσθῆναι, καὶ εἶναι τῆς φίλης ἀπανθρωπίας ἀμείλικτον ὑπηρέτην. Ἆρα γὰρ ἡμεῖς αὐτοὶ πρὸς τὸ παντῇ ἅγιον ἀποτετελέσμεθα, καὶ οὐ δεόμεθα τῆς θείας ἐφ' ἑαυτοῖς φιλανθρωπίας; ἢ τὴν διπλῆν ἁμαρτίαν, ὡς τὰ Λόγιά φησι, κατὰ τοὺς ἀσεβεῖς ἁμαρτάνομεν, οὐκ εἰδότες ἐν τίνι προσκόπτομεν, ἀλλὰ καὶ δικαιοῦντες ἑαυτούς, καὶ οἰόμενοι βλέπειν, ἀληθῶς δὲ οὐ βλέποντες; Ἐξέστη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ τούτῳ, καὶ ἔφριξα ἐγώ, καὶ διαπιστῶ ἐμαυτῷ. Καὶ εἰ μὴ τοῖς σοῖς ἐνέτυχον, ὡς οὐκ ὤφελον, αὖ ἴσι γράμμασιν, οὐκ ἂν ἐπείσθην, εἴπερ ἄλλοι μέ τινες περὶ σοῦ πείθειν ἠξίουν, ὅτι Δημόφιλος οἴεται τὸν ἀγαθὸν * ἐπὶ πάντα Θεόν, οὐκ *εἰς πάντας* εἶναι καὶ φιλάνθρωπον, οὔτε ἑαυτὸν δεῖσθαι τοῦ ἐλεοῦντος, ἢ σώζοντος· ἀλλὰ καὶ τοὺς ἱερεῖς ἀποχειροτονεῖ,

τοὺς

τοὺς ἠξιωμένους ἀγαθότητι φέρειν τὰ ἀγνοήματα τοῦ λαοῦ, καὶ εὖ εἰδότας, ὅτι καὶ αὐτοὶ περίκεινται ἀσθένειαν. Ἀλλ' ὁ θεαρχικὸς ἱεροτελεστὴς ἑτέραν πεπόρευται· καὶ ταῦτα τῶν ἁμαρτωλῶν, ὡς τὰ ἱερὰ Λόγιά φησιν, ἀφωρισμένος, καὶ τὴν εἰς ἑαυτὸν ἀγάπης ἀπόδειξιν ποιεῖται, τὴν τῶν προβάτων ἐπιεικεστάτην ποιμαντικήν. Καὶ πονηρὸν μὲν ἀποκαλεῖ, τὸν μὴ ἀφέντα τῷ συνοικέτῃ τὴν ὀφειλήν, μή τε μερικῶς μεταδόντα τῆς δωρηθείσης αὐτῷ παμπόλλης ἀγαθότητος· δικαιοῖ δὲ τῶν οἰκείων ἀπολαύειν αὐτόν, ὅπερ ἀναγκαῖον εὐλαβηθῆναι καὶ ἐμὲ καὶ Δημόφιλον. Καὶ γὰρ καὶ τοῖς εἰς αὐτὸν ἀσεβοῦσιν, ἐν αὐτῷ τῷ πάσχειν ἄφεσιν προσάγει παρὰ τοῦ Πατρός, ἐπιτιμᾷ δὲ καὶ τοῖς μαθηταῖς, ὅτι καὶ ἀσεβείας ἀνηλεῶς ἠξίωσαν κρῖναι τοὺς ἐκδεδιωκότας αὐτὸν Σαμαρείτας· Τοῦτο δὴ τὸ μυριόλεκτον σου τῆς θρασείας ἐπιστολῆς, ἄνω γὰρ καὶ κάτω θρυλλεῖς, ὡς οὐχ ἑαυτὸν ἀλλὰ τὸν Θεὸν ἐξεδίκησας. Διὰ κακίας, εἰπέ μοι, τὸν ἀγαθόν;

Ἄπαγε, οὐκ ἔχομεν ἀρχιερέα μὴ δυνάμενον συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ ἄκακός ἐστι καὶ ἐλεήμων. Οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει, καὶ αὐτὸς πρᾶος, καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. Ὥστε οὐκ ἀποδεξόμεθά σου τὰς ἀζηλώτους ὁρμάς, οὐδ' εἰ μυριάκις ἀναλαβοῖς τὸν Φινεὲς καὶ τὸν Ἠλίαν· ταῦτα γὰρ ἀκούοντα τὸν Ἰησοῦν οὐκ ἤρεσκον, καὶ

TEXTVS S. DIONYSII.

qui meruerunt pro suâ benignitate plebis ignorantias tolerare, probè cognoscentes, quoniam & ipsi circumdati sunt infirmitate. At diuino-principalis ille Pontifex longè aliam viam ingressus est, idque cùm, vt sacra testantur Eloquia, segregatus esset à peccatoribus, & hoc eximiæ erga se dilectionis argumentum statuit, si oues eius mansuetissimâ gubernatione pascamus. Atque nequam eum appellat, qui conseruo suo debitum minimè dimiserat, neque in partem saltem indultæ sibi largissimæ benignitatis venire permiserat; iusteque eum propriis contentum esse iubet, quod & mihi etiam Demophilo metuere necesse est. Quippe suis etiam occisoribus Christus passionis tempore veniam à Patre precabatur, discipulos verò increpabat, quòd persequentes se Samaritanos impietatis crudeliter condemnari petiuissent. Hoc vtique millies in impudenti istâ Epistolâ tuâ inculcatur, dum susque deque repetis, te non te ipsum, sed Deum vltum esse. Verùm dic amabò, per malitiam eum qui summè bonus est vindicas?

Heb. 7, 26. Proponit exemplum Christi mansuetissimi Pastoris. Ioan. 10, 14. Luc. 15, 6. Mat. 18, 30. Luc. 23, 34. Luc. 9, 54. *Mala vltio Demophili.*

§. 5.

Absit, non habemus Pontificem qui compati non possit infirmitatibus nostris, sed & innocens & misericors est. Non contendet, neque clamabit; atqui ipse mitis est, imò ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Nequaquam itaque probabimus minimè zelandos conatus tuos, etiamsi millies Phineen & Heliam iactites: hæc enim IESV, à discipulis mansueti ad-

Heb. 4, 15. Matth. 12, 19. Isa. 41, 1. 1. Ioan. 2, 2. *Christi mansuetudo potiùs imitanda, quàm zelus Heliæ.*

TEXTVS S.DIONYSII.

adhuc benignique spiritus expertibus, audienti minimè placuerũt. Quin & noster quoque diuinissimus Præceptor in mansuetudine docet eos qui Dei doctrinæ aduersantur: doceri quippe ignaros decet, non suppliciis affici; quemadmodum & cæcos minimè cruciamus, sed manu ducimus. Contrà verò tu viro respirare in lucem inchoanti colaphum impingendo obstitisti, accedentemq; summâ cum verecundiâ, temerariè repulisti, illũ, quem (quod horrore dignum est) Christus in montibus errabundum fugientemq; reuocat, vixq; repertum in humeros tollit. Ne, quęso, tam malè nobis ipsis consulamus, neq; gladiũ in nosmetipsos impellamus: siquidem qui alios iniuriis violare vel contrà fouere beneficiis nituntur, si fortè quæ voluerint, facere nequiuerint, sibi tamen aut malitiã, secundùm propositum suum, aut bonitatem consciscunt, adeoque vel virtutibus diuinis, vel ferocibus passionibus implebuntur. Atque illi quidem sanctorum Angelorum sectatores ac comites & hîc & ibi cum omni pace, atq; à malis omnibus libertate, in sempiterno sæculo beatissimam illam requiem hereditabunt, quodque maximum est bonorũ omnium, cum Deo semper erunt: hi verò, qui à diuinâ simul ac suâ pace decidunt, cùm hîc tum post mortem cum atrocibus istis dæmonibus futuri sunt. Quamobrem nobis summo studio curandum est, vt bono Deo adhæreamus, sem-

2.Tim.2, 24.

Luc. 15, 6.

Quæ sit mansuetorum & crudelium retributio.

τοῦ πρᾳέος τότε καὶ ἀγαθοῦ πνεύματος ἀμέτοχοι μαθηταί. Καὶ γὰρ καὶ ὁ θειότατος ἡμῶν ἱεροθέτης, ἐν πρᾳότητι διδάσκει τοὺς ἀντιδιατιθεμένους τῇ διδασκαλίᾳ τοῦ Θεοῦ· διδάσκεσθαι γὰρ, οὐ τιμωρεῖσθαι χρὴ τοὺς ἀγνοοῦντας, ὥσπερ καὶ τυφλοὺς οὐ κολάζομεν, ἀλλὰ καὶ χειραγωγοῦμεν. Σὺ δὲ καὶ ἀναβλέπειν ἐπὶ τὸ φῶς ἀρχομένῳ τἀνδρὶ κατὰ τῆς κόρρης δίδους ἐντῶθεις, καὶ μετὰ πολλῆς αἰδοῦς προσιόντα, θρασέως ἀπελάκτιζες (τοῦτο δὴ τὸ πολλῆς φρίκης ἄξιον) ὃν ὁ Χριστὸς ἀγαθὸς ὢν, ἐπὶ τὰ ὄρη πλανώμενον ἐπιζητεῖ, καὶ ἀποφεύγοντα προσκαλεῖται, καὶ εὑρεθέντα μόλις ἐπὶ τῶν ὤμων αἴρει. Μὴ παρακαλῶ, μὴ κακῶς οὕτω περὶ ἑαυτῶν βουλευώμεθα, μηδὲ εἰς ἑαυτοὺς ὠθῶμεν τὸ ξίφος· οἱ μὲν γὰρ ἀδικεῖν τινας, ἢ τοὐναντίον εὐεργετεῖν ἐπιχειροῦντες, ἐκείνοις μὲν οὐ πάντως ἔδρασαν ἅπερ ἠθέλησαν, ἑαυτοῖς δὲ κακίαν ἢ ἀγαθότητα συνοικήσαντες, ἢ θείων ἀρετῶν, ἢ ἀπθάσων ἔμπλεοι παθῶν ἔσονται. Καὶ οὗτοι μὲν Ἀγγέλων ἀγαθῶν ὀπαδοὶ καὶ ξυνοδοιπόροι, καὶ ἐνθάδε καὶ ἐκεῖ σὺν πάσῃ εἰρήνῃ καὶ ἐλευθερίᾳ πάντων κακῶν, εἰς τὸν ἀεὶ ὄντα αἰῶνα τὰς μακαριωτάτας ἀποκληρώσονται λήξεις, καὶ μετὰ Θεοῦ ἀεὶ ἔσονται, τὸ πάντων ἀγαθῶν μέγιστον· οὗτοι δὲ ἀποπεσοῦνται τῆς θείας ἅμα καὶ τῆς ἑαυτῶν εἰρήνης, καὶ ἐνθάδε καὶ μετὰ θάνατον ἅμα τοῖς ἀνημέροις δαίμοσιν ἔσονται. Οὗ δὴ ἕνεκα ἡμῖν ἡ πολλὴ σπουδὴ μετὰ Θεοῦ τοῦ ἀγαθοῦ γενέσθαι, καὶ εἶναι

σὺν

σὺν Κυρίῳ πάντοτε, καὶ μὴ τοῖς κακοῖς ἐκ τοῦ δικαιοτάτου συναφορισθῆναι τὰ κατ' ἀξίαν ἐξ ἑαυτῶν ὑπομένοντας, ὅπερ ἐγὼ πάντων μάλιστα φοβοῦμαι, καὶ εὔχομαι εἶναι πάντων κακῶν ἀμέτοχος. Καὶ εἰ βούλει, καὶ θείας ὁράσεως ἁγίου τινὸς ἀνδρὸς ἐπιμνησθήσομαι· καὶ μὴ γελάσῃς, ἀληθῆ γὰρ ἐρῶ.

Γενόμενόν με ποτε κατὰ τὴν Κρήτην, ὁ ἱερὸς ἐξεναγώγησε Κάρπος, ἀνὴρ καὶ εἴ τις ἄλλος, διὰ πολλὴν καθαρότητα νοῦ πρὸς θεοπτίαν ἐπιτηδειότατος. Καὶ γοῦν οὐδὲ ταῖς ἁγίαις τῶν μυστηρίων τελεταῖς ἐνεχείρει, μὴ πρότερον αὐτῷ κατὰ τὰς προτελείους εὐχὰς ἱερὰς, καὶ εὐμενοῦς ὁράσεως ἐπιφαινομένης. Ἔλεγεν οὖν, ὅτι λελυπηκότος αὐτόν ποτε τῶν ἀπίστων τινός· ἡ λύπη δὲ ἦν, ὅτι τῆς ἐκκλησίας ἐκεῖνός τινα πρὸς τὸ ἄθεον ἀπεπλάνησεν, ἔτι τῶν Ἱλαρίων ἡμερῶν αὐτῷ τελουμένων. Δέον ἀμφοτέρων ἀγαθοπρεπῶς ὑπερεύξασθαι, καὶ Θεὸν σωτῆρα συλλήπτορα λαβόντα, τὸν μὲν ἐπιστρέψαι, τὸν δὲ ἀγαθότητι νικῆσαι· καὶ μὴ διαλιπεῖν νουθετοῦντα διὰ βίου παντὸς, ἄχρις εἰς τὸ σήμερον καὶ οὕτως ἐπὶ τὴν θείαν αὐτοὺς ἀγαγεῖν γνῶσιν, ὡς ἂν ἤδη καὶ τῶν ἀμφισβητησίμων αὐτοῖς κρινομένων, καὶ τῶν ἀλόγως θρασυνομένων ἐννόμῳ δίκῃ σωφρονεῖν ἀναγκαζομένων· ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ μὴ πρότερον τοῦτο παθὼν, οὐκ οἶδ' ὅπως τότε πολλήν τινα τὴν δυσμένειαν καὶ τὴν πικρίαν ἐντήξας ἐκοιμήθη

perque cum Domino versemur, & non cum malis iustissimo Dei iudicio segregemur, atque ex nobis ipsis pœnas debitas subeamus, quod ego maximè omnium timeo, malorumq; omnium exors esse percupio. Quod si placet, diuinam quoque Sancti cuiusdam viri visionem memorabo: neque verò rideas, vera enim dicam. TEXTVS S. DIONYSII.

Cùm aliquando in Cretam venissem, sanctus Carpus me hospitio excepit, vir, si quis alius, ob insignem mentis puritatem, ad Dei contemplationẽ aptissimus. Neque enim sacros mysteriorum ritus auspicabatur, nisi priùs ipsi inter præparatorias orationes sacra quædam & propitia visio apparuisset. Ipsum ergo (vti referebat) infidelis quispiam contristauerat aliquando, tristitiæque causa erat, quòd ille ab Ecclesiâ quemdã ad infidelitatis errorem seduxisset; cùm adhuc celebritatis quæ ab hilaritate nomen accepit, dies agerentur. Ac pro vtrisque beneuolè Deus fuisset exorandus, vt auxilio salutari alterum quidem ab errore conuerteret, alterum verò bonitate superaret; neque desistendum fuisset ab eorum per totam vitam admonitione, donec tandem hodie vel sic ad diuinam cognitionem promouerentur, tumque demum illis quæ ambigua videbantur & obscura, patescerent, & ab iis quæ præter rationem temerariè commiserat, resipiscere legitimâ veritate cogerentur: nescio quo pacto, cùm id illi anteà numquam euenisset, tunc vehementi quadam indi-

§. 6. *Zelus & visio mirabilis S. Carpi.*

Hilaria festa lætitia.

TEXTVS S. DIONYSII.

gnatione & amaritudine cõceptâ obdormierat (vesper enim erat) circa mediam verò noctem, quo tempore ad diuinos hymnos euigilare consueuerat, experrectus quidem surgit, cùm somnos parum quietos crebroq; interruptos, nec absq; perturbatione cepisset; stans tamen ad diuina colloquia, non satis religiosè tristabatur, grauiterque ferebat, iniquum esse dicens impios adhuc homines, rectasque Domini vias peruertẽtes viuere. Et hæc dicens, precabatur Deum, vt semel amborum vitam fulgetro quopiam immisericorditer abrumperet. His dictis, repentè se vidisse referebat domũ, in quâ consistebat, primùm conquassatam à summo vertice, bifariamq; diuisam, & quemdã ante se ingentis luminis rogum, eumq; (sub dio enim iam locus ille videbatur) è cælo ad se vsque delatum; cælum autem ipsum apertum, & in cæli cardine IESVM innumeris illi humanâ specie Angelis adstantibus. Atque ista quidem sursum conspexisse, miratumq; fuisse. Porrò deorsum respectando Carpus se vidisse asserebat, ipsum quoque pauimentum instar vastę cuiusdam tenebricosissimæq; voraginis diffissum, illosque viros quos diris deuouerat, ante se ad os voraginis trementes stare, ac miserabiles tamquam iam iamque præ pedũ lubricitate collapsuros: infernè autem è voragine serpentes emergere cernebat, circa tam labiles illorum pedes, modò qui-

κατεδαρθη μὲν, οὔπω καλῶς ἔχων (ἑσπέρα γὰρ ἦν) περὶ δὲ μέσας νύκτας, (εἰώθει γὰρ εἰς τήνδε τὸν καιρὸν αὐτὸς ἐφ᾽ ἑαυτοῦ πρὸς τοῖς θείοις ὕμνοις ἐγρηγορέναι) διανίστατο μὲν οὐδὲ τῶν ὕπνων αὐτῶν, πολλῶν γε ὄντων, καὶ ἀεὶ ἐγκοπτομένων, ἔξω ταραχῆς παραπολαύσας· ἑστὼς δὲ ὅμως εἰς τὴν θείαν ὁμιλίαν οὐχ ὁσίως ἠνιᾶτο, καὶ ἐδυσχέραινεν, οὐκ εἶναι δίκαιον λέγων, εἰ ζῶεν ἄνδρες ἄθεοι, καὶ διαστρέφοντες τὰς ὁδοὺς Κυρίου τὰς εὐθείας. Καὶ ταῦτα λέγων, ἐδεῖτο τοῦ Θεοῦ πρηστῆρί τινι τὰς ἀμφοτέρων εἰσάπαξ ἀνηλεῶς ἀποπαῦσαι ζωάς. Ταῦτα δὲ εἰπών, ἔλεγε δόξαι ἰδεῖν ἄφνω τὸν οἶκον, ἐν ᾧπερ εἱστήκει, διασεισθέντα πρότερον, καὶ ἐκ τῆς ὀροφῆς εἰς δύο μέσον διαιρεθέντα, καί τινα πυρὰν πολύφωτον ἐπίπροσθεν αὐτοῦ, καὶ ταύτην (ἐδόκει γὰρ λοιπὸν ὕπαιθρος ὁ τόπος) ἐκ τοῦ οὐρανίου χώρου μέχρις αὐτοῦ καταφερομένην· τὸν δὲ οὐρανὸν αὐτὸν ἀναπεπταμένον, καὶ ἐπὶ τῷ νώτῳ τοῦ οὐρανοῦ τὸν Ἰησοῦν ἀπείρων ἀνθρωποειδῶς αὐτῷ παρεστηκότων Ἀγγέλων. Καὶ ταῦτα μὲν ἄνωθεν ὁρᾶν, καὶ αὐτὸν θαυμάζειν. Κάτω δὲ κύψας ὁ Κάρπος, ἰδεῖν ἔφη καὶ τοὔδαφος αὐτὸ πρὸς ἀχανές τι χάσμα καὶ σκοτεινὸν διερρηγμένον, καὶ τοὺς μὲν ἄνδρας ἐκείνους, οἷς ἐπηρᾶτο, πρὸ αὐτοῦ κατὰ τὸ στόμιον ἑστηκέναι τοῦ χάσματος ὑποτρόμους ἐλεεινούς, ὅσον οὔπω καταφερομένους ὑπὸ τῆς τῶν οἰκείων ποδῶν ἀστασίας· κάτωθεν δὲ ἀπὸ τοῦ χάσματος ὄφεις ἀνέρπειν, καὶ περὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ὑποκινουμένους, ποτὲ μὲν ἀποσύρειν, ἐπανε-

ἐπανελκομένους ἅμα καὶ ἐπιβαροῦντας, καὶ ἐπανέλκοντας, ποτὲ δὲ τοῖς ὀδοῦσιν ἢ ταῖς οὐραίοις ὑποτύφοντας, ἢ ὑπογαργαλίζοντας, καὶ διὰ παντὸς εἰς τὸ ἀχανὲς ἐμβαλεῖν μηχανωμένους· εἶναι δὲ καὶ ἄνδρας τινὰς ἐν μέσῳ τοῖς ὄφεσι, μετὰ τῶν ἀνδρῶν συνεπιθεμένους, διαδονοῦντας ἅμα, καὶ ὑπωθοῦντας, καὶ καταπαίοντας· ἐδόκουν δὲ εἶναι πρὸς τὸ πεσεῖν ἐκεῖνοι, τὰ μὲν ἄκοντες, τὰ δὲ ἑκόντες, ὑπὸ τοῦ κακοῦ κατ᾽ ὀλίγον βιαζόμενοι ἅμα καὶ πειθόμενοι. Ἔλεγε δὲ ὁ Κάρπος, ἑαυτὸν ἥδεσθαι κάτω βλέποντα, τῶν ἄνω δὲ ἀμελεῖν· δυσχεραίνειν δὲ καὶ ὀλιγωρεῖν, ὅτι μὴ πεπτώκασιν ἤδη, καὶ τῷ πράγματι πολλάκις ἐπιθέμενον καὶ ἀδυνατήσαντα, καὶ ἀχθεσθῆναι καὶ ἐπαράσασθαι. Καὶ ἀνανεύσαντα μόλις, ἰδεῖν μὲν αὖθις τὸν οὐρανόν, ὥσπερ καὶ πρότερον ἑωράκει, τὸν δὲ Ἰησοῦν, ἐλεήσαντα τὸ γινόμενον, ἐξαναστῆναι τοῦ ὑπερουρανίου θρόνου, καὶ ἕως αὐτῶν καταβάντα, καὶ χεῖρα ἀγαθὴν ὀρέγειν, καὶ τοὺς Ἀγγέλους αὐτῷ συνεπιλαμβανομένους, ἄλλον ἄλλοθεν ἀντέχεσθαι τοῖν ἀνδροῖν, καὶ εἰπεῖν τῷ Κάρπῳ τὸν Ἰησοῦν· Τῆς χειρὸς ἤδη προτεταμένης παῖε κατ᾽ ἐμοῦ λοιπόν, ἕτοιμος γάρ εἰμι καὶ αὖθις ὑπὲρ ἀνθρώπων ἀνασωζομένων παθεῖν, καὶ προσφιλές μοι τοῦτο, μὴ ἄλλων ἁμαρτανόντων ἀνθρώπων. Πλὴν ὅρα εἰ καλῶς ἔχει σοι, τὴν ἐν τῷ χάσματι καὶ μετὰ τῶν ὄφεων μονὴν ἀνταλλάξασθαι τῆς μετὰ Θεοῦ καὶ τῶν ἀγαθῶν καὶ φιλανθρώπων Ἀγγέλων. Ταῦτά ἐστιν ἃ ἐγὼ ἀκηκοὼς πιστεύω ἀληθῆ εἶναι.

dem in gyrũ actos, & implicitos simul pertrahentes, modò quoq; dentibus & caudis incendentes ac demulcentes, omnibusque modis eos in voraginem præcipites dare molientes: fuisse autem & viros quosdam in medio, qui aduersus eos vnà cum serpentibus impetum facerent, exagitando vnà, & impellendo atque feriendo; visos autem esse viros illos lapsui appropinquare, partim quidem inuitos, partim verò sponte, à malo ita sensim coactos & simul persuasos. Referebat autem Carpus, se, dum inferiora respiceret, fuisse delectatum, superiora negligendo; cùm verò grauiter & indignè ferret illos necdum cecidisse, atque ad hanc rem sæpè frustrà incubuisset, indignatum iis & imprecatum esse. Et cùm vix tandem reuocatis ad superna luminibus, vidisset quidem denuò sicut priùs cælum, Iesum verò, miseratum quod fiebat, desuper cælesti throno descendisse, atque ad ipsos accedentem benignam iis manum porrexisse, Angelosq; vnà opem conferentes, alterum virorum ex alterâ parte retinuisse, Iesumque ipsi Carpo dixisse: Manu iam extensâ percute me, siquidem adhuc paratus sum denuò pro hominibus saluandis pati, illudque libentissimè, ne demum alij homines peccent. Ceterùm considera, num tibi expediat hãc istiusmodi hiatus & cum serpentibus mansionem Dei ac bonorum clementissimorumque Angelorum consortio præferre. Hæc sunt quæ ego cùm audiuerim, vera esse credo.

TEXTVS S. DIONYSII.

A N-

ANNOTATIONES CORDERII.

ANNOTATIONES CORDERII.

§. I. *Mansuetudo Moysis laudata.*

HEBRÆORVM *Historiæ.* &c.] Alludit ad cap. Num. 12, 3. vbi de mansuetudine Moysis legitur: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terrâ.* Atque ideò, inquit, Dei famulus nuncupatur, ceterisque Prophetis dignior ad videndum Deum, vti ibidem Scriptura subiungit. ver. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo meâ fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, & palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.*

Quin imò cùm aduersus eum & Aaronem, &c.] Agit hîc de rebellione Core, Dathan & Abiron, quæ describitur Num. 16. Quòd autem Dionysius ait Moysem contestatum se insontem esse calamitatum omnium quæ subditis euenissent, non legitur in Scripturâ; quare verosimile est ipsum hoc ex secretioribus quibusdam, qui apud Sacerdotes asseruabantur, Moysaicæ legis libris hausisse.

Dauidis clementia.

Quid porrò Dauid, &c.] Exempla mansuetudinis Dauid obuia sunt in libro primo Regum, præsertim cap. 24. vbi Saüli ipsum ad mortem quærenti, iam sibi in manus tradito, nihil nocuit, sed ab eo manum abstinuit. Ob quam mansuetudinem dictus est vir secundùm cor Dei, 1. Reg. 16, 13. Psal. 88, 21. Act. 13, 22.

Quin imò sancitum erat.] Scilicet Exodi 23, 4. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum,* &c. De Iob autem vide librum eius per totum, veræ patientiæ & mansuetudinis exemplum viuum. Historiam verò Ioseph, & patientiam ac mansuetudinem ipsius, vide Genes. 37. de Abel verò Gen. 4. Porrò de Angelorum benignitate exempla extant in lib. Cæl. Hierar. cap. 5. 6. 7. & alibi passim. Christi autem benignitatis plenum est Euangelium. Alludit autem hîc potissimùm ad parabolam filij prodigi, Lucæ 15. & ad præceptum de diligendis inimicis, Matth. 5, 44.

Antiquus vsus confessionis.

Tu verò accidentem Sacerdoti, &c.] Vnde colligere licet, salubrem & religiosam humilium accusationum confessionumque disciplinam iam inde à temporibus Apostolorum fuisse à Christianis frequentatam, ad cadentium erectionem, & iustificationem peccantium.

Et si Dei est iudicium.] Iuxta illud Isaiæ 30, 18. *Deus iudicij Dominus.* Et Pauli ad Rom. 2, 2. *Scimus enim quoniam iudicium Dei est.*

Sacerdotes Angeli.

Sacerdotes autem Angeli sunt.] Malachiæ 2, 7. *Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Vide hac de re cap. 12. Cæl. Hierar.

Ordinatis autem Monachis, &c.] Ritum Monasticæ consecrationis, & in quo gradu Ecclesiæ Monachi sint, vide superiùs in lib. de Eccles. Hier. cap. 6. & ibidem nostras Annotationes, & Scholia S. Maximi.

Ozia & Saülis punitio.

Quid absurdi Ozias gessit?] Alludit ad cap. 26, 19. lib. 2. Paralip. vbi Ozias leprâ percussus legitur. De superbâ verò Saülis præsumptione habetur 1. Reg. 13, 14. ob quam à Deo reiectus fuit. De dæmonibus autem Iesum prædicantibus legitur Marci 3, 11.

Item Mariæ sororis Moysis & filiorum Sceuæ.

Solusque Pontifex in anno semel ad Sancta sanctorum introibit.] Habetur hoc Leuitici c. 16, 2. vbi & officium eius describitur: vti Sacerdotum ac Leuitarum, Numerorum cap. 4. Maria verò soror Moysi leprâ percutitur, Num. cap. 12, 10. De filiis autem Sceuæ antiquum habet Scholium, eos, cùm manus imponendi potestatem non haberent, exorcismis imprecationibusque temerariè abusos, protinus inuasisse dæmonia.

§. 2. *Deiformitas ex vicinitate ad Deum.*

Quilibet circa Deum versantium ordo deiformior est eo qui magis distat.] Idem docet c. 7. Cælest. Hierarchiæ §. 2. vbi primæ hierarchiæ deiformitatem ac dignitatem colligit ex eiusdem cum Deo vicinitate, & immediatiori illustratione. Capite autem 4. dicit, naturas istas esse proximas diuinitati, quæ multipliciter illam participarunt.

Quòd si itaque Sacerdotum ordo illustrandi vim habet.] Vide cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Parte 1. §. 5. 6. & 7. vbi demonstratum est, Pontificum quidem ordinem perficiendi vim habere, ac reipsâ perficere; Sacerdotum autem, illuminandi vim habere, atque illuminare; ministrorum verò, seu Diaconorum, expiandi ac discernendi facultatem obtinere.

§. 3. *Iustum iustè agendum.*

Nam diuinus sermo iusta iustè prosequi iubet.] Alludit ad Deuteronomij cap. 16, 20. vbi dicitur: *Iustè quod iustum est persequêris.* ad quem locum Simeon in Catenâ

nâ LXV. Patrum Græcorum in Lucam cap. 1. num. 7. *Cùm bonum*, inquit, *non sit bonum, si non fiat benè.*

Meritò sanè diuinus noster legifer, &c.] Intelligit S. Paulum, scribentem ad Timotheum, Epist. 1. cap. 3, 2. vbi Episcopi conditiones describit dicens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*, &c.

§. 4. *Vel duplici peccato, impiorum more delinquimus.*] Alludit ad Ieremiæ cap. 2, 13. *Duo mala fecit populus meus*, &c. & ver. 35. *Et dixisti: Absque peccato, & innocens ego sum, & propterea auertatur furor tuus à me. Ecce ego iudicio contendam tecum, eò quòd dixeris: Non peccaui.*

Christo grata est mansuetudo. *Si oues eius mansuetissimâ gubernatione pascamus.*] Alludit ad Ioannis cap. 21, 15. vbi Christus trinâ interrogatione Petri dilectionem explorat, & singulis eius responsis subiungit, *Pasce agnos meos, pasce oues meas.*

Atque nequam eum appellat, &c.] Parabolam hâc de conseruo vide apud S. Matthæum cap. 18, 23. Quòd autem Christus pro suis occisoribus rogarit, narrat S. Lucas cap. 23, 34. Qui etiam cap. 9, 55. scribit, Christum increpasse discipulos, cùm vellent deleri Samaritanos, quòd Christum suscipere noluissent.

§. 5. *Non habemus Pontificem*, &c.] Est Apostoli ad Hebræos 4, 7. vbi illos ad fiduciam consequendæ veniæ hortatur. Illud autem, *Non contendet, neque clamabit*, est Matthæi 12, 19. ex loco Isaiæ 42, 1. Illud verò, *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, est ex 1. Epistolâ Ioannis cap. 2, 2.

Zelus Phinees & Elia. *Etiamsi millies Phineem & Eliam iactites.*] De Phinee zelo habetur Numerorum cap. 25, 7. De Heliâ legitur 3. Regum 18, 40. iussisse quadringentos & quinquaginta vanos Sacerdotes occidi: & de vtroq; liber 1. Machabæorum c. 2, 54. ait, *Phinees pater noster zelando zelum Dei, accepit testamẽtum sacerdotij æterni.* ver. 58. *Elias dum zelat zelum legis, receptus est in cælum.* Sanctus verò Paulus Dionysij præceptor, tamquam Doctor noui Testamenti quod in lege charitatis fundatum est, 2. ad Timotheum 2, 24. *Seruum autem Domini*, inquit, *non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestiâ corripientem eos qui resistunt veritati.* ANNOTATIONES CORDERII.

Cùm aliquando in Cretam venissem, S. Carpus, &c.] Hic est Carpus, cuius B. Paulus meminit in 2. Epist. ad Timotheum c. 4, 13. dicens: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.* §. 6. *S. Carpus quis.*

Neq; enim sacros mysteriorum ritus, &c.] Vbi nota, olim, priusquam ad altare se conferrent Sacerdotes, solitos fuisse certas ritu quodam pio adhibere precationes præparatorias, quæ dicebantur προτέλεια; vbi Interpres Pachymeres vocem hanc putat è vetusto more ductam. Nam προτελείας, inquit, preces eas dixere Athenienses, quæ vnà cum hostiis nuptias præcurrebant. Τέλος enim vocabant γάμον, hoc est nuptias. Nunc igitur cùm hostia sit offerenda, quâ nulla maior aut sanctior cogitari potest, quæque sponsum deducere debet ad animarum bonum & singularem felicitatem; sanè opportunæ fuerint προτέλειαι, & nonnullæ precationes, quibus Sacerdotes se parent ad sacrificandum. *Antiqua ratio se ad sacrũ praeparandi.*

Cumq; celebritatis, quæ ab hilaritate nomen accepit.] Hilaria antiqui diem æquinoctij verni colentes appellarunt, vt inquit Macrobius, nempe octauum Calendas Aprilis, quo fit æquinoctium vernum, quo primùm tempore sol diem longiorem nocte protendit. De his meminit Flauius Vopiscus in Aureliano. *Hilaria festa quæ.*

Circa mediam verò noctem, &c.] Vnde collige, morem fuisse iam inde à primis Ecclesiæ temporibus, vt Sacerdotes de nocte ad orandum surgerent. Carpus enim Episcopus Cretæ, Apostolorum auditor, circa mediam noctem, vt hîc S. Dionysius memorat, vigilare solebat πρὸς τοὺς θείους ὕμνους, *ad diuinos hymnos* pie & religiose Deo concinendos. S. Chrysostomus in cap. 5. Isaiæ nominat παννυχίδας ἱερὰς, *sacra peruigilia, diem*, inquit, *cum nocte copulãtia.* Quæ à mediâ nocte inchoata fuisse, ibidem his verbis significat: *Omnes somni tyrannidem generosâ contẽtione superantes*, ἐκ μεσονυκτίων, *à medio noctis vsq; ad lucem perseuerabant.* Id è fonte Apostolico manasse, dicit perspicuè S. Maximus hunc locum exponens, quem vide in Scholiis. *Antiquus Ecclesiæ noctu psallendi ritus.*

SCHOLIA S. MAXIMI.



ΗΜΟΦΙΛΟΣ οὗτος μοναχὸς ἦν, ὡς δηλοῖ ἡ ἐπιγραφή· θεραπευτὰς γὰρ, τοὺς μοναχοὺς ἐκάλουν. Τυραννήσας δὲ καὶ Πρεσβυτέρου αὐ-



EMOPHILVS hic Monachus erat, vt indicat inscriptio: Therapeutas enim Monachos appellabant. Is aut emnsultabat Presbytero suo, quin §. 1. *Demophilus quis.*

SCHOLIA S. MAXIMI.

etiam indignabatur, quòd quemdam è pœnitentibus suscepisset. Pœnitentem itaque verberibus exceptum exturbarat, Presbyterum verò eliminauerat, & ipse tamquam à se Presbyter creatus, resedit. Aduerte igitur etiam istis temporibus istiusmodi mala contigisse; meritò itaque dicit illud, *O generose Demophile*, exprobrans ipsi fortitudinem inordinatam, & pietatem minimè diuinam, vt hoc modo Monachum perstringat.

Ac si qvando ipsum extra.] Id est, quando Scripturæ tradunt, ipsum in Dei indignationẽ incidisse, & in auersionem vultus eius. Priùs, inquit, declarant ipsum à mansuetudine desciuisse, & tum demum à diuinâ visione excidisse.

A præeminente.] Aduerte præstantiam & eminentiam mansuetudinis in Deo imitando, & quomodo Moyses propter mansuetudinem Dei famulus nuncupetur.

Ambitio quid. Ambitione.] Ambitio propriè est appetitus & amor honoris. Θεοκρείτῳ autem, non alicui sic appellato, sed à Deo ad Imperium destinato & idoneo.

Qvid porro illvm Dei progenitorem.] Dauidem vocat Dei progenitorem propter Christum. Ait enim D. Paulus:
Rom. 1. *Segregatus in Euangelium, quod promisit in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem.* Meritò igitur Dauid est Dei pater.

Deut. 22. Qvin etiam lege sancitvm.] Scriptum enim est in lege, vt etiam inimici subiugale cadens leuaretur.

Cetervm ad altiora.] Ad id, quod
Angeli pro gentilibus orant. sublimius. Nota autem benignissimos Angelos etiam pro gentibus Deum deprecari, & apostaticas virtutes, id est, dæmones increpare.

Sed vere boni.] De Domini nostri Iesv Christi veri Dei benignitate.

Et omnia vvlt semper fieri.] Cùm dixisset omnia, inter omnia autem etiã sint inanimata & irrationalia, addens secundùm cuiusque aptitudinem, suborientem oppositionem moderatus est.

Et amore contendit.] Quomodo Dominus omnes amet, & hortetur nos, ne ab ipso excidamus, propter quod etiam Paracletus appellatur.

τοῦ, καὶ ἀγανακτήσας ὅτι ἐδέξατό τινα ἐν μετανοίᾳ ὄντα ἁμαρτημάτων ἐξέβαλε, τύψας τὸν μετανοοῦντα, τὸν δὲ Πρεσβύτερον ἐξώθησε, καὶ ἐκάθισεν αὐτοχειροτόνητος Πρεσβύτερος. Σημείωσαι οὖν, ὅτι τὰ κακὰ ταῦτα καὶ ἐπὶ ἐκείνων τῶν χρόνων ἐγίνετο. Εἰκότως οὖν τὸ, Ὦ γενναῖε Δημόφιλε, φησὶν, ἰσχὺν ἄτακτον καὶ οὐκ εὐλάβειαν ἔνθεον ὀνειδίζων αὐτῷ, καὶ ταύτῃ διασύρων τὸν μοναχόν.

Καὶ εἴποτε αὐτὸν ἔξω.] Τουτέστιν, ὅταν αἱ Γραφαὶ λέγωσιν ἐν ἀγανακτήσει Θεοῦ γεγονέναι αὐτὸν, καὶ ἐν ἀποστροφῇ τοῦ προσώπου αὐτοῦ. Πρότερον δέ φησι, δεικνύουσιν αὐτὸν τῆς πραότητος ἔξω γεγονέναι, καὶ εἶθ' οὕτω παθεῖν τὸ ἀπὸ ὄψεως γενέσθαι τοῦ Θεοῦ.

Ἐκ τῆς περιοχῆς.] Σημείωσαι, ὅτι ἐξαίρετον καὶ περιοῦχον εἰς μίμησιν Θεοῦ ἡ πραότης, καὶ ὅτι διὰ τὴν πραότητα Μωϋσῆς λέγεται θεράπων Θεοῦ.

Φιλοτιμίας.] Φιλοτιμία κυρίως, τὸ τιμῆς ἐφίεσθαι καὶ ἐρᾷν. Θεοκρείτῳ δὲ, οὐχ οὕτω τινὶ καλουμένῳ, ἀλλὰ τῷ ἐκ Θεοῦ εἰς τὸ ἄρχειν κεκριμένῳ καὶ ἐπιτηδείῳ.

Τί δὲ τὸν θεοπάτορα.] Ὅτι θεοπάτορα καλεῖ, διὰ τὸν Χριστὸν, τὸν Δαβίδ. φησὶ γὰρ ὁ θεῖος Παῦλος, Ἀφωρισμένος εἰς Εὐαγγέλιον, ὃ προεπηγγείλατο ἐν Γραφαῖς ἁγίαις περὶ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα. Εἰκότως οὖν θεοπάτωρ ὁ Δαβίδ.

Καίτοι καὶ θεσμός.] Γέγραπται γὰρ ἐν τῷ νόμῳ, ὥστε καὶ τὸ τοῦ ἐχθροῦ ὑποζύγιον καταπίπτον ἐγείρειν.

Ἀλλ' ἐπὶ τὸ ἄναντες.] Ἐπὶ τὸ ὑψηλότερον. Σημείωσαι δὲ τὸ φιλάνθρωπον Ἀγγέλων, καὶ ὅτι δέονται ὑπὲρ ἐθνῶν, τοῦ Θεοῦ, καὶ ὅτι ταῖς ἀποστατικαῖς ἐπιτιμῶσι δυνάμεσι, τουτέστι τοῖς δαίμοσιν.

Ἀλλὰ τοῦ ὄντως ἀγαθοῦ.] Περὶ ἀγαθότητος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ.

Καὶ πάντα βούλεται ἀεὶ γενέσθαι.] Ἐπειδὴ πάντα εἶπεν, ἐν δὲ τοῖς πᾶσι καὶ ἄψυχα καὶ ἄλογα, προσθεὶς κατὰ τὴν ἑκάστων ἐπιτηδειότητα, τὴν ὑφορμοῦσαν ἀντίθεσιν προεθεράπευσε.

Καὶ φιλονεικεῖ.] Πῶς ἐρᾷ πάντων ὁ Κύριος, καὶ παρακαλεῖ ἡμᾶς μὴ ἐκπεσεῖν αὐτοῦ, ὅθεν καὶ παράκλητος ἀκούει.

Καὶ θρυπτομένων.] Θρύπτεσθαι κυρίως τὸ κατακλᾶσθαι· Λέγεται δὲ ἡ λέξις καὶ ἐπὶ τῶν ἐρωμένων, οἳ τὴν πρὸς τοὺς ἐρῶντας ἀναβαλλόμενοι, συντυχίαν τοιούτῳ τῷ σωματικῷ, τουτέστι κατακεκλασμένῳ, κέχρηνται ἤθει. ὅθεν λαμβάνεται καὶ ἐπὶ ἄλλων ὁμοιοτρόπων πραγμάτων.

Ὅμως προσιοῦσι προστρέχει.] Τὰ τῆς Εὐαγγελικῆς παραβολῆς τοῦ ἀσώτου ὑποτίθεται ἐν τούτοις, καὶ τὰ ὅμοια. Θαυμασίως δὲ καὶ τὸ ὅλος ὅλοις, φησὶ, καταισχύνων τοὺς τότε αἱρετικοὺς, οἵ τινες ψυχὴν μόνην σώζεσθαι ὑπὸ Θεοῦ, καὶ οὐ σῶμα, ἔλεγον. Ὅλος οὖν, φησὶν, ὁ Κύριος, ὡς ψυχὴν καὶ σῶμα λαβὼν, ὅλους ἡμᾶς τοὺς ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος σέσωκεν. Ἦσαν δὲ τότε αἱρετικοὶ ἀπὸ Σίμωνος, ὡς δηλοῦσιν Εἰρηναῖος καὶ Ἱππόλυτος. Καὶ οἱ τὰ Ὠριγένους δὲ δογματίζοντες, τὰ αὐτὰ φρονοῦσι. Περιφὺς δὲ, ἀντὶ τοῦ Περιπλακείς.

Δηλαδὴ τοὺς ἀγαθούς.] Σημείωσαι, τίνας φησὶ τοὺς συγκαλουμένους φίλους· μετ' ὀλίγα δὲ τοὺς ἀγαθοὺς Ἀγγέλους εἶναι τούτους νοεῖ. Ὅρα δὲ, πῶς νοεῖ τὸ, Ἵνα ᾖ πάντων εὐφραινομένων ἡ κατοικία.

Σὺ δὲ, ὡς τὰ γράμματά σου δηλοῖ.] Σὺ δὲ, φησὶν, ὦ Δημόφιλε, καὶ τὸν ἱερέα ὕβρισας, εἰπόντα ἐλεητὸν, τουτέστιν ἐλέους ἄξιον, τὸν ἀσεβῆ καὶ μετανοοῦντα. Δοκεῖ δέ μοι ὁ Δημόφιλος πρεσβύτερον ὑβρικέναι· τοὺς γὰρ ἱερέας πρεσβυτέρους εἴωθε καλεῖν, ὡς ἐν τῷ περὶ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας διετράνωσε. Καὶ ἐνταῦθα δὲ μετὰ βραχέα ὑποκάτω, τὸ εἰρημένον μοι συνίστησι. Καθ' ὑπερβατὸν δὲ ἡ σύνταξις, Ὕβριζες τὸν ἱερέα δικαιώσαντα, τὸ, καὶ τὸν ἀσεβῆ ἐλεητὸν ὑπάρχειν, ἤγουν ἐλέους ἄξιον.

Τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων συνέστειλας.] Συνέστειλας, ἀντὶ τοῦ ἐταπείνωσας, καὶ ἐσμίκρυνας· ἢ οὐ τοῦτο, ἀλλὰ συνέστειλας, ἀντὶ τοῦ συνῆξας, ὡς εἴρηται, οἱονεὶ ἐπῆρας, ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου βαστάσας, καίτοι διακόνων καὶ πρεσβυτέρων τοῦτο ποιεῖν ἐπιτετραμμένων τοῦ νόμου λέγοντος, Καὶ ἱερεῖς περιστελοῦσι τὰ Ἅγια, ὡς καὶ ἐν τῷ ἑξῆς φύλλῳ φησίν.

Οὐ θεμιτὸν ἱερέα.] Ὅτι οὐ δεῖ πρεσβύτερον, κἂν ἁμαρτάνῃ, ὑπὸ διακόνου ἢ μονα-

Etiam deliciosos.] Deliciari ſeu molliter viuere propriè eſt eneruari ſeu confringi. Dicitur autem hæc dictio etiam de iis, qui amoribus vacant, qui amatorum adeptionem procraſtinantes, vtuntur hac corporeâ, id eſt præfractâ & molli conſuetudine. Vnde etiam ad res quaſlibet conſimiles tranſumitur. *Scholia S. Maximi.* *Deliciari quid propriè.*

Similiter adventantibvs occvrrit.] Euangelicam parabolam prodigi in his proponit,& quæ ſunt ſimilia. Quin etiam totus totos,inquit,ſui temporis hæreticos confundens, qui quidem animam ſaluari à Deo, non item corpus, prædicabant. Ait ergo,totus Dominus,vt qui animam & corpus aſſumpſit, nos totos, qui animâ & corpore conſtamus, ſaluos fecit. Erant enim tunc in errore iſto Simonis diſcipuli, vti Irenæus & Hippolytus declarant. Quin etiam Origeniſtæ eadem docent ac ſentiunt. Περιφὺς verò dixit, pro περιπλακείς, id eſt, amplectens. *Deum anima & corporis curam gerere.*

Videlicet bonos.] Nota quos amicos dicat conuocatos: poſt pauca verò intellige hos eſſe bonos Angelos. Vide autem quomodo hoc intelligat: *Vt ſit omnium lætantium habitatio.*

Tv vero, vt tvæ litteræ declarant.] Tu autem, inquit, ô Demophile, etiam Sacerdoti contumeliam feciſti,quòd diceret miſerandum, id eſt miſericordiâ dignum eſſe impium ac pœnitentem. Mihi autem videtur Demophilus Preſbytero iniuriam intuliſſe: ſolet enim Preſbyteros vocare Sacerdotes, vti in Eccleſiaſticâ Hierarchiâ clarè docuit. Quin etiam hîc infrà paulò pòſt eodem modo dictionem hanc intelligit. Conſtructio autem hæc eſt per traiectionem, [cùm ait] conuitiatus es Sacerdotem iuſtificantem, vti & illud: impium miſerandum eſſe,ſeu miſericordiâ dignum. *Presbyter idem qui Sacerdos.*

Sancta sanctorvm svstvlisti.] Suſtuliſti pro vilipendiſti & extenuaſti; vel ſi non hoc, tamen ſuſtuliſti, pro contemeraſti,quaſi dicat, quodammodò abſtuliſti,& è ſacrario tuliſti, cùm id & Diaconis & Preſbyteris lege vetitum ſit,quæ dicit: *Et Sacerdotes velabunt ſancta*,vti etiam paginâ ſequenti ait.

Nefas Sacerdotem.] Quoniam non oportet Sacerdotē, licet peccantem,à Diacono *Sacerdotem non decet reprehendi ab inferiore.*

SCHOLIA S. MAXIMI.

cono vel Monacho corrigi, neque etiam à laicis. Hæc autem ſine exceptione ſunt: nam eſt ſupra ordinem Monachorum, vel Miniſtrorum ſeu Diaconorum. Quod cùm ita ſit, multò maius nefas ſit Epiſcopum à quopiam incuſari.

Sacerdotes Angeli, & Dei internuntij.

SACERDOTES AVTEM ANGELI SVNT.] Nota, quòd etiam Sacerdotes Angeli & interpretes, id eſt præceptores diuinorum iudiciorum ſint poſt Epiſcopos: & vel hinc maximè patet, Epiſtolam hanc ſcriptam eſſe de Preſbytero, qui à Monacho perſecutionem & iniuriam paſſus fuerat.

MEDIANTIBVS MINISTRIS.] Nota, quòd qui res diuinas à Preſbyteris ſcire volunt, non per ſe hoc agere debeant, tametſi Monachi ſint, ſed mediantibus Diaconis, idque quando tempus adfuerit opportunũ.

PER QVOS ETIAM VT ESSES.] Vti diximus ſuprà in Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, Capite de conſecratione Monachorum, à Sacerdotibus ipſis dari habitum Monachicum.

DISTINCTIO.] Agit de Eccleſiaſtcis diſtinctionibus, & quod ſit miniſterium Monachorum, ſiquidem hos cultores vocat. Hæc etiam tradit in Eccleſiaſticâ Hierarchiâ.

Diaconis attributa portarum cuſtodia.

ADYTORVM POSTES.] Diaconis enim attributa eſt portarum Eccleſiæ cuſtodia, vti in Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, Capite de conſecrationibus ſacerdotalibus, paulò poſt initium Capitis tradit.

DIVINORVM VELAMENTORVM.] Quoniam etiam tum velamenta erant circum altare.

NEQVE QVIDQVAM HABEAS EORVM, QVÆ DECENT.] Nota, quoniam præter ordinem & ſacros ritus, in ſancta inuolarat, nihil ex illis, neque videre, neque audire, neque habere credatur, tametſi manibus illa contrectaret.

PRÆSVMERET, NEDVM, &c.] Subaudiendum, meritò puniretur, quemadmodum & hic.

QVANDO QVIS MAIORA MERITIS ATTENTARET.] Quoniam ſi quis etiam ea quæ conſentanea ſunt faciat, ſed præter ordinem & dignitatem, hic tamen ius faſque violat.

DÆMONES VERE DEVM PROFITENTES.] De dæmonibus Ieſum Dei Filium confitentibus.

ζοντος εὐθύνεσθαι, μή τί γε ὑπὸ λαϊκῶν. Ταῦτα δὲ δίχα αἱρέσεως· ὑπὲρ γὰρ τὴν τάξιν τῶν μοναχῶν, ἢ τῶν λειτουργῶν, ἤτοι διακόνων. Καὶ εἰ τοῦτο, πολλῷ μᾶλλον οὐδὲ Ἐπίσκοπον κατηγορεῖσθαι θέμις ὑπό τινος.

Οἱ δὲ ἱερεῖς Ἄγγελοι.] Σημείωσαι, ὅτι καὶ ἱερεῖς Ἄγγελοι καὶ ὑποφῆται, τουτέστι διδάσκαλοι τῶν θείων κριμάτων, εἰσὶ μετὰ τοὺς ἱεράρχας· καὶ ὅτι περὶ πρεσβυτέρου διωχθέντος καὶ ὑβρισθέντος παρὰ μονάζοντος ἡ ἐπιστολὴ ἐγράφη, ἐντεῦθεν μάλιστα δηλοῦται.

Διὰ μέσων τῶν λειτουργῶν.] Σημείωσαι, ὅτι οἱ τὰ θεῖα ζητοῦντες παρὰ πρεσβυτέρων μαθεῖν, οὐ δι' ἑαυτῶν τοῦτο πράττειν ὀφείλουσι, κἂν ὑπάρχωσι μοναχοί, ἀλλὰ διὰ μέσων διακόνων, καὶ τοῦτο ὅταν ἁρμόδιος παρῇ καιρός.

Δι' ὧν καὶ τὸ εἶναι.] Ὥσπερ εἴπομεν ἄνω ἐν τῇ Ἐκκλησιαστικῇ ἱεραρχίᾳ, ἐν τῷ περὶ μοναχικῆς τελειώσεως κεφαλαίῳ, διὰ πρεσβυτέρων αὐτοῖς δίδοται τὸ μοναχικὸν σχῆμα.

Ἡ διακόσμησις.] Περὶ τῶν Ἐκκλησιαστικῶν διακόσμων, καὶ τίς ἡ τῶν μοναζόντων λειτουργία, αὐτοὺς γὰρ καλεῖ θεραπευτάς. Ταῦτα καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησιαστικῇ ἱεραρχίᾳ φησίν.

Αἱ πύλαι τῶν ἀδύτων.] Διακόνοις γὰρ ἡ φυλακὴ τῶν τῆς Ἐκκλησίας πυλῶν ἀφώρισται, ὡς ἐν τῇ Ἐκκλησιαστικῇ ἱεραρχίᾳ, ἐν τῷ περὶ τῶν Ἱερατικῶν τελειώσεων κεφαλαίῳ φησί, μετ' ὀλίγα τῆς ἀρχῆς τοῦ κεφαλαίου.

Τῶν θείων παραπετασμάτων.] Ὅτι καὶ τότε παραπετάσματα ἦν περὶ τὸ θυσιαστήριον.

Οὔτε ἔχεις τι τῶν προσηκόντων.] Σημείωσαι, ὅτι ὁ ἀτάκτως καὶ παρὰ τοὺς ἱεροὺς θεσμοὺς τοῖς ἁγίοις ἐπεισπηδῶν, οὐδὲν ἐξ αὐτῶν, οὔτε ἰδεῖν, οὔτε ἀκοῦσαι, οὔτε ἔχειν πιστεύεται, εἰ καὶ ταῖς χερσὶν αὐτῶν ἅπτεται.

Ἐτόλμησεν· οὔπω γάρ.] Κατὰ κοινοῦ τό, Ἐνδίκως ἐτιμωρεῖτο, ὡσανεὶ καὶ οὗτος.

Ὅταν ὑπὲρ ἀξίαν τις ἐγχειρῶν.] Ὅτι εἰ καὶ τὰ εἰκότα τις ποιεῖ, παρὰ τὴν οἰκείαν δὲ τάξιν τε καὶ ἀξίαν, καὶ οὕτως τὸ ἐφικτὸν ὑπερβαίνει.

Δαίμονες ἀληθῶς θεολογοῦντες.] Περὶ τῶν θεολογούντων τὸν Ἰησοῦν δαιμόνων.

Ἀλλ' ἐκκήρυκτος.] Ὅτι ἐκκήρυκτος τῇ θεολογίᾳ πᾶς ἀλλοτριεπίσκοπος.

Καὶ οἱ ἱερεῖς περιστέλλουσι.] Τίνες συνάγειν καὶ ἐπαίρειν δύνανται τὰ ἅγια, καὶ ὅτι οὐ πᾶσιν ἐφικτόν.

Καὶ Μαριὰμ λεπροῦται.] Σημείωσαι τὴν αἰτίαν δι' ἣν ἐλεπρώθη Μαρία ἡ τοῦ Μωϋσέως ἀδελφή.

Καὶ ἐπὶ τοὺς Σκευᾶ υἱούς.] Ἐπὶ τοὺς υἱοὺς δὲ τοῦ Σκευᾶ τὰ δαιμόνια ἐφήλατο, ὅτι μήτε πιστεύοντες εἰς Χριστὸν, μήτε κεχειροτονημένοι ἐξώρκιζον τοὺς δαίμονας, ὅπερ τοῖς ἐπορκισταῖς μόνοις θεμιτὸν ἦν. Τοῦτο ἐν ταῖς Πράξεσι τῶν ἁγίων Ἀποστόλων κεῖται.

Οὐδὲ τὰ δίκαια μὴ κατ' ἀξίαν.] Σημείωσαι τί ἐστι, Δικαίως διώξεται τὸ δίκαιον, ὅ φησι Μωϋσῆς· καὶ ὅτι οὐδὲ τὰ δίκαια θεμιτὸν μὴ κατ' ἀξίαν διώκειν. Ἔχεις δὲ τοῦτο καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς. Πλατέως δὲ διαγυμνάζει Ὠριγένης ἐν τῷ ι. τῶν εἰς τοὺς Ἱερεμίου Θρήνους.

Τί οὖν φῄς.] Ἀντίθεσις ὡς ἐκ Δημοφίλου, ὅτι ἐστὶν ἀσέβεια ἐν τοῖς ἱερεῦσι μὴ εὐθυνομένη.

Ἐγὼ δὲ ἀπολογήσομαί σοι.] Ἀπολογία πρὸς τὴν ἀντίθεσιν περὶ ἰδιοπραγίας.

Καὶ μὴ τοπικῶς.] Ὅτι τὰ περὶ τῶν Ἀγγελικῶν ὑποβάσεων καὶ τάξεων, οὐ τοπικῶς δεῖ δέχεσθαι, ὅτι πλησιάζουσι Θεῷ, ἀλλὰ πρὸς τὴν ἑκάστου ἐπιτηδειότητα· οὐ γὰρ ἐν τόπῳ ὁ Θεός, εἰκότως οὖν οὐδ' αἱ νοηταὶ δυνάμεις.

Σύμβολα χριστοειδῶς.] Τουτέστι τὴν τῶν μυστηρίων τελεσιουργίαν. Χριστοειδῶς δὲ, διότι οἱ ἱερεῖς τοῖς θείοις ἐπευχόμενοι δώροις, ἤτοι συμβόλοις, τὴν τοῦ Χριστοῦ τάξιν ἐπέχουσιν.

Ἀλλ' οὐ Δημοφίλῳ.] Οὐ γὰρ ἔξεστι, φησὶ, Δημοφίλῳ θεραπευτῇ ὄντι, ταῦτα εὐθύνειν τὰ ἁμαρτήματα.

Δίκαια δέ ἐστι.] Τί ἐστι, δικαίως τὰ δίκαια μεταδιώκειν, καὶ ὅτι Ἀγγέλοις τὸ δίκαιον ἀπονέμεται.

Δημόφιλος δὲ λόγῳ.] Τουτέστι, τὴν ἑαυτοῦ ἀλογίαν, καὶ τὸν θυμὸν, καὶ τὴν ἐπιθυμίαν τῆς ἑαυτοῦ φιλαρχίας κολαζέτω ὁ Δημόφιλος. Σημείωσαι δὲ, ὡς ἐν πᾶσι τοῖς οὖσι διὰ τῶν πρώτων τοῖς δευτέροις ἀπονέμεται τὰ κατ' ἀξίαν.

VERVM ἘΚΚΗΡΥΚΤΟΣ.] Quoniam ἐκκήρυκτος seu reiiciendus à Theologiâ omnis alienorum curiosus indagator. SCHOLIA S. MAXIMI.

ET SACERDOTES CIRCVMTEGVNT.] Quinam possint sancta componere & eleuare, idque non omnibus licere.

ET MARIA LEPROSA FIT.] Obserua causam ob quam Maria soror Moysis leprosa facta sit.

ET IN FILIOS SCEVÆ.] In filios autem Sceuæ dæmonia insilierunt, quòd cùm in Christum non crederent, neque ordines suscepissent, dæmones adiurarent, quod solis exorcistis competebat. Refertur hoc in Actis Apostolorum. Act. 19, 14

NEQVE EA, QVÆ IVSTA SVNT, NON SECVNDVM DIGNITATEM.] Nota, quid sibi velit illud: *Iustè, quod iustum est, exequaris,* Deut. 16, 20. quod Moyses ait: & non licere etiam ea quę iusta sunt, non secundùm dignitatem exequi. Quin etiam hoc habes in sequentibus. Fusiùs autem id explicat Origines Homiliâ decimâ in Threnos Ieremiæ.

§. 2. QVID IGITVR INQVIS?] Oppositio quasi ex persona Demophili dicentis, quòd impietas in Sacerdotibus sit sine correctione.

EGO AVTEM TIBI RESPONDEBO.] Responsio ad obiectionem de rebus propriis curandis.

AT QVI NON LOCALITER.] Quoniã illa, quæ sunt de subordinationibus & ordinibus Angelicis, aut secundùm locum accipienda sunt, quòd nempe Deo appropinquent, sed de cuiuslibet capacitate: neque enim in loco Deus est, atque adeò neque virtutes intellectuales.

SYMBOLA CHRISTIFORMITER.] Id est Sacramentorum consecrationem. Dicit autem Christiformiter, quia Sacerdotes dum diuina munera siue signa consecrant, Christi vicem sustinent. *Sacerdotes sunt Christiformes.*

§. 3. AT NON DEMOPHILO.] Non enim licet Demophilo, cùm Monachus sit, istiusmodi peccata corrigere.

IVSTA VERO SVNT.] Quid sit, iustè iusta exsequenda esse, atque Angelis iustitiam tribui.

DEMOPHILVS ITAQVE SERMONI.] Id est, suam temeritatem, & furorem, & cupiditatem ambitionis suæ Demophilus puniat. Obserua verò, quomodo in rebus omnibus per priores, posterioribus secundùm merita tribuantur.

SCHOLIA S. MAXIMI.

Sed dominetvr.] Compeſcat, inquit, ratio furorem & cupiditatem, hæc enim inferiora ſunt: quoniam in horum ſubiectione rationalis poteſtas ac virtus apparet, vt non ſimpliciter, ſed ad aliquid vtile iis vtatur.

Divinvs legifer.] D. Paulum intelligit.

Non dignvm censet Ecclesiæ.]
1. Tim. 2, 5 Eſt ex Epiſtolâ ad Timotheum.

§. 4. Pro meritis præscribe.] Aduerte
Subordinatio in correctione. laudabilem ordinem Eccleſiaſticum, vt Monachis Diaconi, & his Preſbyteri, & Preſbyteris Epiſcopi adhibeant correctionem: Epiſcopis verò Apoſtoli, & horum ſucceſſores. Apoſtolorum denique ſucceſſores à ſuis æqualibus corriguntur.

Et Episcopis Apostoli.] Nota, quòd etiam Epiſcopis maiores ſint Apoſtoli, Apoſtolorumque ſucceſſores, & quòd quilibet ab ordine ſuo ſanctiore corrigi debeat. Apoſtolorum autem ſucceſſores exiſtimo nunc eſſe Patriarchas.

Nescio qvo fletv plangam.] Nota amaritudinem, vel potiùs compaſſionem Patris.

Etenim nisi illivs boni.] Etenim, inquit, niſi boni Dei cultor à nobis habearis, prorſus & à nobis & ab vniuerſâ Eccleſiâ alienus exiſtis. Nota autem, peccatum hoc fortaſſis accidiſſe in parœciâ Magni Dionyſij, ipſumque Monachum Demophilum iſti Eccleſiæ præfeciſſe.

Duplex peccatum eſt non agnoſcere delictum ſuū. Vel dvplici peccato.] Nota quale vocet duplex peccatum, quando nimirum aliquis poſtquam peccauit, non agnoſcit ſe peccaſſe. Hoc autem eſt Ieremiæ, ſicut
Iere. 2, 13. deinceps declarat. *Quoniam duo peccauit populus: me dereliquerunt fontem vitæ*, &c.

Qvod Demophilvs arbitretvr.] Ingens & magna compaſſio ac conſolatio peccatorum.

At Divino-principalis ille Pontifex.] Dominum intelligit, quoniam non paria reponit Demophili factis.

Et hæc qvi a peccatoribvs.] Ci-
1. Pet. 2, 22 tans illud Apoſtoli: *Peccatum enim non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius.* Cui
Heb. 7, 26. conſonat illud: *Segregatus à peccatoribus, excelſior cælis factus.*

Ἀλλ' ἐπαρχέτω.] Κρατείτω, φησὶν, ὁ λόγος θυμοῦ καὶ ἐπιθυμίας, ταῦτα γὰρ τὰ ὑφειμένα· ἐν τῇ τούτων γὰρ ἐποχῇ ἡ λογικὴ φαίνεται ἐξουσία καὶ δύναμις, ὥστε μὴ ἁπλῶς, ἀλλὰ πρός τι χρήσιμον κεχρῆσθαι αὐτοῖς.

Ἐκ Θεοῦ νομοθέτης.] Τὸν θεῖον Παῦλόν φησιν.

Οὐκ ἀξιοῖ τῆς Ἐκκλησίας.] Ἐκ τῆς πρὸς Τιμόθεον ἐπιστολῆς.

Τὰ κατ' ἀξίαν ἀφόριζε.] Σημείωσαι τάξιν ἐπαινουμένην Ἐκκλησιαστικὴν, ἵνα τοῖς μονάζουσιν οἱ διάκονοι, καὶ τούτοις οἱ πρεσβύτεροι, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις οἱ Ἐπίσκοποι ἐπιτιμῶσι· τοῖς δὲ Ἐπισκόποις, οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ τούτων διάδοχοι. ἐν δὲ τοῖς τῶν Ἀποστόλων διαδόχοις παρὰ τῶν ὁμοταγῶν ἡ ἐπιτίμησις.

Καὶ τοῖς ἱεράρχαις, οἱ Ἀπόστολοι.] Σημείωσαι, ὅτι καὶ Ἐπισκόπων μείζους οἱ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ τῶν Ἀποστόλων διάδοχοι, καὶ ὅτι ἕκαστος παρὰ τοῦ ἁγιωτέρου τῆς αὐτοῦ τάξεως εὐθύνεσθαι ὀφείλει. Ἀποστόλων δὲ διαδόχους, τοὺς νῦν Πατριάρχας ἡγοῦμαι εἶναι.

Οὐκ οἶδ' ὅπως κλαύσομαι.] Σημείωσαι τὴν πικρίαν, ἢ μᾶλλον συμπάθειαν τοῦ Πατρός.

Καὶ γὰρ εἰ μὴ τοῦ ἀγαθοῦ.] Καὶ γὰρ εἰ μὴ νομίζῃς, φησὶ, τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν παρ' ἡμῶν θεραπευτής, πάντως καὶ ἡμῶν καὶ ὅλης τῆς Ἐκκλησίας ἀλλότριος ὑπάρχεις. Σημείωσαι δὲ ὅτι τάχα ἐν παροικίᾳ τούτου τοῦ μεγάλου Διονυσίου ἡμαρτήθη, καὶ ὅτι τὸν Δημόφιλον αὐτὸς μοναχὸς τῆς Ἐκκλησίας ἔταξεν.

Ἢ τὴν διπλῆν ἁμαρτίαν.] Σημείωσαι, ποίαν καλεῖ διπλῆν ἁμαρτίαν, ὅταν ἁμαρτάνων τις ἀγνοῇ ὅτι ἥμαρτε. Τοῦτο δὲ τοῦ Ἱερεμίου ἐστὶν, ὡς ἐφεξῆς σαφηνίζει, Ὅτι δύο ἥμαρτεν ὁ λαός· ἐμὲ ἐγκατέλιπον πηγὴν ζωῆς, καὶ τὰ ἑξῆς.

Ὅτι Δημόφιλος οἴεται.] Πολλὴ καὶ μεγάλη καὶ συμπαθὴς παράκλησις τοῖς ἁμαρτωλοῖς.

Ἀλλ' ὁ θεαρχικὸς ἱεροτελεστής.] Τὸν Κύριον λέγει, ὅτι οὐχ ὅμοια διατάττεται τοῖς ὑπὸ Δημοφίλου γεγενημένοις.

Καὶ ταῦτα τῶν ἁμαρτωλῶν.] Ἁμαρτίαν γὰρ οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ, τὸ τοῦ Ἀποστόλου λέγων· ἄντικρυς τὸ, Ἀφωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος.

Δικαιοῖ

Δικαιοῦ δὲ τῶν οἰκείων ἀπολαύειν.] Τουτέστι, τῆς οἰκείας φιλανθρωπίας, καὶ μὴ τοῦ σκότους καὶ τιμωρίας.

Καὶ γὰρ καὶ τοῖς εἰς αὐτόν.] Ἐν τῷ κατὰ τὸν Λουκᾶν κεῖται Εὐαγγελίῳ.

Ἄπαγε, οὐκ ἔχομεν.] Πολλά σοι ἀγαθὰ γένοιτο, Πάτερ συμπαθέστατε.

Καὶ γὰρ καὶ ὁ θειότατος.] Σημείωσαι, ὅτι ἀμετόχους λέγει τοὺς μαθητὰς τοῦ Κυρίου Πνεύματος τοῦ ἁγίου, ζητοῦντας πῦρ ἐπομβρῆσαι τοῖς Σαμαρείταις, ὡς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ εὑρίσκομεν. Πῶς οὖν πρὸς αὐτοὺς ὁ Κύριός φησιν, Οὐκ οἴδατε ποίου πνεύματός ἐστε. Ἀλλ' ἴσως τοῦτο εἶπε, δεικνὺς ποίᾳ χάριτι διακονεῖσθαι ἐξελέγησαν· ἴσως δὲ καὶ ὁ Πατὴρ πρὸς τὸ τέλειον τῆς δωρεᾶς ἀπιδών, ἧς ἔλαβον μετὰ τὴν ἀνάστασιν, τοῦτο εἴρηκε, διὰ τὸ γεγράφθαι, Οὔπω γὰρ ἦν Πνεῦμα ἅγιον, ὅτι Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη. Ἱεροθέτην δὲ καλεῖ τὸν ἅγιον Ἀπόστολον Παῦλον, ὡς χειροτονήσαντα αὐτῷ τὴν ἀρχιερωσύνην τῆς Ἐκκλησίας τῶν Ἀθηνῶν, καθὼς ἐν ταῖς ἱεραῖς τῶν Ἀποστόλων γέγραπται Διαταγαῖς.

Διδάσκεσθαι γὰρ, οὐ τιμωρεῖσθαι χρή.] Σημείωσαι ὡραῖον καὶ μάλιστα νῦν χρήσιμον, Ὅτι διδάσκεσθαι χρὴ, καὶ οὐ κολάζεσθαι, τοὺς ἀγνοοῦντας, ὥσπερ καὶ τοὺς τυφλοὺς ὁδηγοῦμεν, οὐ κολάζομεν. Τὸ δὲ Κατὰ κόῤῥης, τινὲς μὲν τὸν κρόταφόν φασιν, ἔνιοι δὲ τὴν γνάθον, ἄλλοι δὲ μέρος τι τῆς κεφαλῆς. Βέλτιον δὲ κόῤῥην, ὡς ἔφην, τὸν κρόταφον λέγειν· Ὅμηρος μέντοι κόρσην αὐτὴν καλεῖ. Παροξυτονεῖται δὲ ἡ κόῤῥη. Εἰς τὸν κρόταφον οὖν ἔτυψεν ὁ Δημόφιλος τὸν μετανοοῦντα.

Οἱ μὲν γὰρ ἀδικεῖν.] Σημείωσαι οἷά φησιν ἐπακολουθεῖν τοῖς ἀδικεῖν ἢ εὐεργετεῖν τινας βουλομένοις, κἂν μὴ πρὸς ἔργον ἤνεγκαν ἃ ἐβουλεύσαντο.

Ἐπιχειροῦντες.] Ἐκείνους δηλαδὴ οὓς προῃρέθησαν ἀδικῆσαι ἢ εὐεργετῆσαι, οὐ πάντως, φησὶ, διέθηκαν, καθὼς ἠβουλήθησαν. Πρόδηλον δὲ, ὅτι τὸ μὲν ἀβούλητον τῶν εὐεργετουμένων, τὸ δὲ παρὰ τὸ ἀδρανὲς τῶν ἀδικούντων.

Καὶ ἐνθάδε καὶ ἐκεῖ.] Ὅτι οἱ δίκαιοι οὐ μόνον ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ νῦν βίῳ Ἀγγέλων ἀγαθῶν ὀπαδοὶ, ἤγουν ἀκόλουθοι, καὶ συνοδοιπόροι εἰσί.

Et ivste evm propriis frvi ivbet.] Id est, propriâ benignitate, & non tenebris ac supplicio. SCHOLIA S. MAXIMI.

Qvippe svis etiam.] Refertur hoc in Euangelio secundùm Lucam. Luc.23,34

Absit, non habemvs.] Multa tibi bona fiant, Pater maximè compatiose. §. 5.

Qvin et divinissimvs.] Nota quòd Domini discipulos expertes dicat Spiritus sancti, quando petebant vt ignis in Samaritanos detonaret, prout in Euangelio reperimus. Quomodo igitur ad ipsos Dominus ait: *Nescitis cuius spiritus estis.* Sed fortè hoc Pater dixit, vt ostenderet, quali gratiâ ad ministrandum electi essent: quin etiam fortè hoc dixit Pater, ad absolutam illam respiciens gratiæ infusioné, quam post resurrectionem acceperunt; quoniam scriptum est: Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Sacrum præceptorem vocat sanctum Apostolum Paulum, quippe qui ipsum Ecclesiæ Atheniensis Episcopum ordinauerat, quemadmodum in sacris Apostolorum Constitutionibus scriptum reperitur. Luc.9,55. Ioan.7,39. *S. Dionysius à sancto Paulo Episcopus ordinatus.*

Docere enim, non pvnire oportet.] Obserua pulchrum & etiamnum vtilissimum dictum, Docendos esse, & minimè puniendos ignorantes, quemadmodum cæcis ducatum præstamus, non supplicia infligimus. Illud autem κατὰ κόῤῥης, aliqui dicunt significare κρόταφον seu tempus capitis, alij verò genas, alij denique partem aliquam capitis. Præstat autem κόῤῥην, vti dicebam, pro temporibus accipere, nam & Homerus illa κόρσην vocat. Κόῤῥη autem in pænultimâ acuitur. Itaque Demophilus pœnitentem in temporibus percusserat. *Docendi & non puniendi ignorantes.*

Siqvidem qvi inivriis afficere.] Nota qualia dicat eos sequi, qui iniuriis vel beneficiis aliquos afficere conantur, etiamsi reipsâ non inferant ea quæ volebant.

Aggredientes.] Illis nempe quibus iniurias vel beneficia conferre statuerant, non vsquequaque, prout destinauerant, reposuerunt. Liquet inprimis, hoc contingere per incogitantiam eorum in quos beneficentia confertur, illud verò præ impotentiâ eorum qui inferre parant iniurias.

Et hic et ibi.] Quoniam iusti non solùm in futuro sæculo, sed etiam in hac vitâ, bonorum Angelorum socij, siue asseclæ, ac consortes existunt.

Qvod

SCHOLIA S. MAXIMI.

QVOD MAXIMVM EST BONORVM OMNIVM.] Quoniam bonorum omnium maximum eſt, cum Deo ſemper eſſe.

CVM HIC, TVM POST MORTEM.] Quoniam peccatores & in hac vitâ & in futurâ punientur, cum dæmonibus damnandi propter paſſiones quas amarunt.

MEMORABO.] Nota viſionem S. Carpi, quanto horrore ac conſolatione plena ſit.

§. 6. CVM VENISSEM ALIQVANDO.] Pulchra narratio, quòd non oporteat peccatoribus mala imprecari, tametſi contra Deum peccent. Notandum autem, hiſtoriam hanc exhibere ineffabilem miſericordiam Domini noſtri IESV CHRISTI erga pœnitẽtes. Quin etiam agit de ſanctitate S. Carpi. Eſt autem hic Carpus, cuius meminit Apoſtolus in Epiſtolâ ſecundâ ad Timotheum.

Quid τέλος & προτέλεια. INTER PRÆPARATORIAS ORATIONES.] Προτελείας quidem appellabant Athenienſes, preces illas, quas vnà cum hoſtiis nuptiis præmittebant: nuptias enim τέλος appellabant, vt quæ hominem perficiant in iis quæ ad hanc vitam ſpectant, vti ex multis Comœdiis Poëtarum declarari poteſt. Quare etiam nuptias pro Sacramento habebant. Dicebant autem προτελίζεσθαι & προμυεῖσθαι, ac ſi dicerent, Ante rem ſacram luſtrari ſeu purgari ad myſterij apparatum, ſicut v.g. Cratinus in Pylæâ dramate. Maximè enim myſteria alicuius è falſis ipſorum diis τέλη & τελετὰς appellabant, quaſi perficerent, & ad perfectum adducerent initiatos. Quod igitur à Gentilibus ad impietatem referebatur, id Magnus Dionyſius ad veritatis myſterium traduxit, & προτελείους εὐχὰς dixit eas preces quæ viuifici Sacramenti conſecrationem præcedunt, pro expiatione ac deprecatione, ne Sacramenti participatio cedat in iudicium communicanti, & pro perfectiſſimo ac perficiente ſacrificiorum munere impetrando. Ἐξεναγώγησε autem poſuit, pro hoſpitio excepit.

Qui ſint dies Hilarij. CVM ADHVC DIES HILARII SEV HILARITATIS.] Erant aliqui dies idololatris, quos hilarios vocabant: & hi quidem erant priuati, & hilarij, vt cùm quis vxorem duxerat, vel filium genuerat; communes verò ac publici, vt cùm quiſpiam Rex inauguratus ſeu declaratus, publicos hilarios dies indicebat. Nemini per eos dies licebat

Τὸ πάντων ἀγαθῶν μέγιστον.] Ὅτι τὸ πάντων τῶν ἀγαθῶν μέγιστόν ἐστι, τὸ ἀεὶ εἶναι μετὰ Θεοῦ.

Καὶ ἐνθάδε, καὶ μετὰ θάνατον.] Ὅτι οἱ ἁμαρτωλοὶ καὶ ἐν τῷ βίῳ τούτῳ, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι τιμωροῦνται, μετὰ τῶν δαιμόνων εἶναι κατακρινόμενοι, ὑπὸ τῶν ἰδίων παθῶν ἃ προετίμησαν.

Ἐπιμνησθήσομαι.] Σημείωσαι τὴν ὅρασιν τοῦ ἁγίου Κάρπου, πόσης φρίκης καὶ παρακλήσεως γέμει.

Γενομένου μέ ποτε.] Διήγημα ὡραῖον, ὅτι οὐ χρὴ τοῖς ἁμαρτάνουσιν, εἰ καὶ πρὸς Θεὸν πταίουσιν, ἐπαρᾶσθαι. Σημειωτέον οὖν τὴν ἱστορίαν, περιέχουσαν ἀνεκλάλητον εὐσπλαγχνίαν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ περὶ μετανοούντων. Λέγει δὲ καὶ περὶ τῆς ἁγιότητος τοῦ θείου Κάρπου. Ἔστι δὲ οὗτος ὁ Κάρπος, οὗ μέμνηται ὁ Ἀπόστολος ἐν τῇ β. πρὸς Τιμόθεον Ἐπιστολῇ.

Κατὰ τὰς προτελείους εὐχάς.] Προτελείας μὲν ἐκάλουν Ἀθηναῖοι, τὰς τῶν γάμων μετὰ τῶν θυσιῶν εὐχάς· τὸν γὰρ γάμον, τέλος ἐκάλουν, ὡς τελειοῦν τὰ πρὸς τὸν βίον τὸν ἄνθρωπον· καὶ τοῦτο ἐκ πολλῶν κωμῳδίαις Ποιητῶν δεικνῦναι δυνατόν. Μυστήριον γοῦν εἶχον τὸν γάμον. Ἔλεγον δὲ προτελίζεσθαι καὶ τὸ προμυεῖσθαι, καὶ οἱονεὶ προκαθαίρεσθαι εἰς ἑτοιμασίαν μυστηρίου, ὡς Κρατῖνος δηλαδὴ ἐν Πυλαίᾳ δράματι. Μάλιστα γὰρ τὰ μυστήριά τινος τῶν ψευδωνύμων αὐτῶν θεῶν, τέλη καὶ τελετὰς ἐκάλουν, ὡς τελειούσας καὶ εἰς τὸ τέλειον ἀγούσας τοὺς τελουμένους. Τὸ γοῦν παρ' Ἕλλησιν ἀσεβῶς λεγόμενον, εἰς τὸ τῆς ἀληθείας μυστήριον ὠνόμασεν ὁ μέγας Διονύσιος, καὶ προτελείους εἶπεν εὐχάς, τὰς πρὸ τοῦ ζωοποιοῦ τοῦ Μυστηρίου τελειοτάτας δεήσεις, ὑπὲρ καθάρσεως καὶ ἀκατακρίτου μεταλήψεως τοῦ τελειοτάτου καὶ τελειοποιοῦ τῶν θυσιῶν δώρου. Ἐξεναγώγησε δέ, ἀντὶ τοῦ, ὡς ξένον ἐδεξιώσατο.

Ἐπὶ τῶν ἱλαρείων ἡμερῶν.] Ἦσάν τινες ἡμέραι τοῖς εἰδωλολάτραις, ἃς ἱλαρείας ἐκάλουν· καὶ αἱ μὲν ἦσαν ἴδιαι καὶ ἱλάρειοι, ὡς ὅταν τις ἔγημεν, ἢ υἱὸν ἐκτᾶτο· αἱ δὲ κοιναὶ καὶ δημόσιαι ἱλάρεια ἐκαλοῦντο, ὡς ὅταν βασιλεὺς ἀναγορευόμενος, τὰς δημοσίας ἱλαρίας παρεῖχε. Καὶ οὔτε πένθιμα

ἐν ταύ-

ἐν ταύταις φορεῖν ἐξῆν, ἀλλὰ καὶ θέαι καὶ θυσίαι καθ' ἑκάστην ἡμέραν διετελοῦντο δημόσιαι, καὶ οἱ πενθοῦντες ἐπαύοντο, καὶ ἐθεώρουν, καὶ ἐν εὐωχίαις ἀπαύστοις διῆγον τὰς προειρημένας ἡμέρας ταῖς τοιαύταις ἱλαρίαις. Ἦν δὲ καὶ Ἱλαρία, ἑορτὴ ἰδικὴ Ῥωμαίων εἰς τιμὴν τῆς Μητρὸς τῶν θεῶν αὐτῶν, μᾶλλον δὲ δαιμόνων, ὥς φησὶ Δημόφιλος ἐν τῷ περὶ τῶν παρ' ἀρχαίοις Θυσιῶν καὶ ἑορτῶν.

Διὰ βίου παντός.] Τουτέστι, μέχρι τὰ τῆς παρούσης ἐνέστηκε ζωῆς. Σημειωτέον δὲ, ὅτι δεῖ τοὺς θεοφιλεῖς διὰ βίου παντὸς νουθετεῖν τοὺς πεπλανημένους, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἕλκειν. Σημείωσαι οὖν αὐτό· τινὲς γὰρ ἀμαθῶς τὸ ἐναντίον λέγουσι, κεχρημένοι τῷ Ἀποστολικῷ ῥητῷ τῷ λέγοντι, Αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ πρώτην καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ· μὴ νοοῦντες τῶν εἰρημένων τὴν δύναμιν, ἐκ τῶν ἑπομένων ῥητῶν μάλιστα σαφηνιζομένην. Τότε γὰρ εὔλογος ἡ μετὰ πρώτην καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραίτησις, ὅταν ὁ διδάσκων πρὸς τὴν παραίτησιν ἔλθῃ, εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος, καὶ λανθάνει ὢν αὐτοκατάκριτος. Δῆλον γὰρ, ὡς ἐν τοῖς ἱεροῖς διδασκάλοις ἀποκαλύπτεται καὶ ἡ τῶν προσιόντων κατάστασις. Ἕτεροι δὲ τὸ, Μετὰ πρώτην καὶ δευτέραν νουθεσίαν, οὕτως ἐνόμισαν, ἀντὶ τοῦ, μετὰ τὴν ἐκ τῆς παλαιᾶς καὶ νέας Διαθήκης διδασκαλίαν.

Εἰώθει γὰρ εἰς τόνδε.] Σημείωσαι, ὅτι ἡ Ἀποστολικὴ παράδοσις τοὺς νυκτερινοὺς τῶν ψαλμῳδιῶν κανόνας παρέδωκεν.

Ἔξω ταραχῆς.] Τὸ Οὐ ἀρνητικὸν μόριον πρὸς τὸ Ἔξω ταραχῆς συνταπτέον, ἵνα ᾖ τὸ ὅλον τοιοῦτον, Διανίσταται, οὐδὲ τῶν ὕπνων πολλῶν ὄντων διὰ τὸ ἐγκόπτεσθαι αὐτοὺς, ἀπολαύσας, οὐδὲ ἔξω ταραχῆς ὑπάρχων, διὰ τὸ καὶ τοὺς ὕπνους ἐγκόπτεσθαι.

Ἐδεῖτο τοῦ Θεοῦ πρηστῆρί τινι.] Πρηστήρ ἐστιν ἑλικοειδὴς κίνησις ἄνωθεν κάτω ἀέρος διαπύρου. Καίει δὲ τὸ τοιοῦτον, ὅθεν καὶ παρὰ τὸ Πιμπρᾶν λέγεται.

Ἀπείρων ἀνθρωποειδῶς.] Σημείωσαι, ὅτι καὶ ἀνθρωποειδῶς τοῖς ἁγίοις Ἄγγελοι ἐπιφαίνονται.

Ὑπὸ τῆς τῶν οἰκείων ποδῶν.] Σημείωσαι τὸ Ὑπὸ τῆς τῶν οἰκείων ποδῶν ἀστασίας, ὃ δηλοῖ τὸ εὐπαράφορον τῆς προαιρέσεως· μὴ βουλόμενοι γὰρ, οὐκ ἔπιπτον.

quam lugubre gestare, sed spectacula sacri- SCHOLIA S. MAXIMI.
ficiaque in dies singulos celebrabantur, & lugentes tum sibi à luctu temperabant, atq; spectaculis intererant, inque publicis conuiuiis istiusmodi dies hilarios transigebant. Adhæc etiam erat Romanis peculiaris quidam dies festus Hilarius in honorem Matris Deorum ipsorum, quin potiùs dæmoniorum, vt inquit Demophilus in libro de Sacrificiis ac festiuitatibus antiquorum.

PER TOTAM VITAM.] Id est, quamdiu in præsenti vitâ degit. Notandum autem, *Errantes*
amicos Dei per totam vitam debere er- *semper instruendi.*
rantes instituere, & pertrahere ad agnitionem veritatis. Hoc ipsum itaque obserua: quidam enim imperitè contrarium asserũt, Apostolico oraculo abutentes, quo dicitur,
Hæreticum hominem post primam & alteram Tit. 3, 10.
admonitionem deuita; vim dictorum minimè intelligentes, quæ per sequentia verba maximè declaratur. Tunc enim post primam & secundam monitionem, euitatio iusta censeri debet, quando qui monet, ad euitationem procedit, compertum habens talem iam subuersum esse, etiamsi id lateat, cùm sit proprio iudicio condemnatus. Manifestum enim, quia sanctis Doctoribus reuelatur status conditióve præsentium. Alij verò dictum hoc, *post vnam & alteram monitionem*, sic intellexerunt, ac si dictum sit, post doctrinam ex veteri nouoque Testamento depromptam.

CONSVEVERAT ENIM TVNC.] Nota traditionem Apostolicam nocturnas psalmodiæ regulas tradidisse.

ABSQVE PERTVRBATIONE.] Illa particula negatiua *non* cum isto *absque perturbatione* construenda est, vt sit sensus, Experrectus surrexit, cùm somnos parũ quietos ob eorum interruptionem habuisset, neque absque perturbatione esset, ob somniorum interruptiones.

PRECABATVR DEVM VT FVLGETRO
QVOPIAM.] Fulgur est obliqua aëris in- *Fulgur*
flammati motio supernè deorsum. Adurit *quid.*
autem, vnde etiam à πιμπρᾶν deriuatur.

IN NVMERIS HVMANA FORMA.] Nota, etiã Angelos humanâ formâ sanctis apparere.

PRÆ PEDVM SVORVM.] Nota illud *præ pedum suorum lubricitate*, quod voluntatis procliuitatem designat: nam si noluissent, non cecidissent.

SCHOLIA S.MAXIMI.

Quomodo diabolus ad barathrum vrgeat.

In voraginem.] Nota quomodo diabolus homines detrudat in tenebras exteriores, quas hîc voraginem appellat, id est barathrum, siue decipiat, siue impellat à se persuasos. Interdum etiam homines flagitiosos sibi commilitones adsciscit in deceptionem aliorum, vt idololatram illum ad seductionem eius, de quo modò sermo est. Quapropter in visione hac vidit etiam viros in medio serpentum, id est, dæmonum, pertrahentes eos, qui à diabolo victi erant, à quibus nos liberet Dominus.

Malum propriè peccatum.

A malo.] Nota illud *à malo*, id est peccato, quod malũ propriè in voluntate gigni dicimus. Illud autem, *inuiti & coacti* non de vllâ necessitatis vi, id est de diabolo intelligendum est, sicut Manichæi & Messaliani sentiunt; sed quia persuasi vt mali quidpiam operemur, impostori locum damus, vnde nos assiduè adoriatur, ex nobis ipsis vires aduersus nos colligens: neque enim, non persuasis nobis, poterit quidpiam aduersus nos, quandoquidem in promptu adest nobis auxilium Dei, nos suffulciens, vti sequentia declarant.

Et manum benignam porrigere.] Aduerte ineffabilem Domini misericordiam.

Manu iam extenta.] Manu nempe Carpi.

Ne alii.] Scilicet crucifigentes, Dominus Carpo ait.

Bonorum et clementissimorum.] Nota, quòd etiam ipse Dominus bonos & benignos vocet Angelos.

Εἰς τὸ ἀχανές.] Σημείωσαι, πῶς ὁ διάβολος ῥίπτει τοὺς ἀνθρώπους εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, ὅπερ ἐνταῦθα ἀχανὲς καλεῖ, τουτέστι βάραθρον, ἢ ἀπατῶν, ἢ ὠθῶν τοὺς πειθομένους αὐτῷ. Ἔστι δὲ ὅτε καὶ ἀσελγεῖς ἀνθρώποις συνεργοὺς αὐτοῦ λαμβάνει εἰς τὴν ἑτέρων ἀπάτην, ὡς καὶ τὸν εἰδωλολάτρην ἐπὶ τὸν νῦν ἀπατηθέντα, περὶ οὗ ὁ λόγος. Διὸ καὶ ἐν τῇ ὀπτασίᾳ ἄνδρας ὁρᾷ μεταξὺ τῶν ὄφεων, τουτέστι τῶν δαιμόνων, ἕλκοντας τοὺς ὑπὸ τοῦ διαβόλου νικηθέντας, ὧν ἡμᾶς ὁ Κύριος ἐλευθερώσει.

Ὑπὸ τοῦ κακοῦ.] Σημείωσαι τὸ Ὑπὸ τοῦ κακοῦ, τουτέστι τῆς ἁμαρτίας, ὅπερ κυρίως κακὸν ἐν προαιρέσει τικτόμενόν φαμεν. Τὸ δὲ Ἄκοντες καὶ βιαζόμενοι, μὴ ἀναγκαστικήν τινα δύναμιν, τουτέστι τὸν διάβολον νοητέον, ὡς Μανιχαίοις καὶ Μεσαλιανοῖς δοκεῖ· ἀλλ᾽ ὅτι πειθόμενοι τὸ κακὸν πρᾶξαι, τῷ ἀπατῶντι χώραν δίδοσαμεν συνεχῶς ἡμῖν ἐπιτίθεσθαι, ἐξ ἡμῶν καθ᾽ ἡμῶν λαμβάνοντα τὴν ἰσχύν. ἀδυνατήσει δὲ, μὴ πειθομένων ἡμῶν, ἐπειδὴ ἐγγύς ἐστιν ἡμῶν ἡ βοήθεια τοῦ Θεοῦ συνεπιλαμβανομένη, ὡς δηλοῖ τὰ ἑξῆς.

Καὶ χεῖρα ἀγαθὴν ὀρέγειν.] Σημείωσαι τὴν ἄφατον τοῦ Κυρίου εὐσπλαγχνίαν.

Τῆς χειρὸς ἤδη προτεταμένης.] Τῆς χειρὸς τοῦ Κάρπου δηλονότι.

Μὴ ἄλλων.] Τῶν σταυρούντων δηλαδὴ, τῷ Κάρπῳ φησὶν ὁ Κύριος.

Ἀγαθῶν καὶ φιλανθρώπων.] Σημείωσαι, ὅτι καὶ αὐτὸς ὁ Κύριος ἀγαθοὺς καὶ φιλανθρώπους καλεῖ τοὺς Ἀγγέλους.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

§.I. Demophilvs hic Monachus erat, vt arguit vox Therapeutæ. Is autem insultabat Presbytero suo, quin etiam indignabatur, quòd quemdam è pœnitentibus suscepisset. Hunc igitur verberibus exceptum exturbarat, Presbyterum verò eliminarat, atque ipsemet, contra fas, rebus sacris se ingesserat. Hunc autem animosum vocat, exprobrans illi fortitudinem in malo, nullum interim pietatis testimonium præbens. Proponit igitur illi Moysis mansuetudienem, ob quam Dei visione dignus est habitus. Ita vt quando sacræ Litteræ tradunt, ipsum in Dei indignationem incidisse, & in auersionem vul-

Ὁ ΔΗΜΟΦΙΛΟΣ οὗτος μοναχὸς ἦν, ὡς δηλοῖ τὸ Θεραπευτῇ. Τυραννήσας δὲ κατὰ τοῦ πρεσβυτέρου αὐτοῦ, ἢ καὶ ἀγανακτήσας, ὅτι ἐδέξατό τινα ἐν μετανοίᾳ ὄντα ἁμαρτημάτων. Ἐξέβαλε τυπτήσας τὸν μετανοοῦντα, τὸν δὲ πρεσβύτερον ἐξώθησε, καὶ αὐτὸς τοῖς ἱεροῖς, οὐ θεμιτὸν ὂν, ἐπεχείρησε. Γενναῖον δὲ λέγει τοῦτον, ἰσχὺν εἰς τὸ κακὸν ὀνειδίζων αὐτῷ, ἀλλ᾽ οὐκ εὐλάβειαν ἐπιμαρτυρῶν. Προτίθησι τοίνυν τοῦ Μωϋσέως πρᾳότητα, δι᾽ ἣν καὶ τῆς θεοφανείας ἠξίωτο, ὥστε καὶ ὅταν λέγωσιν αὐτὸν αἱ Γραφαὶ ἐν ἀγανακτήσει τοῦ Θεοῦ γεγονέναι, καὶ ἐν

ἀποστροφῇ

ἀποστροφῇ τοῦ προσώπου αὐτοῦ, πρότερον, φησὶ, δεικνύουσιν αὐτὸν ἔξω γεγονέναι τῆς πρᾳότητος, καὶ εἶθ' οὕτως παθεῖν τὸ ἀπὸ ὄψεως γενέσθαι τοῦ Θεοῦ. Ὅτε δὲ ἀνακηρύττουσιν αὐτὸν, τὸ προὖχον καὶ ἐξαίρετον τῆς θεομιμησίας, ἀνακηρύττουσι τὴν πρᾳότητα· καὶ γὰρ καὶ διὰ ταύτην λέγεται θεράπων Θεοῦ. Ἀλλὰ καὶ ὅτε πρὸς αὐτὸν μὲν ὑπὲρ ἐθναρχίας, πρὸς Ἀαρὼν δὲ ὑπὲρ τῆς ἀρχιερωσύνης ἰταμοί τινες καὶ ἀναίσχυντοι ἐπισυνέστησαν, ἐπαρρησιάζετο λίαν πρᾳέως, καὶ τῷ εἰς προστασίαν λαοῦ κεκληθησομένῳ παρὰ Θεοῦ παρεχώρει τῆς ἀρχῆς. ἐπεμαρτύρετο δὲ, ὡς ἀναίτιός ἐστι τοῖς ἀρχομένοις ἁπάντων τῶν κακῶν. Ἀρχομένοις δέ φησι, τοῖς ὑπὸ ἐξουσίαν, δηλαδὴ τῷ λαῷ· ἠπίστατο γὰρ, ὅτι ὁ ὁμιλῶν τῷ ἀγαθῷ Θεῷ, ὀφείλει ἀποτυποῦσθαι πρὸς τὴν ἐκείνου ἀγαθότητα. Τί δὲ τὸν θεοπάτορα Δαβὶδ ἐποίει φίλον Θεῷ, εἰ μὴ ἡ πρᾳότης; Θεοπάτορα δὲ καλεῖ, διὰ τὸν Χριστόν· φησὶ γὰρ ὁ θεῖος Παῦλος, Ἀφωρισμένος εἰς Εὐαγγέλιον, ὃ προεπηγγείλατο ἐν Γραφαῖς ἁγίαις περὶ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα. Λοιπὸν, διὸ ἦν ὅτι πρᾷος πρὸς τοὺς ἐχθροὺς καὶ ἀγαθὸς, κατὰ τὴν καρδίαν εἶναι τοῦ Θεοῦ μαρτυρεῖται. Καίτοι γε οὐ ξένον ἦν τὸ εἶναί τινα πρὸς τὸν ἐχθρὸν αὐτοῦ προσηνῆ, ἐπεὶ καὶ νόμος ἔκειτο ἱερὸς, καὶ τῶν τοῦ ἐχθροῦ ὑποζυγίων προνοεῖν. Γέγραπται γὰρ ἐν τῷ νόμῳ, ὥστε καὶ τὸ τοῦ ἐχθροῦ ὑποζύγιον καταπῖπτον ἀνεγείρειν. Ἰακὼβ δὲ, καὶ Ἰωσὴφ, καὶ Ἄβελ (ὁ μὲν, ὡς ἄπλαστος ὢν καὶ κακίας ἐλεύθερος· ὁ δὲ, ὡς τοὺς ἀδελφοὺς ὅτε ὑποχειρίους εἶχεν αὐτοὺς, οἰκονόμος ὢν ἁπάσης Αἰγύπτου, οὐκ ἀμυνόμενος, εἰπὼν πρὸς αὐτοὺς, Μὴ φοβεῖσθε, τοῦ γὰρ Θεοῦ ἐγώ εἰμι· ὁ δὲ τῷ ἀδελφῷ Κάϊν ἀνυπόπτως συμπορευόμενος) ἀγαθοειδεῖς ἀνακηρύττονται. Οὐ γὰρ χρὴ τὸν ἀγαθὸν οὔτε προεπινοεῖν, οὔτε προσποιεῖν τὰ κακὰ, ἀλλὰ μηδὲ μεταπίπτειν ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ εἰς κακίαν, διὰ τὴν τῶν ἑτέρων κακίαν· ἀλλὰ μᾶλλον πλεονάζειν καὶ τότε τῇ ἀγαθότητι, ὡς ἂν κἀκείνους ἐκκαλοίη πρὸς τὸν ὅμοιον ζῆλον. Ἐπειδὴ περὶ ἀνδρῶν ἐμνήσθημεν, δεῖ δὲ καὶ ὑψηλοτέρων ἅψασθαι, ἀνανεύσωμεν καὶ κατανοήσωμεν, οὐ λέγω Ἀγγέλων ἀγαθότητας φιλανθρώπων, καὶ ὑπὲρ ἐθνῶν δεομένων τοῦ

tus eius, priùs, inquit, declarant, ipsum à mansuetudine desciuisse, & tum demum à diuinâ visione excidisse. Cùm verò ipsum commendant ab excellenti & eximiâ imitatione Dei, eius quoque mansuetudinem deprædicant. siquidem propter hanc Dei famulus nuncupatur. Sed & quando aduersus ipsum quidem pro primatu gentis, aduersus autem Aaronem pro Pontificatu, impudentes ac temerarij quidam conspirassent, libertate quadam placidè vsus, ei qui à Deo decerneretur populi prefecturam deferebat: protestabatur autem, se insontẽ esse calamitatum omnium quæ subditis obuenerant. Ait ἀρχομένοις, id est subditos, scilicet populum: quippe nouerat, eum qui bono Deo familiariter vtitur, debere pro virili in se imaginem exprimere diuinæ bonitatis. Quid porrò Dauidem illum Dei progenitorem amicum Deo reddidit, nisi mansuetudo? Dei autem genitorem vocat, propter Christum; ait enim diuus Paulus: Segregatus in Euangelium, quod promisit in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine Dauid, secundùm carnẽ. Ceterùm quòd etiam in hostes esset mansuetus & benignus, diuino testimonio dictus est esse secundùm cor Dei. Quamquam nec hoc nouum erat, aliquem etiam inimicis suis beneuolum existere, quando etiam lex posita erat de curando iumento inimici. Scriptum quippe est in lege, vt & inimici subiugale cadens leuaretur. Sed & Iacob, & Ioseph, & Abel (ille quidẽ vt fuci malitiæque expers; alter verò cùm fratres sibi haberet subiugatos, totius Ægypti moderator existens, minimè ipsos vltus, dixit ad eos, Nolite timere, Dei enim ego sum; tertius vnà cum fratre Cain, nihil suspicans mali, profectus est) benigni prædicantur. Neque enim eum, qui bonus est, oportet mala vel præcogitare, vel simulatè fingere, sed neque à bono degenerare, aut diduci ad malum per malitiam alienam: quin etiam tum potiùs abundare oportet bonitatem, vt & illos ad consimilis studij prouocet æmulationem. Iam quando virorum aliquot meminimus, ad sublimiora quoque attingenda prouehamur, eademque contemplemur, non dico Angelorum bonitates benignissimorum, vt qui etiam pro gentibus

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Moyses à mãsuetudine commẽdatus.

Rom. 1.

Exempla eorum qui à mansuetudine cõmendati sunt.

Act. 13.

Deut. 22.

Gen. 45.

Quanta sit Angelorũ benignitas.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Deum deprecantur, & apostaticas virtutes, dęmones inquam, propter homines duriùs increpant, quos etiam multitudines seu turbas vocat, non tam quòd numerosæ sint multitudinis, quàm quòd ab vno Deo procul desciuerint. Multitudo siquidem procul abest ab vnitate. Non itaque de his loquor; sed intueamur bonitatem Domini nostri IESV CHRISTI, ac veri Dei nostri, benignos eius radios tranquillo animo suscipientes: diuina enim tranquillitate gaudent, sicut aduersariæ potestates perturbatione. Nónne ineffabilis est bonitatis, quòd ea quæ non erant, fecit vt essent? hoc est vt perdurent, conseruat, sic vt idem sit conditor & conseruator, quique omnia cupit pro cuiusque aptitudine ad sui imitationem prouocare. Quid autem, quòd à se deficientes amore prosequitur, hortaturque ne à se prorsus excidant, propter quod etiam παράκλητος appellatur? Hortatur enim ne tam indignè ab eis deseratur, qui tot deliciis affluunt, atque insuper insolescunt. Hæc autem dictio insinuat eos qui impensè amantur, qui amatorum adeptionem procrastinantes, vtuntur hac corporeâ, id est præfractâ & molli consuetudine; quare dictio hæc ad res plerasque alias transsumitur consimilis formæ. Illis itaque tantam benignitatem temerè accusantibus, clemẽter per se reddit causam tantæ istius lenitatis, astruitque hoc modo curationem esse adhibendam. Intellige autem his verbis insinuari parabolam prodigi, quomodo nimirum ipsi pater adhuc diffito, accedenti tamen, prior occurrit, ipsumque circumplexus osculatur, immemor priorum; præsentibus quoque diem festum indicit, vnà cum sibi charissimis virtutibus exigendum, vt vna sit collætantium omnium habitatio, nimirum vt in simul omnes exhilarescãt, & collætentur. sic enim Sanctus hic dictam sententiam interpretatur. Quod autem dicit, totus totos circumplectens, mirè quidem facit, eos pudefaciens qui tum erant hæreticos, qui quidem animam saluari per Dei gratiam, non item corpus, prædicabant. Ait ergo, totus Dominus, vt qui & animam & corpus assumpsit, nos totos, qui animâ & corpore constamus, saluos fecit. Erant enim in errore isto tunc Simonis discipuli, & vsque ad Cerinthum, vt veteres illi, Irenæus & Hippolytus declarant.

Bonitas Christi Domini.

Θεοῦ, καὶ ἐπιτιμώντων ὑπὲρ ἀνθρώπων ταῖς ἀποστατικαῖς δυνάμεσι, δηλονότι τοῖς δαίμοσιν, ἃς καὶ πλήθυς λέγει, οὐ διὰ τὸ τῶν ἀριθμῶν πλῆθος, ἀλλ' ὅτι τοῦ ἑνιαίου Θεοῦ πόρρω ἀπέστησαν. Τὸ δὲ πλῆθος πόρρω τῆς μονάδος ἀπέχει. Οὐ λέγω γοῦν περὶ τούτων· ἀλλ' ἴδωμεν τὴν ἀγαθότητα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν, παραδεχόμενοι τὰς τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ ἀκτῖνας ἐν ἡσυχίᾳ· χαίρει γὰρ τὰ θεῖα τῇ ἡσυχίᾳ, ὥσπερ τῷ ὄχλῳ τὰ ἐναντία. Οὐ γὰρ ἀφάτου ἀγαθότητος, τὸ τὰ μὴ ὄντα ποιεῖν εἶναι; τουτέστι, διακρατεῖν πρὸς διαμονήν, ὥστε τὸν αὐτὸν εἶναι καὶ ποιητὴν καὶ συνοχέα, καὶ τὸ πάντα κατὰ τὴν ἑκάστου ἐπιτηδειότητα, βούλεσθαι ἐκκαλεῖσθαι πρὸς τὴν ἑαυτοῦ μίμησιν. Τί δαί, ὅτι καὶ τῶν ἀποφοιτώντων ἐρᾷ, καὶ παρακαλεῖ μὴ ἐκπεσεῖν αὐτοῦ τέλεον, διὰ τοῦτο γὰρ καὶ παράκλητος ἀκούει· Παρακαλεῖ γὰρ μὴ ἀπαξιωθῆναι παρ' ἐκείνων τῶν θρυπτομένων καὶ ἀλαζονευομένων. Ἡ λέξις δὲ ἐπὶ τῶν ἐρωμένων, οἳ τὴν πρὸς τοὺς ἐρῶντας ἀναβαλλόμενοι συντυχίαν, τοιούτῳ τῷ σωματικῷ, τουτέστι κεκλασμένῳ ἤθει κέχρηνται· ὅθεν λαμβάνεται καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοιοτρόπων πραγμάτων. Κἀκείνων εἰκῆ καὶ μάτην κατεγκαλούντων, αὐτὸς πρᾴως ἀπολογεῖται, καὶ θεραπεύσειν ἐπαγγέλλεται. Λάβε μοι δὲ καὶ τὴν τοῦ ἀσώτου παραβολὴν ἐπὶ τούτοις, πῶς ἔτι ἀπέχοντες τοῦ ἀσώτου, ὅμως ἐπεὶ πρόσεισι, προστρέχει καὶ ὑπαντᾷ, καὶ περιπλακεὶς ἀσπάζεται, καὶ ἀμνημονεῖ τῶν προτέρων, καὶ τοῖς παροῦσιν ἐνεορτάζει συνάμα τῶν φίλαις δυνάμεσιν, ἵνα ᾖ πάντων εὐφραινομένων ἡ κατοικία, ἵνα δηλονότι ἅμα ἐπὶ τὸ αὐτὸ πάντες εὐφραίνοιντο. οὕτως γὰρ ἐκλαμβάνει τὸ ῥητὸν κατὰ τὸ παρὸν ὁ Ἅγιος. Τὸ δὲ ὅλος ὅλους, θαυμασίως φησι, καταισχύνων τοὺς τότε αἱρετικούς, οἵ τινες ψυχὴν μόνην σώζεσθαι ὑπὸ Θεοῦ, οὐ μὴν δὲ καὶ σῶμα, ἔλεγον. Ὅλος οὖν φησιν ὁ Κύριος, ὡς ψυχὴν καὶ σῶμα λαβών, ὅλους ἡμᾶς τοὺς ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος σέσωκεν. Ἦσαν δὲ τότε οἱ ἀπὸ Σίμωνος, καὶ ἕως αὐτοῦ Κηρίνθου, ὡς δηλοῦσιν οἱ παλαιοὶ, Εἰρηναῖος καὶ Ἱππόλυτος.

Δημόφι-

Δημόφιλος δὲ, καὶ εἴτις ἄλλος κατ' αὐτὸν, ἐπιτιμᾶται, φησὶ, παρὰ τοῦ Θεοῦ, δηλονότι τοῦ τοὺς ἁμαρτωλοὺς θέλοντος σωθῆναι, καὶ ἐκδιδάσκεται παρ' αὐτοῦ, Καὶ πῶς οὐκ ἔδει, λέγοντος, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῇ διὰ μετανοίας εὐφραίνεσθαι; αὐτὸς γάρ εἰμι ὁ ἐπ' ὤμων ἄρας τὸ ἀπολωλὸς, ὁ χρηστὸς ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους. Ἔτι γὰρ ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν, Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε, φησὶν ὁ θεῖος Ἀπόστολος. Ὁ ἀνατέλλων τὸν ἥλιον ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς, ἥ φησι τὰ ἱερὰ Εὐαγγέλια· ὁ τιθεὶς τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν ἀποφευγόντων. Σὺ δὲ, ὦ Δημόφιλε, ὡς τὰ γράμματά σου δηλοῖ (αὐτὸς γὰρ προσαπέστειλε τῷ Ἁγίῳ, ἐναβρυνόμενος οἷον ἐπὶ τῷ τελεσθέντι) λέγεις, ὅτι καὶ προσπεσόντα τῷ πρεσβυτέρῳ ἀσεβῆ καὶ ἁμαρτωλὸν (τοῦτο δὲ κατὰ τὸν ἐκείνου λέγει λόγον, καὶ οὐ καθὼς ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἔχει· οὐδὲ γὰρ οὕτως εἶχεν ἀσεβῆ τὸν ἀπὸ ἁμαρτίας μετανοοῦντα) καθ' αὐτοῦ παρὼν ἀπελάκτισας. Τὸ δὲ Ἀσεβῆ καὶ Ἁμαρτωλὸν, ἀντὶ γενικῆς Ἀττικῶς εἴληφεν. Εἶτα ὁ μὲν ἐδεῖτο ζητῶν θεραπείαν· σὺ δὲ οὐκ ἔφριξας, ἀλλὰ καὶ τὸν ἱερέα καθύβριζες, δικαιώσαντα τὸν κατά σε ἀσεβῆ ὡς ἁμαρτωλὸν, ἐλέους ἄξιον εἶναι μετανοοῦντα. Καὶ τέλος, Ἔξιθι, ἔφης, καὶ αὐτὸς εἰς τὰ ἄδυτα εἰσεπήδησας, καὶ τὰ ἄχραντα συνῆξας μυστήρια, οἱονεὶ ἐπήρας, ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου βαστάσας. Ὡς ἔοικε γὰρ, ἔτι λειτουργοῦντι τῷ ἱερεῖ ἐπέστη ὁ Δημόφιλος. Τοῦτο γοῦν πεποίηκας ἀναξίως· Διακόνων γὰρ καὶ πρεσβυτέρων τὸ ποιεῖν τοιαῦτα, τοῦ νόμου λέγοντος, Καὶ οἱ ἱερεῖς περιστελοῦσι τὰ ἅγια, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς φησι. Καὶ γράφεις, ὅτι μέλλοντα διαφθαρῆναι τὰ ἅγια, ἀπέσωσας. Νῦν οὖν ἄκουε καὶ τὸ ἡμέτερον· οὐ θεμιτὸν πρεσβύτερον, κἂν ἁμαρτάνοι, ὑπὸ διακόνου ὑψηλοτέρου σου, ἢ καὶ μονάζοντος εὐθύνεσθαι· τάξις γὰρ συνέχει πάντα, πόσῳ γε μᾶλλον ἐπὶ τοῖς ἡμετέροις δεῖ τὴν τάξιν φυλάττεσθαι; Εἰ γὰρ ἀταξία, λοιπὸν ἐμερίσθη ἐφ' ἑαυτὸν ὁ Θεός. Πᾶσα δὲ βασιλεία, ἥτις μερισθήσεται, οὐ σταθήσεται, καὶ ἡ τοῦ Θεοῦ ἐστὶν ἡ κρίσις, Ἄγγελοι δὲ Θεοῦ οἱ ἱερεῖς μετὰ τοὺς ἱεράρχας εἰσί. Σὺ δὲ οὐδὲ τοῖς λειτουργοῖς, δηλονότι τοῖς διακόνοις, συνιστάμενος,

Ceterùm Demophilus, & ſi quis alius ſimilis huic, arguitur, inquit, à Deo, qui nimirum vult peccatores ſaluos fieri, atque ab eo edocetur qui dicit, Nónne oportebat te collætari ſaluti per pœnitentiam quæſitæ? equidem ipſe ſum, qui in humeros ſuſtuli quod perierat, ipſe qui erga alioquin ingratos benignus ſum. Cùm enim ipſi peccatores adhuc eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, ait diuinus Apoſtolus. Qui oriri facit ſolem ſuper bonos & malos, vt ſacra tradunt Euangelia: qui animam quoque ſuam ponit pro refugis. Tu autem, ô Demophile, vt tuæ litteræ declarant, (priùs enim ad hunc Sanctum litteras ipſe dederat, quibus ſe iactabat tamquam de re benè actâ) dicis quòd procidentem Preſbytero impium ac peccatorem (hoc autem dicit ex verbis eius, non prout in animo ſentiebat: neque enim habebat pro impio, quem planè cognorat admiſſi facinoris pœnitere) præſens ipſe calcibus extruſeris. Illud autem ἀσεβῆ καὶ ἁμαρτωλὸν pro genitiuis accepit, phraſi Atticâ. At interim ſupplex ille rogabat enixiùs, quærens remedium: tu autem nihil veritus, Sacerdotem inſuper contumeliis aſperſiſti, quòd eum qui in tuâ ſententiâ impius erat ac peccator, ſic tamen pœnitentem iuſtum pronũtiaſſet, & miſericordiâ dignum. Denique abire iuſſiſti, atque ipſemet impudens in adyta inſiliiſti, & intemerata myſteria cõfudiſti, & quaſi manu iniectâ ab altari remouiſti. Vt enim apparet, Sacerdoti etiamdum ſacris operanti Demophilus impreſſionem fecit. Hoc igitur abs te indignè factum eſt: Diaconis enim & Preſbyteris iſthæc munia conueniebant, dicente lege: Et Sacerdotes obuoluent ſancta, vti etiam in ſequentibus ait. Et ſcribis te ſancta, cùm violanda eſſent, ſeruaſſe. Nunc igitur noſtram ſuper his accipe ſententiam: Nefas eſt Sacerdotem, etiam peccantẽ, à Diacono, etiam te digniore, vel etiam Monacho, corripi; ordo enim continet vniuerſa, quantò ſanè magis in rebus noſtris ordo ſeruari debet? ſi enim in his ordo permiſcetur, reliquum fit, vt in ſeipſum Deus diuiſus credatur. Porrò omne regnum ſi diuiſum fuerit, non ſtabit, & ſi Dei eſt iudicium, Sacerdotes autem ſecundùm Antiſtites ſuos, Angeli ſunt. Tu verò ne ipſorum quidem Miniſtris ſeu Diaconis comparandus, vtpote

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Pœnitentes benignè excipiendi. Luc. 15.

Rom. 5,8.

Mat. 5,45.

Taxat Demophili temeritatẽ.

Superiorem ab inferiore non debere reprehendi.

Matth. 12, 24.

R 3 gradu

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

gradu inferior, ab ipsis disce Sacerdotibus, quorum officio Monachus fieri promeruisti: constructio enim hæc est per traiectionem, ab ipsis scilicet Sacerdotibus erudire, per quos habitum monasticum accepisti. An non testimonio etiam suo, verbum meum sacri illius ordinis Symbola suffulciunt? Adstant enim ipsi aræ proximè Pontifices, deinde Sacerdotes, ad portas mox Diaconi, ab externâ verò portarum parte, iuxtà tamen, Monachi consistunt; non quidem ad ipsarum custodiam, id enim muneris est eorum qui introrsum foribus assistunt, nempe Diaconorum, aut Subdiaconorum; verùm vt agnoscant tam se, quàm ordinem suum, cuius ordinis sint ac dignitatis, neque præstantioribus insultarent. Magis enim accedunt ad populum, quàm ad ordines sacros. Atque hoc non abs re dicit, eò quòd sacris initiati, proprium locum habent iuxta diuinum altare; Monachi autem extrorsum consistunt cum populo, etiamsi populo sint superiores. Hanc ob rem sacra etiam legislatio, vt hi diuinorum participes sint, administrandi munus istis concredidit qui interiores sunt. Intimi enim licet per Symbola, sine obumbrante tamen velamento, & vident & audiunt diuina, iisq; qui extra velamenta consistunt, Monachis nimirum, laicisque, atque insuper iis qui expiantur ordinibus, catechumenis, ac pœnitentibus, mysteria sacra pandunt, quæ intemeratè tamdiu seruata sunt, donec ipse tyrannicè in ea irrumpens, euulgari coëgisti quæ ne spectanda quidem tibi fuerant. Et tandem sacra hæc te habere & seruare gloriaris, nesciens nihil horum te obtinere: quando non tua, sed Sacerdotum intersit istius sacræ functionis. Illud autem quod addit, *sicut ne veritatem quidem*, & cetera, illum perstringens propter aliam quoque ordinis transgressionem & impudentiam, quando in dies verbis contendens, non ad ædificationem, sed ad audientium subuersionem, Scripturas lectitabat. Duobus itaque capitibus Demophili peccatum & inordinationem circumscribit, cùm quòd sancta inuaserit, tum quòd Presbyterum contumeliis onerarit, omittendo quòd pœnitentem calcibus impetitum exturbarit. Porrò duo ista

per omnia vagatur, ſimul etiam per varia illa multipliciaq; ſigna ad ſimplicem & conſtantem Dei cognitionem, eos quos nutrit, per accommodatam cuiuſque captui bonitatem manuducit. Hanc ob cauſam Eloquia illa diuinâ ſpiritaliaque, & rori, & aquæ, & lacti, & vino ac melli meritò aſſimulãtur, quia viuificandi ac fecundandi vt in aquâ, & ad incrementum perducendi vt in lacte, & recreandi vt in vino, purgandíque ſimul ac conſeruandi vt in melle vim habent: iſta nimirum diuina ſapientia donat ſuis aſſeclis, dum redundantium & indeficientium deliciarum ſuarum affluentiam eis præbet, & adhuc ſupereffluit. Iſtud nempe veraciter eſt epulari; &, idcircò vt viuificans ſimul & paruulos nutriens, renouanſque ac perficiens celebratur.

TEXTVS S. DIONYSII.

§. 5. *Quid ebrietas Dei myſticè ſignificet.*

Nempe iuxta hanc ſacram cõuiuij expoſitionem etiam ipſemet bonorum omnium auctor Deus inebriari dicitur, propter pleniſſimam, &, quæ omnem intelligentiam ſuperat, diuinæ epulationis, vel, magis propriè loquendo, bonæ habitudinis Dei perfectiſſimã & ineffabilem immenſitatẽ. Sicut enim ea quæ apud nos eſt ebrietas, in deteriorem partem capitur, eſtque immodica repletio, propter quam mente ſenſuq; deſtituimur; ſic in Deo ſi meliorem in partem capiatur ebrietas, nihil aliud eſt intelligenda, quàm pleniſſima bonorũ omnium immenſitas, quæ dum emanat, in ipſo ſecundùm cauſam præexiſtit. Quin & ipſum ſenſus exceſſum, qui ebrietatem comitatur, accipe-

TEXTVS S. DIONYSII. re oportet pro istâ Dei præcellentiâ quæ exuperat omnē sensum, per quam ab intelligendi ratione secernitur, cùm sit supra id quod intelligit & intelligitur, imò supra id quod est. Et cùm simpliciter Deus bonis omnibus quæ sunt, inebriatus esse dicitur, omniaque excedere, vtpote qui eis omnibus, totius immensitatis suæ præcellentiâ supraquam plenus sit, & extra omnia, & supra omnia sursum habitet: hisce loquendi rationibus inducti, sanctorum etiam in regno Dei conuiuia, eo-
Luc. 12, 37 dem modo accipiemus. Transiens enim, inquit, ipse Rex, faciet eos discumbere, & ministrabit eis; quæ vtique declarant communem quamdam & concordem Sanctorum in diuinis bonis societatem, & Ecclesiam primogenitorum qui conscripti sunt in cælis, & spiritus iustorum bonis omnibus esse consummatos, bo-
Quid discubitus in cælis. norumque omnium plenos. Porrò discubitum illum putamus significare requiem ex multis laboribus, & vitam inuiolatam, conuersationemq; diuinam in lumine ac regione viuorum, omni sacrâ iucunditate plenam, & omnigenorum beatorumque donorum abundantem elargitionem, quâ omni gaudio replentur, IESV eos exhilarante, & in mensâ collocante, & ipsis ministrante, & æternam quietem largiente, ac perfecta bona tribuente atque infundente.

σιν, τὴν ὑπεροχὴν τοῦ Θεοῦ τὴν ὑπὲρ νόησιν οἰητέον, καθ' ἣν ἐξῄρηται τοῦ νοεῖν ὑπὲρ τὸ νοεῖν ὤν, καὶ ὑπὲρ τὸ νοεῖσθαι, καὶ ὑπὲρ αὐτὸ τὸ εἶναι, καὶ ἁπλῶς ἁπάντων ὅσα ἐστὶν ἀγαθὰ μεμεθυσμένος ἅμα καὶ ἐξεστηκώς ἐστιν ὁ Θεός, ὡς πάντων αὐτῶν ἅμα καὶ ὑπερπλήρης ὢν ἀμετρίας πάσης ὑπερβολῇ, καὶ αὖθις ἔξω καὶ ἐπέκεινα τῶν ὅλων ἀνῳκισμένος· ἀπὸ δὴ τούτων ὁρμώμενοι, καὶ τὰ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ τῶν ὁσίων συμπόσια, κατὰ τὸν αὐτὸν ἐκληψόμεθα τρόπον. Παρελθὼν γάρ, φησίν, αὐτὸς ὁ βασιλεύς, ἀνακλινεῖ αὐτούς, καὶ αὐτὸς διακονήσει αὐτοῖς· ἐμφαίνει δὲ ταῦτα κοινήν τινα καὶ ὁμονοητικὴν τῶν Ἁγίων ἐπὶ τοῖς θείοις ἀγαθοῖς κοινωνίαν, καὶ Ἐκκλησίαν πρωτοτόκων ἀπογεγραμμένων ἐν οὐρανοῖς, καὶ πνεύματα δικαίων πᾶσιν ἀγαθοῖς τετελειωμένα, καὶ πάντων ἀγαθῶν ἀποπεπλησμένα. Καὶ τὴν ἀνάκλισιν, ἀνάπαυλαν οἰόμεθα τῶν πολλῶν πόνων, καὶ ζωὴν ἀπήμονα, καὶ πολιτείαν ἔνθεον ἐν φωτὶ καὶ χώρᾳ ζώντων, ἁπάσης εὐπαθείας ἱερᾶς ἀναπεπλησμένην, καὶ παντοδαπῶν καὶ μακαρίων ἀγαθῶν ἄφθονον χορηγίαν, καθ' ἣν εὐφροσύνης ἁπάσης ἀναπίμπλανται, τούτου δὴ τοῦ εὐφραίνειν Ἰησοῦ καὶ ἀνακλίνοντος αὐτούς, καὶ διακονοῦντος, καὶ τὴν αἰωνίαν ἀνάπαυλαν δωρουμένου, καὶ τὴν ἀποπλήρωσιν τῶν καλῶν διανέμοντος ἅμα καὶ ἐπιρρέοντος.

Ἐπιζητήσεις δέ, εὖ οἶδα, καὶ τὸν εὐφημούμενον ὕπνον τοῦ Θεοῦ,

§.6. Postulabis vtique, probè scio, explicari tibi celebrem illum Dei

καὶ

TEXTVS S. DIONYSII.

καὶ τὴν ἐγρήγορσιν ἀναπτυχθεῖσαι· καὶ ὅταν φῶμεν, θεῖον ὕπνον εἶναι τὸ ἐξῃρημένον τοῦ Θεοῦ καὶ ἀκοινώνητον ἀπὸ τῶν προνοουμένων· ἐγρήγορσιν δὲ, τὴν εἰς τὸ προνοεῖν αὐτοῦ τῶν παιδείας ἢ σωτηρίας δεομένων προσοχήν, ἐπ᾽ ἄλλα θεολογικὰ σύμβολα μετελεύσῃ. Διὸ καὶ περιττὸν οἰηθέντες εἶναι τὸ τὰ αὐτὰ τοῖς αὐτοῖς ἐπαναικυκλοῦντας ἕτερα δοκεῖν λέγειν, ἅμα δὲ καὶ ὑμῖν εἰς τὰ καλὰ πείθεσθαι συνεγνωκότες, τὰ μὲν τῆς ἐπιστολῆς ἄχρι τῶν εἰρημένων ἀποπαυόμεθα, ἐκτετελεκότες, ὡς οἶμαι, καὶ περιττὰ τῶν ἐν τοῖς ἡμετέροις γράμμασιν ἐποφλημένων. Αὐτὴν δὲ ὅλην ἡμεῖς τὴν Συμβολικὴν θεολογίαν ἀποστέλλομεν, καθ᾽ ἣν εὑρήσεις μετὰ τοῦ τῆς σοφίας οἴκου, καὶ τοὺς στύλους τοὺς ἑπτὰ διηυκρινημένους, καὶ τὴν στερεὰν αὐτῆς τροφὴν, εἰς θύματα καὶ ἄρτους διῃρημένην· καὶ τίς ἡ τοῦ οἴνου κρᾶσις, αὖθίς τε, τίς ἡ ἀπὸ τῆς μέθης τοῦ Θεοῦ κραιπάλη, καὶ αὐτὰ δὲ τὰ νῦν εἰρημένα, διεξοδικώτερον ἐν αὐτῇ διήρθρωται. Καί ἐστιν, ὡς οἶμαι, πασῶν τῶν συμβολικῶν θεολογιῶν εὑρετὶς ἀγαθὴ, καὶ συμβαίνουσα ταῖς τῶν Λογίων ἱεραῖς παραδόσεσι καὶ ἀληθείαις.

somnum & euigilationem; cumque dixerimus, diuinum quidem somnum esse id quod in Deo arcanum est & incommunicabile rebus ijs quæ prouidentiâ gubernantur; euigilationem verò esse ipsius prouidentiæ attentionem circa eos qui disciplinæ vel salutis indigi sunt; illicò ad alia signa Theologica transibis. Itaque superuacaneum rati eadem iisdem de rebus repetendo alia videri dicere, simulque nobis conscij, quòd vobis, vti æquum erat, morem gessimus, epistolæ quidem hîc finem facimus, cùm plura putem nos persoluisse, quàm literis tuis deberemus. Symbolicam porrò Theologiam nostrã totam mittimus, in quâ vnà cum domo sapientiæ columnas septem explicatas reperies, & solidum eius cibum, in hostias panesque diuisum, præterea quæ sit vini mixtio, quæ item crapula ex Dei ebrietate prouenient, & ea ipsa etiam quæ modò retulimus, ibidem fusiùs inuenies pertractata. Est enim, vt opinor, optima Symbolicarum inuentrix Theologiarũ, atque sacris sanctarum Scripturarum traditionibus ac veritatibus conueniens.

Quid Dei somnus & euigilatio.

ANNOTATIONES CORDERII.

NOTAT Pachymeres, Titum hunc eumdem esse ad quem S. Apostolus Paulus Epistolã scripsit, quem Cretæ præfecerat Episcopum.

§.1. Ostendit, Symbola rudioribus absurdas imagines ingenerare. Sic quoque Magnus Basilius, Qui, inquit, ad celsiores notiones ex verbis non ascendit, sed in ipsis delineationibus corporum verborũ compositione factis residet, audiet ex Moyse, Deum esse ignem, & à Daniele sapiente ad alias opiniones detorquebitur; ita fiet, vt non solùm falsas cogitationes, sed inter se pugnantes ex ipsis rebus colligat. *Quàm enim,* inquit Dionysius, *exteriora eius* [scilicet Symbolicæ Theologiæ] *plena sunt incredibilis & commentitij monstri?* Tale est vterus Dei Ps. 109,3. *Ex vtero ante luciferũ genui te.* Cor hominis eructans, Psal. 44,2. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Spiritus

Exempla Symbolorum mysticorum.

ANNOTATIONES CORDERII.

ritus ex ore ſpirans, Pſal.32,6. *Spiritu oris eius omnis virtus eorũ.* Sinus Dei, Ioan. 1,18. *Filius, qui eſt in ſinu Patris.* In his eſt, vt mihi videtur, Theologia myſtica generationis Filij ex ſubſtantiâ Patris tamquam ex vtero & ſinu; & proceſſionis Spiritus ſancti ex Filio, tamquam ex ore Patris, ac proinde proceſſionis ex Patre & Filio. *Myſticum* verò dicitur & eſt, quod tegitur vel figuratione rei, vel tranſlatione verbi. Et arbores, Prouerb.3,18. *Lignum vitæ*, &c. & Apoc.2,7. *Vincenti dabo edere de ligno.* Et ſurculi, Geneſ.49. *Ex germine fili mi aſcendiſti.* Iſaiæ 53,2. *Aſcendet ſicut virgultum.* Et flores, atque radices, Iſaiæ 11,1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos*, &c. Fontes, Ieremiæ 2,13. *Dereliquerunt fontem aquæ.* & Pſal.35,10. *Apud te eſt fons vitæ.* Splendores, vt apud Paulũ Heb.1,3. de Filio: *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ.* Dei prouidentiæ, Deut.32,11. *Sicut aquila prouocans ad volandum*, &c. & Exodi 19,4. *Quo modo portauerim vos ſuper alas aquilarum*, &c. Illud quoque ad prouidentiam pertinet, punire ſcilicet impios, Oſee 13,8. *Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis*, &c. Dona eius, Pſal.144,16. *Aperis tu manum*, &c. Offenſiones. vt cùm in figurâ hominis apparebat antiquis, vt in Geneſ.cap.18. & in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus. Aut poteſtates, vt oculi qui habent poteſtatem videndi, ne quid in bonis aut in malis lateat. Pſal.33,16. *Oculi Domini ſuper iuſtos.* Pedes, qui habent poteſtatem ambulandi, ad ferendum auxilium aut puniendum. Gen.3,8. *Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulãtis in paradiſo.* Similiter in nominibus aliarum partium corporis. Aut proprietates, vt in Prophetâ Amos c.7. adamas vocatur Deus, quod ſignificat non poſſe pati Deum, neque domari. Et ignis, Deuter.4. quia habet vim conſumendi habitus prauos. Aut ſtatus, quod ſignat immutabilem eſſe Dei naturam. Aut manſiones, quod ſignat eius immobilitatem. Vtrumque ſignificat lapis fundamentalis, Iſaiæ 28. Aut emanationes, quod ſignat communicationem diuinæ bonitatis, quæ myſticè ſignificatur, cùm Deus dicitur *lilium* & *flos*, propter communicationem odoris, vt Cant.2,1. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Aut ſecretiones. *Quæ*, inquit Apoſtolus 2.Corinth.6,14. *participatio iuſtitiæ cum iniquitate? quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conuentio Chriſti ad Belial?* Hanc ſecretionem ſiue ſeparationem quam Deus facit, ſignificat Scriptura myſticè, cùm in eâ *ignis* etiam dicitur: hæc enim proprietas ineſt igni, eſſe diſcretiuum, ſeparat enim plumbum ab argento, & cinerem à carbone. Vniones, quòd vniat ſecum Deus creaturas, & ad ſe conuertat, myſticè ſignificatur cùm dicitur Deus lapis angularis, Epheſ.2. forma viri, vt *Antiquus dierum ſedit*, Dan.7,9. Imò varias figuras ferarum, vt leonis, leænæ, pardi, vrſi, Oſee 13. aliorumque animantium, vt Ioan.1,32. *Vidi deſcendentem quaſi columbam.* & ſtirpium, Iſaiæ 53,2. *Aſcendet ſicut virgultum:* & Ioan.15,1. *Ego ſum vitis vera.* Quin etiam ornatus muliebres, qualis apud Iſaiam cap.3. & Ezech.16. quibus deſcribitur omne genus diuinæ prouidẽtiæ, quâ Deus populum ſuum circumſepſit, & quâ eum nudauit. & illud Pſal.44,10. *In veſtitu deaurato, circumdata varietate*, &c. & barbaræ armaturæ, Pſal.44,4. *Accingere gladio.* Figlina & conflatoria, ſignificant hæc myſticè in Deo prouidentiam reformantem ac refingentem, aut vim & facultatem ſecernendi & repurgandi. Iſa.29, 64. Ierem.9. Malach.3. Equi. Equi Dei ſignificant myſticè in oratione Habacuc 3. ſanctos Apoſtolos: *Qui aſcendes*, inquit, *ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.* Equi, inquit Cyrillus in eo loco, Apoſtoli & Euangeliſtæ ſunt omnibus modis diuinæ voluntati ſubiecti, & frenis parentes, ad omne munus celeres ac prompti, Chriſtum pro aurigâ habentes, ex quibus fuit vnus Paulus, de quo ipſe Chriſtus ait Actorum 9. *Vas electionis mihi eſt hic, vt portet nomen meum coram gentibus.* Et equitatus tuus ſalus. Currebant enim, non fruſtrà, ſed vt ſeruarent ciuitates & regiones. Hactenus Cyrillus. Currus Angeli ſunt, quos in modum currus Scriptura figurat, propter communionem ordinum qui ſunt eiuſdem Hierarchiæ, vt ait idem Dionyſius in extremo capite Cæleſtis Hierarchiæ. Pſal.67,18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.* Sedes. per has Dei iudicium ſignificatur, Dan.7. Cõuiuia, Luc.15. vt cùm vitulus occiditur in reditu filij luxurioſi. & Luc.22,30. *Vt edatis & bibatis ſuper menſam meam*, &c. Somnus & crapula, Pſal.77,65. *Excitatus eſt tamquam dormiens, tamquam potens crapulatus à vino.* Iras, Exodi 15,7. *Miſiſti iram tuam*, &c. & Pſal.6,1. *Domine, ne in furore tuo*, &c. Dolores, Iudicum 10,16. *Doluit ſuper miſeriis eorum.* Varia iuramenta, Geneſ.22,16. *Per memetipſum iuraui*, &c. & Iſaiæ 45. Pſal.94,11. *Iuraui in irâ meâ.* Ezech.18,1. *Viuo ego, dicit Dominus*, &c. Ierem.44,26. *Iuraui in nomine meo magno.* Pœnitentiæ, Gen.6,6. *Pœnituit eum*

eum quòd hominem fecisset. & de Saul, 1. Regum 15. Maledictiones, Malach. 2, 2. *Maledicā benedictionibus vestris.* Habac. 3, 14. *Maledixi sceptris eius.* Iræ inueteratæ, Ierem. 44, 21. *Horum recordatus est Dominus*, &c. & Exod. 20, 5. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios*, &c. Genes. 42, 22. *En sanguis eius exquiritur.* Quasi seruans iram vsq; ad illud tempus. Multiplices & obliquas rationes frustrandi promissiones. Frustrationes promissionum vocat hîc, cùm ea quæ promissa sunt, nō videntur ad exitum perducta, quatenus sensui apparet. Sunt tamen secundùm perfectam intelligentiam spiritus, vt quod promissum fuit Iacob Gen. 27, 29. *Esto dominus fratrum tuorum*, impletum est in Christo ex semine eius: sicut promissiones factæ Abrahæ de possessione terræ, & benedictione gentium, & factæ Dauid & Salomoni de regni perpetuitate. Obliquas ergo vocat huiusmodi rationes frustrandi promissiones, quia non fuerunt directè ad eos relatæ, qui frustrati videntur; sed ad Christum, cuius ipsi figuræ erant. Cum gigantibus pugna. Insidiatus dicitur Deus, id est cepisse consilium in illos, quasi metueret, vt doceret nos sic, vt quamuis iniuriâ afficiamur, & simus potentiores, apologiis tamen mutuis vtamur, excusemusq; nos apud eos qui iniuriis nos afficiunt. *Ecce*, inquit Gen. 11, 6. *vnus est populus, & vnum labium omnibus, cœperūtq; hoc facere, neque desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguā eorum*, id est, nemo queratur quòd diuisionem hanc faciam, quia enim non rectè vsi sunt ὁμοφωνίᾳ, id est vno labio, oportet facere vt vtantur διαφωνίᾳ, id est diuersitate labij. Sic igitur metum Deus figurauit, vt hoc quod dixi mysticè doceret. Et concilium illud: Illa fictio personarum, quæ scripta est in lib. 3. Reg. cap. 22, 20. Dei interrogantis in illo concilio, *Quis decipiet Achab Regem?* Et spiritus mali stantis coram Deo in terrâ, & respondentis. *Ego decipiam illum*, &c. illa inquam fictio personarum, docet mysticè, spiritum fallaciæ vti impiis & sceleratis hominibus tamquam instrumentis, & per eos promittere falsò victoriam, idque permissu Dei fieri; quia cùm prohibere possit, non prohibet, quia indignus sit custodiâ & defensione qui decipitur, vt tunc Achab.

Neque verò existimemus signa formarum apparentium suâ tantùm causâ effecta esse: id est, vt sic intelligantur, vt extrinsecus secundùm litteram nudam apparet. Non enim sic accipienda sunt, sed potiùs secundùm sensus quos symbola intus habent altè reconditos.

ANNOTATIONES CORDERII.

Ibidem paulò pòst: *Estq; arcanum siue mysticum cum symbolo implicatum.* Est enim (vt ait S. Maximus) in symbolo tamquam vmbra tecta veritas, vt in pascha Moysaico verum pascha, sicut scriptū est 1. Cor. 5, 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Huc pertinet illud ad Galat. 4, 22. *Abraham duos filios habuit*, &c. hæc enim sunt duo testamenta: & illud 1. Cor. 10, 4. *Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petrâ; petra autem erat Christus.* & similia. Quod autem *symbolum* verti cum Turriano, interpretationem S. Maximi secutus, Dionysius vocat τὸ ῥητὸν, id est, non tacitum, siue dictum; quia quod mysticè latet in symbolo est ἀπόῤῥητον, id est arcanum & tacitum. Itaque mysteria quæ in symbolis significantur, sunt ἀπόῤῥητα ἐν ῥητοῖς νοούμενα, id est occulta intellecta in symbolis.

Idem declarant etiam qui auditâ apertâ Theologiâ, effingunt in se typum quemdam, &c. Exemplum sit quod scriptum est in Ierem. cap. 13. de iis quæ apertè dixit Dominus sine vllo typo aut integumento, quomodo populum Israel sibi adiunxisset, & quomodo propter peccata esset puniendus. Et de lumbari, in quo tamquam in typo efficto voluit, vt Ieremias supplicium de populo Israel sumendum, & suam cum illo populo coniunctionem magis adhuc intelligeret, meliusque aliis exponeret. Vide Ieremiæ cap. 13. ver. 4. *Surge & vade ad Euphratem*, &c. Frequentia sunt istiusmodi exempla in Prophetis de apertâ Theologiâ, & de typis ad eam adhibitis.

Quin & ipsius quoque mundi aspectabilis fabrica quodammodò symbolorum vicem tenet, vt notauit S. Maximus. *Et ipsa veritas testatur.* Christum dicit, qui in Euangelio multa, quæ ad Theologiam apertam & demonstrantem pertinent, per symbola & parabolas loquebatur. Vnde Nicodemo dixit, vt Pachymeres obseruauit Ioan. 3, 12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?* Vt perinde sit hoc, vt mihi quidem videtur, ac si diceret: Si cælestia & diuina dixi vobis per symbola corporea, & naturæ vestræ cognata & familiaria, & non creditis, vt credendo intelligatis; quomodo, si dixero vobis cælestia absque istis imaginibus vobis notis, credetis? Docuerat enim Dominus Nicodemum exemplo venti de operatione occultâ, & spirituali creaturam ex aquâ & Spiritu sancto regenerante. Vbi vocem tantùm audimus, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sed quomodo operetur,

§. 2. *Quomodo etiā Christus parabolis & symbolis vsus sit.*

ANNOTATIONES CORDERII. tur, aut vnde incipiat, & vbi desinat, nescimus; vt in vento, qui est, vt ait Dionysius cap. 15. Cælestis Hierarchiæ, imago & typus diuinæ operationis, propter proprietates venti, quas ibidem Dionysius notauit, vbi etiam locum Euangelij citat, *Spiritus vbi vult spirat.* Ibidem infrà: *Deus ignis dicitur, & eloquia Dei ignea, & ordines Angelorum,* &c. Quomodo imago ignis conueniat præceptis diuinis, & quomodo Angelis, vide quæ notauimus ad cap. 13. Cælestis Hierarchiæ. Ignis autem etiam dicitur de prouidentiis, vt Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram.* Et de sermonibus Ierem. 23. *Numquid sermones mei non sunt quasi ignis?*

SCHOLIA S. MAXIMI.

§. I. *Titus quis.* Hic est ille S. Titus Apostoli familiaris, quem & Cretæ præfecit Episcopum; vt Epistola à D. Paulo ad ipsum Titum scripta declarat.

SED IN SYMBOLICA.] Quid contineat Symbolica Theologia magni Dionysij.

IMPRIMVNT.] Ἀπομόρξασθαι idē est quod ἐναπομάξασθαι καὶ ἐμβαλεῖν, id est instillare & immittere aliquid menti suæ, metaphorâ à pictoribus deductâ, qui attendentes veritati, depingunt imagines. Arcanæ autem sapientiæ Patres vocat Prophetas.

SIC ENIM SPECTANTES, VENERABIMVR.] Venerabimur, pro in veneratione habebimus, honorabimus, admirabimur, obstupescemus. Nota autem, de sanctâ & adorandâ
Trinitas consubstantialis. Trinitate dici, *vitæ fontem, in se ipsum effusum, & in seipso consistentem:* hinc enim etiam consubstantialitas demonstratur, & quòd vnitas in Trinitatem progrediens ad ipsam vsque sistatur; vti Gregorius quoque Theologus tradit in Oratione 1. de Filio, & in 2. de Pace. Nota item illud, *Ac semper se per seipsam contemplantem,* etiam de sanctâ Trinitate dictum.

QVÆ ENIM IN IPSA EXTRINSECVS.] In ipsâ, nempe Symbolicâ fictione. Positum autem hîc etiam est ὁπόσης pro πολλῆς: illud autem *extrinsecus* siue obuio dictionis sensu significatur.

VTERVM DEI CORPORALITER.] Vte-
Ps. 109, 4. rum Dei, propter illud: *Ex vtero ante luciferum.* Verbum in aërem, propter illud:
Psal. 44, 1. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Spiri-
Psal. 32, 6. tum exspirantem, propter illud: *Et spiritu*
Ioan. 1, 18. *oris eius.* Sinus verò, propter illud: *Vnigenitus qui est in sinu Patris.* In modum verò seu
Apoc. 2, 7. formam stirpis, propter illud: *Lignum vitæ;* & illud: *De virgulto fili mi ascendisti;* & il-
Isa. 27, 6. Ezech. 16, 3 lud: *Florebit & germinabit Iacob,* pro Christo acceptum, cuius fructus salute impleuit

ΑΓΙΟΣ Τίτος οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ Ἀποστόλου γνώριμος, ὃν καὶ Κρήτης κατέστησεν Ἐπίσκοπον, ὡς ἡ πρὸς αὐτὸν Τίτον γραφεῖσα Ἐπιστολὴ παρὰ τοῦ θείου Παύλου φησίν.

Ἀλλ' ἐν τῇ συμβολικῇ.] Τί περιέχει ἡ Συμβολικὴ θεολογία τοῦ μεγάλου Διονυσίου.

Ἐναπομόργνυνται.] Ἀπομόρξασθαι, ἐστὶ τὸ ἐναπομάξασθαι· καὶ ἐμβαλεῖν τι εἰς τὴν ἑαυτοῦ διάνοιαν, ἐκ μεταφορᾶς τῶν ζωγράφων, οἱ προσέχοντες τῇ ἀληθείᾳ, γράφουσι τὰς εἰκόνας. Τῆς ἀπορρήτου δὲ σοφίας πατέρας, τοὺς Προφήτας φησίν.

Οὕτω γὰρ ἂν θεώμενοι, σεφθείημεν.] Σεφθείημεν, ἀντὶ τοῦ, Ἐν σεβασμῷ ποιησοίμεθα, τιμήσοιμεν, θαυμάσοιμεν, ἐκπλαγείημεν. Σημείωσαι δὲ, ἐπὶ τῆς ἁγίας καὶ προσκυνητῆς Τριάδος τὸ, Πηγὴν ζωῆς εἰς ἑαυτὴν χεομένην, καὶ ἐφ' ἑαυτῆς ἑστῶσαν· δείκνυται γὰρ ἐντεῦθεν καὶ τὸ ὁμοούσιον, καὶ ὅτι ἡ μονὰς εἰς Τριάδα προελθοῦσα, μέχρις αὐτῆς ἵσταται. Οὕτω καὶ ὁ θεολόγος Γρηγόριος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Υἱοῦ λόγῳ φησὶ, καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ Εἰρηνικῷ. Σημείωσαι δὲ τὸ, Ἀεὶ δι' ἑαυτῆς ἑαυτὴν θεωμένην· περὶ τῆς ἁγίας δὲ Τριάδος καὶ τοῦτό φησι.

Τὰ γὰρ ἐκτὸς αὐτῆς.] Τῆς αὐτῆς, δηλονότι Συμβολικῆς πλάσεως. Κεῖται δὲ καὶ ἐνταῦθα, τὸ μὲν ὁπόσης, ἀντὶ τοῦ πολλῆς· τὸ δὲ Τὰ ἐκτὸς, ἤτοι τὰ προχείρως, ἐκ τῆς λέξεως ὑπαγορευόμενα.

Γαστέρα Θεοῦ σωματικῶς.] Γαστέρα Θεοῦ, διὰ τὸ, Ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου. Λόγον εἰς ἀέρα, διὰ τὸ, Ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν. Πνεῦμα ἐκπνεόμενον, διὰ τὸ, Καὶ τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ. Κόλπους δὲ, διὰ τὸ, Μονογενὴς ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρός. Φυτικὸς δὲ, ἤγουν κατὰ τὴν τῶν φυτῶν ἰδέαν, διὰ τὸ, Ξύλον ζωῆς ἐστί· καὶ τὸ, Ἐκ βλαστοῦ υἱέ μου ἀνέβης· καὶ τὸ, Ἀνθήσει καὶ ἐκβλαστήσει Ἰακὼβ ἐπὶ Χριστοῦ ληφθὲν, οὗ ὁ καρπὸς τῆς σωτηρίας,

σωτηρίας, ἐπλήρωσε τὴν γῆν, καὶ τὰ ὅμοια. Σημείωσαι οὖν, πῶς εἴρηται ἐπὶ Θεοῦ γαστὴρ, καὶ ἐρυγὴ τοῦ λόγου, καὶ τὰ τοιαῦτα.

Ἢ πηγὰς ὑδάτων.] Πηγὰς ὑδάτων, κατὰ τὸ, Παρὰ σοὶ πηγὴ ζωῆς· καὶ τὸ, Ἐμὲ ἐγκατέλιπον πηγὴν ζωῆς ὕδατος ζῶντος, καὶ ὅσα τοιαῦτα. Ἀπαυγάσματα δὲ, διὰ τὸ, Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης· καὶ, Κύριε ἐν τῷ φωτὶ τοῦ προσώπου σου πορεύσονται, καὶ ἐν τῷ φωτὶ ὀψόμεθα φῶς, καὶ τὰ παραπλήσια.

Ἐπὶ δὲ τῶν νοητῶν.] Δηλωτικὰ, τὴν μὲν προνοιῶν, τὸ, Ὡς ἀετὸς σκεπάσαι τὴν νοσσιὰν ἑαυτοῦ, καὶ τὰ σὺν αὐτῷ. Τὸ δωρεῶν δὲ, ὡς τὸ, Ἀνοίγεις σὺ τὴν χεῖρά σου· καὶ τὸ, Ὁ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκί· μᾶλλον δὲ καὶ τοῦτο τῆς προνοίας γνωριστικόν. Ἐκφάνσεων δὲ, διὰ τὸ ἐν σχήματι ἀνθρώπου ὀφθῆναι τοῖς ἐν τῇ παλαιᾷ ἁγίοις, καὶ ἐν εἴδει περιστερᾶς, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Προνοίας δὲ, καὶ τὸ τῶν ἀσεβῶν τιμωρητικόν· εἴρηται γοῦν παρὰ τῷ Προφήτῃ, Ὡς ἄρκτος ἀπορουμένη, καὶ ὡς πάρδαλις. Τῶν μὲν οὖν δυνάμεων ὑπογραφικὰ, ὀφθαλμοὶ καὶ ἑτέρων σωματικῶν μελῶν ὀνόματα. Ἰδιοτήτων δὲ, ὡς παρὰ τῷ Ἀμὼς ἀδάμας· ἴδιον γὰρ τῆς θείας φύσεως τὸ ἀπαθὲς καὶ ἀδάμαστον. Ὥσπερ οὖν καὶ τὸ ἀναλωτικὸν τῶν μοχθηρῶν ἕξεων, καθ' ὃ εἴρηται· Ὁ Θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον. Καὶ τὰ λοιπὰ δὲ τῶν εἰρημένων, πρόδηλα τοῖς φιλοπόνοις· καὶ ἡ τούτων ἀναγωγική τε καὶ ἀλληγορικὴ θεωρία, οὐκ ἀσύμφωνον. Ἔστι δὲ καὶ λαβεῖν, λήξεις μὲν καὶ μονὰς, τὸ τῆς θείας φύσεως ἀναλλοίωτον καὶ ἀμετάστατον, ὅπερ διὰ τῶν θεμελιωτικῶν λίθων ὑποδηλοῦται. Προόδοις δὲ καὶ διακρίσεις, τὴν τῶν φυσικῶς αὐτῷ ἐνυπαρχόντων ἀγαθῶν μετάδοσιν, ὥσπερ ἐν ὑποδείγματι, ἡ ἐκ τοῦ κρίνου εὐοσμία, παρ' ὃ καὶ λέγεται, Ἄνθος τοῦ πεδίου, κρίνον τῶν κοιλάδων. Οὕτως οὖν νοητέον καὶ τὰς ἑνώσεις τὸ πρὸς αὐτὸν ἐπιστρεπτικὸν καὶ συνδετικὸν τῶν κτισμάτων, διὰ τοῦ ἀκρογωνιαίου λίθου δηλούμενον. Κόσμοις δὲ γυναικείοις τὰ παρὰ τῷ Ἡσαΐᾳ κείμενα, τὸ παντοδαπὸν τῆς θείας προνοίας ὑπογράφοντα. Ὥσπερ οὖν καὶ τὴν χωνείαν καὶ τὸ χωνευτήριον ὑποληπτέον τὴν ἀναπλαστικὴν πρόνοιαν, ἢ τὴν διακριτικήν τε καὶ καθαρτικὴν δύναμιν.

terram, & similia. Nota igitur quomodo de Deo dictus sit vterus, & eructatio verbi, & similia. SCHOLIA S. MAXIMI.

AVT FONTES AQVARVM.] Fontes aquarum, iuxta illud: *Apud te est fons vitæ.* & illud: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuentis*, & quæcumque sunt similia. Splendores verò propter illud: *Qui cùm sit splendor gloriæ*; &: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in lumine tuo videbimus lumen.* & his similia. Psal. 35, 10 Ier. 2, 13. Heb. 1, 3. Psal. 98, 16

DE INTELLECTILIBVS AVTEM.] Quæ quidem prouidentias designant, iuxta illud: *Sicut aquila proteget nidum suum*, &c. ibidem, Bona item, iuxta illud: *Aperis tu manum tuam.* & illud: *Qui dat escam omni carni.* & prouidentiæ hoc magis est indiciũ: Et ostensiones, vt cùm in figura hominis apparebat veteris Testamenti sanctis, & in specie columbæ, Spiritus sanctus. Ad prouidentiam quoque pertinet punitio impiorum: dictum nempe à Prophetâ: Sicut vrsa indigens, & sicut pardalis. Potentias autem repræsentant oculi, & ceterarum partium corporearum denominationes. Proprietates verò, vt apud Amos, adamas; quoniam, diuinæ naturæ proprium est non posse pati, neque domari. Quemadmodum etiã quia vim habet prauos habitus consumendi dicitur: *Deus noster ignis consumens.* Cetera autem, quæ dicta sunt, studiosis lectoribus manifesta existunt; his etiam anagogica & allegorica contemplatio minimè dissentit. Quin etiam accipere liceat sortes & mansiones pro diuinæ naturæ immutabilitate atque constantiâ, quæ per fundamentales lapides insinuatur. Emanationes verò atq; secretiones, dicunt communicationem diuinæ bonitatis ipsi naturaliter inexistentis; exempli gratia per lilij fragrantiam, vnde etiam dicitur *flos campi, & lilium conualliũ.* Ita etiam vniones intelligendæ, quòd nimirum Deus vniat secum creaturas, & ad se conuertat, vt cùm dicitur lapis angularis. Ornatus item muliebres, quales sunt apud Isaiam, quibus describitur omne genus diuinæ prouidentiæ. Quemadmodum etiam conflatoriam figlinam officinam accipere oportet, vt significent hæc in Deo prouidentiam reformantem ac refingentem, aut vim & facultatem secernendi & repurgãdi. Deut. 32. Ps. 144, 16. Gen. 18. Oseæ 13. Amos 7. *Adamas quid mysticè.* Deut. 4. *Quid sortes mansiones, &c.* Cant. 2, 1. *Quid vniones, &c.* Isaiæ 3. *Quid conflatorium mysticè.*

SCHOLIA S. MAXIMI.

Quod enim ad armorum instrumenta pertinet, quæ hîc palàm recensentur, designant vim contraria destruendi & abolendi. Barbaricas autem armaturas fortè illud, *In vestitu deaurato, & accingere gladio super femur tuum potentissime.* Est autem rhomphæa barbaricum telum, vt ait Phylarchus Historicus. Similiter & fornacarius est omnis artifex, qui per ignem operatur.

Psal. 44.

ET CONVIVIA QVÆDAM.] Conuiuia quædam vocat epulas, vt est in Euangelio, cùm vitulus saginatus occiditur, &c. in reditu filij prodigi.

Luc. 15.

MVLTIPLICES ET OBLIQVAS.] Frustrationes promissionum vocat hîc, cùm ea, quæ promissa sunt, non videntur ad exitum producta, quatenus sensui apparet; v. g. vt ex multis pauca referam, quod promissum fuit Iacob. *Esto Dominus fratris tui*; & de perpetuitate regni, seminis Dauid, quæ videntur exitu frustrata secundùm apparentiam, sed nequaquam secundùm perfectam intelligentiam spiritus. Quod enim promissum fuit Iacob de dominatu, impletum est in Christo ex semine eius: sicut etiam promissiones factæ Abrahæ de possessione terræ, & benedictione gentium. Quæ autem ad Dauid sunt, ad solum Christum referũtur. Similiter etiam quæ de Salomone Psal. 72. dicta sunt. Varias itaque in his acceptiones diuersam explicationem admittentes multiplicia sophismata vocauit, non quasi argutè ac captiosè veritatem deludant, sed clarè id quod quæritur explicent.

Quæ sint frustrationes promissionum.

Gen. 27.

COMPOSITIONVM.] Compositiones intelligit eas, quæ symbolicè fiunt, quæ non pro seipsis factæ sunt, hoc est, vt sic ipsæ concipiantur quemadmodum signum propositum continet, & nuda littera insinuat; sed velamenta, inquit, sunt & figura intelligentiarum ac sensuum profundiorum. Hoc autem ait, quòd Symbola non propter mysticas ipsas compositiones excogitarint, sed propter indignos, ne, si iis obuia forent, facilè contemptui haberentur.

Symbolicæ compositiones cur adhibeantur.

VNAM QVIDEM ARCANAM.] Arcanam quidem & mysticam Scripturæ traditionem explicat, dum symbolicam vocat, vtpote per symbola traditam: eamdemque τελεστικὴν

Theologiæ Symbolicæ & demonstrantis differentia.

Τὰ γὰρ τῆς ὁπλιτικῆς διασκευῆς, πρόδηλα μὲν ἔνθα κεῖνται· δηλοῦσι δὲ τὸ καθαιρετικὸν καὶ ἀφανιστικὸν τῶν ἐναντίων. Βαρβαρικὰς δὲ ὁπλοποιΐας ἴσως ἐκεῖνο τὸ, Ἐν ἱματισμῷ διακεχρυσωμένῳ, καὶ περίζωσαι τὴν ῥομφαίαν σου ἐπὶ τὸν μηρόν σου δυνατέ. Ἡ γὰρ ῥομφαία βαρβαρικόν ἐστιν ὅπλον, ὡς ἱστορεῖ Φύλαρχος. Ὁμοίως δὲ καὶ βάναυσός ἐστι πᾶς τεχνίτης διὰ πυρὸς ἐργαζόμενος.

Καὶ δαιτάς τινας.] Δαιτάς τινας τὰς εὐωχίας φησὶν, ὡς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ, ὅτε ὁ μόσχος ὁ σιτευτὸς, καὶ τὰ λοιπὰ, γίνεται ἐν τῷ ἀσώτῳ υἱῷ.

Τὰ πολυειδῆ καὶ λοξά.] Ἀμαρτίας ἐπαγγελιῶν ἐν τούτοις φησὶ, τὸ ἔν τισι τῶν προῤῥήσεων κατὰ τὸ πρόχειρον δοκεῖν, μὴ τέλος λαβεῖν τὰ ἐπαγγελθέντα, οἷόν ἐστιν ὡς ἐκ πολλῶν ὀλίγα παραθέσθαι, τὸ πρὸς τὸν Ἰακὼβ λεχθὲν, Γίνου κύριος τοῦ ἀδελφοῦ σου· καὶ τὰ περὶ τῆς διαμονῆς τῆς εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ σπέρματος Δαβὶδ, ἅπερ ἐν τῷ προφανεῖ διημάρτον τῆς ἐκβάσεως, κατὰ δὲ τὴν ἀκριβῆ θεωρίαν οὐδαμῶς. Τὸ μὲν γὰρ τοῦ Ἰακὼβ διὰ τῆς τοῦ ἐξ αὐτοῦ ἐπικρατείας καὶ τῆς εἰς Χριστὸν ἀναγωγῆς πεπλήρωται, ὥσπερ καὶ αἱ πρὸς τὸν Ἀβραὰμ ἐπαγγελίαι, περὶ τῆς κατασχέσεως τῆς γῆς καὶ τῆς τῶν ἐθνῶν εὐλογίας. Τὰ δὲ πρὸς Δαβὶδ, μόνως εἰς τὸν Χριστὸν ἀναφέρεται. Ὁμοίως δὲ καὶ τὰ περὶ Σολομῶντος δοκοῦντα ἐν τῷ οβ. εἰρῆσθαι Ψαλμῷ. Τὰς οὖν ἐν τούτοις ἐξηγητικὰς ἀποδόσεις, τὸ ποικίλον ἐχούσας, πολυειδῆ ἐκάλεσε σοφίσματα, οὐχ ὡς παραλογιστικῶς τεχναζόμενα τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ὡς σαφῶς ἀναπτύσσοντα τὸ ζητούμενον.

Τῶν συνθημάτων.] Συνθημάτων φησὶ, τῶν συμβολικῶς γινομένων, ἃ παρ' ἑαυτῶν, τουτέστι παρὰ τὸ οὕτως νοεῖσθαι αὐτὰ, ὡς τὸ φαινόμενον ἔχει, καὶ τὸ γράμμα ψιλῶς ὑπαγορεύει, οὐ τυποθῆναί φησιν, ἀλλὰ προκάλυμμα εἶναι καὶ τύπον τῶν βαθυτέρων νοήσεων καὶ ὑπολήψεων. Τοῦτο δέ φησιν, ὅτι τὰ σύμβολα οὐχ ὑπὲρ ἑαυτῶν τὰ συνθήματα τὰ μυστικὰ ἐπενόησαν, ἀλλὰ διὰ τοὺς ἀναξίους, ἵνα μὴ προκείμενα αὐτοῖς εὐκαταφρόνητα δοκοίη.

Τὴν μὲν ἀπόῤῥητον.] Τὴν μὲν ἀπόῤῥητον καὶ μυστικὴν παράδοσιν τῆς Γραφῆς αὐτὴν ἐπεξηγεῖται, καλῶν συμβολικὴν, ἅτε διὰ συμβόλων χρησμωδοτηθεῖσαν· ἀλλὰ καὶ τελεστικὴν,

λεστικήν, ὡς τὰς τελετὰς τῶν μυστηρίων ἐν συμβόλοις παραδιδοῦσαν διὰ τῆς ἱερατικῆς παραδόσεως. Ταύτην δὲ τὴν ἀπόρρητον ἤτοι συμβολικὴν φησιν ἔχειν συμπεπλεγμένον τῷ ῥητῷ, τουτέστι τῷ ῥηθῆναι ἐπιτετραμμένῳ συμβόλῳ, καὶ τὸ ἄρρητον ἤτοι μυστικόν. Συνεσκίασται γὰρ ἐν τῷ συμβόλῳ τὸ ἀληθὲς καὶ ἀδημοσίευτον, ὡς ἐν τῷ νομικῷ πάσχα τὸ ἀληθὲς, ὅπερ εἴρηται, Τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. Τὸ δὲ δεύτερον μόριον τῆς θεολογικῆς παραδόσεως, ἐμφανές ἐστι καὶ γνώριμον, οὐ μὴν διὰ συμβόλων· ὅπερ καὶ φιλόσοφον καλεῖ, καὶ ἀποδεικτικὸν, οἷόν ἐστι τὸ τὰ ἠθικὰ, καὶ φυσικὰ, καὶ πρακτικὰ τῆς δημιουργίας παραδιδόν. Τοῦτο δὲ τὸ ἐμφανέστερον ἔχει τινὰ πειθὼ καὶ συνδεδεμένην τὴν ἀλήθειαν τοῖς λεγομένοις, καὶ τοῦτο γάρ ἐστι καὶ ἀποδεικτικόν. Τὸ δὲ συμβολικὸν οὐκ ἔχει τὸ πείθειν, ἀλλ' ἐνέργειάν τινα θείαν ἀφανῆ καὶ δραστήριον, ἥτις τὰς μυστηριώδεις καὶ θεωρητικὰς ψυχὰς διὰ τῶν μυστικῶν, ἤτοι συμβολικῶν αἰνιγμάτων ἐνιδρύει, καὶ οἱονεὶ θεμελιοῖ εἰς Χριστὸν, διὰ τῶν μὴ λόγῳ διδασκομένων μυστηρίων, ἀλλὰ σιγῇ καὶ ἀποκαλύψει ἐλλάμψεων Θεοῦ φωτίζει τὸν νοῦν εἰς τὰς τῶν ἀρρήτων μυστηρίων κατανοήσεις. Σημείωσαι δὲ, ὡς διπλῆ ἐστι τῶν Θεολόγων ἡ παράδοσις, καὶ πῶς, καὶ ποία ἐστί.

Καὶ τὴν μὲν συμβολικήν.] Συμβολικὴν καὶ τελεστικὴν, τὴν διὰ συμβόλων τελουμένην, οἷα τὰ τῆς νομικῆς λατρείας, καὶ τὰ τῆς μυστικῆς τῆς παρ' ἡμῖν ἱερουργίας μυστήρια, εἰ καὶ μᾶλλον ὑψηλά τε καὶ πνευματικὰ τὰ ἡμέτερα. Φιλόσοφον δὲ καὶ ἀποδεικτικὴν, τὴν διὰ τῆς κατανοήσεως τῶν κτισμάτων, καὶ τινῶν θείων οἰκονομιῶν, καὶ τῆς θεωρητικῆς ἐξηγήσεως τῶν περὶ Θεοῦ λεγομένων ἐν ταῖς Γραφαῖς συνισταμένην.

Πείθει καὶ καταδεῖται.] Πείθει καὶ καταδεῖται, οἱονεὶ δεσμόν τινα καὶ σφραγῖδα ἐπιτίθησι τοῖς λεγομένοις τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὸ πιστὸν τοῖς ἀκούουσι δίδωσι. Τὸ δὲ συμβολικὸν, διὰ τῶν τελουμένων προσοικειοῖ τῷ Θεῷ, πραγματικῇ ἕξει τε καὶ τυπώσει, ὅπερ καὶ ἀδιδάκτους μυσταγωγίας ἐκάλεσεν.

Ἡ τῆς νομικῆς παραδόσεως] Ὅτι οὐ μόνον ἡ νομικὴ παράδοσις, ἀλλὰ καὶ ἡ τελε-

appellat, vt quæ sacramentorũ cærimonias in symbolis tradat per sacerdotalem traditionem. Hanc autem arcanam siue symbolicam dicit oratione implexam esse, id est proferri vnà cum symbolo sibi accommodato, quod tamen etiam arcanum est seu mysticum. Veritas enim in symbolo est adumbrata, nec vulgo propalanda, vt in paschate legali, verum pascha, sicut scriptũ est, *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Illa 1. Cor. 5.
verò altera Theologiæ pars euidens est, & nota, non autem per symbola: hanc vocat philosophicam & demonstrantem, qualis est illa, quæ moralia & naturalia atque opera creationis recenset. Hæc enim manifestiorem quamdam vim persuadendi habet, & veritatem coniunctam cum iis quæ narrantur; quare etiam est demonstrans. Symbolica verò nihil habet quo persuadeat, sed habet efficaciam quamdam diuinam, quæ animas mysticarum rerum atque contemplationis studiosas, per mystica, id est symbolica ænigmata cõmunit, & in Christo quasi fundat per mysteria, quæ nullo sermone docentur, sed silentio & diuinarum illustrationum reuelatione percipiuntur, nec non mentem ad ineffabilia mysteria percipienda collustrat. Obserua autem quòd duplex sit Theologorum traditio, & quæ qualisque sit.

Et symbolicam qvidem.] Symbolicam & ad mysteria pertinentem vocat illam, quæ ex symbolis conficitur, cuiusmodi sunt mysteria cultus legalis, & mysteria nostri sacri cultus, tametsi altiora sunt, & magis spiritalia, nostra. Philosophicam autem ac demonstrantem vocat eam, quæ existit ex perspicientia creaturarum, diuinæque in quibusdam rebus prouidentiæ, & expositione speculatrice eorum, quæ de Deo in Scripturis dicuntur.

Persvadet et adstringit.] Persuadet & adstringit, id est eorum quæ dicũtur veritatem tamquam sigillo quodam obsignat, & efficit, vt, qui audiunt, credant. Symbolica verò, per ea, quæ fiunt, adiungit ad Deum quodam ipsius rei habitu & informatione, quod etiam vocauit ἀδιδάκτους μυσταγωγίας, id est, sacrorum initiationes à nemine edoctas.

Avt legalis traditionis.] Quoniam non solùm traditio legalis, verùm etiam no- Legalis traditio qualis.

SCHOLIA S. MAXIMI.

nostrorum mysteriorũ initiatio, sacris symbolis opus habuit. Et nihil id mirum est, cùm etiam Angeli per ænigmata diuina mysteria promant. Quin & ipse Dominus res diuinas in parabolis tradidisse cernitur.

τῇ τῶν καθ' ἡμᾶς μυστηρίων τῶν ἱερῶν ἐδεήθη συμβόλων. Καὶ οὐδὲν θαυμαστὸν, ὅπου καὶ οἱ Ἄγγελοι δι' αἰνιγμάτων τὰ θεῖα μυστήρια προάγουσι. Καὶ αὐτὸ ὁ Κύριος ἐν παραβολαῖς φαίνεται θεολογῶν.

Duplex traditio Theologica.

Theologica traditio

alia quidem est arcana & mystica, quæ item symbolica, & initians & efficax;	alia verò perspicua & nota, quæ est philosophica, & demonstrans, & persuadés.

Τῆς τῶν θεολόγων παραδόσεως,

ἡ μὲν ἀπόρρητος καὶ μυστικὴ, ἥτις ἐστὶ καὶ συμβολικὴ, καὶ τελεστικὴ, καὶ δραστική·	ἡ δὲ ἐμφανὴς καὶ γνώριμος, ἥτις ἐστὶ φιλόσοφος καὶ ἀποδεικτικὴ καὶ πιθανή.

SYMBOLIS.] Naturæ conformis ratio, cur aliqua quidem Scripturæ loca symbolica sint, aliqua verò pura.

Συμβόλων.] Φυσιολογία τὴν αἰτίαν ἔχουσα, διὰ τί τὰ μὲν συμβολικὰ, τὰ δὲ ἄχραντα τῆς Γραφῆς παραδέδοται.

Zach. 3. PER ÆNIGMATA.] Per ænigmata: vt apud Zachariam Angelus qui de Iesu filio Iosedech, & de stolâ eius in ænigmate loquitur: & apud Danielem Gabriel, qui de Christo differit, & simul ipsi mystica denuntiat, aliaque similia. Deifica autem vocat, vel quòd sui consortes deificent, vel quòd Dei operâ fiant.

Δι' αἰνιγμάτων.] Δι' αἰνιγμάτων, ὡς ὁ παρὰ τῷ Ζαχαρίᾳ Ἄγγελος τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ τοῦ Ἰοσεδὲκ, καὶ τῆς στολῆς αὐτοῦ τυπῶν καὶ λέγων· καὶ παρὰ τῷ Δανιὴλ ὁ Γαβριὴλ, τὰ περὶ Χριστοῦ διηγούμενος, καὶ τὰ σὺν αὐτῷ μυστικὰ ὑπαγορεύων, καὶ ἕτερα τοιαῦτα. Θεουργὰ δέ φησιν, ἢ τὰ θεὸν ἀποτελοῦντα τὰ μετέχοντα αὐτῶν, ἢ τὰ παρὰ Θεοῦ εἰργασμένα.

Typica mensa quæ. PER TYPICAM MENSAM.] Τραπέζωσιν vocat ea sacramenta, quæ in diuinâ mensâ per sacrum panem & calicem benedictionis consecrata sunt. Nota verò, cùm in antiquâ tum in nouâ lege multa tradi per symbola, & cur.

Διὰ τυπικῆς τραπεζώσεως.] Τραπέζωσίν φησι τὰ ἐν τῇ θείᾳ τραπέζῃ διὰ τοῦ ἁγίου ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας τελούμενα μυστήρια. Σημείωσαι δὲ, ὅτι καὶ ἡ παλαιὰ καὶ ἡ νέα Γραφὴ πολλὰ διὰ συμβόλων παραδίδωσι, καὶ διὰ τί.

Humana vita partim diuidua, partim indiuidua. HVMANAM VITAM.] Arbitror humanam vitam ipsum, indiuiduam & diuiduam dixisse. illud quidem propter animæ indiuiduitatem atque incorporeitatem, hoc verò propter corporis variã ac multimembrem proportionem. Obserua autem quàm mirificè tradat ea quæ sunt animæ. Nam id quod eius est, vocat indiuiduum atque expers passionis: hoc autem est id, quod in animâ sublimissimum est, atque, vt ita quis dicat, flos animi, quod est mens, à quâ etiam profluit vis rationalis, secundùm quam etiam anima intelligit. In hac mente simplicia & quasi nuda mysteria sine symbolicis scitè conspiciuntur. Pars autem eius diuisibilis, quam & passibilem appellat, est ea vis animi, quæ cum sensibus vnitur mediante spiritu animæ & corporis; in quo spiritu fundatæ sunt sentiendi & intelligendi, nec non intuitiuè contemplando cognoscendi, facultates. Hæc itaque pars animæ patibilis est, in quantum per sensus ad sensilium af-

Τὴν ἀνθρωπίνην ζωήν.] Ἀμέριστον οἶμαι εἰρηκέναι αὐτὸν τὴν ἀνθρωπίνην ζωὴν καὶ μεριστὴν, τὸ μὲν, διὰ τὸ τῆς ψυχῆς ἀμερὲς καὶ ἀσώματον, τὸ δὲ, διὰ τὸ τοῦ σώματος ποικίλον τε καὶ πολυμερές. Ὅρα δὲ, πῶς θαυμασίως τὰ τῆς ψυχῆς παραδίδωσι. Τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς, ἀμέριστόν φησιν, ὃ καὶ ἀπαθὲς καλεῖ· τοῦτο δέ ἐστι τὸ τῆς ψυχῆς ἀκραιφνέστατον, καὶ αὐτὸ, ὡς ἄν τις εἴποι, τὸ ἄνθος, ὅπερ ἐστὶν ὁ νοῦς, ὁ καὶ τὸ λογικὸν προχέων, καθ' ὃν νοῦν καὶ νοερὰ ἡ ψυχὴ, ἐν ᾧπερ νῷ τὰ ἁπλᾶ καὶ οἷον γυμνὰ συμβόλων χωρὶς μυστήρια ἐπιστητῶς ἐποπτεύεται. Τὸ δὲ αὐτῆς μεριστόν ἐστιν, ὃ καὶ παθητικόν φησι, τοῦτο δέ ἐστιν ἡ τῆς ψυχῆς δύναμις, ἡ πρὸς τὰς αἰσθήσεις ἑνουμένη διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ μέσου τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος, ἐν ᾧ πνεύματι ἐναπεστηριγμέναι εἰσὶν αἱ τῆς αἰσθήσεως, καὶ τῶν διανοήσεων τῶν διὰ τῆς σκέψεως γνωριζομένων δυνάμεις. Τοῦτο οὖν παθητικόν ἐστι τῆς ψυχῆς, ἅτε διὰ τῶν αἰσθήσεων εἰς προσπάθειαν ταύτης τῶν αἰσθητῶν κα-

ταφε-

παφερομένης. Τοῦτο δὲ τὸ μέρος, φέρε εἰπεῖν, τῆς ψυχῆς, ὡς ὁ νοῦς οὐκ ἔστι καθαρὸν, οὔτε ἐποπτεῦσαι δύναται τὰ θεῖα καὶ ἐπιστητὰ καὶ νοητὰ ἀμέσως, ἀλλὰ δεῖται μέσου τινὸς παχυτέρου, καθάπερ χειραγωγοῦντος αὐτὸ ἐπὶ τὰ ἁπλᾶ καὶ ἀμέριστα, ὅπερ ποιεῖ τὰ σύμβολα διὰ τῶν μεριστῶν, τουτέστι τῶν αἰσθητῶν καὶ φαινομένων ἐπὶ τὰ ἄρρητα ξεναγοῦν.

Καὶ τὸ μὲν ἀπαθὲς τῆς ψυχῆς.] Ἀπαθὲς τῆς ψυχῆς, τὸ νοερὸν, οὐχ ὡς πάντη ἀμέτοχον πάθους, ἀλλ' ὡς ἔξωθεν τοῦ πάσχειν οὐκ ἔχον τὰς ἀφορμὰς, ὥσπερ τὸ σῶμα πλείοσιν ὑποπίπτον κακοῖς συμπτώμασιν, ὅπερ ἡ ψυχὴ ἄνευ τῆς οἰκείας ἑκουσιότητος οὐχ ὑπομένει. Παθητικὸν δὲ αὐτῆς, τὸ διὰ τῶν αἰσθήσεων ἀντιληπτικὸν τῶν ἔξωθεν, ᾧ τινι συγγενὲς ἔφη τὸ διὰ συμβόλων σωματικῶν παραδίδοσθαι τὰ θεῖα, δι' ὧν πρὸς τὴν τῶν ἀΰλων ἀναγόμεθα θέαν.

Θεολογίας σαφοῦς.] Ὅτι καὶ οἱ θεολογίας σαφοῦς καὶ γυμνῆς προκαλυμμάτων ἀκηκοότες τύπους τινὰς ἐν ἑαυτοῖς ἀναπλάττουσι πρὸς νόησιν τοὺς ἀκροωμένους χειραγωγοῦντες. Ἄλλως. Θεολογίας σαφοῦς, οἷον ὤφθη Κύριος τῷ Ἀβραὰμ, ἢ τῷ Μωϋσεῖ, καὶ εἶπεν ὁ Κύριος, Καὶ ἐγένετο ὁ λόγος Κυρίου πρὸς τὸν Προφήτην, καὶ τὰ τοιαῦτα. Σαφοῦς δὲ, ὡς οὐ διὰ συμβόλων τυπωτικῶν. Τύπον οὖν φησιν ἀναπλαττόμενον, τὴν ἐπινοουμένην ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ῥητοῖς εὐσεβῆ θεωρίαν, καὶ τῇ θείᾳ φύσει κατάλληλον.

Τύπον τινὰ πρὸς τὴν νόησιν.] Ὥσπερ ὅταν ἐκ δένδρων τὰς ὑποστάσεις τῆς προσκυνητῆς Τριάδος παρίστησιν ὁ θεῖος Ἀθανάσιος, καὶ ἐξ ἄλλων οἱ λοιποὶ ἅγιοι. Τί καὶ αὐτὴ ἡ τοῦ κόσμου δημιουργία τῶν ἀοράτων τοῦ Θεοῦ προβέβληται τρόπον τινὰ συμβόλων τάξιν ἐπέχουσα.

Καθάπερ φησὶ Παῦλος.] Ὁ μὲν Ἀπόστολος οὕτω φησὶ, Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, ἐν τοῖς ποιήμασι καθορᾶται. Ὁ δὲ Χριστὸς (τοῦτον γὰρ οἶμαι, καλεῖ τὸν ἀληθῆ λόγον) ὅταν λέγῃ, Εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε, πῶς ἐὰν εἴπω ὑμῖν τὰ ἐπουράνια, πιστεύσετε; καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Διὸ καὶ οἱ Θεολόγοι.] Πολιτικῶς μὲν καὶ ἐννόμως τὴν τῶν κατορθούντων ὑποδοχὴν καὶ

fectionem commouetur. Hæc autem pars, vt ita dicam, animæ, v.g. mens, non est omnino pura, nec res diuinas & intellectiles ac spiritales immediatè contueri potest, sed opus habet medio quodam crassiore ipsam quasi manuducente ad simplicia indiuiduaque, quod symbola præstant per res diuiduas, id est sensiles atque apparentes, ad arcana promouendo.

SCHOLIA S. MAXIMI.

ATQVE ANIMÆ QVIDEM PARS IMPATIBILIS.] Animæ pars impatibilis est pars intelligens, non quòd omninò expers sit passionis, sed quòd externarum passionum nullæ se causæ offerant, sicut hoc corpus nostrum plurimis expositum est incommodis, quæ anima sine propriâ suâ voluntate non sustinet. Pars verò eius patibilis est ea, quæ per sensus res externas apprehendit, cui connaturaliter ait, per symbola corporea res diuinas tradi, quibus ad immaterialium rerum contemplationem adducimur.

Anima pars impatibilis qua.

APERTA THEOLOGIA.] Quòd etiam ij, qui Theologiam apertam & ab inuolucris nudatam audiunt, figuras aliquas in seipsis effingant, quibus auditores ad intelligentiam manuducunt. Aliter. Theologiæ apertæ sunt, vt cùm Dominus Abrahamo vel Moysi apparuit, Et dixit Dominus; Et factum est verbum Domini ad Prophetã, & similia. Apertam verò vocat, vtpote non per symbolicas figuras. Figuram denique fictam appellat piam contemplationem, quam in istiusmodi dictis concipimus, & diuinæ naturæ non incongruam.

Aperta Theologia qualis.

§.2.

TYPVM QVEMDAM AD INTELLIGENTIAM.] Vt quando D. Athanasius ex arboribus adorandæ Trinitatis personas repræsentat, & alij sancti ex rebus aliis. Quin & ipsa mundi creatura symbolorum vicem obtinens, inuisibilibus Dei obducta est.

Typi quales.

SICVT PAVLVS AIT.] Sic enim Apostolus ait: Quoniam inuisibilia ipsius, sempiterna quoque virtus eius, in creaturis conspiciuntur. Quin & Christus: (hunc enim vt existimo vocat Verbum verũ) cùm ait: *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si dixero cælestia credetis?* & quæ sunt huiusmodi.

Rom. 1, 20.

Ioan. 3, 12.

QVAMOBREM ETIAM THEOLOGI.]

In Scripturis quæ ciuiliter & quæ legaliter accipienda.

Ciuiliter quidem & legaliter [considerant] correctorum susceptionem, atque felicitatem,

SCHOLIA S. MAXIMI. tem, & peccantium punitionem ac cõdemnationem. Quin etiam expiantes ac puras instructiones, ac preseruantes admonitiones. Humano autem ac medio modo [accipiũt] v.g. interrogationes, iuxta illud: *Vbi est Abel frater tuus?* & illud: *Descendens videbo.* item illud: *Dominus interrogat iustum & impium.* Quæ etiam medio modo se habẽt, inter ea quæ Deo conueniunt, & inter ea quæ omnino dissona videntur, vt sunt similitudines bestiarum & materiarum inanimatarum. Quædam item supermundiali & perfectâ ratione intelligit, vt miracula, quæ Deus solâ voluntate suâ facit. Leges autem apparentes vocat, vt quando quodammodò excusat virginem in eremo violatam, & similia. Occulta verò oracula sunt, v.g. illud: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui,* aliaque similia. Dixit autem Pater *multiformiter*; quoniam alia quidem symbolicè, alia verò purè & supermundialiter Scriptura tradidit.

Gen. 4, 9. — Gen. 18, 21 — Psal. 10, 5. — Rom. 9, 13

Diuersa diuisio philosophiæ. ALIA QVIDEM CIVILITER.] Philosophia quidem partim est practica, partim speculatiua. Ac practica item alia est publica seu communis, & Politica seu ciuilis appellatur, vt legislatio; alia verò priuata seu particularis, vt Ethica seu Moralis. Media autem inter practicam est Oeconomica, speculatiuæ verò pars illa, quæ res sensiles ac mutabiles spectat, Physica & Cosmologica nuncupatur; quæ verò intellectilia & æterna contemplatur, contemplatiua & Theologica dicitur. Atque hæc inpræsentiarum exposuit. Media autem inter speculatiuam est Astronomica, & Mathematica, quæ sempiterna illa sensilia considerat. Hoc Scriptura quidem non dicit, sed Hebræi habent in Deuteronomio.

Sensus Scripturæ multiplex. NON ENIM NVDAM HISTORIAM.] Quoniam ea, quæ symbolicè, siue historicè in scripturâ narrantur, haud nudam historiam continent, sed viuificam perfectionem. Viuificam autem perfectionem vocat, quòd Sanctis scopus sit, per Scripturas erudiri, & ad vitam æternam perfici. Hęc autem dicit, ostendens, necessariò anagogen & allegoriam admittendam esse.

SACRO MODO PENETRARE.] Græcè διαβαίνειν, alia lectio habet διαβάλλειν, id est ingredi & intrare, & intra rem ipsam esse; vti etiam Diogenianus ait.

εὐπάθειαν καὶ τῶν πλημμελούντων τὴν κάκωσιν καὶ κατάκρισιν. Καθαρτικοὺς δὲ καὶ ἀχράντους τὰς νουθεσίας καὶ προφυλακτικὰς παραινέσεις. Ἀνθρωπικῶς δὲ καὶ μέσως, οἷον τὰς πεύσεις, ὡς τό, Ποῦ Ἄβελ ὁ ἀδελφός σου; καὶ τό, Καταβὰς ὄψομαι· καὶ τό, Κύριος ἐξετάζει τὸν δίκαιον καὶ τὸν ἀσεβῆ. Ἅτινα καὶ μέσως ἔχουσι τῶν τε θεοπρεπόντων, καὶ τῶν πάντη ἀπεμφαίνειν δοκούντων, τουτέστιν ὁμοιώσεως θηρίων καὶ ὑλῶν ἀψύχων. Ὑπερκοσμίως δὲ καὶ τελεσιουργικῶς φησι τὰς λόγῳ καὶ μόνῳ βουλήματι παραδοξοποιΐας. Νόμους δὲ φαινομένους, ὡς ὅταν ἀπολογίας ἀξιοῖ τὴν ἐν ἐρήμῳ βιασθεῖσαν παρθένον, καὶ τὰ ὅμοια. Ἀφανεῖς δὲ θεσμούς, οἷον, Τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα, καὶ ἕτερα τοιαῦτα. Πολυτρόπως δὲ ἔφη ὁ Πατήρ, διότι τὰ μὲν συμβολικῶς, τὰ δὲ ἀχράντως καὶ ὑπερκοσμίως ἡ Γραφὴ παραδέδωκε.

Τὰ μὲν πολιτικῶς.] Τῆς φιλοσοφίας τὸ μέν ἐστι πρακτικόν, τὸ δὲ θεωρητικόν. Καὶ τοῦ μὲν πρακτικοῦ τὸ μέν ἐστι κοινόν, ὃ καὶ πολιτικὸν καλεῖται, οἷον τὸ νομοθετικόν· τὸ δὲ ἴδιον, οἷον τὸ ἠθικόν. Μέσον δὲ πρακτικοῦ, τὸ οἰκονομικόν. Τοῦ δὲ θεωρητικοῦ τὸ μὲν ὠνόμασαι φυσικόν, τὸ ἐν αἰσθητοῖς καὶ μεταβλητοῖς, ὃ καὶ κοσμολογικόν ἐστι· τὸ δέ, ἐποπτικὸν καὶ θεολογικόν, τὸ ἐν νοητοῖς καὶ ἀϊδίοις. Ταῦτα νῦν ἐξέθετο ἐν τούτοις. Μέσον δὲ τοῦ θεωρητικοῦ, τὸ ἐν ἀϊδίοις καὶ αἰσθητοῖς, ὅπερ ἐστὶν ἀστρονομικὸν καὶ μαθηματικόν· ὅπερ ἡ μὲν Γραφὴ οὐ λέγει, οἱ δὲ Ἑβραῖοι ἐν τῷ Δευτερονομίῳ ἔχουσιν.

Οὐ γὰρ ἱστορίαν ψιλήν.] Ὅτι τὰ συμβολικῶς, ἤτοι ἱστορικῶς τῇ Γραφῇ εἰρημένα, οὐχ ἱστορίαν ἔχει ψιλήν, ἀλλὰ ζωτικὴν τελείωσιν. Ζωτικὴν δὲ τελείωσιν λέγει, τὸ σκοπὸν εἶναι τοῖς ἁγίοις διὰ τῶν Γραφῶν πρὸς τὴν αἰώνιον ζωὴν τελειοῦσθαι τοὺς διδασκομένους. Ταῦτα δέ φησι, δεικνὺς ἀναγκαίως τὴν ἀναγωγὴν καὶ ἀλληγορίαν παραλαμβάνεσθαι.

Ἱεροπρεπῶς διαβαίνειν.] Διαβαίνειν, γράφεται καὶ Διαβάλλειν, ὅ ἐστιν εἰσβαλεῖν καὶ εἰσελθεῖν, εἴσω τε γενέσθαι τοῦ πράγματος· οὕτω φησὶ καὶ Διογενιανός.

Τὰ ὑπερούσια φῶτα.] Ὑπερούσια φῶτα, καὶ νοητά, καὶ θεῖα, τὴν πανάχραντον καὶ παναγίαν Τριάδα φησί, νοητοὺς δὲ Ἀγγέλους, τοὺς ὑπεραναβεβηκότας. Τὴν δὲ διαφορὰν τούτων παρατεθείκαμεν ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων τελείως.

Κατὰ τῶν νοητῶν αὐτοῦ προνοιῶν.] Ἐπὶ μὲν προνοιῶν, ὡς τὸ ἐν Εὐαγγελίοις, Πῦρ ἦλθον βαλεῖν ἐπὶ τὴν γῆν. Λόγων δέ, ὡς παρὰ τῷ Ἱερεμίᾳ, Οὐχ οὕτως οἱ λόγοι μου ὥσπερ πῦρ, λέγει Κύριος; Τὴν τοῦ πυρὸς οὖν εἰκόνα δηλονότι, ἐπὶ τοῦ Θεοῦ, ἄλλως δεῖ ἐκλαβεῖν, καὶ ἄλλως ἐπὶ τῶν νοητῶν, Ἀγγέλων δηλονότι καὶ προνοιῶν Θεοῦ καὶ λόγων.

Καὶ τὴν μὲν κατ' αἰτίαν.] Τὴν τοῦ πυρὸς εἰκόνα κατ' αἰτίαν δηλαδὴ ἐπὶ τῶν Λογίων Κυρίου· τὴν δὲ καθ' ὕπαρξιν, ἐπὶ Θεοῦ· τὴν δὲ κατὰ μέθεξιν, ἐπὶ τῶν Ἀγγέλων. Τὸ δὲ καθ' ὕπαρξιν τοῦ κατὰ μέθεξιν διαφέρει ἐν τούτοις, τὸ μὲν γὰρ δηλοῖ οὐσίαν καθ' ἑαυτὴν οὖσαν, καὶ ἐπείσακτον ἔχουσαν τὸ θεοειδές, ὥσπερ ἐπὶ τῶν Ἀγγέλων· τὸ δέ, καθ' ὕπαρξιν πρᾶγμα, ἢ Λόγιον θεῖον, τουτέστιν ἐκ Θεοῦ προαχθέν.

Ὡς ἡ κατ' αὐτὰ θεωρία.] Ὅτι πρὸς τὰ ὑποκείμενα καὶ οἱ τύποι νοοῦνται, κἂν οἱ αὐτοὶ ὦσιν.

Ὑφ' ὑμῶν ζήτησιν.] Ἦλθεν εἰς ἐρώτησιν καὶ τὸ τῶν Παροιμιῶν πρόβλημα, καί φησι περὶ δυνάμεως τροφῆς.

Τὴν δὲ ὑγράν.] Σημείωσαι, ὅτι τὸ πίνειν ὑγρὰν τροφὴν ἐκάλεσε.

Κρατὴρ περιφερής.] Θεωρία τοῦ κρατῆρος καὶ τῆς αὐτοῦ περιφερείας.

Ἀνάρχου καὶ ἀτελευτήτου.] Ἄναρχόν φησι, τοῦ Θεοῦ τὴν πρόνοιαν, οὐχ ὅτι τῶν ὄντων ὡς συνάρχων προνοεῖ κατὰ τοὺς ἀφραίνοντας καὶ λέγοντας, Ἅμα Θεός, ἅμα πάντα· ἀλλ' ὅτι καὶ πρὶν ἢ παραχθῆναι τὰ ὄντα ἐν ταῖς ἰδέαις, ἤτοι παραδείγμασι τοῦ Θεοῦ, τουτέστιν ἐν ταῖς ἀϊδίοις αὐτοῦ νοήσεσιν (ἃς προορισμοὺς ὀνομάζειν τὸν θεῖον Παῦλον, ἐν τῷ περὶ Θείων ὀνομάτων ἔφημεν) καθ' ἃς ἰδέας καὶ νοήσεις τοῦ Θεοῦ, τὰ μέλλοντα παραχθῆναι προετετύπωτο, καὶ ἡ πρόνοια τοῦ Θεοῦ ἀνάρχως προϋπῆρχε πάσης κτίσεως. Προνοίας γὰρ θείας ἦν, ἤτοι προεννοήσεως, τὸ βούλεσθαι παραγα-

SCHOLIA S. MAXIMI.

SVPERNATVRALIA LVMINA.] Supersubstantialia, & intellectilia ac diuina lumina vocat purissimam & sanctissimam Trinitatem, superiores autem Angelos vocat intellectiles. Horum autem differentiam perfectè assignauimus in libro de Diuinis nominibus.

DE INTELLECTILIBVS EIVS PROVIDENTIIS.] De prouidentiis quidem, vt in Euangeliis, *Ignem veni mittere in terram.* De sermonibus verò, vt apud Ieremiam: *Numquid non verba mea quasi ignis, dicit Dominus?* Imaginem igitur ignis v.g. in Deo aliter accipere oportet, & aliter in intellectilibus siue Angelis, ac Dei prouidentiis ac sermonibus. Luc. 12, 49 Ierem. 23, 29.

ATQVE ILLAM QVIDEM SECVNDVM CAVSAM.] Illam igitur imaginem, secundùm causam nimirum, de eloquiis Domini; illam verò secundùm existentiã de Deo; illam denique secundùm participationem, de Angelis [dictam esse.] Illud autem, quod est secundùm existentiã, differt ab eo quod est secundùm participationem, in his, quòd nimirum illud quidem designet substãtiam per se existentem, sed adscititiam habentẽ deformitatem, vt in Angelis; hoc verò rem ipsam secundùm substantiam, siue verbum diuinum, id est à Deo productum.

VT SECVNDVM IPSA CONTEMPLATIO.] Quoniam secundùm subiecta etiam figuræ intelliguntur, quamuis eædem sint.

A NOBIS QVÆSTIONEM.] Venerat etiam in quæstionem propositio quædam è Prouerbiis, vbi de cibi virtute agit.

LIQVIDAM VERO.] Notum, ipsum potum liquidum cibum appellasse. §. 3.

CRATER ROTVNDVS.] Contemplatio crateris, & eiusdem circumferentiæ.

PRINCIPIO ET FINE CARENTIS.] Principij expertem dicit Dei prouidentiam, non quasi simul cum rebus existere incipiens, ipsis prospiciat, iuxta illos insanos, qui dicunt, Simul Deus, simul omnia: sed quia priusquam res producerentur in ideis siue exemparilbus diuinis, id est, in æternis eius notionibus (quas D. Paulum prædefinitiones appellare, diximus in libro de Diuinis nominibus) secundùm quas ideas & notiones Dei, res futuræ iam erant præformatæ, atque adeò prouidentia Dei absq; principio fuit ante omnem creaturam. Prouidentiæ enim diuinæ siue consilij prospicientis erat

Prouidẽtia Dei principij expers & infinita.

SCHOLIA S. MAXIMI.

etiam velle producere creaturam, prouidẽti eius bonitate fruituram. Secundùm hoc vtique etiam fine caret. Vel dicitur prouidentia quoad immortales Angelos, & nos ipſos immortalitate donandos, reſpectu bonorum quæ propter nos erunt.

Sapientia autem ædificat sibi domum.] Quid ſit ſapientiam ſibi domum ædificare, & in ipſâ apparere quæ narrauit, eamque & extra ipſam & intra ipſam exiſtere.

Et in vniverso est.] De hoc etiam dictum eſt in libro de Diuinis nominibus, quomodo ſtet & ſedeat. Notandum autẽ, ipſum hîc prouidentiam vocare Deum.

In se excellenter.] In his etiam illud *excellenter* accipiendum eſt pro minimè priuanter, ſiue non ſecundùm exiſtentiæ carentiam, vti propoſita ſumuntur.

Ἑστία vnde deriuetur.

§.3. Ceterùm ne epiſtolæ modũ excedamus, ad præmotam quæſtionem, & deſumptam è Prouerbiis propoſitionem veniamus. *Quænam eſculenta & poculenta dicantur in calis.* Enimuerò cùm quæſitum ſit, quænam eſculenta, quæve poculenta ſint ipſius ſapientiæ; dicimus de cibo, cibum ſupplere defectum, curare infirmitatem, conſeruare vitam, refloreſcere facere, & renouare, & vitalem bonam habitudinem conferre, ſimpliciterque triſtitiam propulſare, & lætitiam conciliare. Quamobrem rectè ſupraquàm ſapiens illa ſapientia craterem tenet, & potum propinat; hoc enim inſinuat verbum προνοεῖ. Priùs tamen cibos ſolidos apponens, omnes ad epulum inuitat, ipſa inquam eorum qui eius indigent amore clementer inducta, non vt prior inuitetur exſpectat, inuitat ipſa potiùs præ ſumma benignitate. Dupliciter ergo ſapientia nutrit, cùm per alimoniam tum per potionem. Ipſa verò crateris propinatio multiplicem deſignat prouidentiæ ipſius benignitatem. Crater igitur cùm ſit rotundus & apertus,

κατὰ τὴν μετοχήν. Διαφέρει δὲ τὸ κατὰ μέθεξιν Θεῖον τοῦ καθ' ὕπαρξιν ἐνταῦθα, ὅτι τὸ κατὰ μέθεξιν δηλοῖ οὐσίαν καθ' ἑαυτὴν οὖσαν καὶ ἐπακτὸν ἔχουσαν τὸ θεοειδές· τὸ δὲ καθ' ὕπαρξιν, πνεῦμα ἢ λόγιον θεῖον, τουτέστιν ἐκ Θεοῦ παραχθὲν καὶ λεχθέν. Οὕτω γὰρ οὐ συμφύρονται οἱ λόγοι τῶν συμβολικῶν ὀνομάτων, ἀλλὰ προσηκόντως τοῖς ὑποκειμένοις νοοῦνται· ὡς φέρε εἰπεῖν ἐπὶ τοῦ φωτός. Φῶς λέγεται ὁ Θεός, ἀλλὰ τῷ εἶναι αἴτιος τοῦ φωτός. Φῶς τὰ προστάγματα τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὕπαρξιν. Εἴπομεν δὲ ἀνωτέρω, πῶς ἐκλαμβάνεται τὴν ὕπαρξιν. Ἐπεὶ γὰρ φῶς ὁ Θεὸς λέγεται, ὑπάρχει δὲ τὸ πρόσταγμα ἐξ αὐτοῦ παραχθέν, φῶς καὶ αὐτὸς κληθείη, πλὴν οὐ κατὰ μέθεξιν· οὐ γὰρ τί ἄλλο ὂν τὸ πρόσταγμα, μετέσχε τοῦ θείου φωτός, ἀλλ' οὕτως αὐτὸ παρήχθη ἐκ Θεοῦ, καὶ Θεῖον, ὅπερ λέγει ὁ Πατὴρ καθ' ὕπαρξιν. Φῶς καὶ ὁ Ἄγγελος, ἀλλὰ κατὰ μέθεξιν τοῦ θείου φωτός. Φῶς αἱ ὑπερβεβηκυῖαι τῶν Ἀγγέλων τάξεις, κατὰ τὴν τάξιν καὶ τὴν ἀξίαν αὐτῶν, ὅτι τῷ πρωτίστῳ φωτὶ πλησιάζουσι, καὶ ὅτι δύναμιν ἔχον φωτιστικὴν καὶ ἀναγωγὸν τῶν ὑποδεεστέρων· καὶ οὕτω προσηκόντως ἀναπτύσσονται τὰ τῶν συμβόλων ὀνόματα πρὸς τὰ ὑποκείμενα πράγματα.

Ἀλλ' ὅπως μὴ ὑπὲρ τὸ μέτρον λέγοιμεν τῆς ἐπιστολῆς, ἔλθωμεν ἐπὶ τὴν ἐρώτησιν, καὶ τὸ τῶν παροιμιῶν πρόβλημα. Καὶ ἐπεὶ τὸ ἐρώτημά ἐστι, τίνα τὰ βρώματά εἰσι, καὶ τίνα τὰ πόματα, λέγομεν περὶ τῆς τροφῆς, Ἡ τροφὴ πληρωτική ἐστι τοῦ ἐνδεοῦς, καὶ τοῦ ἀσθενοῦς θεραπευτική, καὶ τῆς ζωῆς φρουρητική, καὶ θάλλειν ποιεῖ καὶ ἀνανεάζειν καὶ τὴν ζωτικὴν δωρεῖται εὐπάθειαν, καὶ ἁπλῶς, τὸ λυποῦν ἀπελαύνει, καὶ τὴν εὐφροσύνην χορηγεῖ. Καλῶς οὖν ἡ ὑπέρσοφος σοφία κρατῆρα ἱστᾷ, καὶ τὸ πόμα προχέει· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ Προνοεῖ. Μᾶλλον δὲ πρὸ τοῦ κρατῆρος, τὰς στερεὰς τροφὰς προτιθεῖσα, ἅπαντας συγκαλεῖται πρὸς εὐωχίαν, αὐτὴ ἐφιεμένη ἀγαθοπρεπῶς τῶν δεομένων αὐτῆς, καὶ οὐ παρακαλεῖται, ἀλλὰ παρακαλεῖ δι' ἄκραν ἀγαθότητα. Διττῶς οὖν τρέφει, διά τε βρώσεως, διά τε πόσεως. Ἡ δὲ πρόχυσις τοῦ κρατῆρος, τὰς προνοητικὰς αὐτῆς ἀγαθότητας παριστάνει. Ὁ κρατὴρ οὖν κυκλικῶς περιφερὴς ὢν καὶ ἐξηπλωμένος,

δηλοῖ

δηλοῖ τὸ ἀνηπλωμένον ἐπὶ πάντας τῆς θείας προνοίας, ἥ τις καὶ κύκλῳ πάντα περιλαμβάνει τὰ κτίσματα. Ἄναρχον δέ φησι τοῦ Θεοῦ τὴν πρόνοιαν, οὐχ ὅτι τῶν ὄντων τυχὸν συνάρχων προνοεῖ (οὐδὲ γάρ ἐστι τι τῶν ὄντων συνάναρχον τῇ ἁγίᾳ καὶ δημιουργικῇ καὶ μακαρίᾳ Τριάδι) ἀλλ' ὅτι καὶ πρὶν ἢ παραχθῆναι τὰ ὄντα, οἱ τῶν δημιουργημάτων λόγοι ἐν τῷ Θεῷ προῆσαν· καὶ ἐν ταῖς θείαις νοήσεσι τὰ μέλλοντα παράγεσθαι προτετύπωτο· διὰ τοῦτο καὶ ἡ πρόνοια τοῦ Θεοῦ ἀνάρχως προϋπάρχειν λέγεται πάσης τῆς κτίσεως. Προνοίας γὰρ τῆς θείας, ἤτοι προνοήσεως, καὶ τὸ βούλεσθαι παραγαγεῖν τὴν κτίσιν τὴν ἀπολαύσουσαν τῆς προνοητικῆς αὐτοῦ ἀγαθότητος. Κατὰ τοῦτο γοῦν καὶ ἀτελεύτητος ἡ πρόνοια λέγεται εἰς τοὺς ἀθανάτους Ἀγγέλους, καὶ τοὺς ἀπαθανατισθησομένους ἡμᾶς, καὶ τὰ δι' ἡμᾶς ἀγαθὰ ἐσόμενα. Πλὴν ἐπειδὴ καὶ πρόεισιν ἡ πρόνοια, καὶ ἀνεκφοιτήτως ἐν τῇ ταυτότητι ἑδραίως ἵδρυται (οὐ γὰρ διαχέεται καὶ ἀφανίζεται) διὰ τοῦτο λέγεται ὁ κρατὴρ ἑστάναι. Οἰκοδομεῖ δὲ ἡ σοφία οἶκον ἑαυτῇ, ὡς εἶναι καὶ ἔξω αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ. Καὶ ἐν αὐτῷ ἑτοιμάζει ἃ ἔφη, ὅτι καὶ ἐν τῷ παντὶ ἡ θεία πρόνοιά ἐστι, καὶ τὰ πάντα περιέχει, καὶ ἐν τῷ παντὶ οὐδὲν ἐν οὐδενὶ κατ' οὐδέν ἐστι, δηλαδὴ καθ' ὑπεροχήν· οὐδὲ γὰρ κατὰ στέρησιν, οὐδὲ δι' ἀνυπαρξίαν, ἀλλὰ καὶ ὢν καὶ ὑπὲρ ταῦτα ὤν, ὡς ἐν τῷ περὶ Μυστικῆς θεολογίας εἴρηται). Ἐξήρηται γὰρ τῶν ὅλων, οὐ κατ' ἄλλο μὲν τούτου, κατ' ἄλλο δὲ ἐκείνου· οὐδὲ ἄλλως τούτου, καὶ ἄλλως ἐκείνου· οὐδὲ τούτου μὲν ἀεί, τούτου δὲ ποτέ· ἀλλὰ ταυτῶς καὶ ἀϊδίως καὶ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχων, καὶ οὐδαμῶς τῆς οἰκείας ἑστίας ἀπολειπόμενος, ἔξω δηλονότι ἑαυτοῦ γινόμενος. (Ἑστία γὰρ λέγεται, τουτέστιν ἡ ὡς ἔστι διαμονή·) καὶ ἑστὼς ἐν ἑαυτῷ, καὶ ἀεὶ κατὰ τὴν πρόνοιαν κινούμενος, οὔτε ἑστὼς κατὰ τὴν πρόνοιαν, οὔτε κινούμενος κατὰ φύσιν· μᾶλλον δέ, ἐπειδὴ τὸ μὲν Ἑστὼς ἐπὶ τῆς κατὰ τὸ ἀναλλοίωτον μονιμότητος ἔλαβε, τὸ δὲ Κινούμενος ἐπὶ τῆς περὶ τὰ ὄντα προνοίας ἐφ' ἑκατέρου τούτων νοεῖν ἡμᾶς χρὴ καὶ προσάγειν τὸ καθόλου, ἵνα ᾖ τοιοῦτον τὸ λεγόμενον· Οὔτε ἑστὼς καθόλου ὡς μὴ κινεῖσθαι προνοητικῶς, οὔτε κινούμενος καθόλου, ὡς τῆς οἰ-

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

declarat expanſam ſupra omnes eſſe diuinã prouidentiam, quippe quæ creaturas omnes circumplectitur. Principio autem carere dicit diuinam prouidentiam, non quòd fortè cum rebus exiſtere incipiens, illis prouideat (nihil enim eſt in rebus ſanctæ illi rerum omnium creatrici ac beatæ Trinitati coæternum:) ſed quia priuſquam res producerentur, ipſarum in Deo rationes erãt creandarũ, inque Dei mente res futurę iam erant pręformatæ: idcircò etiam prouidentia Dei, ante omnem omnino creaturam præextitiſſe dicitur abſque principio. Prouidentiæ enim diuinæ, ſiue conſilij rebus proſpiciẽtis erat, etiam velle producere creaturam, prouidenti eius bonitate fruituram. Ad hunc ſanè ſenſum, quo ad immortales Angelos, & nos ipſos immortalitate donandos, fine quoq; carere prouidentia perhibetur, vti & reſpectu bonorũ quę propter nos erunt. Ceterùm cùm prouidentia, dum procedit, in ſemetipsâ quoque maneat, immobili, à quâ numquã recedit, idemtitate firmata (neque enim diffluit aut euaneſcit) idcircò crater cõſiſtere prædicatur. Ædificat autẽ ſibi domũ ſapientia, ita vt ſit & extra ipſam, & intra ipſam. Et in ipsâ quidẽ apparat quæ dixit, quia etiam in vniuerſo diuina prouidẽtia eſt, & vniuerſa continet, & in vniuerſo nihil in nihilo ſecundùm nihil eſt, ſcilicet per exceſſum: neque enim per priuationem, neque per abolitionem, ſed vt exiſtens & ſupra omnia exiſtens, prout in libro de Myſticâ Theologiâ dictum eſt. Eminet enim vniuerſis, non ſecũdùm aliud quidem huic, ſecundùm aliud verò illi; neque aliter huic, atque aliter illi; neque huic quidem ſemper, illi verò aliquando, ſed eodem modo & ſempiternè, & ſecundùm eadem & eodem modo ſe habens, nec vſquã à propriâ manſione deſciſcens, extra nimirum ſeipſam. (Ἑστία ſiquidem hîc dicitur, perinde atque *διαμονή*, id eſt permanſio) & ſtans in ſeipsâ, & per prouidentiam ſemper mota: neque ſtans ſecundùm prouidentiam, neque per naturam mota; quin potiùs quia *ſtans* accepit de permanentiâ ſecundùm immutabilitatem, *mota* verò de prouidentiâ circa res ipſas, de vtroq; nobis intelligendum eſt, & addendum *vniuerſim*. vt ſit hic ſenſus ſententiæ: Neque vniuerſim ita ſtans, vt nullatenus moueatur prouidendo; neque etiam vniuerſim ita mota, vt à propriâ ſtabilitate de-

Qualis domus ſapientia.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

descifcat. Idcircò enim ait, quòd licet ad prouidentiæ functiones moueatur, ſuam tamen obtineat ſtabilitatem; & licet in immutabilitate permaneat, prouidentię tamen functionibus moueatur.

§.4. *Quis cibus ſolidus.* Deinde tradit, quis ſolidus ſit cibus, & quis liquidus. Solidus quippe cibus ſymbolum eſt, nempe ſignum & ſignificatio intellectualis ac ſolidæ perfectionis. Sed quæ demum hæc intellectualis eſt & ſolida perfectio? Omnino illa, ſecundùm quam inintelligentiâ præditi, digni quoque habiti rerum diuinarum participatione, perficiuntur (ipſa enim intelligentia quædam participatio dicitur perfectionis) ſed ſecundùm ſcientiam conſiſtentem (quando quidem & hic cibus eſt ſolidus) & ſingularem & indiuiduam. Hoc autem dicit, quia nimirum in iis qui de Deo ſunt ſermonibus, nequaquam oportet in materiales intelligentias mentem diuidi, ſed vniformiter ſupernaturalem & inſcrutabilem diuinam naturam reputare. idque maximè decet eum qui ſenſoria organa interioris hominis habet admodum exercitata, in quibus Paulus ille admirabilis hauſit diuinæ aquas
1. Cor. 13, 11. ſapientiæ. Nam ipſius hic ſermo eſt: *Cùm eſſem paruulus, ſapiebam vt paruulus.* Perfectis deinde cibum ſolidum diſtribuit, quos priùs lacte potauerat, quãdo nimirum ſenſus intellectiles parum habebant exercitatos. Vt enim infans ſenſus corporeos adhuc habens inexercitatos, quidquid vel videt, vel audit, id vtique non ſicut ſe res habet, videt & audit (laruatam enim perſonam formidabilem putat, & verbum ſæpè lene accipit pro comminatione:) ſic qui ſecundùm animam infans eſt, ſenſus animæ habet inexercitatos, & nequit contemplari neque capere ſublimiorem aliquam conſiderationem, quam ſermo diuinus cibum

Quis cibus liquidus ſapientiæ. ſolidum appellat. Proinde liquidam alimoniam rurſum arbitror accipi debere pro compoſito figuratoque ſigno: ſubauditur enim, τῆς διαχυτικῆς ἐπιρροῆς, id eſt diffuſiuæ inundantiæ, videlicet doctrinæ quæ per plura & diuidua inſtruit. Neque enim vno ac ſimplici modo, ſed multiformi varioque edoctos, contingit ad perfectam illam Dei ſcientiam promoueri; ideoq; ſacra Eloquia rori, aquæ, lacti, vino atque melli aſſimilantur: cùm enim liquorem aqueum omnia referant, aqua autem viuificandi & fecundandi vim obtineat, propter hoc aquæ nomine

κείας μεθίστασθαι μονιμότητος· διὰ τοῦτο γὰρ λέγει, ὅτι καὶ εἰ κινεῖται εἰς προνοίας, ἀλλὰ τὸ μόνιμον ἔχει· καὶ εἰ μένει ἐν τῷ ἀναλλοιώτῳ, ἀλλὰ ταῖς προνοίαις κινεῖται.

Ἐντεῦθεν διαλαμβάνει, τίς μὲν ἡ στερεὰ τροφή, τίς δὲ ἡ ὑγρά. Ἡ γοῦν στερεὰ τροφὴ σύμβολόν ἐστι, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ σύνθημα τῆς νοερᾶς καὶ μονίμου τελειότητος. Ποία δέ ἐστιν ἡ νοερὰ καὶ μόνιμος τελειότης; Πάντως, καθ' ἣν νοοῦντες οἱ ἄξιοι καὶ τῶν θείων μετέχοντες (ἡ γὰρ νόησις μετοχὴ λέγεται) τελειοῦνται· ἀλλὰ κατὰ γνῶσιν ἑστῶσαν (ἐπειδὴ καὶ ἡ τροφὴ στερεὰ) καὶ ἑνιαῖον καὶ ἀδιαίρετον. Τοῦτο δέ φησιν, ὅτι δηλαδὴ χρὴ ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ λόγοις μὴ πρὸς τὰς ὑλικὰς ἐννοίας καταμερίζεσθαι τὸν νοῦν, ἀλλὰ μονοτρόπως, τὸ ὑπερφυὲς καὶ ἀνεξιχνίαστον τῆς θείας φύσεως λογίζεσθαι· καὶ ταῦτα τίνα, τὸν τὰ αἰσθητήρια τοῦ ἐντὸς ἀνθρώπου γεγυμνασμένα ἔχοντα, ἐν οἷς ὁ θεῖος Παῦλος ἀπαρρυσάμενος τῆς θείας σοφίας· τούτου γάρ ἐστιν ὁ λόγος, Ὅτε ἤμην νήπιος, ὡς νήπιος ἐφρόνουν. Μεταδίδωσι τῆς στερεᾶς τροφῆς τοῖς τελείοις, πρῶτον ποτίσας γάλα, ὅτε τυχὸν εἶχον τὰ νοητὰ αἰσθητήρια ἀγύμναστα. Ὡς γὰρ ὁ νήπιος, τὰ σωματικὰ αἰσθητήρια ἀγύμναστα ἔχων, ἅπαν ὃ ὁρᾷ ἢ ἀκούει, οὐ καθὼς ἔχει ὁρᾷ καὶ ἀκούει (τὸ γὰρ μηδὲν φοβερὸν μορμολύκειον οἴεται), καὶ λόγον πραῢν πολλάκις, ὡς ἀπειλητικὸν δέχεται) οὕτως καὶ ὁ νηπιάζων κατὰ ψυχήν, ἀγύμναστα ἔχει τὰ τῆς ψυχῆς αἰσθητήρια, καὶ οὐ δύναται ἢ θεάσασθαι ἢ ἀκοῦσαι θεωρίαν ὑψηλοτέραν, * ἣ τροφὴν στερεὰν ὁ λόγος ἀποκαλεῖ. * γρ. ἣν

Τὴν δὲ ὑγρὰν τροφήν, σύνθημα καὶ σύμβολον πάλιν οἴομαι· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἀπὸ κοινοῦ, τῆς διαχυτικῆς ἐπιρροῆς, δῆλον ὅτι τῆς διὰ πολλῶν καὶ μεριστῶν διδασκαλίας. Οὐχ ἑνὶ γὰρ τρόπῳ καὶ ἁπλῷ, ἀλλὰ πολυειδεῖ καὶ ποικίλῳ τοὺς διδασκομένους ἐπὶ τὸ τέλειον τῆς θεογνωσίας ἄγεσθαι συμβαίνει· διὸ καὶ δρόσῳ, καὶ ὕδατι, καὶ γάλακτι, καὶ οἴνῳ, καὶ μέλιτι τὰ θεῖα Λόγια παρεικάζονται· ἐπειδὴ γὰρ πάντα ὑδατηρά εἰσι, τὸ δὲ ὕδωρ ζωογόνον, διὰ τὴν τοιαύτην δύναμιν οὕτως λέγονται.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

λέγονται. Οὐ μὴν δὲ μόνον τὸ ὑδαρὸν ἔχουσιν, ἀλλὰ φέρουσιν ἕκαστον καί τινα ἰδίαν ποιότητα. Ὡς γοῦν αὐξητικὰ, γάλακτι ἐοίκασι· τὸ γὰρ γάλα, θρεπτικὸν καὶ αὐξητικόν. Ὡς ἀναζωτικὰ, οἴνῳ· ὁ γὰρ οἶνος ἀναζωτικὸς, τὸ ἔμφυτον διεγεῖρον θερμόν. Ὡς καθαρτικὰ καὶ φρουρητικὰ, μέλιτι· τὸ γὰρ μέλι καθαίρει μὲν καὶ τὰ ἑλκώδη, φυλάττει δὲ καὶ τὰ ἐν αὐτῷ τῶν ὀπωρῶν ἐμβαλλόμενα. Ταῦτα γοῦν ὑπερβλύζει ἡ θεία σοφία τὴν ψυχὴν δροσίζοντα, κατὰ ταῦτα καὶ εὐωχεῖ ὁ Θεὸς τοὺς ἀξίους· καὶ αὐτὸς μεθύειν λέγεται, ὡς πλήρης τούτων καὶ ὑπερπλήρης. Σημείωσαι δὲ ἐνταῦθα, ὅτι καὶ τὸ Εὐωχεῖν ῥῆμα ὁ Πατὴρ ἀπὸ τοῦ εὖ ἔχειν ἐτυμολογεῖ, καθὼς ἔχει καὶ ἡ τῆς εὐεξίας λέξις.

Ὡς γοῦν ἐφ' ἡμῶν ἡ μέθη κατὰ τὸ χεῖρον λέγεται, οὕτω κατὰ τὸ κρεῖττον ἐπὶ Θεοῦ, ὅθεν καὶ ἐφ' ἡμῶν ἡ ἀμετρία χεῖρον, ἐπὶ δὲ Θεοῦ κρεῖττον. Ἔτι δὲ καὶ τὸ ἐξεστηκέναι ἐπὶ Θεοῦ λέγεται κατὰ τὴν ὑπεροχὴν, καὶ τοῦ νοεῖν καὶ τοῦ νοεῖσθαι. Οὔτε γὰρ τὰ ὄντα γινώσκει ᾗ ὄντα εἰσὶν, ἀλλὰ κατά τινα ἐξῃρημένην, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον νόησιν· οὔτε μὴν παρὰ τῶν ἀξίων νοεῖται καθὼς ἔχει, ἐπεὶ καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτὸ τὸ εἶναί ἐστι, καὶ ἁπλῶς ὅσα εἰσὶν ἀγαθὰ, καὶ ὡς ὑπερπλήρης τούτων, μεθύων λέγεται. Καὶ ὡς αὖθις ἔξω καὶ ἐπέκεινα τῶν τοιούτων ἀγαθῶν ἀνῳκισμένος, ἐξεστηκὼς λέγεται· ὁ γὰρ ἐκστὰς, ἔξω πάντων γίνεται, καὶ οὐδὲν οἶδεν οὔτε τῶν ὄντων οὔτε τῶν τελουμένων. Τὸ γοῦν ἔξω πάντων εἶναι τὸ Θεῖον κατά τινα ὑπερανῳκισμένην ἕξιν, ἵν' οὕτως εἴπω, πρέπον ἐστὶ τῷ Θεῷ, καθ' ἣν οὐδὲ οἶδε τὰ ὄντα ᾗ ὄντα εἰσὶν, ἀλλ' ὑπεροχικῶς καὶ ἐξῃρημένως. Ἐκ τούτων ὁρμώμενοι, καὶ τὰ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν δεῖπνα, ἀλληγορήσομεν, ἅ τινα ἐμφαίνουσι κοινήν τινα καὶ ὁμονοητικὴν τῶν ἁγίων κοινωνίαν, ἣν καὶ Ἐκκλησίαν πρωτοτόκων φησὶν ὁ θεῖος Ἀπόστολος. Καὶ τὴν ἀνάκλισιν ἀνάπαυσιν τῶν πολλῶν καμάτων λογιζόμεθα. Εὐφραίνει δὲ τούτους ὁ Σωτὴρ ἡμῶν καὶ δεσπότης, καὶ ἀνακλίνει, ὅτι αὐτός ἐστιν αἴτιος ἁπάντων τῶν τοῖς ἁγίοις ἐναποκειμένων καλῶν.

Σὺ δὲ ἐπιζητήσεις καὶ τὸν ὕπνον, καὶ τὴν ἐγρήγορσιν ἐπὶ Θεοῦ ἀλληγορηθῆναι. Ὅταν

Eloquia designantur. Neque solùm hæc aqueum quid habent, sed singula quoque propriam quamdam qualitatem. Sic vtique quæ augendi vim obtinent, lacti comparantur, siquidē lac & nutrimento & incremēto conducit. Sic item quæ viuificant, excitántve, vino conferuntur, quoniam vinum est viuificum, & calorem suscitat naturalem. Sic & quę purgāt conseruantque, melli assimilantur, quia mel vlcerosa quidem purgat, & fructus illi iniectos conseruat. Hæc itaq; quæ animā irrorant diuina sapienter inundanti scaturigine effundit, nec non hisce Deus se dignos lautissimè excipit: quin & ipsemet inebriari dicitur, vtpote his plenus, & supraquam plenus. Interim nota verbum istud *εὐωχεῖν* hunc Patrē deriuare ab *εὖ*, id est benè, & *ἔχειν* habere, sicut & dictio *εὐεξία*.

Vt igitur in nobis ebrietas in peiorem, sic in Deo in optimam partem accipitur. vnde etiam apud nos immoderantia in deteriorem, in Deo verò in optimam partem sumitur. Insuper excessus ille in Deo, de ipso per eminentiam prædicatur, suprà quàm cogitemus aut intelligamus. Neque enim res cognoscit prout res sunt, sed iuxta præcellentē, & quàm humana sit augustiorem intelligentiā: sed neque à quamlibet dignis percipitur vt in se est, quia superat ipsum esse, & quæcumque vsquam bona sunt, & vt supraquam plenus horū, dicitur inebriatus. Rursus quòd extra simul & vltra hæc omnia bona sit constitutus, hinc dicitur excessisse: quòd qui ecstasi corripitur, extra omnia fiat, & nihil eorum quæ sunt, quæve facta iam sunt, omnino norit. Conueniebat quippe Deo vt sic extra omnia existeret, secundùm quamdam omnibus eminentiorem, vt sic dicam, habitudinem, per quam neque entia sicut entia sunt nouit, sed præcellentiùs & eminentiùs. Hisce loquendi rationibus inducti, sanctorum quoque in regno Dei cœnas ad allegoriam trahemus, vt quæ declarant communem quamdam & concordem sanctorum societatem, quam & Ecclesiam primogenitorum diuinus Apostolus appellat. Porrò discubitum illum putamus significare requiem ex multis laboribus. Exhilarat autem illos Saluator noster ac Dominus, iubetque accumbere, quoniam is auctor est vniuersorum, quæ sanctis reposita sunt, bonorum. §.5.

Quæ sint epula sanctorum.

Dein sciscitabere, quid somnus, quid euigilatio de Deo allegoricè dicta insinuent. §.6.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Cumque dixerimus, diuinum quidem ſomnum eſſe ſecretiſſimum Dei receſſum, euigilationem verò, eſſe ipſius ad prouidendum aſſenſionem, tu rurſum alia quæres. Itaque ſuperuacaneum rati, eadem iiſdem de rebus repetendo, videri velle alia dicere, præſenti epiſtolæ finem imponemus, cùm plura putem nos perſoluiſſe quàm litteris tuis exegeris: interim vobis de omnibus ſcire cupientibus morem gerentes, totam ipſam Symbolicam Theologiam tranſſcribimus, in quâ reperies omnia, & de ſapientiâ, & de domo, & de ſolido cibo in panes hoſtiaſque diuiſo, & de ceteris omnibus. Eſt enim libellus hic talis, vt in eo queas inuenire Symbolicæ totius Theologiæ rationes, mireque conſentit cum ſacris traditionibus, quas à ſancto Apoſtolo & præceptore noſtro accepimus.

ὕπνον φαμὲν τοίνυν, τὸ οἷον παραχωρητικὸν τοῦ Θεοῦ δηλοῦμεν, ὅταν δὲ ἐγρήγορσιν, τὴν εἰς τὸ προνοεῖν προσοχήν, σὺ δὲ πάλιν καὶ ἄλλα ζητήσεις. Διὸ καὶ περιττὸν μὲν οἰηθέντες τὰ αὐτὰ ἐπανακυκλοῦντες, ἕτερα δοκεῖν λέγειν, ἐνταῦθα στήσομεν τὸν τῆς ἐπιστολῆς λόγον, ἀποδεδωκότες, ὡς ὑπολαμβάνω, καὶ πλείονα ὧν ἐν τοῖς σοῖς γράμμασιν ἐπεζήτησας· πειθόμενοι δὲ πάλιν ὑμῖν θέλουσι περὶ πάντων μανθάνειν, αὐτὴν ὅλην τὴν συμβολικὴν θεολογίαν ἀποστέλλομεν, καθ' ἣν εὑρήσεις πάντα, καὶ περὶ τῆς σοφίας, καὶ περὶ τοῦ οἴκου, καὶ περὶ τῆς στερεᾶς τροφῆς, διαιρουμένης εἰς ἄρτους καὶ θύματα, καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων. Ἔστι γὰρ τὸ τοιοῦτον βιβλίον εὑρετικὸν ἁπασῶν τῶν συμβολικῶν θεολογιῶν, καὶ ὁμοφωνοῦν πρὸς τὰς ἱερὰς παραδόσεις, ἃς παρὰ τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ διδασκάλου ἡμῶν παρελάβομεν.

EPISTOLA X.

Ioanni Theologo, Apoſtolo & Euangeliſtæ, in Patmo inſulâ exulanti.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ Ι'.

Ἰωάννῃ Θεολόγῳ, Ἀποστόλῳ, καὶ Εὐαγγελιστῇ, περιορισθέντι κατὰ Πάτμον τὴν νῆσον.

SYNOPSIS.

Beato Ioanni Apoſtolo & Euangeliſtæ Chriſti diſcipulo dilecto, in Patmo inſulâ exulanti, propheticè prædicit celerem ab exilio liberationem, & reditum in Aſiam, vbi exemplo ſuo plurimis profuturus ſit.

S. Ioannes diſcipulus dilectus.



SALVTO te ſanctam animam, ô dilecte, quoniam id mihi præ ceteris tecum licet familiarius. Salue ô verè dilecte, & perquam dilecte illi, qui verè amandus, & expetendus, & diligendus eſt. Quid mirum ſi Chriſtus vera loquitur, & iniqui diſcipulos è ciuitatibus expellunt, ſibi ipſi quæ merentur tribuentes, dum à viris ſanctis ſceleſti ſe ſegregant atque recedunt. Reuerà quæ videntur manifeſtæ ſunt imagines eorum quæ non videntur: neque enim in

Mali oderũt probos.



ΠΡΟΣΑΓΟΡΕΥΩ σε τὴν ἱερὰν ψυχὴν ἠγαπημένε, καί ἐστι μοι τοῦτο πρός σε παρὰ τοὺς πολλοὺς ἰδιαίτερον. Χαῖρε ἀληθῶς ἠγαπημένε, τῷ ὄντως ἐραστῷ καὶ ἐφετῷ καὶ ἀγαπητῷ, λίαν ἠγαπημένε. Τί θαυμαστὸν εἰ Χριστὸς ἀληθεύει, καὶ τοὺς μαθητὰς οἱ ἄδικοι τῶν πόλεων ἐξελαύνουσιν, αὐτοὶ τὰ κατ' ἀξίαν ἑαυτοῖς ἀπονέμοντες, καὶ τῶν ἁγίων οἱ ἐναγεῖς ἀποδιαστελλόμενοι καὶ ἀποφοιτῶντες. Ἀληθῶς ἐμφανεῖς εἰκόνες εἰσὶ τὰ ὁρατὰ τῶν ἀοράτων· οὐδὲ γὰρ

ἐν

ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις, αἴτιος ἔσται τῶν ἐξ αὐτοῦ δικαίων ἀφορισμῶν ὁ Θεός, ἀλλ' οἱ τοῦ Θεοῦ παντελῶς ἑαυτοὺς ἀφορίσαντες· ὥσπερ καὶ θατέρους ὁρῶμεν ἐντεῦθεν ἤδη μετὰ τοῦ Θεοῦ γιγνομένους, ἐπειδὴ ἀληθείας ὄντες ἐρασταί, τῆς προσπαθείας μὲν ἀναχωροῦσι τῶν ὑλικῶν, ἐν πάσῃ δὲ πάντων κακῶν ἐλευθερίᾳ καὶ ἔρωτι θείῳ τῶν ἀγαθῶν ἁπάντων εἰρήνην ἀγαπῶσι, καὶ τὸν ἁγιασμὸν κἀκ τῆς παρούσης ζωῆς ἀπάρχονται τῆς μελλούσης, ἀγγελοπρεπῶς ἐν μέσῳ ἀνθρώπων ἐμπολιτευόμενοι, ξὺν ἀπαθείᾳ πάσῃ, καὶ θεωνυμίᾳ, καὶ ἀγαθότητι, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀγαθοῖς. Ὑμᾶς μὲν οὖν, οὐκ ἄν ποτε οὕτω μανείην, ὡς ἡγήσασθαί τι πάσχειν· ἀλλὰ καὶ τὰ σώματος πάθη κατὰ μόνον τὸ κρίνειν αὐτὰ διαισθάνεσθαι πιστεύω. Τοὺς δὲ ἀδικοῦντας ὑμᾶς καὶ περιορίζειν οἰομένους, οὐκ ὀρθῶς τοῦ Εὐαγγελίου τὸν ἥλιον ἐνδίκως αἰτιώμενος, εὔχομαι τούτων ἀφεμένους, ὧν ἐφ' ἑαυτοὺς δρῶσιν, ἐπὶ τἀγαθὸν τραπέσθαι, καὶ πρὸς ἑαυτοὺς ὑμᾶς ἐφελκύσασθαι, καὶ μεταλαβεῖν τοῦ φωτός. Ἡμᾶς δὲ οὐδὲ τοὐναντίον ἀποστερήσει τῆς Ἰωάννου παμφαοῦς ἀκτῖνος, νῦν μὲν ἐντευξομένους τῇ μνήμῃ καὶ ἀνανεώσει τῆς σῆς ἀληθοῦς θεολογίας, μικρὸν δὲ ὕστερον (ἐρῶ γάρ, εἰ καὶ τολμηρόν) ὑμῖν αὐτοῖς ἑνωθησομένους. Ἀξιόπιστος δὲ πάντως εἰμὶ τὰ προεγνωσμένα σοι ἐκ Θεοῦ, καὶ μαθὼν καὶ λέγων, ὅτι καὶ τῆς ἐν Πάτμῳ φυλακῆς ἀφεθήσῃ, καὶ εἰς τὴν Ἀσιάτιδα γῆν ἐπανήξεις, καὶ δράσεις ἐκεῖ τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ μιμήματα, καὶ τοῖς μετά σε παραδώσεις.

TEXTVS S. DIONYSII.

ſæculis venturis auctor erit Deus iuſtarum à ſe ſeparationum, ſed illi ipſi qui ſe à Deo prorſus ſequeſtrarunt; ſicut econtrà iam alios etiam cum Deo hîc coniunctos aſpicimus, quòd amando veritatem, ab omni rerum materialium affectu procul recedant, & à malis omnibus liberati, diuino prorſus amore pacem omnium bonorum & ſanctitatem conſectentur, & in præſenti vitâ futuræ vitæ primitias prelibent, inter homines Angelico more cõuerſantes, cum omni tranquillitate animi, ac Dei benedictione ac bonitate ceteriſque donis. Equidem haud ita demens ſum, vt arbitrer vos quidquam pati: imò verò paſſiones corporis hac ex parte tantùm ſentire credo, vt eaſdem ſenſu tenus percipiatis. Ceterùm eos qui vos iniuriis afficiunt, & perperàm ſe ſolem Euangelij exterminare poſſe putãt, iure merito reprehendẽs, opto vt abſtineant ab iis quæ contra ſemetipſos delinquunt, & ad bonum conuertantur; & ad ſe vos alliciendo, luminis participes exſiſtant. Nos autem è diuerſo nihil lucidiſſimo Ioannis radio priuabit; in preſentiarum quidem fruituros memoriâ & renouatione veriſſimæ Theologiæ tuæ; paulò verò pòſt (auſim dicere, licet confidentiùs) vobis ipſis coniungendos. Vtique ſum fide dignus, quãdo præcognita tibi à Deo, & diſco & refero, te nimirum ex Patmi ergaſtulo liberatum iri, & in Aſiam reuerſurum, vbi prebebis exempla benignum Deum imitandi, eaque poſteris relinques.

ANNO-TATIO-NES COR-DERII.

ANNOTATIONES CORDERII.

S. Ioannes sanctus & dilectus.

BEATVM Ioannem *sanctam animam* appellat, ob prærogatiuam virginitatis, quæ per excellentiam, *sanctitas* vocari solet; & *dilectum*, vt qui passim in Scripturis nuncupetur *discipulus, quem diligebat* IESVS.

Vbi autem ait, *Quid mirum si Christus vera loquitur*, &c. alludit ad Matth. c. 23. & Lucæ 21. vbi agit de persecutionibus quæ discipulis imminebant à tyrannis & improbis hominibus, qui dum sanctos persequuntur, ipsi sibi, non sanctis nocent, dum ab ipsis se segregant, & sanctę conuersationis & diuinæ illustrationis fructu priuant.

S. Ioannes Euangelij sol.

Et perperàm se solem Euangelij.] Nota, quomodo S. Ioannem Euangelistam nuncupet ἥλιον Εὐαγγελίου, id est, *Euangelij solē*, cui etiam attribuit *παμφαῆ ἀκτῖνα*, *radios clarißimâ luce fulgentes*. Apostoli enim maiora quędam luminaria sunt, in quibus veluti procreandis ornandisque Deus mirabilem potentiæ suæ vim ostendit. Nam cùm in mundi constitutione, luminare vnum maius diuinè fuisset molitus, & ęthereos deinde globos magnâ luminum varietate exornauisset, post cursum perennium sæculorum, Ecclesiam suam aggressus, vt nouum cælum inusitato artificio distingueret, Zodiacum effecit mirabilē; in quo non Taurum, Arietē, aut Leonem posuit, aut reliquas duodecim numero signiferi orbis imagines, sed duodecim Apostolos, vt totidē soles, aureâ luce formosos, iubare plenissimo radiantes. De quibus præclarè Arnobius in Psal. 58. *Cæli*, inquit, *facti sunt Apostoli, habentes in se Solem iustitiæ, & merita in modum stellarum, pro varietate, diuerso splendore radiantia.* Inter hos vtiq; S. Ioannes Apostolus & Euangelista duplici virginitatis & singularis dilectionis prærogatiuâ præeminebat. Sic & D. Paulum Gentium Doctorem, suum & Hierothei præceptorem, S. Dionysius ob excellentem sapientiam *κοινὸν ἥλιον*, *communem solem* appellat.

Apostoli orbis soles, & Zodiaci spiritalis signa.

S. Paulus communis sol.

Diu. Nom. cap. 7.

Te nimirum ex Patmi ergastulo.] Ait sibi diuinitus esse reuelatum, ipsum rediturum ab exilio, vt in Asiâ τοῦ Θεοῦ *μιμήματα*, *Dei imitationes* perficeret. Vnde collige, Apostolos per omnes oras terrarum vultu, sermonibus, & castissimæ vitæ religione *τὴν θεομιμησίαν*, *imitationem Dei* circumtulisse.

SCHOLIA S. MAXIMI.

EPISTOLA hæc sanctâ illâ antiquitate cumprimis digna, vti & discipulo quem diligebat IESVS, cui gratiam annuntiat. Licet autem colligere ex hac Epistolâ, & ex illâ ad S. Polycarpum septima, magnum Dionysium, quādo hæc scripsit, annorum circiter nonaginta fuisse. In illâ siquidem ad S. Polycarpum ait, se cùm Heliopoli Ægypti degeret, perspexisse solarem istam eclipsim, salutaris Christi crucis tempore, quæ incidit in annū regni Tiberij decimum octauum: huius enim anno decimo quinto exorsus erat prædicationem suam Dominus IESVS, vt in Euangelio secundùm Lucam declaratur. Vbi autem tribus annis & paucis mensibus prædicauerat, Dominus ac Deus noster sponte passus est circa annum Tiberij decimum octauum. Regnauit autem Tiberius annis circiter tribus & viginti, vt sic à salutari passione ad obitum vsque Tiberij

ΗΜΕΝ ἐπιστολὴ ἀξία τῆς ἀρχαιότητος ἐκείνης τῆς ἱερᾶς, καὶ τοῦ μαθητοῦ ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, τὴν χάριν ἀπαγγέλλουσα. Ἔστι δὲ συμβαλεῖν ἐκ τῆς ἐπιστολῆς ταύτης, καὶ ἐκ τῆς πρὸς τὸν ἅγιον Πολύκαρπον ζ. οὔσης, εἶναι τὸν μέγαν Διονύσιον, ὅτε ταῦτα ἔγραφεν, ἐτῶν περίπου ἐνενήκοντα. Ἐν μὲν γὰρ τῇ πρὸς τὸν ἅγιον Πολύκαρπόν φησιν ἐν τῇ κατ' Αἴγυπτον Ἡλιουπόλει διάγων θεάσασθαι τὴν παρὰ φύσιν γενομένην ἔκλειψιν τοῦ ἡλίου, ἐν τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ, ὅπερ γέγονε τῷ ιη. ἔτει τῆς Τιβερίου βασιλείας· τῷ γὰρ ιε. ἔτει αὐτοῦ ἤρξατο τοῦ κηρύγματος ὁ Κύριος Ἰησοῦς, ὡς ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν δηλοῦται Εὐαγγελίῳ. Τρία δὲ ἔτη μετ' ὀλίγων μηνῶν κηρύξας, ἑκὼν πάσχει ὁ Κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν, ὡς εἶναι Τιβερίου ιη. ἔτος. Ἐβασίλευσε δὲ Τιβέριος ἀμφὶ τὰ κγ. ἔτη, ὡς εἶναι ἀπὸ τοῦ σωτηρίου πάθους ἕως τελευτῆς

Τιβερίου,

Τιβερίου, σχεδὸν ἔτη ἑξ. Ἐξωρίσθη δὲ ὁ ἅγιος Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ, ἥτις ἐστὶ μία τῶν Κυκλάδων, περὶ τὸ τελευταῖον ἔτος τῆς Δομετιανοῦ βασιλείας. Ἐβασίλευσε δὲ οὗτος ἔτη ιε. καὶ μῆνας ε. Συνάγονται δὲ ἀπὸ τοῦ ιη. ἔτους Τιβερίου, ὅτε ἡ ἔκλειψις, ἕως τῆς τελευτῆς Δομετιανοῦ, ἔτη ξδ. περίπου καὶ μῆνας ζ. Ὑποθώμεθα δὲ καὶ τὸν θεῖον Διονύσιον, ὅτε τὰ ἐπὶ τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου εἶδεν, εἶναι κε. ἐτῶν, ἅτε οἶμαι καὶ ἔτι ἀναγινώσκοντα, ὡς εἶναι τὰ πάντα ἀμφὶ τὰ ἐννενήκοντα ἔτη. Μέμνηται δὲ τῆς ἐπὶ Δομετιανοῦ ἐξορίας τοῦ ἁγιωτάτου Ἰωάννου καὶ Εἰρηναῖος ἐν τρίτῳ καὶ πέμπτῳ τῶν κατὰ Αἱρέσεων, ἔνθα καὶ τὸν χρόνον ἐσημειώσατο· καὶ Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς, ἐν τῷ λόγῳ τῷ περὶ, Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος;

Οὐδὲ γὰρ ἐν τοῖς αἰῶσι.] Σημείωσαι, ὅτι οὐχ ὁ Θεὸς αἴτιος τοῦ ἀφορισμοῦ τοῖς ἁμαρτωλοῖς τῆς ἐν ἀριστερᾷ στάσεως, ἀλλ' αὐτοὶ ἑαυτοῖς αἴτιοι τούτων οἱ ἁμαρτωλοὶ, παντελῶς ἑαυτοὺς ἀφορίσαντες τοῦ Θεοῦ.

Καὶ θεωνυμία.] Θεωνυμίαν φησὶν, ἢ τὸ πάντοτε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ πάντα πράττειν αὐτοὺς, ἢ ὅταν τοὺς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ἤγουν τοῦ Χριστοῦ, ὀνομαζομένους, κατ' αὐτὸν πολιτεύεσθαι ὑπάρχῃ, καὶ αὐτοὺς λεγομένους θεούς.

Τοῦ Εὐαγγελίου τὸν ἥλιον.] Τὸν τοῦ Εὐαγγελίου ἥλιον, τοῦτον τὸν θεῖον Ἰωάννην ὀνομάζει δικαίως. Φησὶν οὖν, Ὅτι ἐγὼ εἰκότως αἰτιώμενος καὶ μεμφόμενος τοὺς νομίζοντάς σε τὸν τοῦ Εὐαγγελίου ἥλιον περιορίζειν ἐν τόπῳ, εὔχομαι ὅμως ἀνανῆψαι καὶ προσδραμεῖν σοι, ἵνα σωθῶσι φωτισθέντες. Ὥσπερ γὰρ μέμηνεν ὁ οἰόμενος τὸν ἥλιον τοῦτον περικλείειν τόπῳ, οὕτω καὶ οὗτοι μεμήνασι, νομίζοντες τὸ φῶς τοῦ Εὐαγγελίου σου περιορίζειν σὺν σοὶ ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ.

Ἡμᾶς δὲ οὐδὲ τοὐναντίον.] Ἀντὶ τοῦ, οὐδὲ τὸ πορρωτέρω σε γενέσθαι. Σημείωσαι δὲ, ὅτι καὶ προεφήτευσεν ὁ μέγας Διονύσιος, σαφῶς εἰπὼν ἐκ Θεοῦ ἀποκαλυφθῆναι αὐτῷ, ὡς καὶ τῷ ἁγίῳ Ἰωάννῃ, ὅτι εἴσω βραχυτάτου χρόνου ἀνακληθήσεται τῆς ἐν Πάτμῳ ἐξορίας· ὃ δὴ καὶ γέγονεν. Ὡς γὰρ

SCHOLIA S. MAXIMI.

Quando S. Ioannes in Patmũ relegatus fuerit.

ferè ſex anni interceſſerint. Porrò S. Euangeliſta Ioannes ablegatus eſt in Patmum inſulam, quæ Cycladum vna eſt, ſub extremum anni regni Domitiani. Hic autem regnauit annis quindecim & menſibus quinque. Ab anno verò Tiberij decimo octauo, quo eclipſis illa contigit, ad mortem vſque Domitiani, colliguntur anni circiter quatuor & ſexaginta, & menſes ſeptem. Supponamus item, D. Dionyſium, quando iſta ſub crucifixionem Domini vidit, annorum fuiſſe viginti quinque, quemadmodum me adhuc legiſſe autumo, ſic vt omnes anni fuerint circiter nonaginta. Meminit etiam huius relegationis ſanctiſſimi Ioannis ſub Domitiano factæ Irenæus in tertio & quinto libro ſuo aduerſus Hæreſes, vbi & tempus indicauit; Clemens item Alexandrinus, in eo opere, cui inſcriptio, Quis diues ſaluus?

Peccatores ipſi ſe ſegregant, non Deus.

NEQVE ENIM IN SÆCVLIS.] Nota, Deum non eſſe cauſam ſeparationis peccatorum, quâ ad ſiniſtram collocantur, ſed ſibiipſis peccatores huius rei cauſæ ſunt, dum ipſi ſe penitus à Deo ſegregant.

ET DEI NOMINE.] Dei nomen ait, ſiue quòd omnes actiones ſuas in Dei ſemper nomine peragant, aut quia à Deo ſiue Christo nomen ſortiti, ex eo, quòd ſecundùm ipſum vitam ſuam inſtituunt, etiam ipſimet dij appellentur.

S. Ioannes ſol Euangelij.

EVANGELII SOLEM.] Meritò diuum Ioannem Euangelij ſolem nuncupat. Iure igitur, inquit, illos reprehendo & increpo, qui ſe ſolem Euangelij exterminare poſſe putant. Attamen opto, vt reſpiciant, & ad te accurrant, vt illuſtrati ſaluentur. Quemadmodum enim inſanit, qui ſe putat ſolem hunc concludere loco poſſe, ſic & hi inſaniunt, qui lucem Euangelij arbitrantur ſe poſſe tecum intra Patmum inſulam circumſcribere.

S. Dionyſius prophetat.

NOS AVTEM E DIVERSO NEQVE.] Pro, neque longiùs te abeſſe. Nota autem, magnum Dionyſium hîc etiam prophetaſſe, cùm clarè dicat, ſibi, vti & beato Ioanni, reuelatum eſſe, ipſum intra breue tempus ab exilio Patmi reuocandum eſſe, quod & contigit. Nam, vt diximus,

SCHOLIA S. MAXIMI.

mus, paulò pòst sub vltimum annum regni Domitiani in Patmum insulam fuerat relegatus, Domitiano persecutionem excitante; at interim sub istius Regis exitum, maximus hic Euangelista Ioannes diuinam illam Apocalypsim vidit.

ἐφ᾽ ἡμῶν, πρὸ βραχέος περὶ τὸ τελευταῖον ἔτος τῆς Δομετιανοῦ βασιλείας, εἰς τὴν Πάτμον ἐφυγαδεύθη, διωγμὸν κινήσαντος τοῦ Δομετιανοῦ· εἶτα περὶ τὴν τελευτὴν τοῦ βασιλέως ὁρᾷ τὴν θείαν Ἀποκάλυψιν ὁ μέγιστος οὗτος Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης.

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

Antiquitas S. Dionysij hinc colligitur.



EPISTOLA hæc sanctâ illâ antiquitate cumprimis digna, vti & discipulo quem diligebat IESVS, cui gratiam annuntiat. Licet autem colligere ex hac Epistolâ, & ex illâ ad sanctum Polycarpum septimâ, magnum Dionysium, quando hæc scripsit, annorum circiter nonaginta fuisse. In illâ siquidem ad sanctum Polycarpum ait, se, cùm in Heliopoli Ægypti degeret, perspexisse solarem illam eclipsim salutaris illius crucis tempore, quæ incidit in annum regni Tiberij decimum octauum. Huius enim anno decimo quinto exorsus erat prædicationem Dominus noster IESVS CHRISTVS, vt in diuino Euangelio secundùm Lucam declaratur. Vbi autem tribus annis & paucis mensibus prædicauerat, sponte suâ passus est Dominus Christus ac Deus noster, circa annum Tiberij decimum octauum. Regnauit autem Tiberius annis circiter tribus & viginti, sic vt à salutari passione ad exitum vsque Tiberij sex anni intercesserint. Porrò sanctus Apostolus & Euangelista exilio ablegatus est in Patmum insulam, quæ Cycladum vna est, sub extremum annum regni Domitiani: regnauit autem is annis quindecim & mensibus quinque. Ab anno verò Tiberij decimo octauo quo eclipsis illa contigit, ad mortem vsque Domitiani, colliguntur anni circiter quatuor & sexaginta & menses septem. Supponamus item, diuum Dionysium, quando ista sub crucifixionem Domini vidit, annorum fuisse viginti quinque, quemadmodum me adhuc legisse autumo, sic vt omnes anni fuerint circiter nonaginta. Meminit etiam huius relegationis sanctissimi Ioannis ac Theologi, sub Domitiano factæ, Irenæus in tertio & quinto libro suo aduersus Hæreses: Clemens item Alexandrinus in eo Ope-

De exilio S. Ioannis in Patmo.



Ἡ ΜΕΝ ἐπιστολὴ ἀξία τῆς ἀρχαιότητος ἐκείνης τῆς ἱερᾶς, καὶ τοῦ μαθητοῦ, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, τὴν χαρὰν ἀπαγγέλλουσα. Ἔστι δὲ συμβάλλειν ἐκ τῆς ἐπιστολῆς ταύτης, καὶ ἐκ τῆς πρὸς τὸν ἅγιον Πολύκαρπον ἑβδόμης οὔσης, εἶναι τὸν μέγαν Διονύσιον, ὅτε ταῦτα ἔγραφεν, ἐτῶν περίπου ἐννενήκοντα. Ἐν μὲν γὰρ τῇ πρὸς τὸν ἅγιον Πολύκαρπόν φησιν, ὅτι ἐν τῇ κατ᾽ Αἴγυπτον Ἡλιουπόλει διάγων, ἐθεάσατο τὴν ἐπὶ τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ γενομένην τοῦ ἡλίου ἔκλειψιν, ὅπερ γέγονεν ἐν τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ ἔτει τῆς Τιβερίου βασιλείας. Τῷ γὰρ πεντεκαιδεκάτῳ ἔτει ἤρξατο τοῦ κηρύγματος ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὡς ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν δηλοῦται θείῳ Εὐαγγελίῳ. Τρία δὲ ἔτη μετ᾽ ὀλίγων καὶ μηνῶν κηρύξας, ἑκὼν πάσχει ὁ δεσπότης Χριστὸς καὶ Θεὸς ἡμῶν, ὡς εἶναι Τιβερίου ιη. ἔτος. Ἐβασίλευσε δὲ Τιβέριος ἀμφὶ τὰ κγ. ἔτη, ὡς εἶναι ἀπὸ τοῦ σωτηρίου πάθους ἕως τελευτῆς Τιβερίου, ἔτη ϛ. Ἐξωρίσθη δὲ ὁ ἅγιος Ἀπόστολος καὶ Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ, ἥτις ἐστὶ μία τῶν Κυκλάδων νήσων, περὶ τὸ τελευταῖον ἔτος τῆς Δομετιανοῦ βασιλείας· ἐβασίλευσε δὲ οὗτος ἔτη ιε. καὶ μῆνας ε. Συνάγονται δὲ ἀπὸ τοῦ ιη. ἔτους Τιβερίου, ὅτε ἡ ἔκλειψις γέγονεν, ἕως τῆς τελευτῆς Δομετιανοῦ, ἔτη ξδ. περίπου καὶ μῆνες ζ. Ὑποθώμεθα δὲ καὶ, τὸν θεῖον Διονύσιον, ὅτε τὰ ἐπὶ τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου εἶδεν, εἶναι ἐτῶν κε. ἅτε οἶμαι καὶ ἔπι ἀναγινώσκοντα, ὡς εἶναι τὰ πάντα ἀμφὶ τὰ ϟ. ἔτη. Μέμνηται δὲ τῆς ἐπὶ τοῦ Δομετιανοῦ ἐξορίας τοῦ ἁγιωτάτου Ἰωάννου καὶ Θεολόγου καὶ Εἰρηναῖος ἐν τῷ τρίτῳ καὶ πέμπτῳ λόγῳ τῶν κατὰ Αἱρέσεων, καὶ Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς

ἐν

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

ἐν τῷ λόγῳ τῷ περὶ τοῦ, Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος, ἐν ᾧ καὶ περὶ τοῦ γεγονότος λῃστάρχου λέγει. Οὕτως πληροῦνται Τιβερίου τὰ λείποντα, Γαΐου, Κλαυδίου, Νέρωνος, Οὐεσπεσιανοῦ, Τίτου, Δομετιανοῦ. Λέγει γοῦν ὁ Πατὴρ πρὸς τὸν Εὐαγγελιστὴν ἅγιον Ἰωάννην τὸν Θεολόγον, μεθ᾽ ὃ ἐγγράφως αὐτὸν προσηγόρευσε, Τί θαυμαστὸν, εἰ Χριστὸς ἀληθεύει, καὶ διώκουσι τοὺς ἁγίους οἱ ἄδικοι, ἀξίως ποιοῦντες τοῦτο καὶ ἑαυτοῖς καὶ τοῖς ἁγίοις; Ἑαυτοῖς μὲν, ὅτι οὐκ ἄξιοί εἰσι τῆς αὐτῶν ὁμιλίας· τοῖς ἁγίοις δὲ, ὅτι φυλάττεσθαι ποιοῦσι τὰ ἅγια ἄχραντα ἀπὸ τῆς αὐτῶν κοινωνίας. Ταῦτα τὰ ὁρατὰ εἰκόνες εἰσὶ τῶν ἀοράτων. Καὶ εἴπερ ἐν τῷ θείῳ Εὐαγγελίῳ ἀκούομεν, Καὶ ἀφορίσει αὐτοὺς ἀπ᾽ ἀλλήλων, οὐ χρὴ οἴεσθαι, ὅτι ὁ Θεὸς αἴτιός ἐστι τοῦ ἀφορισμοῦ τοῖς ἁμαρτωλοῖς τῆς ἐν ἀριστερᾷ στάσεως, ἀλλ᾽ αὐτοὶ ἑαυτοῖς αἴτιοι τούτων οἱ ἁμαρτωλοὶ, παντελῶς ἑαυτοὺς ἀφορίσαντες τοῦ Θεοῦ. Ὥσπερ καὶ ἄλλους ὁρῶμεν, ὡς ἐραστὰς τῶν καλῶν μετὰ Θεοῦ γινομένους, οἳ δὴ καὶ ἐκ τῆς παρούσης ζωῆς, τῆς μελλούσης ἀπάρχονται, ἀγγελοπρεπῶς ἐν μέσῳ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ἐμπολιτευόμενοι σὺν πάσῃ θεωνυμίᾳ καὶ ἁγιότητι. Θεωνυμίαν δὲ λέγει, ἢ τὸ πάντοτε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ πάντα πράττειν αὐτούς· ἢ τὸ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ἤγουν τοῦ Χριστοῦ, ὀνομαζομένους, κατ᾽ αὐτὸν πολιτεύεσθαι. Ὑμᾶς οὖν οὐκ ἂν ποτε εἴποιμι πάσχειν, ἀλλὰ καὶ εἴ τι ἂν πάσχοιτε σωματικὸν, κατὰ τοσοῦτον λέγω πάσχειν ὑμᾶς, καθόσον διακρίνετε καὶ αἰσθάνεσθε, ἵνα μὴ ἀστεφάνωτοι μείνητε. Μέμφομαι δὲ δικαίως τοὺς νομίζοντας, σὲ τὸν τοῦ Εὐαγγελίου ἥλιον περιορίζειν, εὔχομαι δὲ ὅμως ἀνανῆψαι καὶ προσδραμεῖν σοι, ἵνα φωτισθέντες σωθῶσιν. Ὥσπερ γὰρ μέμηνεν ὁ οἰόμενος τὸν ἥλιον τοῦτον περικλείειν ἐν τόπῳ, οὕτω καὶ οὗτοι μεμήνασι νομίζοντες τὸ φῶς τοῦ Εὐαγγελίου περιορίζειν σύν σοι ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ. Ἡμᾶς δὲ οὐδὲ τὸ ἐναντίον, τουτέστι τὸ καὶ πορρωτέρω ἀφεστάναι στερήσει τοῦ σου φωτὸς, ἀλλ᾽ ἐν μὲν τῷ ἀπεῖναί σε, τὸ σὸν Εὐαγγέλιον ἀναγνωσόμεθα, ὅπερ μνήμην τῆς ἀληθοῦς αὐτοῦ θεολογίας εὐθυβόλως ὀνομάζει. Μετὰ βραχὺ δὲ, ὅτε ἀνακληθῇς, κατὰ

re cui inſcriptio eſt, Quis diues ſaluus, in quo de iſto latronum principe verba facit. Atq; ita qui à Tiberio anni reſident, ſupplẽtur per Caium, Claudium, Neronem, Veſpaſianum, Titum, Domitianum. Dicit igitur Pater hic ſancto Ioanni Theologo, vbi ipſum Scripturæ verbis compellauit: Quid mirum, ſi Chriſtus vera loquitur, & iniqui ſanctos perſequuntur, ſeipſis æquè ac ſanctis digna gerentes? Seipſis quidem, quòd ſanctorum congreſſu ſint indigni: ſanctis autem, quòd hac ratione efficiant, vt quæ ſancta ſunt, intemerata ſeruentur ab illorum communione. Iſthæc enim viſibilia imagines expreſſæ ſunt inuiſibilium. Et licet in Euangelio audiamus, Et ſeparabit eos ab inuicem, non oportet putare, Deum auctorem eſſe iſtiuſmodi ſeparationis peccatorum à ſiniſtris collocandorum, verùm horum ipſi ſibi peccatores cauſa ſunt, dum à Deo prorſus ipſi ſe ſegregant. Quemadmodum etiam alios cernimus, tamquam bonorum amatores coniungi Deo, iamque ex præſenti primitias quaſdam ſecuturæ mox vitæ præcerpere, inter alios homines angelico more conuerſantes cum omni diuini nominis obſecratione ac ſanctitate. Dei autem denominationem dicit, ſiue quòd omnes actiones ſuas in Dei ſemper nomine peragant; aut quia à Deo ſiue Chriſto nomen ſortiti, ipſius quoq; vitam exprimant. Numquam autem dixerim vos quidquam pati, & ſi quid patiamini corporeum, eatenus vos pati cenſuerim, vt ſenſu tenus dolorem percipiatis, ne maneatis incoronati. Meritò autem illos reprehendo, qui ſe ſolem Euangelij exterminare poſſe putant; attamen opto vt ad ſanam mentem reducantur, & ad te accurrant, vt illuſtrati ſaluentur. Quemadmodum enim inſanit, qui ſe putat ſolem hunc concludere loco poſſe, ſic & hi inſaniunt, qui lucem Euangelij arbitrantur ſe poſſe tecum intra Patmum inſulam circumſcribere. Nos autem è diuerſo nihil, licet nimirum longiùs abſis, tuo lumine priuabit, ſed te etiam abſente, tuum Euangelium legemus, quod veræ Theologiæ

monumentum rectè profectò nuncupat. Paulò verò pòſt, quando reuocaberis, coràm

PARAPHRASIS PACHYMERÆ.

ràm mutuo alloquio fruemur, quod ex Dei reuelatione præsagio futurum, quoniam intra breuissimum tempus ab exilio reuocabere. Circa postremum enim Domitiani Regis annum in Patmum relegatus est, motâ à Domitiano persecutione: at interim sub istius Regis exitum, diuinam illam Apocalypsin cernit. Deinde Neruas imperio potitus est, qui mox omnes ab exilio reuocat, quando etiam Ioannes Theologus Ephesum reuersus est. Sciendum autem, istiusmodi in insulam relegationem apud Romanos, imaginem quamdam retulisse supplicij capitalis, eaque dicebatur deportatio. Non poterat autem quiuis alius princeps nominatim insulam præscribere, præter solum Regem. Sanctissimus igitur Ioannes Apostolus & Euangelista Theologus fuit deportatus, siue in insulá relegatus.

πρόσωπον ἀλλήλοις ἐντευξόμεθα, ὃ καὶ ὡς ἀποκαλυφθεὶς ἐκ Θεοῦ προφητεύω, ὅτι εἴσω βραχυτάτου χρόνου ἀνακληθήσῃ τῆς ἐξορίας. Περὶ γὰρ τὸ τελευταῖον ἔτος τῆς Δομετιανοῦ βασιλείας ἐν Πάτμῳ ἐφυγαδεύθη, διωγμὸν κινήσαντος τοῦ Δομετιανοῦ· εἶτα περὶ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ τοῦ βασιλέως, ὁρᾷ τὴν θείαν Ἀποκάλυψιν. Καὶ μετὰ ταῦτα βασιλεύει Νερούας, καὶ εὐθὺς ἀνακαλεῖται πάντας τοὺς ἐξορισθέντας, ὅτε καὶ ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὁ Θεολόγος ἐπανῆλθεν εἰς Ἔφεσον. Δεῖ δὲ γινώσκειν, ὅτι ἡ ἐπὶ τὴν νῆσον ἐξορία παρὰ Ῥωμαίοις, κεφαλικὴν τιμωρίαν ἐμιμεῖτο, καὶ λέγεται δεπορτατίων. Καὶ οὐ δύναται ὁ ἄρχων τὴν νῆσον ὀνομάζειν, εἰ μὴ ὁ βασιλεὺς μόνος. Ὁ γοῦν ἁγιώτατος Ἀπόστολος καὶ Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης ὁ Θεολόγος, δεπορτάτος ἐγένετο, ἤγουν εἰς νῆσον ἐξόριστος.

F I N I S.



ΒΙΟΣ

ΒΙΟΣ ΚΑΙ ΕΓΚΩΜΙΟΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΑΡΕΟΠΑΓΙΤΟΥ
ΕΚ ΤΩΝ ΜΗΝΑΙΩΝ.

VITA ET ENCOMIVM SANCTI
DIONYSII AREOPAGITAE
EX MENÆIS:
INTERPRETE R. P. PETRO HALLOIX SOCIETATIS IESV.

QVæ de Menæis huc adducentur, ad Dionyſij cultum & laudes pertinebunt. Ea ſunt Vitæ compendiolum, & ſuccincta velut epinicia. Iſtud primò, deinde hæc proferam. Itaque ad tertiam Octobris, Martyrologij more ſic habet:

ΤΩ αὐτῷ μηνὶ, γ΄. τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Διονυσίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου.

Τμηθεὶς τὴν κεφαλὴν Διονύσιε ἔκθεες ἄρας.

Οὗτος πλούτῳ, καὶ δόξῃ, καὶ συνέσει, καὶ σοφίᾳ τῶν πάντων ὑπερέχων, τῶν ἐν τῷ Ἀρείῳ πάγῳ βουλευτῶν εἷς ἦν, καὶ ἀγρευθεὶς ὑπὸ τοῦ μεγάλου Παύλου, καὶ βαπτισθεὶς, χειροτονεῖται Ἐπίσκοπος. Τὰ ἀπόρρητα μυηθεὶς ὑπὸ τοῦ σοφοῦ Ἱεροθέου, καὶ συγγράμματα καταλελοιπὼς παράδοξα καὶ θαυμαστά τε καὶ ὑψηλότατα.

Αὐτὸς τοίνυν καὶ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως ἑρμηνεύσας τὸν τύπον, μετὰ ταῦτα καταλαβὼν τὰ Ἑσπέρια μέρη ἐπὶ τῆς βασιλείας Δομιτιανοῦ, καὶ πολλὰ θαύματα ἐπιδειξάμενος, ἐν Παρισίᾳ τῇ πόλει τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνεται· καὶ ταύτην ἰδίαις χερσὶν ὑποδεξάμενος, μέχρι δύο μιλίων ἐβάδισε, θαῦμα τοῖς ὁρῶσιν ἐνστησάμενος· καὶ οὐ πρότερον ταύτην ἀνῆκε, πρὶν ὅτε γυναικὶ ὀνόματι Κατούλᾳ ὑπαντήσας, καὶ κατὰ

EODEM menſe, die tertiâ, S. Dionyſij Areopagitæ martyris.

Abſciſſum caput aufugiens Dionyſius aufert.

Hic vir opibus, & gloriâ, & prudentiâ, & ſapientiâ omnibus præſtans, vnus erat è Senatoribus Areopagi, & à magno Paulo in fidei retia pertractus, & baptizatus, in Epiſcopum aſſumptus eſt. Idem à ſapiente Hierotheo ſacra & ineffabilia edoctus myſteria, ſcripta planè ſingularia & admiranda & ſublimiſſima tranſmiſit ad poſteros.

Hic ergo poſt explanatam Eccleſiaſticæ diſpoſitionis formam, dehinc imperante Domitiano ad partes profectus Occidentales, multis inibi patratis miraculis, in vrbe Pariſiis capite plectitur: quod ipſum caput, ſuis exceptum manibus, ad duo vſque milliaria, raptis in admirationem ſpectatoribus, deportauit; neque antè dimiſit, quàm mulieri Catulæ appellatæ obuiàm factus, &

diuinâ prouidentiâ detentus, velut thesaurum quemdam in manibus deposuit.

Rusticus porrò & Eleutherius illius discipuli similiter sunt obtruncati, eorumq; corpora simul cum sancti præconis ac Martyris corpore feris & auibus pabulum abiecta sunt. Verùm quidam fidelium hasce Sanctorum reliquias acceperunt, & in loco abdito, propter vrgentē carnificum metum, deposuerunt: quibus aliò dilapsis, beata Catula certam in domum easdem reliquias die tertiâ Octobris transtulit & condidit.

Erat autem Dionysius, quod ad figuram corporis attinet, staturâ mediocri, gracilis, albus quidem, sed subpallidus, subsimus, contractis superciliis, oculis profundis, magnis auribus, canus, comatus, barbâ modicè promissâ, sed rarâ, pauxillum ventricosus, digitis manuum oblongis.

Dies eius solemnis in sanctissimâ magnâ Ecclesiâ celebratur.

θείαν συσχεθεὶς προνοίαν ταῖς ἐκείνης παλάμαις οἷά τινα θησαυρὸν ἐναπέθετο.

Ὡσαύτως Ῥουστικὸς καὶ Ἐλευθέριος καρατομοῦνται οἱ αὐτοῦ φοιτηταὶ, καὶ σὺν τῷ μαρτυρικῷ σώματι τοῦ ἱεροῦ κήρυκος, τὰ τῶν ἁγίων σώματα ῥίπτονται θηρσὶ βορρὰ καὶ ὀρνέοις προκείμενα. Πιστῶν δέ τινες τὰ τῶν ἁγίων λαμβάνουσι λείψανα, καὶ ἐν τῷ ἀφανεῖ κατατίθενται, διὰ τὸν ἐπικείμενον φόβον τῶν δημίων κἀκείνων ἀπαλλαγέντων, ἔν τινι τὰ τῶν μαρτύρων λείψανα ἡ μακαρία Κατούλα δομήματι κατατίθησι, τρίτῃ τοῦ Ὀκτωβρίου μηνὸς ἄγοντος.

Ἦν δὲ κατὰ τὸν σωματικὸν τύπον, τὸ μέγεθος μέσος, ἰσχνὸς, λευκὸς, ὑπωχρὸς, ὑπόσιμος τὴν ῥῖνα, τὰς ὀφρῦς συνεσπασμένος, κοῖλος τοὺς ὀφθαλμοὺς, ὦτα μεγάλα ἔχων, πολιὸς, κομήτης, μετρίως βαθυνόμενος τὴν ὑπήνην, ἀραιὸς τὴν ἔκφυσιν τοῦ γενείου, ἠρέμα προγάστωρ, μακροδάκτυλος ταῖς χερσίν.

Ἡ δὲ σύναξις αὐτοῦ τελεῖται ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ Ἐκκλησίᾳ.

Hactenus quæ ad vitam: nunc quæ ad laudes spectant.

Diuinus Paulus sapienter concionatus, te, ô Dionysi, gratiæ hamo cepit: te intuitus vas electionis, sacrorum doctorem & arcanorum contemplatorem effecit. Quicum, ô diuiniloque Dionysi, Deum exora, vt te laudibus ex amore celebrantes salui fiant.

Mentem tuam, Pater Dionysi, virtutis cultu Angelis parem cùm fecisses, supramundanam Hierarchiæ dispositionem, ô sapientissime, sanctè indagasti, ad cuius exemplar, ordines Angelorum imitatus, Ecclesiæ cœtus ordinasti.

Tu Deo, quantum homini datum est, sapientissimè assimilatus, ô beate Dionysi, cælitus inspiratam diuinorum nominum explanationem piè propalasti; nempe illa quæ intelligentiam superant, præstantiori cum Deo coniunctione edoctus, in mundi fines propagasti.

Te te, ô clarissime Christi martyr, cælestis scientiæ profundum incontemplabile appellemus: quemadmodum & grauis armaturæ militem, & firmum Ecclesiæ propugnatorem te, ô sapiens, collaudamus.

Nam igne purissimo collustratus, & mentem Spiritus splendore perfusus, vnà cum cælesti militiâ fulgidum indumentum,

Ἀγκίστρῳ τῆς χάριτος σοφῶς ὁ Παῦλος ὁ ἔνθεος δημηγορήσας ἐζώγρησεν, ἱεροφάντορα, καὶ τῶν ἀπορρήτων θεωρὸν εἰργάσατό σε, σκεῦος ἐκλογῆς θεασάμενος. Μεθ' οὗ δυσώπησον, θεορρῆμον Διονύσιε, τοῦ σωθῆναι τοὺς πόθῳ ὑμνοῦντάς σε.

Ἀγγέλοις ὁμότιμον τὸν νοῦν, Πάτερ Διονύσιε, δι' ἀρετῆς ἐργασάμενος, τὴν ὑπερκόσμιον τῆς Ἱεραρχίας εὐταξίαν, πάνσοφε, τὴν τούτων ἱερῶς ἀνιστόρησας, καθ' ἣν ἐρύθμισας Ἐκκλησίας τὰ συστήματα, οὐρανίων τὰς τάξεις μιμούμενος.

Ἐμφιλοσοφώτατα Θεῷ, μάκαρ Διονύσιε, ὡς δυνατὸν, ὁμοιούμενος, τῶν ὀνομάτων σου μυστικῶς τῶν θείων εὐσεβῶς ἐξήπλωσας τὴν ἔνθεον θεόφρον ἀνάπτυξιν, ἑνώσει κρείττονι μυηθεὶς τὰ ὑπὲρ ἔννοιαν, καὶ μυήσας τοῦ κόσμου τὰ πέρατα.

Τῆς οὐρανίου γνώσεως ἀθεώρητον βυθόν σε καλέσωμεν, λαμπρότατε μάρτυς τοῦ Χριστοῦ· ὡς καὶ ὁπλίτην καὶ στερρὸν ὑπέρμαχον τῆς Ἐκκλησίας ἀνυμνοῦμέν σε, σοφέ.

Πυρὶ γὰρ ἐλλαμφθεὶς τῷ ἀγνοτάτῳ, ἠξιώθης ἅμα ταῖς ἄνω στρατολογίαις τὸ φωτεινὸν περιβόλαιον ἐνδύσασθαι Χριστὸν, καὶ

λαμ-

λαμπρυνθεὶς τῇ αἴγλῃ τοῦ Πνεύματος τὸν νοῦν, Διονύσιε. Διό σου τὴν παγκόσμιον μνήμην πανηγυρίζοντες, πιστῶς δοξάζομεν τὸν δοξάσαντά σε Κύριον.

Τῷ Παύλῳ τῷ θείῳ μαθητευθεὶς τῷ τῶν οὐρανίων Διονύσιε θεατῇ, οὐράνιος μύστης παραυτίκα καὶ θεηγόρος ἐχρημάτισας.

Ὁ χάριτι θείᾳ καταυγασθεὶς, καταύγασον, μάκαρ, τῶν ὑμνούντων σε τὰς ψυχὰς, τὰς σὰς συνιέναι θεοπνεύστους διδασκαλίας, Διονύσιε.

Νοὸς καθαρότητι καὶ ψυχῆς, τῶν ἐπουρανίων διακόσμων τὰς ἀστραπὰς μαθεῖν ἠξιώθης, καὶ τὰς τούτων χοροστασίας ἰδεῖν, Διονύσιε.

Οὐρανίων ἁψίδων ὑπεραρθεὶς, ὅσιε, τῶν ὑπερκοσμίων τὰς τάξεις, καὶ τὰ στρατεύματα, καὶ τὰς λαμπρότητας ὑψηγορίαις τῶν λόγων καὶ πανσόφοις φράσεσι πᾶσιν ἐτράνωσας.

Ὑψηλῆς θεωρίας ἐμφορηθεὶς, ἔνδοξε, τὴν τῶν ὀνομάτων τῶν θείων ἀνάπτυξιν ἐθεολόγησας, Τριαδικὸς Θεόλογος γεγονὼς τῇ χάριτι, θεομακάριστε.

Νεκρωθεὶς τοῖς παροῦσι τῷ πρὸς Θεὸν ἔρωτι, καὶ φιλοσοφίᾳ συντόνως ἐγγυμνασάμενος, τῶν ὑπὲρ ἔννοιαν ζωοποιῶν χαρισμάτων θεοφόρον ὄργανον, Πάτερ, γεγένησαι.

Ὡς τοῦ σκεύους ὑπάρχων τῆς ἐκλογῆς ἀπεικόνισμα θεῖον, ὡς ἀληθῶς τὰ θεῖα μυστήρια ἐδίδαξας τῷ πνεύματι· καὶ φωτισθεὶς τῇ χάριτι τῆς θείας ἐλλάμψεως, τὰς τῶν Ἀγγέλων τάξεις τρανῶς διεσάφησας. Ὅθεν καὶ τῷ κόσμῳ νοητῶς καταλείψας τὰ θεῖά σου δόγματα, κατεφώτισας ἅπαντας, ἱερόμυστα Διονύσιε. Πρέσβευε Χριστῷ τῷ Θεῷ, τῶν πταισμάτων ἄφεσιν δωρήσασθαι τοῖς ἑορτάζουσι πόθῳ τὴν ἁγίαν μνήμην σου.

Ἐκκλησιῶν τὴν εὐκοσμίαν ἐρύθμισας. Ἐν αὐταῖς γὰρ, Πάτερ, ἐζωγράφησας μορφωτικῶς τύπους ἐμφερεῖς ἱεροπλασίας τῶν ἀμορφώτων Δυνάμεων· δι᾽ ὧν μυσταγωγεῖται καὶ φωτίζεται πᾶσα τῶν πιστῶν ἡ θεόφρων ὁμήγυρις.

Ῥεῖθρα τῆς σῆς θεολογίας, θεόληπτε, τοὺς λειμῶνας ἄγαν καταρδεύουσι τοὺς λογικοὺς καὶ ἀειθαλεῖς καὶ πεφυτευμένους ἐπὶ δογμάτων ὀρθότητι. Μονάδα γὰρ οὐσίας ἐν τριάδι προσώπων, τὴν σεπτὴν μοναρχίαν ἐκήρυξας.

ô Dionyſi, Chriſtum induere meruiſti. Hinc ornatiſſimam celebrantes tui memoriam, Dominum qui te gloriâ cohoneſtauit, fideliter glorificamus.

A diuino Paulo cæleſtium contemplatore informatus, ô Dionyſi, confeſtim & cæleſtis Doctor & diuinus Orator euaſiſti.

Diuinâ illuſtrate gratiâ, ô beate Dionyſi, animas te laudantium colluſtra, vt tuas à Deo inſpiratas doctrinas intelligant.

Mentis & animæ puritate, cæleſtium ordinum fulgores cognoſcere, & eorum intueri choros, ô Dionyſi, meritus es.

O ſancte, ſupra cæleſtes eleuate fornices, tu cælitum ordines & exercitus & ſplendores ſublimitate ſermonum & interpretatione ſapientiſſimâ cunctis manifeſtaſti.

Sublimi contemplatione ſublatus, ô glorioſe, & multò beatiſſime, (Dionyſi) diuinorum nominum explicationem diuinè elocutus es, factus Dei gratiâ Trinitatis Theologus.

Terrenis per Dei amorem emortuus, atque in Philoſophiâ enixè exercitatus, viuificarum gratiarum mentẽ excedentium Deiferum organum, ô Pater, effectus es.

Tamquam diuinum ſimulacrum vaſis electionis, diuina myſteria ſpiritu quàm veriſſimè docuiſti; & diuinæ illuſtrationis gratiâ perfuſus, Angelorum ordines clarè manifeſtaſti. Vnde & relictis mundo, quæ mẽte percipiantur, diuinis tuis documentis, ô ſacrorum magiſter Dionyſi, vniuerſos illuminaſti. Age, Chriſto Deo ſupplica, vt ſanctam tui memoriam ex affectu celebrantibus delictorum ſuorum veniam largiatur.

Decentem Eccleſiarum ordinem concinnaſti. In iis enim, ô Pater, formas ſimiles incorporearum Virtutum ſacræ formationi corporaliter depinxiſti: per quas inſtruitur & illuſtratur tota fidelium pia congregatio.

Theologiæ tuæ fluenta, ô Deo-correpte, prata mentium ſemper virentia, & in rectitudine doctrinarum ſita, vbertim irrigant. Naturæ enim vnitatem in perſonarum trinitate, venerandam Monarchiam prædicaſti.

Verborum tuorum vox, quasi sonus quidam cælestis vehemens, impias mentes sermone gratiæ attonuit, & clarissimis diuinorum documentorum fulgoribus corda fidelium collustrauit.

Sapientiæ fontem sapientissimè adamasti, ô Pater; atque eiusdem philtro & amore circumlatus, multiplex factus es, & fluentorum diuinorum flumina perenniter profundis, ô vir Deo-afflate.

Vita tua mirabilis, sermo mirabilior, lingua tua pellucida, os ignem spirans, ô beate Dionysi: sed mens tua, ô Pater, Deo sanè quàm simillima.

Portis cælestibus in spiritu penetratis, & à Paulo supra tres cælos prouecto edoctus, omni ineffabilium cognitione, ô Dionysi, ditatus es: qui & in tenebris ignorantiæ indormientes luce perfudisti. Vnde clamamus: Salue Pater multò ornatissime.

Magnus Dionysius ob virtutes Angelus inter homines appellatus, omnem cælestem cognitionem velut aliger assecutus est. Quare tamquam Angelum cantibus honoremus, & ad eum clamemus: Salue ô Christi per Paulum agnitor. Salue multorum ad Christum conuersor. Salue scenæ multos exhibentis deos destructor. Salue consilij Deo cogniti speculator. Salue à Deo exarate liber, mysteriorum thesaure. Salue Deo informata tabula, & cæli dioptra. Salue Passionis Domini conspector. Salue, pro illo alacriter mortem passe. Salue fons remissionem peccatorum profundens. Salue gutta amentiam excauans. Salue agger impiorum accessui opposite. Salue fax fideles illuminans. Salue Pater multò ornatissime.

Vt cælestis imber in terrâ sitienti, mentes fidelium semper auidas irrigant doctrinę tuæ, & insatiabiliter exclamare docent: Benedictus Deus Patrum nostrorum.

Sanctissimi Spiritus receptaculum peraccommodum extitisti, ô sapiens Dionysi, cuius & inspirationes ac manifestationes more maximè prophetico prælocutus es, exclamans, Benedictus Deus Patrum.

Notior per te facta est, ô Dionysi, Atheniensium inclyta metropolis, quæ te sanctissimas primitias Christo obtulit, om-

Ῥημάτων σου ὁ φθόγγος, ὥσπερ τις οὐράνιος ἦχος φερόμενος, τὰς ἀθέους φρένας κατεβρόντησε λόγῳ τῆς χάριτος, καὶ δογμάτων θείων μαρμαρυγαῖς ταῖς φανοτάταις τῶν πιστῶν τὰς καρδίας ἐλάμπρυνεν.

Τὴν πηγὴν τῆς σοφίας ἐμφιλοσοφώτατα, Πάτερ, ἠγάπησας, καὶ τῷ ταύτης φίλτρῳ καὶ ἀγάπῃ συμπεριφερόμενος, πολλοστὸς ἐγένου, καὶ ποταμοὺς θείων ναμάτων ἀενάως πηγάζεις, θεόπνευστε.

Ὁ βίος σου θαυμαστὸς, ὁ λόγος θαυμασιώτερος, ἡ γλῶσσά σου φωταυγὴς, τὸ στόμα πυρίπνοον, μάκαρ Διονύσιε· ὁ δὲ νοῦς σου, Πάτερ, ἀκριβῶς θεοειδέστατος.

defectus Solis non secundum naturam fieret (neque enim coniunctionis tempus erat) Apollophanem Sophistam hęc sancto Dionysio dixisse fertur: *O bone Dionysi, diuinarũ rerum vicißitudines.* Dionysius ipse hæc ei ad memoriam reuocat in Epistolâ ad magnum Polycarpum Smyrnæ Episcopum (Apollophanes enim Dionysiũ propter Christianismum iniuriis lacessebat) & ait: *Tu autẽ ais me ab Apollophane Sophistâ inuadi & parricidam appellari, quòd in Græcos impiè Græcorum vtar sententiis. Atqui veriùs ac iustiùs ei obÿcere poteramus, Græcos diuina testimonia non religiosè cõtra diuina vsurpare, qui Dei diuinum cultum atq; religionẽ tollere conentur.* Et paulò pòst: *Sed Apollophanẽ etiam ipsum dico diuinis rebus nefariè in diuina vti: rerum enim scientia, quæ ab eo rectè philosophia dicitur, & à diuino Paulo Dei sapientia appellata est, ad auctorẽ & rerum ipsarum & scientiæ ipsarum, veri philosophi excitari perduciq́; debuerũt.* Paucisq́; interiectis: *Intelligere debebat Apollophanes, qui sapiens esset, nihil vmquam in ordine motuq́; cælestium aliter atq; est mutari potuisse, nisi eum qui ipsum & cõseruat & procreauit, habuisset, cuius motu ac nutu eò deductus esset, qui, vt est in diuinis libris scriptum, facit & mutat omnia.* Iterumq́; post pauca: *Ab eo autem quære, quid sentiat de defectione Solis, quæ cùm Seruator in crucẽ actus est extitit. Eramus enim vnà ambo, & stabamus ad Heliopolim, lunam inopinatò se Soli obÿcientem cernebamus: neq; enim coniunctionis tẽpus erat: rursusq́; cùm eadẽ ab horâ nonâ ad vesperũ se mediæ Solis lineæ præter naturæ ordinem opponebat. Redige autem etiam aliquid aliud ei in memoriã. Scit enim, etiam obiectum ipsum à nobis visum esse oriri ab ortu Solis, & ad Solis extremum peruenire: posteà repedare, rursusq́; non ab eadẽ parte Solis & obiectum & recessum euenire, sed recessum ab eâ quæ naturali ex diametro erat contraria. Hæc sunt mirabilia illius temporis, quæ Christus auctor rerum omnium efficere solus potest, qui facit magna & admiranda, quorum non est numerus. Hæc, Polycarpe, si fas tibi est ei dicito, & si potes, Apollophanes, ea refelle, etiam contra me, qui tum scilicet tecum & adfui, & aspexi, & exquisiui*

om-

omnia cum summâ admiratione. Certè tum quidem etiam diuinare haud scio, vnde Apollophanes cœpit, & mihi tamquam quæ fierēt conijciens, dixit: Sunt istæ, ô bone Dionysi, diuinarum rerum vicißitudines. Hæc à sancto Dionysio quantum epistolæ ratio ferebat, Deifero Polycarpo dicta fuêre. Porrò eius sapientiæ & eloquentiæ accurata demonstratio est eximia ac singularis scriptorum ab eo librorum elocutio: eâ enim quæ ab externis nomen accepit disciplinâ, & diuinâ atque nostrâ, multam in vtraque consecutus est scientiam. Si enim aliquis ad sermonum eius decora, & cogitationū profunditatem aspexerit, ea humanæ naturæ fœtus minimè putabit, sed cuiusdā incorruptibilis ac diuinæ virtutis. Hæc itaque ab eo scripta sunt. Ad Timotheum Ephesi Episcopum, qui & ipse Pauli discipulus erat, De diuinis nominibus libri 12. De coniunctâ distinctaque Theologiâ. Quæ sit vis orationis, & De B. Hierotheo, & De religione ac conscriptione Theologicâ. De bono, luce, pulchro, amore, mentis excessu, zelo; & malum nec esse quidquam quod est, nec esse ex eo quod est, nec in iis quæ sunt. De eo quod est, in quo etiam De exemplaribus. De vitâ, De sapientiâ, mente, ratione, veritate, fide. De vi, iustitiâ, salute, redemptione. De magno & paruo, eodem, alio, simili, dissimili, statu, motu, æqualitate. De Omnipotente, antiquo dierum, in quo etiam de æternitate & temporibus. Et quid sibi velit ipsum esse. De Sancto sanctorum, Rege regum, & Domino dominorum atq; Deo deorum. * Alius liber ad eumdem Timotheum de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, continens * capita 15. Alius liber ad eumdem Timotheum de Cælesti Hierarchiâ, qui etiam capita 15. complectitur. Alius liber ad eumdem Timotheum de Mysticâ Theologiâ, continens capita 5. Feruntur & eius epistolæ, ad Caium Therapeutam 4. ad Dorotheum Diaconum 1. ad Sopatrum Sacerdotem 1. ad Polycarpum Smyrnæ Episcopum 1. ad Demophilum Therapeutam 1. ad Ioannem Theologum Apostolum ac Euangelistam 1. Sciendum autem est, quosdam profanos sapientes, ac maximè Proclum, sententiis atq; inuentis B. Dionysij frequenter esse vsos, quin etiam nudis ver-

Id est capita, censet autem tantùm 12. quia primū est instar prologi.

* Omisit, De perfecto & vno.

* Is qui extat, tantùm habet capita septē.

τα καὶ συναγάμενον· ἀμέλει καὶ μαντείας τότε, οὐκ οἶδ᾽ ὅθεν ὁ Ἀπολλοφάνης ἀπάρχεται, καὶ πρὸς ἐμὲ, ὥσπερ τὰ γινόμενα συμβάλλων, ἔφη ταῦτα, Ὦ καλὲ Διονύσιε, θείων ἀμοιβαὶ πραγμάτων. Τοσαῦτα ὡς κατ᾽ ἐπιστολὴν εἴρηκεν ὁ μέγας Διονύσιος πρὸς τὸν θεοφόρον Πολύκαρπον. Τῆς δέ γε σοφίας αὐτοῦ καὶ τῆς εὐγλωττίας ἔνδειξις ἀκριβὴς ἡ τῶν παρ᾽ αὐτοῦ γραφεισῶν βίβλων ἀνυπέρβλητος φράσις· τῇ γὰρ παρὰ τῶν ἔξωθεν καλουμένῃ παιδείᾳ, τῇ τε θείᾳ καὶ ἡμετέρᾳ, πολλὴν εἶχε τὴν ἐπιστήμην ἐν ἑκατέρᾳ. Εἰ γάρ τις ἀπίδοι πρὸς τὰ κάλλη τῶν αὐτοῦ λόγων, καὶ τὰ βάθη τῶν νοημάτων, οὐκ ἀνθρωπίνης φύσεως ταῦτα νομίσει γεννήματα, ἀλλά τινος ἀκηράτου καὶ θείας δυνάμεως. Καὶ τοίνυν αὐτῷ γέγραπται τάδε· Πρὸς Τιμόθεον Ἐπίσκοπον Ἐφέσου, καὶ αὐτὸν μαθητὴν Παύλου τυγχάνοντα, περὶ Θείων ὀνομάτων βιβλία ιβʹ. Περὶ ἡνωμένης καὶ διακεκριμένης θεολογίας. Περὶ τοῦ, τίς ἡ τῆς εὐχῆς δύναμις. καὶ Περὶ τοῦ μακαρίου Ἱεροθέου, καὶ Περὶ εὐλαβείας, καὶ συγγραφῆς θεολογικῆς. Περὶ ἀγαθοῦ, φωτὸς, καλοῦ, ἔρωτος, ἐκστάσεως, ζήλου· καὶ ὅτι τὸ κακὸν οὔτε ὂν, οὔτε ἐξ ὄντων, οὔτε ἐν τοῖς οὖσι. Περὶ τοῦ ὄντος, ἐν ᾧ καὶ παραδείγματα. Περὶ ζωῆς, Περὶ σοφίας, νοῦ, λόγου, ἀληθείας, πίστεως. Περὶ δυνάμεως, δικαιοσύνης, σωτηρίας, ἀπολυτρώσεως. Περὶ μεγάλου καὶ μικροῦ, ταὐτοῦ, ἑτέρου, ὁμοίου, ἀνομοίου, στάσεως, κινήσεως, ἰσότητος. Περὶ παντοκράτορος, παλαιοῦ ἡμερῶν, ἐν ᾧ καὶ Περὶ αἰῶνος, καὶ χρόνων. καὶ τί βούλεται τὸ αὐτὸ εἶναι. Περὶ ἁγίου ἁγίων, βασιλέως βασιλέων, καὶ Κυρίου κυρίων, καὶ Θεοῦ θεῶν. Ἑτέρα βίβλος πρὸς τὸν αὐτὸν Τιμόθεον, Περὶ Ἐκκλησιαστικῆς Ἱεραρχίας, περιέχουσα κεφαλ. ιεʹ. Ἑτέρα βίβλος πρὸς τὸν αὐτὸν Τιμόθεον, Περὶ τῆς οὐρανίου Ἱεραρχίας, περιέχουσα καὶ αὐτὴ κεφαλ. ιεʹ. ἄλλη πρὸς τὸν αὐτὸν Τιμόθεον βίβλος, Περὶ Μυστικῆς θεολογίας, περιέχουσα κεφάλαια πέντε. Φέρονται δὲ αὐτοῦ καὶ Ἐπιστολαὶ, πρὸς Γάϊον θεραπευτὴν δʹ. πρὸς Δωρόθεον λειτουργὸν αʹ. πρὸς Σώπατρον ἱερέα αʹ. πρὸς Πολύκαρπον ἱεράρχην Σμύρνης αʹ. πρὸς Δημόφιλον θεραπευτὴν αʹ. πρὸς Ἰωάννην τὸν Θεολόγον τὸν Ἀπόστολον καὶ Εὐαγγελιστὴν, αʹ. Ἰστέον δὲ ὥς τινες τῶν ἔξω σοφῶν, καὶ μάλιστα Πρόκλος, θεωρήμασι πολλάκις τοῦ μακαρίου Διονυσίου κέχρηται, καὶ

αὐταῖς

αὐταῖς δὲ ξηραῖς ταῖς λέξεσι· καὶ ἔστιν ὑπόνοιαν ἐκ τούτου λαβεῖν, ὡς οἱ ἐν Ἀθήναις παλαιότεροι τῶν φιλοσόφων, σφετερισάμενοι τὰς αὐτοῦ πραγματείας, ὧν αὐτὸς μνημονεύει πρὸς Τιμόθεον γράφων, ἀπέκρυψαν, ἵνα πατέρες αὐτοὶ ὀφθῶσι τῶν θείων αὐτοῦ λόγων. Ὁ τοίνυν θεοφάντωρ Διονύσιος, ἤδη που μακρὸν ἐλάσας χρόνον, καὶ πλήρης ἡμερῶν γεγονὼς τῶν τοῦ πνεύματος, μαρτυρίῳ τῷ ὑπὲρ Χριστοῦ τελειοῦται ἐπὶ Τραϊανοῦ Καίσαρος, ὅτε καὶ ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος τὸν τῆς ἀθανασίας διήθλησεν ἀγῶνα. Ὅτι εἰς τὸν μέγαν Διονύσιον ἔγραψεν ἐγκώμιον Μιχαὴλ Σύγγελος Ἱεροσολύμων, ἐν ᾧ φησιν· Ὅσα δι' ἀγράφου παραδόσεως, ἢ ἐγγράφως παρειλήφαμεν, ἥκομεν ὑμῖν φιλακροάμοσι παραθησόμενοι. Τοιοῦτος οὖν εἰς ἡμᾶς κατήντηκε λόγος, ἀνέκαθεν πρὸς πατρὸς παιδὶ παραδεδομένος, ὡς ὁ μέγας Διονύσιος οὗτος κατὰ τὸν τοῦ σωτηρίου πάθους καιρὸν, ἡνίκα μεσούσης ἡμέρας ὁ ἥλιος ἐκρύπτετο, ἐπὶ τῷ παραδόξῳ σφόδρα τεθηπὼς, καὶ τὴν ἀνθρωπείαν ὑπερβεβηκὼς γνῶσιν, κατανοήσας τὸ γεγονὸς, Ἄγνωστος, ἔφη, πάσχει Θεὸς, δι' ὃν τόδε τὸ πᾶν ἐζόφωταί τε καὶ σεσάλευται· καὶ παραχρῆμα τὸν χρόνον, καθ' ὃν τουτὶ τὸ παγκόσμιον ἐτετέλεστο τερατούργημα, τεκμηριωσάμενος ἐτήρει παρ' ἑαυτῷ, τοὐντεῦθεν διαγγελλόμενον καραδοκῶν. Μέμνηται μέντοι καὶ αὐτὸς ἐν τῇ πρὸς Πολύκαρπον Ἐπιστολῇ τῆς ἡλιακῆς ἐκλείψεως ἐκείνης τῆς φρικωδεστάτης. Ἀπολλοφάνους γὰρ ἀνδρὸς φιλοσόφου, τὴν θρησκείαν Ἕλληνος τυγχάνοντος, νεμεσῶντός τε καὶ λοιδορουμένου τῷ τρισολβίῳ τούτῳ, ὡς ἑταίρῳ δῆθεν ὄντι φιλτάτῳ καὶ ὁμογενεῖ, τὰ πατρῷα μὲν μυσαττομένῳ σεβάσματα, τὴν δὲ τῶν Χριστιανῶν προτιμῶντι καὶ ἀσπαζομένῳ πίστιν· καὶ ταύτης ἀγωνιστικώτατα προασπίζειν, καὶ τοῖς Ἑλλήνων κατὰ τῶν Ἑλλήνων χρωμένῳ· τὴν λοιδορίαν καὶ νέμεσιν ἀνασκευάζειν πειρώμενος, μᾶλλον δὲ ὑποτιθέμενος τῷ Πολυκάρπῳ, πρὸς ὃν καὶ ὁ συστρατιώτης ἐποιεῖτο τὰ σκώμματα, τάδε φησί· Σὺ δέ φης, λοιδορεῖσθαί μοι τὸν σοφιστὴν Ἀπολλοφάνην, καὶ πατραλοίαν ἀποκαλεῖν, καὶ τὰ ἑξῆς.

bis: vnde suspicari licet, vetustiores Athenis Philosophos, sibi eius opera vsurpâtes, quorum ipse ad Timotheum scribens meminit, occultasse, vt ipsi diuinorum eius librorum patres viderentur. Ergo Dei interpres Dionysius, prouectâ iam ætate, dierumque spiritus plenus, martyrio pro Christo consummatur sub Traiano Cæsare, quando & Deifer Ignatius certamen immortalitatis decertauit. Nota, Michaëlem Syngelum Ierosolymitanum laudationem magni Dionysij scripsisse, in quâ dicit: Venimus vobis audiendi cupidis proposituri, quæ vel traditione non scriptâ, aut scriptâ accepimus. Talis igitur sermo ad nos peruenit, filio à patre traditus, magnum hunc Dionysium, tempore salutaris passionis, cùm sol in meridie occultaretur, eo miraculo vehementer attonitum ac vltra humanam cognitionem euectum, vbi mente quod fiebat perpendisset, dixisse, *Ignotus Deus patitur, ob quem hoc vniuersum caligine obductum est ac concussum:* moxque tempus, quo per vniuersum mundum patratum est miraculum, certissimè designans, apud se conseruabat, quid eo denuntiaretur expectans. Meminit etiam ipse in Epistolâ ad Polycarpum, maximè horrendi illius solaris defectus. Nam cùm Apollophanes homo philosophus, religione Græcus, indignaretur, huicque ter beato conuitiaretur, quòd cùm socius amicissimus fuisset, ac popularis, patrios cultus auersaretur, & Christianam fidem præferret atque amplecteretur, acerrimeque tueretur, ac Græcorum rationibus contra Græcos vteretur; conuitium & indignationem refutare tentantem, ac potiùs Polycarpo suggerentem, in quem ille commilito dicteria illa fingebat, hæc dicere: *Tu autem dicis, maledicere mihi Sophistam Apollophanem, ac parricidam nominare,* & cetera.

VITA S. DIONYSII AREOPAGITÆ

EX LIBRO SECVNDO NICEPHORI GRÆCE ET LATINE AB EODEM PETRO LANSSELIO EDITA.

ET Paulus Athenas vſque venit. Eam vrbem ſimulacrorum cultui deditam cernens, ſermones & cum eis qui ex Synagogâ erant Iudæis, & cum Philoſophis Epicuræis, ſimul & Stoïcis confert: à quibus tamquam *ſeminiuerbius* ſeu inanium verborum ſator, & peregrinorum deorum annuntiator, conuitiis grauiter exagitatur, & comprehenſus in ſupremum ibi iudicium (Areopagum, ſeu Martis vicum nominant) producitur, atque ad iudicum ſubſellia ſiſtitur. Nouem ij erant, ſapientiâ, virtute, genere & opibus, omnibus aliis præſtantiores habiti, & ad iudicum munus obeundum, prout quiſque eorum viſus eſt optimus, ad tribunal lecti. In medio horum conſiſtens, ſuperſtitionem eorum aræque eius quæ apud eos *ignoto Deo* conſecrata erat, annuntiat: ſeque eius Apoſtolum & legatum eſſe aſſerit, quem & Dominum & creatorem cæli & terræ, quòd ſcilicet per eum conſiſtant omnia, ipſeque nullius rei indigens, nulli omnium materiæ ſimilis ſit, laudat. Illi inſuper addens, nullâ eum aliâ re quàm piis bonorum operibus, & veritatis cognitione coli; & peccata quidem per ignorantiam huc vſque à nobis commiſſa eum diſſimulare, atque remittere, de cetero autem reſipiſcendum, & verbis fidei cedendū eſſe. Ac iudicandi quoque eum poteſtatem propterea recepiſſe dicit, ipſum ſcilicet Ieſum Chriſtum, qui diuinis prorſus factis & operibus Deus perfectus (citra tamen peccatū) homo declaratus, pro omnibus crucifixus ſit, & à mortuis reſurrexit, omnibuſque ſpectantibus ad ſuum in cælū redierit Patrem rerum vniuerſarum Deum. Quibuſdam itaque, quòd reſurrectionem ab eo audirent, res tota ludibrium & fabula videtur: quidam autem verbis eius credentes, eum ſectantur, in quibus & Dionyſius Areopagita ille fuit, vnus ex ſapientibus illis & delectis viris. Tantâ autem fuit in Chriſtum fide, vt non modò dignus diuino lauacro eſſet, ſed etiam ipſius Pauli manibus Athenienſium

ΚΑΙ Παῦλος ἄχρις Ἀθηνῶν ἐπορεύετο. Εἰδώλοις δὲ σφόδρα τὴν πόλιν ὁρῶν προσανέχουσαν, τοῖς τε ἐκ τῆς Συναγωγῆς διωμιλεῖτο, καὶ τοῖς ἐκεῖσε φιλοσόφοις, τοῖς ἀπὸ τοῦ Ἐπικούρου καὶ τῆς Στοᾶς· οἷς δὴ καὶ ὡς σπερμολόγος καὶ ξένων δαιμονίων καταγγελεὺς περιυβρίζετο, καὶ δῆτα εἴσω χειρῶν θέμενοι, ἐπὶ τὸ παρ' αὐτοῖς μέγιστον δικαστήριον ἄγουσιν (ᾧ Ἄρειος πάγος ὄνομα) καὶ τῷ συνεδρίῳ τῶν δικαστῶν παραστήσαντες. Ἐννέα δὲ ἦσαν οὗτοι, σοφίᾳ καὶ γένει καὶ πλούτῳ τῶν ἄλλων πάντων ὑπερφέρειν δοκοῦντες, ἐπὶ τῶν δικαστικῶν θρόνων ἀριστίνδην ἐξειλεγμένοι προυκάθηντο. Ὧν ἐν μέσῳ γενόμενος, τὴν δεισιδαιμονίαν ἐκείνων ἤγγελε, καὶ τοῦ παρ' ἐκείνοις νεὼ ὃς ἀγνώστῳ θεῷ ἀνέκειτο, τούτου εἶναι Ἀπόστολον ἔπειθεν, ὃν καὶ Κύριον ἔλεγε καὶ κτίστην γῆς καὶ οὐρανοῦ, δι' οὗ τὸ πᾶν καὶ ἀνενδεῆ τοῦτον καὶ ἀνόμοιον πάσῃ ὕλῃ προὐτίθει. Ἀλλ' οὐδέ τινι ἄλλῳ θεραπεύεσθαι, ἢ τοῖς τῶν ἀγαθῶν ἔργοις καὶ τῇ ἐπιγνώσει τῆς ἀληθείας, καὶ τὰ μέχρι τοῦδε ἀγνοήματα, δι' ἡμῶν παρορᾶν λέγει, τοῦ λοιποῦ δὲ μετανοεῖν, καὶ λόγοις εἴκειν πίστεως. Ὃς καὶ τὸ κρίνειν ἐκεῖθεν εἰληφώς ἐστιν· οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ὃς δι' ἔργων θεοπρεπῶν Θεὸς τέλειος καὶ τέλειος ἄνθρωπος (πλὴν ἁμαρτίας) ἀναφανεὶς, ὑπὲρ ἁπάντων ἐσταύρωται, καὶ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη, καὶ πάντων ὁρώντων πρὸς τὸν οἰκεῖον Πατέρα ἀνελήφθη τὸν τῶν ὅλων Θεόν. Καί τισι μὲν ἀνάστασιν ἀκηκοόσι, χλεύη τὸ πρᾶγμα ἐδόκει· τινὲς δὲ αὐτῷ πείσαντες εἵποντο, μεθ' ὧν καὶ ὁ Ἀρεοπαγίτης Διονύσιος ἦν, εἷς ὢν τῶν σοφῶν ἐκείνων, καὶ ἐκκρίτων ἀνδρῶν. Ἐπὶ τόσον δὲ αὐτῷ τὰ τῆς πίστεως, ὡς μὴ μόνον τοῦ θείου καταξιωθῆναι λουτροῦ, ἀλλὰ καὶ διὰ χειρῶν Παύλου, Ἀθηνῶν προχειρισθῆναι Ἐπί-

σκοπον,

σκοπον, καὶ ὑπερφυῶν χαρισμάτων ἀξιωθῆναι, καὶ τῷ θείῳ συγγενέσθαι Ἱεροθέῳ, οἷς ὁ Παῦλος ὅσα καὶ συνήσατο εἰς τὸν τρίτον ἀρθεὶς οὐρανὸν, καὶ εἰς τὸν παράδεισον, κατεπίστευσε· περί τε θεολογίας καὶ περὶ τῆς οὐρανίου Ἱεραρχίας τε καὶ διακοσμήσεως, ἃ ἐς ὕστερον καὶ γραφῇ παρεδόθη. Διονύσιος δὲ τὸν λόγον τῆς εὐσεβείας λαμπρῶς παρρησιασάμενος, ἐπὶ πολλοῖς ἔτεσι κατὰ τὴν Ἑσπέραν δοξάσας Χριστὸν, εἰς βαθὺ γῆρας ἥκων, καὶ τῷ ὑπὲρ αὐτοῦ μαρτυρίῳ κατεκοσμήθη. Φασὶ δὲ, αὐτὸν τὴν κάραν ξίφει διακοπεῖσαν ἀνὰ χεῖρας λαβόντα, ἐπὶ μίλια δύο ὁδεῦσαι, ἐκεῖσε δὲ γυναικὶ ἐντυχόντα, παραθέσθαι ταύτην αὐτῇ. Ὅσα γε μὴν συνεγράψατο θεωρίᾳ, καὶ νοήμασι, καὶ φράσει ἐξόχῳ πάντη, καὶ ἀμιγεῖ τῶν, ὅσαι κατ' ἀνθρώπους ἐφάνησαν, τοῦτον ἔχουσι τὸν τρόπον. Πρῶτον μὲν, περὶ Θείων ὀνομάτων λόγον συντάττει ἐν κεφαλαίοις τρισκαίδεκα, ἐν ᾧ ἕτερα κεφάλαια ὑποτέτακται ἄχρι τῶν ρ΄ περιόντα θεοσοφίας μεστά. Δεύτερος αὐτῷ συντέτακται, περὶ τῆς Οὐρανίου ἱεραρχίας ἔχων ἐπιγραφὴν, κεφάλαια ιε΄ περιβαλλόμενος. Τρίτος ἐπὶ τούτοις, ὁ περὶ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας, ἐν κεφαλαίοις ἑπτά. Τέταρτος, ὁ περὶ Μυστικῆς θεολογίας, ἐν κεφαλαίοις ε΄. Καὶ Ἐπιστολαὶ δέκα, ὧν ἡ τελευταία τῷ ἐπιστηθίῳ καὶ Εὐαγγελιστῇ Ἰωάννῃ ἐστάλη. Ταῦτα μὲν τὰ ἐς δεῦρο ἡμῖν ἐμφερόμενα· ὁ δ' αὐτὸς καὶ ἑτέρων αὐτοῦ πραγματειῶν μνήμην ποιεῖται, ὧν μία, αἱ παρ' αὐτῷ Θεολογικαὶ ὑποτυπώσεις ὀνομασθεῖσαι· ἥ τε Συμβολικὴ θεολογία ἑτέρα ἡ περὶ τῶν Ἀγγελικῶν ἰδιοτήτων καὶ τάξεων· ἥ τε περὶ Ψυχῆς αὐτῷ πραγματεία· ἑτέρα ἡ περὶ Δικαίου καὶ θείου δικαιωτηρίου· καὶ ἡ περὶ τῶν Θείων ὕμνων ἑτέρα· καὶ ἄλλη περὶ Νοητῶν τε καὶ αἰσθητῶν. Αἳ δὴ πραγματεῖαι παντάπασιν ἀθεώρητοι, καθάπαξ μήθ' ἡμῖν, μήτε τοῖς πρὸ ἡμῶν γνωρισθεῖσαι.

constitueretur Episcopus, mirificis prorsus atque diuinis charismatibus & donis polleret, viueret etiam familiariùs cum diuino viro Hierotheo: quorum vtrique res summas Paulus,vt eas,in tertium vsque cælum & paradisum ipsum raptus, didicerat, concredidit: & de Theologiâ, necnon cælesti Hierarchiâ rerumque cælestium ordinatione, quas res posteà etiam in scripta retulit. Dionysius porrò in veri cultus verbo magnificè prædicando libertate vsus,multosq; annos in partibus Occidétalibus Christum glorificans, ad multam peruenit senectuté, & pro ipso Martyrij coronâ est cohonestatus. Ferunt autem,eum caput suum,quod gladio resectum fuerat,in manibus gerenté, ad duo millia passuum tulisse,ibique id mulieri obuiàm sibi factæ, tamquam depositũ tradidisse. Quæ autem ille scripta,contemplatione, sententiis & elocutione admiranda, longeque ab iis quæ pro hominum captu edita sunt dissita,composuerit,sic se habent.Primum quidem opus de Diuinis nominibus conscripsit, tredecim capitibus * in quo ad centum quoque alia capita sunt adiecta diuinæ sapientiæ plena.Secundus ab eo liber scriptus est, cui titulũ fecit, de Cælesti Hierarchiâ, capita habens quindecim. Tertius de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, capitũ septem. Quartus de Arcanâ seu mysticâ Theologiâ,quinque capitum.Epistolæ insuper decem, quarum postrema Euangelistæ Ioanni, qui supra pectus Domini recubuit, est scripta. Atque hæc quidem eius scripta hodie vsque circumferuntur: ipse autem aliarum quoq; lucubrationũ suarum mentionem facit, quales sunt quæ ab eo Theologicæ dispositiones sunt nominatæ: item Symbolica Theologia: prætereà de Angelicis proprietatibus & ordinibus: Commentarius de Animâ: de Iusto & diuino iudicio: de Diuinis hymnis: item de iis quæ vel intelligentiâ vel sensu deprehenduntur. Commentarij autem isti omnino visi non sunt,* neque nobis, neque nostris antecessoribus cogniti fuerunt.

* Intellige de sex primis capitibus in centum sectiones diuisis, sicut monet M S. Dionysian.

* Ad me quoq; Româ perscriptum est, nec in Vaticanâ Bibliothecâ nec vspiam alia reperiri scripta sancti Dionysij.

ALOYSIVS EPISCOPVS VERONENSIS CANDIDO LECTORI.

PRAETER *ea quæ te ad sacrarum literarum studia ardenter capessenda, & ad grauissima quæq; pro Christi amore toleranda, in hac magni Dionysij Areopagitæ Vitâ alacriorem reddent, hæc insuper cognitu dignissima inuenies. Primùm, quod ab antiquo tempore à patribus dici filiis solet, omnes videlicet sanctos Apostolos Requiei sanctissimæ Genitricis Dei adfuisse, eiusq; nobilissimum funus propriis manibus curasse; hoc ipsum, quod vt frequentissimè ita etiam veracissimè dicetur, in hac historiâ manifestissimè comprobari. Secundum illud, tria hæc præclarissima Volumina, quibus sanctæ Ecclesiæ dogmata potissimùm defenduntur, nempe de Cælesti, nec non Ecclesiasticâ Hierarchiâ, ac de Diuinis nominibus, ab hoc sanctissimo doctissimoq; Viro, sanctorum Apostolorum contemporaneo, fuisse edita: quod à sceleratis quibusdam, qui nunc cælum terramq; mouere conantur, impudentissimè negatur. Sed perditi homines, & à Deo alieni, quid non effutiunt?*

Vitæ huius diuinissimi Patris auctor est Michaël Syngelus Presbyter Ierosolymitanus, peruetustus Scriptor, vt Suidas Græcus auctor asserit in Vitâ quam & ipse eiusdem Sancti scribit, quemq; & in posteriori huius Tomi parte tu quoque legere poteris, vt sic celeberrimus Antistes ter in hoc libro describatur, semel per Adonem, iterùm per Syngelum, tertiò per Suidam, ne is alicubi suis laudibus defraudetur. Eloquium Scriptoris est perobscurum, ceu quod ab ipsius magni Dionysij stylo magnopere non recedat. Verùm translator, vir pius & doctus, quantam potuit operam adhibuit, vt is clarior & cultior redderetur. Græcum exemplar Lutetiæ excusum, vbi Sanctus pro Dei amore occubuit, Nicolaus Balserisius Presbyter Bononiensis, vir probus, olim bonæ memoriæ Ioannis Matthæi Episcopi, viri celeberrimi & sanctissimi, qui huic Ecclesiæ paulò ante me dignissimè præfuit, amanuensis superioribus mensibus donauit mihi: quod cùm numquam translatum fuisse comperissem, illicò per Basilium Millanium meum dilectissimum fratrem in lucem edendum curaui. Vale, & hos nostros labores tuis apud Deum orationibus foue.

ΜΙΚΧΑΗΛ ΣΥΓΓΕΛΟΥ

ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΟΥ ΙΕΡΟΣΟΛΥΜΩΝ, ΕΓΚΩΜΙΟΝ ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΓΙΟΝ ΔΙΟΝΥΣΙΟΝ.

MICHAELIS SYNGELI

PRESBYTERI IEROSOLYMITANI ENCOMIVM IN SANCTVM DIONYSIVM:

Interprete BASILIO MILLANIO *Caßinate Monacho, atq;* *à* PETRO LANSSELIO *pluribus in locis caſtigatum.*

ΟΥΡΑΝΙΑΝ ὄντως καὶ θείαν ἔδει παρεῖναι γλῶτταν τῶν θεοπέμπτων καὶ πυρίνων γλωττῶν ἐκείνων, οἷαι τοῖς αὐτόπταις τοῦ Λόγου καὶ ὑπηρέταις διανενέμηνται, καὶ φωνὴν Ἀγγελικὴν, τῷ ἐγκωμιάζειν ἐθέλοντι Διονύσιον τὸν θεοφάντορα, τὸν τῆς πάντα θεωμένης καὶ ἀγαθότητι παντελεῖ πάντα περιθεούσης καὶ συνεχούσης θεότητος, τῆς ἐν τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ὑπερθέῳ, καὶ ὑπεραγάθῳ Τριάδι προσκυνουμένης καὶ λατρευομένης ὑμνήτορα· τὸν τῶν θεωνυμιῶν καὶ τῶν ἀπορρήτων θεϊκῶν μυστηρίων θεολογώτατον ὑφηγήτορα· τὸν τῆς οὐρανίας ἱεραρχίας ἐξηγητὴν, καὶ τῶν οὐρανίων νοερῶν στρατευμάτων ἐπαινέτην καὶ διακοσμήτορα, καὶ τὸν τῶν Ἐκκλησιαστικῶν διακοσμήσεων, ἱεραρχικῆς τε καὶ προηγεσίας, καὶ ἱεροτελεσίας, καὶ τελεταρχίας, καὶ πάσης Χριστιανῶν θεοσοφίας καὶ ὡραιότητος μύστην καὶ μυσταγωγὸν καὶ ἐκφάντορα· τὸν διὰ καθαρότητα βίου, καὶ παντοίας ἀρετῆς τελειότητα, παρὰ Παύλου τοῦ θεσπεσίου τῶν ὀφθέντων αὐτῷ καὶ ἐνηχηθέντων εἰς τρίτον οὐρανὸν ἁρπαγέντι θεαμάτων καὶ ἀκουσμάτων ἐμπεπιστευμένον τὴν μύησιν· τὸν τοῦ Ἀποστολικοῦ χοροῦ συνηλικιώτην καὶ συνόμιλον, καὶ κατὰ τοὺς ἱεροὺς ἀγῶνας ἐφάμιλλον· τὸν ἐν ἱεράρχαις πανιερώτατον, καὶ ἐν μάρτυσι λαμπρότατον, καὶ ἐν Θεολόγοις θεοσοφώτατον, καὶ ἐν διδασκάλοις φωτιστικώτατον.



CÆLESTEM prorſus atque diuinam linguam, eamque ex illis quæ igneæ ac cælitus à Deo miſſæ fuere, cuiuſmodi Filij Dei ſpectatoribus ac miniſtris diſpertitæ ſunt, & Angelicam vocem ſuppetere illi oporteret, qui de diuini præconis Dionyſij laudibus ſit dicturus, qui omnia contuentis, ſingularique ſeu perfectiſſimâ benignitate circum omnia curſantis ac continentis Diuinitatis, quæ in Trinitate, quæ ſumma diuinitas eſt, quæque ſubſtantiam omnem ac bonitatem antecellit, adoratur & colitur, laudator fuit: qui Dei appellationum & ineffabilium diuinorum myſteriorum ſapientiſſimum egit interpretẽ: qui de ſacro cæleſti principatu diſſerüit, ac diuinas cæleſtis militiæ mentes ſummis laudibus exornauit: qui Eccleſiaſticorum ordinum ſacrique magiſtratus, & cum diuini Sacrificij, tum cærimoniarum ac omnis diuinæ Chriſtianorum ſapientiæ atque decoris doctor, dux & explanator fuit: qui puritate vitæ ac omnigenæ virtutis excellentiâ concreditum ſibi à D. Paulo myſterium eorum, quæ in tertium ipſe cælum raptus viderat, ac audiuerat, accepit: qui Apoſtolorum cœtui tempore æqualis familiaritate iunctus, atque in ſacris certaminibus ſocius & auxiliator fuit: qui inter Præſules ſacratiſſimus, inter Martyres clariſſimus, diuinarum rerum inter Theologos callentiſſimus, magiſtros omnes doctrinæ claritudine ſuperauit.

Habetur in eius proprio libello de hoc Græcè ſcripto.

Quo-

Quocircà, ſacer conſeſſus, gens ſancta, concio Deo dicata, vereor ne magni huiuſce luminis laudes dicere aggreſſus, temeritatis crimen incurram. Neque enim ſi omnis omnium quotquot vmquã fuere Rhetorum vis ac dicendi facultas huc ſimul adeſſet, huius viri diuinâ eloquentiâ præditi, ſummam laudum attingere, nedum ingenij mei ad eloquendum imbecillitas, pro dignitate aſſequi poſſet: verumtamen vobis morem gerens, qui me (quæ veſtra charitas eſt, & in Deum fides) ad hoc hortamini, Deo, viro ſancto, itemq; vobis quidquid potero, lubens præſtabo. Nam ſi me laudati iſtius viri laudum quæ illi congruunt vbertate, magnitudine, atque præſtantiâ ſuperari cõtigerit, vinci me libenter patiar: neque enim vllum ei qui laudatur damnum infertur, ſi qui hunc ipſum laudat, ornamentis & apparatu laudandi generis ſuperetur.

Vnde igitur laudis principium ſumam? Rhetorúmne in ſcribendis laudibus præceptis vtar (quæ ab iis peti ſolent quæ humi repunt, labuntur, ac ſubinde aliter immutantur & intereunt, vt ſunt genus, patria, diuitię mundi huius, gloria & ambitio) dum illius qui his omnibus ſublimior eſt, & qualibet nimiùm mutabili famâ ac humanâ gloriâ maior, laudes corrogo? An ab incorruptis potiùs ac verè beatis, ac per ſæcula duraturis laudibus ordiemur, quàs ille, ex quo à ſimulacrorum cultu deſiuit, ob inſignem erga Chriſtum, verum proculdubiò Deum, animi propenſionem morumque probitatem, ac Euangelicam inſtitutionem, nec non luctæ labores retulit? Quam enim terrenorũ parentum, qui luteis rebus, cumprimiſque ſuperſtitionibus, ſunt inuoluti, natales ad veram gloriam acceſſionem facient illi, qui ab omniũ Rege Deo adoptione ſit dignus habitus, & in cæleſtes Angelorum ordines cooptatus, & vnà cum Dei præconibus Petro & Paulo ſacro imperio & Apoſtolicâ pulchritudine ſit conueſtitus, ſimulque beatiſſimâ illâ natiuitate progenitus, ac martyrij gloriâ circumdatur? An patria equis ouibuſque referta, campis, montibus, ſaltibus, vallibuſque circummunita, pratis item, nemoribus, ac quolibet arborum atque plantarum genere conſtipata; & maritimis portubus circumcincta, fluminibus prętereà, fontibus, ſtagnis circumfluens,

Ὅθεν, ὦ θεῖον ἱεράτευμα, καὶ ἔθνος ἅγιον, καὶ θεόλεκτον σύστημα, δέδοικα μὴ τοῖς τοῦ τοιούτου μεγάλου φωστῆρος ἐγχειρῶν ἐγκωμίοις, θράσους γραφὴν ἀπενέγκωμαι. Οὐδὲ γὰρ ἂν εἰ πᾶσαι συνέλθοιεν ὁμοῦ αἱ τῶν πώποτε γεγονότων ῥητόρων εὐγλωττίαι, δύναιντο τῆς ἀκρότητος ἐφικέσθαι τῶν κατ' ἀξίαν ἐπαίνων τοῦ εὐφημουμένου θεορρήμονος, μή τι γε τὸ τῆς ἐμῆς διανοίας περὶ τοὺς λόγους ἀδρανές· ἀλλ' οὖν τῇ προτροπῇ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης καὶ πίστεως εἴκων, τῷ Θεῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ, καὶ ὑμῖν προσοίσω τὸ κατὰ δύναμιν. Καὶ γὰρ εἰ ἡττηθείην τῶν προσηκόντων ἐγκωμίων τοῖς τοῦ ἐγκωμιαζομένου πλεονεκτήμασι, καὶ προτερήμασι, καὶ ἀριστεύμασι, χαίρω λίαν ἡττώμενος· οὐ γὰρ ἐλάττωμα τῷ ἐπαινουμένῳ, τὸ τοῦ ἐπαινοῦντος ἐν ταῖς τῆς ἐγκωμιαστικῆς φράσεως ἁρμονίαις ἥττημα.

Πόθεν τοιγαροῦν τῆς εὐφημίας ἄρξομαι; Τοῖς θεσμοῖς τῶν ῥητορικῶν ἐγκωμίων χρήσομαι (ἐκ τῶν χαμαὶ ἐρχομένων, καὶ διαλυομένων, καὶ ἄλλοθεν ἄλλῃ μεταπιπτόντων, καὶ φθειρομένων, γένους φημὶ, καὶ πατρίδος, καὶ πλούτου, καὶ κοσμικῆς δόξης, καὶ φαντασίας) τῷ τούτων ἁπάντων ὑψηλοτέρῳ, καὶ κρείττονι κλέους εὐπαρίστου, καὶ καυχήσεως ἀνθρωπίνης, ὑποθέσεις ἐρανιζόμενος; Ἢ μᾶλλον ἀπὸ τῶν ἀφθίτων καὶ ὡς ἀληθῶς μακαρίων, καὶ διαιωνιζόντων αὐχημάτων, ἃ διὰ τῆς εἰς Χριστὸν, τὸν ὄντως ὄντα Θεὸν, ἀπὸ τῆς εἰδωλικῆς θρησκείας, ἀρίστης εὐτροπίας καὶ Εὐαγγελικῆς ἀγωγῆς, καὶ ἀθλητικῆς ἀγωνίας ἤρατο; Τί γὰρ εἰς εὔκλειαν ἀληθῆ συνοίσει γενεαλογία γονέων χαμερπῶν, καὶ περὶ τὴν ἰλὺν ἰλυσπωμένων, καὶ μάλιστα δεισιδαιμόνων, τῷ τῆς υἱοθεσίας τοῦ παμβασιλέως Θεοῦ κατηξιωμένῳ, καὶ τοῖς οὐρανίοις Ἀγγελικοῖς συνηριθμημένῳ τάγμασι, καὶ τοῖς περὶ Πέτρον καὶ Παῦλον θεοκήρυξιν, ἅμα τὴν ἱεραρχικὴν καὶ Ἀποστολικὴν περικειμένῳ φαιδρότητα, καὶ τῆς μακαριωτάτης γενεᾶς ἐκείνης γεγεννημένῳ, καὶ τῷ τοῦ μαρτυρίου συνεστεμμένῳ διαδήματι; Ἢ τίνα περιφάνειαν πατρὶς ἱππήλατος καὶ μηλοτρόφος, καὶ πεδίοις, καὶ ὄρεσι, καὶ νάπαις, καὶ φάραγξι περιεστοιχισμένη, καὶ λειμῶσι, καὶ ἄλσεσι, καὶ παντοδαποῖς δένδροις καὶ φυτοῖς πεπυκνωμένη, καὶ θαλαττίοις λιμέσι περικυκλουμένη, καὶ ποταμοῖς, καὶ πηγαῖς, καὶ λίμναις περιρρεο-

περιρρεομένη, καὶ μεγέθει καὶ καλλονῇ κτισμάτων κεκαλλωπισμένη, καὶ τῶν δειμαμένων τοὺς τύμβους θαῦμα τοῖς παριοῦσι προβαλλομένη, παρέξεται τῷ τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ πόλιν κεκτημένῳ, ἧς ἐν χειρὶ Κυρίου τὰ τείχη ἐζωγράφηται, καὶ ἔνθα πάντων εὐφραινομένων ἡ κατοικία ἦχός τε ἑορταζόντων, καὶ φωνὴ ἀγαλλιάσεως; Πλὴν εἰ καὶ ἡμῖν ἐν προοιμίοις τοῦτο λέλεκται, τὸν παμμακάριστον κρίνουσι τῶν ὑπερκοσμίων εἶναί τινα, καὶ τὸ γνήσιον ἀνῳκισμένων, ἀλλ' οὔτε γεννητόρων ἀσήμων τις ἦν, οὔτε τὴν ἐνεγκαμένην εἶχεν ἀφανῆ, οὔτε μὴν ἄστεος εὐτελοῦς ὑπῆρχε πολίτης. Ποῖον γὰρ τῆς οἰκουμένης μέρος οὐκ ἀκήκοε τὸ τῆς Ἑλλάδος περιφανές; Ἢ τίς τὰς Ἀθήνας ἀγνοεῖ, τὸ τῆς Ἑλλάδος εὖχος, τὸ περίπυστον καὶ πανάοιδιμον ἄστυ, τὸ τῶν φιλοσόφων διαιτητήριον, καὶ τῶν ἐπὶ λόγῳ μέγα βοωμένων γυμναστήριόν τε καὶ παιδευτήριον; ὅθεν Διονύσιος οὗτος ὥρμητο, καὶ ὁ διασημότατος προηγέτης, καὶ τῶν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ δικαστῶν ἐχρημάτιζε προύχων καὶ πρόκριτος, ὧν τὸ τοῦ γένους περίοπτον καὶ μεγαλόδοξον τοῖς τῶν Ἀτθίδων συγγραφεῦσιν, Ἀνδροτίωνι καὶ Φιλοχόρῳ κατὰ πλάτος ἱστόρηται. Ἀφ' ὧν ἔστι τε καὶ τεκμήρασθαι καὶ τὸ τῶν προγόνων αὐτοῦ πρωτεῖον, καὶ ἔντιμον, καὶ διαβόητον· οὐ γὰρ ἂν παρ' Ἀθηναίοις, τοῖς ἀγερώχοις, εἰς ἀρχὴν προῆκτο τοσαύτην, εἰ μὴ πρὸς τῇ σοφίᾳ καὶ τῇ τῶν φρενῶν εὐκοσμίᾳ, σωφροσύνῃ τε καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ ἀνδρείᾳ, καὶ τῇ περιβλέπτῳ τοῦ γένους ὑπεροχῇ κατηγλάϊστο. Τὸν γὰρ Λουκᾶν, τὸν φιλαληθέστατον καὶ σοφώτατον, ἐν τῇ τῶν Ἀποστολικῶν Πράξεων ἁγίᾳ καὶ πανσόφῳ συγγραφῇ, περὶ τῶν Ἀθήνησι πεπιστευκότων διὰ τῆς κατὰ τὸν Ἄρειον πάγον θεοπνεύστου τοῦ μακαρίου Παύλου διδαχῆς καὶ δημηγορίας διηγούμενον, φάναι κατ' ἐξοχῆς τρόπον, Ἐν οἷς ἦν καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης· ἐναργῶς τὸ τοῦ νοεροῦ τοῦδε λαμπτῆρος, κατά τε γένους ἐπισημότητα, καὶ κατ' ἀρετῆς, καὶ γνώσεως, καὶ σοφίας, καὶ ἐλλογιότητος περιουσίαν, ὑπερφερὲς ἀποδείκνυται. Οὐ γὰρ εἴρηκεν, Ἐν οἷς ἦν ἀνὴρ ὀνόματι Διονύσιος, ὡς εἴ τινος εἵνεκεν ἀδήλου, ἀλλά, Ἐν οἷς ἦν καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης· ὑποφαίνων ἐντεῦθεν, ἐν στόμασιν ἁπάντων ᾄδεσθαι τὸν ἄνδρα, καὶ ὀνομαστότατον εἶναι. Καὶ μή τις μὴ μέγα συντελεῖν οἰέσθω εἰς τὸν τοῦ

magnitudine demum ædificiorum ac pulchritudine prædita, quæque ſepulchra eorum qui hanc conſtruxerint, vti miraculum prætereuntibus obtendit, ſplendorem illi aliquem afferet, qui iam ſit cæleſtem Ieruſalem aſſecutus, cuius muri manu Domini picti ſunt, vbi omnium lætantium eſt domicilium, celebres conuentus agentium ſonus, & vna vox eſt exultationis? Atqui licet à nobis in exordio dictum ſit, beatiſſimum virum vnum eſſe aliquem è cælitibus qui ex hac vitâ eò commigrarunt, non idcircò tamen parentum eius aliquis obſcurus fuit, neque patriam non illuſtrem habuit, ſed ne ignobili quidem ciuitate oriundus ciuis extitit. Quæ eſt enim orbis terræ pars, quæ non Græciæ claritatem audierit? Aut Athenas Græciæ gloriam, celebratam ac vbique decantatam ciuitatem, Philoſophorum ſedem, atque locum, vbi celebres Oratores ſuos exercent & docent, quis ignorat? vnde iſte Dionyſius ortum accepit, & vbi præſes nobiliſſimus, ac inter Areopagi Iudices primas obtinens, magiſtratum honorarius Iudex agebat, quorum præcellentia generis, & inſignis gloria, ab Androtione ac Philochoro Athenienſibus ſcriptoribus copioſè litteris mandata eſt. Hinc etiam eſt facile coniicere, parentes eius optimates, præſtabiles, ac virtute claros fuiſſe, neque enim apud Athenienſes, homines magnanimos, in tam ſublimem principatum euectus eſſet, niſi ſapientiam & animi ornamenta, prudẽtiam, iuſtitiam, fortitudinem, illuſtri etiam generi coniunxiſſet. Cùm enim Lucas, veritatis amantiſſimus ſimulq; ſapientiſſimus, in ſanctâ omnique plenâ ſapientiâ Actuum Apoſtolorum hiſtoriâ, de his qui Athenis B. Pauli, diuino afflati numine, doctrinâ & prædicatione crediderant, hæc per excellentiam dixerit, *In quibus erat & Dionyſius Areopagita*; perſpicuè diuini iſtius luminis eminentia, cùm à generis excellentiâ, tum à virtutis, cognitionis, prudentiæ ac eloquẽtiæ exuperantiâ indicatur. Neque enim dixit, In quibus erat vir nomine Dionyſius, perinde ac ſi de ignoto aliquo loqueretur; ſed, *In quibus erat & Dionyſius Areopagita.* hinc ſubindicans, virum clariſſimum per omnium ora celebrari. Neque hanc diuini ſermonis breuitatem, ad intentionem ora-

Dionyſius Athenis nobili loco natus.

tionis propositam non magni referre quispiam arbitretur: nam etiamsi breuis sit oratio, diuitiæ tamen, quæ inde in huius qui celebratur viri laudem fluunt, sunt permultæ. Neque secùs enim inspector Dei Moyses in scripto quodam creationis mundi breuissimo, cùm Melchisedech, qui diuinum iuxta ritum, nostrum Sacerdotium præ se ferebat, mentionem fecisset, nec quibus parentibus ortus esset, nec vnde originem traheret aperiens, eius memoriam, quæ per sæcula celebris foret, tamquã immortali monimento consecratam, posteris reliquit. Age (obsecro) igitur ipse, ô gaudij & fauste pretiosæ salutis nuntie, ô ingens ineffabilis descensus Filij Dei præco, & diuinorum eius miraculorum, atque rerum magnificarum veracissime concionator, ô Euangelistarum amplissime, beatissime Luca; age fare nobis, quinam & qualis sit iste Dionysius, & sacrã tuam perquam breuissimam scriptionem, quâ hunc omnium doctorẽ in lucem prouexisti, nobis edissere. Hic est, inquit, inter lectissimos, ac dignitate præstantes Græciæ viros, & Areopagitarum Concilij Senator amplissimus, qui non tam inclytus ob dignitatem effectus fuisse, quantum dignitatem ipse clariorem effecisse est iudicandus. Hic est, qui non solùm omnia disserendi scientiæ ornamenta complexus est, Stoïcorum, & Epicureorum, ceterorumque Philosophorum doctissimus, & Atticè & literatè loquentium facundissimus, idemque eruditissimus, Rhetorum eloquentissimus, Astronomiæ item incumbentium speculator acerrimus, ac in ceteris liberalibus disciplinis peritissimus, quin & quatuor prætereà virtutibus summè ornatus fuit. Hic est qui rectissima in iudicando trutina vsus, eorum qui Athenis ius dicebant iustissimus fuit, idque cùm adhuc gentilium religione obstrictus, Iouisque abominationibus inquinatus, & execrando Palladis Atheniensis cultui nefariè esset addictus, fabulosos item Orphei, qui omnia ad se musicis concentibus attrahebat, sublimes de diis sermones amplectens, & anili Hesiodi Theogoniâ libenter detineretur illectus. At vbi gratia salutaris cunctis hominibus illuxit, Gentilium ebrietatis & amentiæ tenebras eliminàuit, vniuersorumque simulacrorum erro-

Melchisedech.

Dignitas S. Dionysij.

Studia Dionysij adhuc gentilis.

λόγου σκοπὸν ταυτηνὶ τὴν ἱερὰν βραχυλογίαν· εἰ γὰρ καὶ βραχὺς ὁ λόγος, ἀλλὰ πολὺς ὁ παρ' αὐτοῦ βρύων εἰς εὐφημίαν τούτου τοῦ θαυμαζομένου πλοῦτος. Οὕτω γὰρ Μωϋσῆς ὁ θεόπτης ἔν τινι τῆς κοσμογενείας ῥητῷ συντομωτάτῳ, Μελχισεδὲκ ἀπομνημονεύσας, τοῦ τὴν καθ' ἡμᾶς πνευματικὴν ἱερωσύνην προτυπώσαντος, μήτε τίνων γονέων υἱὸς ἐγεγόνει, μηδ' ὁπόθεν ὥρμητο, διασημηνάμενος, ὡς ἐν ἀθανάτῳ στήλῃ τὴν ἐκείνου μνήμην, ταῖς μετέπειτα γενεαῖς διαιωνιζόντως εὐφημουμένην καταλέλοιπε. Δεῦρο δὴ οὖν αὐτός, ὦ τῆς παγκοσμίου σωτηρίας καὶ χαρᾶς Εὐαγγελιστά, καὶ τῆς ἀφράστου τοῦ Θεοῦ Λόγου σαρκώσεως μεγαλοκήρυξ, καὶ τῶν θείων αὐτοῦ σημείων καὶ μεγαλείων ῥήτωρ ἀψευδέστατε, καὶ τῶν Εὐαγγελιστῶν διεξοδικώτατε, Λουκᾶ παμμακάριστε, δεῦρο φράσον ἡμῖν, τίς ἐστιν ὁ Διονύσιος, καὶ ποῖος, καὶ τὴν πλεῖστα συντετμημένην σου ἱερολογίαν, καθ' ἣν τουτονὶ τὸν ἱεροφάντην προήγαγες, ἐξάπλωσον. Οὗτός ἐστι, φησίν, ὁ τῶν καθ' Ἑλλάδα λογάδων καὶ εὐπατριδῶν εὐκλεέστατος, καὶ τῆς Ἀρεοπαγίτιδος βουλῆς ἐξοχώτατος, οὐ μὴν τοσοῦτον ἐκ τῆς ἀξίας περικλυτὸς ἀποφανθείς, ὅσον αὐτὸς ἐκείνην περιφανεστέραν ἀπέφηνεν. Οὗτός ἐστιν, ὁ μὴ μόνον κατὰ πᾶσαν ἐπιστήμης λογικῆς ἰδέαν τελεώτατος, Στωϊκῶν τε καὶ Ἐπικουρείων, καὶ τῶν ἄλλων φιλοσόφων φιλοσοφώτατος, καὶ τῶν Ἀττικιζόντων καὶ γραμματικευομένων Ἀττικώτατός τε καὶ τεχνικώτατος, καὶ ῥητόρων ῥητορικώτατος, καὶ τῶν περὶ τὴν Ἀστρονομίαν καταγινομένων θεωρητικώτατος, κἂν ταῖς λοιπαῖς ἐγκυκλίοις παιδεύσεσιν ἀκριβέστατος, ἀλλὰ καὶ τῇ τετρακτύϊ τῶν ἀρετῶν ἀρτιώτατος. Οὗτός ἐστιν, ὁ δίκης ἀρρεπεστάτῃ τρυτάνῃ κεχρημένος, καὶ τῶν ἐν Ἀθήναις θεμιστευόντων εὐθύτατος, καὶ ταῦτα τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔτι προσηλωμένος θρησκεύμασι, καὶ τοῖς τοῦ Διὸς ἐμπεφυρμένος βδελύγμασι, καὶ τοῖς τῆς Παλλάδος Ἀθηνᾶς εἰδωλικοῖς ἐπαγλαϊζόμενος σεβάσμασι, καὶ τὰς κατ' Ὀρφέα τὸν πάντα τοῖς μουσικοῖς ἕλκοντα κρούμασι, μυθώδεις θεολογίας ἀσπαζόμενος, καὶ τὴν γραοπρεπῆ παρ' Ἡσιόδῳ θεογονίαν ἀσμενιζόμενος. Ἐπειδὴ δὲ τὴν τῆς Ἑλληνικῆς ἀνοίας καὶ μέθης ἀχλύν, ἡ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐπιφανεῖσα σωτήριος χάρις ἀπεσκέδασε, καὶ πᾶσαν ἀπὸ γῆς εἰδωλικὴν

καθεῖλε

καθεῖλε πλάνην, καὶ πανταχόσε τῆς οἰκουμένης, οἷά τινες ἀετοὶ ταχυσίπτεροι διϊπτάμενοι καὶ διαθέοντες οἱ τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ μαθηταὶ, τῷ τῆς θεογνωσίας φωτὶ τὸν κόσμον κατηύγασαν· καὶ Παῦλος τῶν Θεολόγων ὁ κράτιστος, καὶ τῶν ἐθνῶν ὁ θειότατος Ἀπόστολος, ἡ οὐρανομήκης σάλπιγξ, τὸ σκεῦος τῆς ἐκλογῆς, ταῖς Ἀθήναις ἐπεδήμησε, σαλπίζων τὸ σωσίκοσμον καὶ φερέσβιον κήρυγμα, καὶ τὸ θεῖον καὶ δεσποτικὸν βαστάζων ὄνομα. Καὶ κατ' εἴδωλον τὴν ἐν ταῖς Ἑλληνίσι προύχουσαν πόλεσι τεθεαμένος, καὶ τῷ θεϊκῷ πυρποληθεὶς ζήλῳ, θερμῶς τὴν πόλιν εἰσεληλακὼς πρὸς τοὺς παρατυγχάνοντας Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας, σοφούς τε καὶ ἰδιώτας διείλεκται, καὶ τὸν τῆς τοῦ δελεαστοῦ καὶ βροτοκτόνου καὶ δράκοντος τυραννίδος, τοῦ τε θανάτου καὶ τῆς φθορᾶς λυτρούμενον Ἰησοῦν, καὶ τὴν τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν εὐηγγελίσατο, καὶ τοὺς ἐξ Ἐπικούρου, καὶ τοὺς τῆς ποικίλης Στοᾶς φιλοσόφους, τῇ ξένῃ, καὶ ἀπορρήτῳ, καὶ ὑπερκοσμίῳ σοφίᾳ κατέπληξε, κἀπὶ τοῦ Ἀρείου πάγου κριτήριον ἀπενήνεκται, καὶ τοὺς ἅπαντας ὑπερακοντίζειν φιλοσοφίᾳ κατεκήλησεν· αὐτίκα Διονύσιος ἀπέστη τῆς βορβορώδους τῆς εἰδωλομανίας λίμνης, καὶ Παύλῳ τῷ πνέοντι θείαν εὐωδίαν ἐκολλήθη. Ἀπεσπάσθη τῆς τῶν ἀπάτης εἰσηγητῶν, καὶ τῷ τῆς ἀληθείας κήρυκι προσεδέθη. Ἀνήχθη τοῦ τῆς ἀπωλείας βυθοῦ, καὶ πρὸς τὸ τῆς σωτηρίας ὕψος ἀνέπτη. Ἀπεφοίτησε τοῦ τῆς ἀθεΐας ζόφου, καὶ τῷ τῆς θεογνωσίας φωτὶ προσεφοίτησεν. Ἀνεχώρησε τῆς ὡς ἀληθῶς ματαιότητος, καὶ τῇ ὄντως μακαριότητι προσεχώρησεν. Ἀπετάξατο τῷ τοῦ θανάτου προξένῳ Βελιάρ, καὶ τῷ τῆς ζωῆς αἰτίῳ καὶ χορηγῷ Χριστῷ συνετάξατο. Ἐβδελύξατο τὴν τῶν δαιμόνων ἀκαθαρσίαν, καὶ τὴν τῶν Ἀγγέλων ἁγνείαν ἠσπάσατο. Ἀπετινάξατο τὴν ἰλυώδη κοσμικὴν ὕλην, καὶ τὴν ἄϋλον βιοτὴν ἐνηγκαλίσατο. Ἔσοπτρον γὰρ γεγονὼς δεκτικὸν τῆς διὰ Παύλου (τοῦ τῷ Χερουβικῷ θρόνῳ ἁμιλλωμένου τῇ λαμπρότητι, ἅτε Χριστὸν, τὸν Χερουβὶμ ἐποχούμενον, ἔναυλον ἔχοντος) ἀπαστραπτούσης ἀρχιφώτου καὶ θεαρχικῆς ἀκτῖνος, καὶ τῆς ἐνδιδομένης αἴγλης ἀποπληρούμενον, κατηύγασται, καὶ ὅλος ὅλῃ τῇ ψυχῇ, καὶ διανοίᾳ, καὶ καρδίᾳ τῷ διδασκάλῳ προσκεκόλληται. Βαβαὶ τῆς τοῦ ἀριστέως τούτου πρὸς τὸν

rem de terrâ sustulit, ac vbique terrarum Dei & Seruatoris nostri Christi discipuli, tamquam aquilæ quædam passis alis euolantes, ac percurrentes, diuinæ cognitionis lumine mundum illustrauerunt; etiam Paulus Theologorũ supremus, & diuinissimus Gentium Apostolus, tuba cælum vsq; pertingens, vas electionis, Athenas concessit, vbi præconium, à quo salutẽ & vitam mundus acciperet, annuntians, diuinum Domini nomen circumferebat. Cumque cerneret ciuitatem, quæ ceteris Græcorum omnibus antestaret, simulacrorum cultui deditam, amore diuino succensus, ardore quodam ciuitatem ingressus est, & cùm Iudæos tum Græcos, sapientes & indoctos, quoscumque obuios habuit, argumentis impetere cœpit, Iesumque, qui nos ab impostoris, homicidę, draconisque tyrannide, morte ac interitu vindicarat, & mortuorum resurrectionem, lætis auspiciis nuntiauit; Epicureos, & qui à porticu picturis variegatâ nomen acceperunt, nouâ & inauditâ ac cælesti sapientiâ in ingentem admirationem attraxit; & ad Areopagitarum iudicium delatus, omnes cælesti Philosophiæ animum intendere suauiter induxit: tum Dionysius confestim à luteo & insano quasi simulacrorum stagno desciscens, Paulo diuinum odorem exserenti adiunctus est. Ab interpretum & scriptorum auulsus errore, præconi veritatis adhæsit. A profundo internecionis emersit, & ad salutis celsitudinem euolauit. A tenebris impietatis abscessit, & ad cognitionis diuinę lumen concessit. A verâ stultitiâ ad veram beatitudinem properauit. Belial mortis pararium valere iussit, & vitæ auctori & principi Christo se coniunxit. Impuritatem dæmonum abominatus, Angelorum sanctitatem complexus est. Luteam mundi materiã excussit, & cæleste viuendi institutum appetijt. Cùm enim speculum factus esset, capax eius quod per Paulum (illum qui splendore cum Cherubim certabat, vtpote Christum, qui sedet super Cherubim, insonantem auribus habens) fulgebat; principialis luminis, & diuinitatis auctoris radij, plenumque inditi fulgoris, illustratus est, & totus animo toto, cogitatione, ac corde præceptori agglutinatus est. Hui, quàm ingens præclari huiusce viri animi propensio

S. Paulus Athenis prædicat.

Conuersio S. Dionysij.

Promptitudo S. Dionysij ad sancti Pauli doctrinam sequendam.

fuit Apostolicæ illi ac diuinum lumen largienti prædicationi suscipiendæ! O obedientem & illuminatissimum animum illum, qui facillimè doctrinæ ac præceptionis Euangelicæ notas ac signa prima retinuit! O cor, quod tam facilè & irreuertibiliter ab omni carnis affectu auulsum, corporeaque omni demonstratione reiectâ, salutis præconio celeriter credidit, & sublimi Paulo, diuina prædicanti, & ad cælestes sedes prouehenti, se coniunxit! O fertilem, pinguem & rationalem terram, quæ sementem vitæ sinu suscepit suo, fecundamque ac nobilissimam aristam produxit! Non illum principatus gloria, aut iudicandi fastus cohibuit; non amicorum & coæqualium consuetudinis desiderium illum retraxit; non violentus parentum, agnatorum, domesticorumque amor retardauit; non insanus diuitiarum ac possessionum variis modis implicantium furor ligauit; non illum corporum voluptas emollijt; non delicatæ vitæ deliciarumque affectus illum effeminauit: sed cùm præconis vocem diuina loquentis audisset, omnia quæ oblectare mortales consueuerunt nihili ducens, non secùs ac magneti ferrum, illi planè adhærescere studuit. Abraham quidem Patriarcham admirari solemus, cùm Deo, vt è cognatione ac patriâ exiret suâ, extraneamque ac ignotam peteret, præcipienti obtemperantem audimus; & sanè meritò. Elisæum diuinis præconiis efferimus, cùm boum iuga dereliquit, ac domesticos lares lætus dimisit, & diuino zelo ardentē Eliam, seque vocantem procul omni mora secutus est; & verò iure. Philippum rursus laudibus extollimus, quòd ad Iesum, salutis auctorē, vocantem, celeriter, nihil cunctatus, accurrerit, eumque promptè secutus fuerit; & quidem decentissimè. Quo igitur plausu, quóve genere laudum hic honestandus, ac præconiis à nobis coronandus videtur, qui legi Moysaicæ non subditus, nec oracula Prophetarum edoctus, non historicis diuinorum prodigiorum narrationibus exercitatus, necdum vlla intuitus præter naturā edita signa, alacriter tamen suscepit prædicationem Pauli hominis idiotæ, pauperis, ac peregrini, qui nec oratoriæ artis ornamentis excelleret, nec vllis sophisticis pro-

τῆς Ἀποστολικῆς φωτοδώρου παραινέσεως ὑποδοχὴν ἐπιτηδειότητος; Βαβαὶ τῆς εὐείκτου καὶ διευγεστάτης ψυχῆς ἐκείνης, τῆς ῥᾷστα τὰς τῶν ἀρχετύπων σφραγίδων τῶν Εὐαγγελικῶν διδαγμάτων ἐκτυπώσεις ἀναμαξαμένης; Βαβαὶ τῆς καρδίας, τῆς εὐπετῶς καὶ ἀνεπιστρόφως πάσης σαρκικῆς προσπαθείας ἀποῤῥαγείσης, καὶ παντοίαν ὑλικὴν ἔμφασιν ἀποσεισαμένης, καὶ τῷ σωτηριώδει θᾶττον πιστευσάσης κηρύγματι, καὶ τῷ θειηγόρῳ τῷ πρὸς τὰς οὐρανίους χειραγωγοῦντι μονὰς, οὐρανοδρόμῳ Παύλῳ κολληθείσης; Βαβαὶ τῆς εὐγείου καὶ πίονος νοητῆς ἀρούρης, τῆς τὸν ζωτικὸν ἐγκολπωσαμένης σπόρον, καὶ πολύχουν ἀναδεδωκυίας καὶ εὐγενέστατον ἄσταχυν; Οὐκ ἀνεχαίτισεν αὐτὸν ἀρχικῆς τε δικαστικῆς δόξης ὄγκος· οὐκ ἀνεσείρασεν αὐτὸν φιλίας, καὶ ὁμηλικίας, καὶ συνηθείας πόθος· οὐκ ἐπέσχεν αὐτὸν γονέων καὶ ἀγχιστέων, καὶ ὁμεστίων τυραννικὸς ἔρως· οὐκ ἔδησεν αὐτὸν πολυπλόκων χρημάτων καὶ κτημάτων μανικὸς οἶστρος· οὐκ ἐχαύνωσεν αὐτὸν σωμάτων ἡδονή· οὐκ ἐθήλυνεν αὐτὸν ἁβροδιαίτου βιοτῆς καὶ τρυφῆς ἔφεσις· ἀλλὰ τῆς τοῦ κήρυκος θεοφθέγκτου φωνῆς ἀκηκοὼς, καὶ πρὸς οὐδὲν τῶν ὅσα βροτοὺς τέρπειν εἴωθεν προσεσχηκὼς, ἀθρόον αὐτῷ κολληθῆναι, καθάπερ μαγνήτῃ σίδηρος, ἐσπούδακε. Θαυμάζομεν δὴ τὸν Πατριάρχην Ἀβραὰμ, τῷ Θεῷ προστεταχότι τῆς πατριᾶς καὶ πατρίδος ἀποικῆσαι, καὶ εἰς ἀλλοδαπὴν ἄγνωστον στείλασθαι, πειθαρχήσαντα, καὶ μάλα δικαίως. Ἐκθειάζομεν δὲ καὶ τὸν Ἐλισσαῖον τὰ ζεύγη τῶν βοῶν καταλελοιπότα, καὶ τὴν πατρῴαν χαίρειν ἑστίαν ἐάσαντα, καὶ Ἡλιᾳ τῷ πνευματοφόρῳ ζηλωτῇ κεκληκότι, πάσης ἄτερ ἀναβολῆς ἠκολουθηκότα, καὶ λίαν ἐνδίκως. Φίλιππον αὖ ἐπαίνοις ἐξαίρομεν, Ἰησοῦ τῷ τῆς σωτηρίας ἀρχηγῷ προσκεκλημένῳ, τάχιον ἀναντιῤῥήτως προσδεδραμηκότα, καὶ προφρόνως ἑπόμενον, καὶ πρεπωδέστατον ὄντως. Πόσοις τοιγαροῦν καὶ ποίοις τοῦτον, ὃς οὐ Μωϋσαϊκῷ προκατηχημένος ἦν νόμῳ, οὐ Προφητικὰς πεπαιδευμένος ῥήσεις, οὐχ ἱστορικοῖς θείων τερατείων προγεγυμνασμένος τὰς ἀκοὰς διηγήμασιν, οὐ σημεῖα προεωρακὼς τερατουργούμενα, καθαγεραίρειν κρότοις, εὐφήμοις ἀναῤῥήσεσι καταστέφειν ὀφείλομεν, ὅπως ἑτοιμότατα Παύλου τὸν ἁπλοῦν προσήκατο λόγον, ἀνδρὸς ἰδιώτου, καὶ πένητος, καὶ ξένου τινὸς ὄντος, οὐ ῥητορικαῖς κεκομψευμένου δεινώσεσιν, οὐδὲ σοφιστικαῖς τετεχ-

τετεχνημένης προσβάσεσιν; ἀλλ' οἷόν τινα σπορὰν εἰς γῆν πρωτοβόλως καταβεβλημένην δεδεγμένος, καὶ κατ' οὐδὲν ἐνδυάσας τῷ βάθει τῶν φρενῶν ἐμβαλὼν, εὐθυβόλως τοὺς ζωηφόρους τῆς εὐαγοῦς πίστεως καρποὺς ἐτελεσφόρησεν, ὡς Ἡσαΐᾳ συγχορεύειν ᾄδοντα μονονουχὶ τῷ προβλεπτικωτάτῳ Προφήτῃ βοῶντι. Διὰ τὸν φόβον σου, Κύριε, ἐν γαστρὶ ἐλάβομεν, καὶ ὠδινήσαμεν, καὶ ἐτέκομεν, πνεῦμα σωτηρίας σου ἐποιήσαμεν ἐπὶ τῆς γῆς. Ταῦτα μέντοι Λουκᾶς ἡμῖν ὁ μεγαλοκήρυξ συμπαρὼν τῷ πνεύματι, καὶ τὴν ἱερὰν ταύτην τοῦ ἱερομάρτυρος μνήμην συνεορτάζων, καὶ τῆς τῶν ἑορταζόντων αὐτὴν καὶ ὑμνούντων ὁμηγύρεως καθεστηκὼς ἔξαρχος, καὶ τῶν ἐπαίνων προηγούμενος, διεξελήλυθεν. Ὅσα δὲ δι' ἀγράφου παραδόσεως, ἢ ἐγγράφου παρειλήφαμεν, ταυτὶ τῷ τῶν ἐγκωμίων ὑφάσματι, καθάπερ ἅττα δαιδαλμάτων ἐνείροντες ἄνθη, καί τισιν ὥσπερ ἡδύσμασι τὴν πνευματικὴν καταγλυκαίνοντες ἑστίασιν, ἥκομεν ὑμῖν τοῖς φιλακροάμοσί τε καὶ πνευματικοῖς δαιτυμόσι παραθησόμενοι. Τοιοῦτος οὖν εἰς ἡμᾶς κατήντηκε λόγος, ἀνέκαθεν πρὸς πατρὸς παιδὶ παραδιδόμενος, ὡς ὁ μέγας Διονύσιος οὗτος, κατὰ τὸν τοῦ σωτηρίου πάθους καιρὸν, ἡνίκα διεκλονεῖτο γῆ, καὶ τὰς ἑαυτοῦ μαρμαρυγὰς μεσούσης ἡμέρας κατέκρυπτεν ἥλιος, μὴ φέρων τὸν τοῦ παντὸς δημιουργὸν ἰκρίῳ καθορᾶν σαρκὶ προσπηγνύμενον, καὶ θανάτου γευόμενον, τὸν ἀπαθῆ τε κατ' οὐσίαν θεϊκὴν καὶ ἀνόλεθρον· ἐπὶ τῷ παραδόξῳ σφόδρα τεθηπὼς, καὶ τὴν ἀνθρωπείαν ὑπερβεβηκὼς γνῶσιν, κατανοήσας τὸ γεγονὸς, Ὁ ἄγνωστος, ἔφη, σαρκὶ πάσχει Θεὸς, δι' ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωταί τε καὶ σεσάλευται. Καὶ παραχρῆμα τὸν χρόνον, καθ' ὃν τουτὶ τὸ παγκόσμιον ἐτετέλεστο τερατούργημα, τεκμηράμενος ἐτήρει παρ' ἑαυτῷ, τοὐντεῦθεν διαγγελλόμενον καραδοκῶν. Μέμνηται μέντοι κἀυτὸς ἐν τῇ πρὸς Πολύκαρπον ἐπιστολῇ, τῆς ἡλιακῆς ἐκλείψεως ἐκείνης τῆς φρικωδεστάτης. Ἄμεινον δὲ τὸν λόγον τοῖς ἐκείνου τοῦ τῇ θεορρημοσύνῃ καὶ εὐγλωττίᾳ πάντων ὑπερφερεστάτου καλλιεπεστάτοις καθωραΐσαι λόγοις, οἷα τῶν πολυτελῶν λίθων τοῖς διαυγεστάτοις βασίλειον διάδημα. Ἀπολλοφάνους γὰρ ἀνδρὸς φιλοσόφου, τὴν θρησκείαν Ἕλληνος τυγχάνοντος, νεμεσῶντός τε καὶ λοιδορουμένου τῷ τρισολβίῳ τούτῳ καὶ μεγαλεμπόρῳ, καὶ ἀξιαγάστῳ, ὡς ἑταίρῳ, δῆθεν ὄντι φιλτάτῳ καὶ ὁμογενεῖ, τὰ

positionibus niteretur? sed veluti sementem quamdam in terram primitus iactam suscepit, nihilque dubitans intimis sensibus reposuit; & vitales fidei fructus mox à seminis iactu vberrimè tulit; vt cum Isaiâ, Prophetâ prouidentissimo, clamante ferè hilariter canat: Ob timorē tuum, Domine, cōcepimus, & parturiuimus, ac peperimus, spiritū salutis tuæ quem super terram fecimus. Hæc sanè Lucas, eximius præco, dum spiritu nobis assisteret, simulq; hanc sacram sacri Martyris memoriam coleret, percensuit, eorum multitudini, qui illam celebrant ac dilaudant, præses, ac laudum dux adhibitus. Quæcumque verò ex scriptis monumentis, aut non scriptis traditionibus collegimus, hæc eadem contextis laudibus, vti quædam ornamenta florum, assuentes, ac conuiuium quibusdam quasi diuinis saporibus condientes, adsumus coram vobis cōuiuis, qui diuina libenter auditis, apposituri. Talis igitur historia longâ temporum serie, quasi à patre filiis tradita, ad nos vsque peruenit, quòd magnus iste Dionysius, tempore quo Seruator supplicio est affectus, quādo terra concussa est, atque sol, non ferens, opificem vniuersorum, eumque qui ob diuinam substantiam, cuiuslibet perturbationis ac interitus expers erat, ligno carne suffigi, suos ipsius radios in meridie occultasset; præ tam admirabili facto, vehementer stupefactus, humanamque cognitionem supergressus, factum illud perpendens, *Deus*, inquit, *ignotus carne patitur, cuius causâ orbis vniuersus tenebris offusus, & turbatione concussus est.* Protinusque eo ipso tempore, quo tam insigne prodigium vbique terrarum contigit, secum ipse coniectans obseruabat, quid hinc significari daretur. Atque horrendissimi illius solis defectus ipse quoq; in Epistolâ ad Polycarpum mentionē fecit. Ceterùm præstat orationem elegantissimis eius verbis, qui eloquentiâ ac diuinâ quadam dicendi facultate omnes excelluit, tamquam Regiam coronam pretiosis ac lucidissimis lapidibus condecorare. Cùm enim Apollophanes vir Philosophus religione gentilis esset, atque hunc beatissimū, magnanimum, & admirandum virum, quicum necessitate ac genere coniunctus erat,

Isa. 26, 18.

S. Dionysius eclipsim Christo de cruce pendente obseruat.

Contra Apollophanē instruit Polycarpū.

odio prosequeretur, ac conuitiis proscinderet, vt qui ritus patrios detestaretur, & Christianorum fidem illis præferret, coleret, amplecteretur, ac pro ipsa tamquam propugnaculum validissimè staret, rebusque Gentilium contra Gentiles vteretur: hoc conuitium & accusationem cùm Dionysius euertere decreuisset, Polycarpo, qui multis cùm pietatis tum virtutis fructibus florebat, apud quem & sophista ille conuitia iactauerat, hæc scribit: Tu verò Apollophanem sophistam maledicta in me congerere, meque parricidam appellare dicis, vt qui Gentilium dictis haud piè contra Gentiles ipsos vtar. Atqui nos hoc ipsum veriùs intorquere in illum possemus, quòd Gentiles aduersus diuina diuinis non piè vtuntur, conantes per sapientiam cultum Dei diuinum exterminare. Neque ego sanè nunc de multitudinis opinione loquor, qui in Poëtarum fabulis corpore & voluptate acquiescunt. Quin & ipse Apollophanes aduersus diuina nefariè diuinis vtitur: erat enim cōsentaneum, eos qui veri Philosophi sunt, per hanc rerum cognitionē, quę ritè ab ipso Philosophia dicitur, quæque à D. Paulo sapientia Dei appellata est, aut auctorem cùm ipsarum rerum, tum cognitionis illorū adduci. Ac ne aliorum aut ipsius opinionem contra institutum meum confutem, oportebat Apollophanem, cùm sit sapiens, intelligere, nihil vmquam cælestis ordinis & motus immutari aliter potuisse, nisi ab eo hæc rerum mutatio fieret, qui naturæ ipsius conseruator est & auctor, quique omnia (vt sermo diuinus habet) facit atque trāsmutat. Cur ergo eum, quem rerum omniū Deum esse cognouimus, non veneratur, & ob ineffabilem eius potentiam, quâ cuncta creata sunt, non admiratur? quandoquidem sol & luna vnà cum omni cæli conuersione per vim ab ipso immobili statu incredibiliter consistere iussa sunt, atque ad mensuram totius diei in iisdem signis omnia consistūt. Et paulò pòst: Ceterùm dic ei: Quid de illo solis defectu, qui quo tempore Dominus in crucem actus est, contigit, ais? Ambo enim cùm apud Heliopolim præsentes simul essemus, tum lunam soli obuiàm mirabiliter factam (neque enim cōcursus tempus erat) & eamdem rursus ab horâ nonâ vsque ad vesperam è regione solis per diametrū incre-

recreat, & tamquam de morte ad vitam reuocat. Hoc modo sapientissimus iste gubernator Ecclesiam, vt nauigium nuper compactum, in medio mari fluctibus vndique ingruentibus regere aggressus est, & gregis nuper nati, qui compos est rationis, præfecturam gessit; simulacrorum item insaniâ vehementer ingrauescente, cùm tyranni, tum stultorum mundi sapientum, ac Rhetorum, qui contra eos, qui ex Iudaicâ & vmbratili legis obseruatione, Gentiliq; impietate, ad sanctam Christi fidem transplantati sunt, crudeliùs quàm feræ desæuiunt. Præfectus laudatissimus, & generosissimus Christi pastor, & Apostolicâ præfecturâ sanè quàm dignus declaratus est, & electum Dei populum perspicaci, vigili ac intrepido animo rexit, & feritatē eorum qui profani & alieni à fide prædicationi aduersantur, purissimarũ precum crebritate, ac loquendi libertate, sanctarumque manuum extensione, nec non assiduis erga Deum, qui ipsam frangere feritatem potest, supplicationibus commutauit: porrò eorum qui amicitiam prætexunt, cùm nihilo sese pessimis hostibus melius habeant, ouium quidem pellem exteriùs, lupi verò habitum interiùs circumcincti, insidias animo struunt, perspicuum omnibus dolum & fraudem fecit: propositiones verò, intentiones ac oppositiones sophistarum rhetorumque contra Seruatoris doctrinam differentium, ac Dialecticis dicendi rationibus, sophisticisque ac rhetoricis argumentis vtentium, araneæ telam, quæ dissolui ac frangi facilè possit, existimabat, & eorum noxias cauillationes atque problemata singula dilacerabat, & facillimè dissoluebat: quin etiam aduersus vitæ salutis hostes, Dei & Regis nostri Christi potentiâ, quæ omnia potest, vigilans perdurabat, fremitus illorum comprimens, & falsi nominis scientiam refellens. Atque maximi quidem referre existimabat, si cicatrices impietatis & abominationis, quæ perperàm anteà inustæ fuerant, à discipulorum animis aboleret, & diuinæ pietatis, cælestisque sapientiæ præcepta illarum loco imprimeret. Neque verò eorum quæ tradiderat atque docuerat, fructus (vt aliquis existimare posset) repetere negligebat.

μένος, καὶ ἀναζωπυρῶν, καὶ οἷον ἐκ θανάτου πρὸς ζωὴν ἀνακομίζων. Τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον ὁ σοφώτατος κυβερνήτης οὗτος, οἱονεὶ πλοῖον τὸ νεόπηκτον οἰακίζειν Ἐκκλησίαν προαχθείς, ἐν μέσῳ πελάγους κλύδωνος πανταχόθεν ἐπεγειρομένου, καὶ ποίμνης λογικῆς νεογενοῦς ἐπιστασίαν ἐμπιστευθείς· τῆς εἰδωλομανίας ἰσχυρῶς ἐπικρατούσης, τοῦ τε τυράννου καὶ τῶν τοῦ κόσμου ματαίων σοφῶν, καὶ ῥητόρων, θηρῶν ἐμμανέστερον κατὰ τῶν ἐξ Ἰουδαϊκῆς σκιώδους νομολατρείας, ἢ τῆς Ἑλληνικῆς ἀθεΐας ἐπὶ τὴν εἰς Χριστὸν εὐαγῆ πίστιν μεταφοιτώντων μαινομένων. Εὐδοκιμώτατος προστάτης, καὶ γνησιώτατος τοῦ Χριστοῦ ποιμήν, καὶ τῆς Ἀποστολικῆς προεδρείας ὡς ἀληθῶς ἄξιος ἀνεδείχθη, τὸν θεόλεκτον λαὸν κηδεμονικῷ τε καὶ φιλαγρύπνῳ καὶ θαρσαλέῳ περιέπων φρονήματι, καὶ τὴν μὲν τῶν προφανῶν τῆς πίστεως ἀλλοτρίων, καὶ τοῦ θείου κηρύγματος ἐναντίων λυσσωδίαν, τῇ τε τῶν καθαρωτάτων καὶ εὐπαρρησιάστων προσευχῶν εὐτονίᾳ, καὶ ταῖς τῶν ὁσίων χειρῶν πρὸς τὸν δυνάμενον θραύειν αὐτὴν Θεὸν ἐκτάσεσι καὶ ἐκτενέσι δεήσεσιν ἀποτρεπόμενος· τὴν δὲ τῶν, προσχήματι μὲν οἰκείων, ἐχθρῶν δὲ κακίστων οὐδὲν ἄμεινον διακειμένων, καὶ προβάτου μὲν δορὰν ἔκτοσθεν περιβεβλημένων, ἕξιν δὲ λύκου, καὶ γνώμην ἔνδοθεν βυσσοδομούντων, εὐφώρατον πᾶσι τιθεὶς κακορραφίαν τε καὶ δολιότητα· τὰς μέντοι τῶν σοφιστῶν καὶ ῥητόρων τῶν κατὰ τοῦ σωτηρίου δόγματος σοφιζομένων, καὶ διαλεκτικαῖς μεθόδοις, σοφιστικαῖς τε καὶ ῥητορικαῖς δεινότησι χρωμένων προτάσεις, ἐνστάσεις τε καὶ ἀντιθέσεις, ἀράχνης ἴσον εὐδιάλυτον ἡγεῖτο, καὶ εὐδιάθρυπτον, ῥᾷστα διασπαράττων καὶ διαλύων ἕκαστα τὰ πρὸς αὐτῶν πλεχθέντα σοφισμάτά τε καὶ προβλήματα· ἀλλὰ μὲν πρὸς τοὺς πολεμίους τῆς ἀτραποῦ τῆς σωτηρίας ἐγρηγορὼς διετέλει, τῇ παντοδυνάμῳ τοῦ Θεοῦ καὶ βασιλέως ἡμῶν Χριστοῦ δυναστείᾳ, καταστέλλων αὐτῶν τὸ φρύαγμα, καὶ τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν διελέγχων. Καὶ περὶ πολλοῦ μὲν ἐποιεῖτο, τῶν μαθητευομένων ψυχῶν ἐξαλείφειν τὰ πρώην κακῶς ἐνσημανθέντα τῆς ἀθεότητος καὶ βδελυγμίας χαράγματα, μετεγγράφειν δὲ τὰ τῆς θεοσεβείας καὶ τῆς ὑπερκοσμίου σοφίας διδάγματα. Μὴ τοὺς καρποὺς δὲ τῶν ἃ παρεδίδου καὶ ἐξεδίδασκεν ἀπαιτεῖν, (ὡς ἂν οἰηθείη τις) ἠμέλει.

Οὐ

Οὐ μὴν οὖν· ἀλλὰ δίχα πράξεων τὰς τῶν θείων λόγων μυήσεις ὑπαρχούσας, δένδροις, φύλλων μὲν εὐθαλείᾳ κομῶσιν, ἀκαρπίαν δὲ νοσοῦσιν, ἐοικέναι διϊσχυρίζετο, καὶ τὴν πίστιν χωρὶς ἔργων εἶναι νεκρὰν ἐξεπαίδευεν· ὑποτιθέμενος χρῆναι τοὺς πιστοὺς κοσμεῖν ἑαυτοὺς τῇ τῶν ἐντολῶν τηρήσει, καὶ μηδὲν ἐναργέστερον ἄλλο, ἢ τοῦτο καθεστηκέναι τῆς ἀκραιφνοῦς καὶ βεβαίας εἰς Χριστὸν πίστεως καὶ ἀγάπης γνώρισμα, καὶ δεδιέναι νουθετῶν ἀεὶ τὸ μέλλον φρικῶδες δικαιωτήριον, καθ' ὃ τῶν βεβιωμένων τε καὶ πεπραγμένων ἀπαιτηθήσεταί λόγον ἕκαστος. Καὶ ὃς μὲν τὴν ὀρθὴν πίστιν φυλάξας, χριστιανοπρεπῆ μετελήλυθε βίον, καὶ τῷ ἀδεκάστῳ κριτῇ τοῖς ἔργοις εὐηρέστησε, τὴν τῶν ὄντως μακαρίων ἀγαθῶν διαιωνίζουσαν χλιδὴν ἀπολήψεται· ὃς δὲ μὴ τῇ πίστει τὴν ἀρίστην πολιτείαν καὶ πρᾶξιν προσέθηκεν, ἀλλὰ ταύτην τῇ κακίᾳ κατέχρανε, τὴν ἀξίαν τῆς ἰδίας ἀβελτηρίας εἰσπραχθήσεται δίκην, ἀνένδοτά τε καὶ ἀπέραντα κολασθήσεται. Πάντας γὰρ ἐπαιδαγώγει καὶ ἐρρύθμιζε κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν βαδίζειν τρίβον, καὶ κατὰ τὴν Ἀποστολικὴν διαβιοῦν παράδοσιν, κατὰ καιρὸν οἰκονομῶν ἐν κρίσει τοῦ λόγου τὸ σιτομέτριον. Τοὺς μὲν γὰρ ἔτι τὴν ἕξιν νηπίους καὶ ἀρτιπαγεῖς ἔτρεφε γάλακτι, τοῖς ἁπλουστέροις φημὶ καὶ στοιχειωδεστέροις διδάγμασι· τοὺς δὲ τελείους τὴν ἡλικίαν, καὶ τὴν ἀνδρείαν ἱκανοὺς προσφέρεσθαι τροφήν, ἅτε δὴ καλῶς σῶμά τε καὶ ψυχὴν προκεκαθαρμένους, τῇ τελείᾳ καὶ μυστικῇ σοφίᾳ, τῷ τρόπῳ πλέον, ὃν ἐν ἑαυτῷ προεδείκνυ, χαρακτὴρ ἄριστος ἀρετῆς τοῖς ποιμαινομένοις γινόμενος, ἢ τῷ λόγῳ διδάσκων. Τοῦ γὰρ κοινοῦ τῆς Ἐκκλησίας σώματος, ἐκ πολλῶν καὶ διαφόρων ἐθνῶν, καὶ ἠθῶν, καὶ τρόπων, καὶ λόγων συγκειμένου, κηδεμὼν ἁπλοῦς ἦν ὁ αὐτὸς, καὶ παντοδαπὸς, καὶ ποικίλος. Ἁπλοῦς μὲν, τῇ ὀρθότητι, καὶ ἀληθείᾳ, πάσης ὑπουλότητος καὶ διπλόης ἀπηλλαγμένος· ποικίλος δὲ, τῇ τῆς εὐστόχου διοικήσεως καὶ προστασίας εὐμηχανίᾳ τὴν κατάλληλον ἑκάστῳ προσφέρων θεραπείαν, καὶ δίαιταν, καὶ τῶν ψυχικῶς ἀσθενούντων, τῷ μὲν τοῦτο, τῷ δὲ ἐκεῖνο σοφῶς καὶ ἐπιτηδείως προσνέμων ἀκεσώδυνον φάρμακον. Τούς τε γὰρ εὐδρομοῦντας ἐπέσπευδε, τῶν ὄπισθεν ἐπιλανθανομένους τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτείνεσθαι· τοὺς δ' αὖ νωθεῖς τε καὶ νωχελεῖς πρὸς μίμησιν τῶν καλῶς τρεχόντων παρώξυνεν. Εἰ δὲ τῶν

Minimè verò: quin diuinorum sermonum mysteria, quæ non rectè factis niterentur, arboribus, foliorum quidem vbertate ornatis, ceterùm sterilitate laborantibus, similia esse asseuerabat; & fidem sine operibus mortuam esse docebat: istudque in primis doctrina illius spectabat, vti fideles mandatorum sese obseruationibus decorarent; neque vllum aliud certius argumentum sinceræ & stabilis in Christum fidei & dilectionis existere dicebat, admonens vt horrendum futurum iudicium pertimescerêt, in quo quisque prout vixerit, aut egerit, rationem est redditurus. Et eum qui rectam fidem custodierit, vitam Christiano viro consentaneam egerit, incorrupto iudici rectè factis placuerit, perpetuam bonorum verè beatorum voluptatem percepturum: qui verò optima vitæ instituta, & opera fidei non adiunxerit, sed hanc vitæ turpitudine contaminarit, iustas hunc propriæ amentiæ pœnas daturum, & seuerissimo ac perpetuo cruciatu torquendũ aiebat. Omnes enim docebat instituebatque iuxta Euangelicam viam & Apostolorum traditionẽ ambulare atque viuere, opportunè prædicationis mensuram in iudicio disponens. Nam infantes habitu, recensq; natos, lacte, hoc est, simplicioribus & primis elementorum rudimentis; ætate verò perfectos, qui virilis cibi capaces essent, vtpote qui corpore simul & animo probè antè essent purgati, perfectâ & arcanâ sapientiâ nutriebat; plus moribus, quos in seipso præmonstrabat, quàm sermone docens, optima virtutis forma gregi factus. Commune enim Ecclesiæ corpus, quod multis variisque cùm gentibus & moribus, tum institutis & legibus constat, ipse simplex, multiplex, & varius gubernabat. Simplex quidem, rectitudine & veritate, ab omni versutiâ & fraude alienus existens: varius autem, omni rectæ administrationis & præfecturæ artificio aptam singulis curationem & viuendi rationem afferens; & vni quidem ægrotãtium vnam, alteri verò alteram salubrem medicinam sapienter necessarioque admouebat. Nam & currentes hortabatur, vt eorum quæ retrò sunt obliti, ad anteriora extenderentur: rursus torpentes ignauosq; ad imitationem probè currentium impellebat. Quòd si ouis ab

Vides hæretice, quòd hæc sit sana Sãctorum omnium ac totius Ecclesiæ doctrina, non sufficere solam fidem ad salutem, sed requiri etiam bona opera & vitã Christiano viro consentaneam.

Hoc est optimum ducendi genus, plus operibus instruere quàm voce.

ab ouili aliqua exiliisset, longeque aberrasset, in solitudinibus circumeundo inuestigabat, fistulâ & pastoralibus cantionibus reuocabat, omniaque peragebat & patiebatur, vt quæ errauerat, seruaretur. Manum verò iis, qui à rectâ viâ deflexissent, porrigebat, & humi iacentes erigebat. Ceterùm quàm iustè delinquentes, insolentesque & auersos à disciplinâ reprehenderet, quomodoque eos qui à proximis iniuriâ afficerentur, opprimerenturque, vindicaret, quâtaque in delinquentes clementiâ vteretur, cunctis pœnitentiæ portas pandendo, dum eos qui conuerterentur, libenter hilariterq; tamquam Christi imitator admitteret, & Nouati duritiem ac superbam elationem, vbi primùm verbum Dei prædicare aggressus est, à sacris mœnibus ablegaret: oratio narrationem eorum quæ à Demophilo audacter dicta sunt, leuiter attingens auditoribus declarabit, permittens vt ex lectione eorum quæ pastor admirandus ad illum scripsit, pleniùs instruantur. Demophilus iste vnus ex ministris illis, qui à Dionysio diuino institutore sacris initiati erant, ex prouinciâ Athenis subiectâ oriundus, per sacram eius sanctamque manuum impositionem minister ordinatus fuit. Ceterùm qui censentur hoc ordine, Monachi appellantur, hoc cognomine illo maximè tēpore nuncupati, qui ad portas templi iubebantur assistere. Igitur cùm proprium hic Presbyterum tyrannicè oppressisset, in adytaque, quò procedere illi non licebat, insiluisset, ab altari quoque ac hominum consecratorum loco illum submouit, nec sine conuitiis ac contumeliis expulit, quasi ægrè ac molestè ferens, Sacerdotem imitatorem Christi, post peccata quemdam pœnitentiam agentem admisisse, quem vti impium aliquem ac scelerosum Demophilus arbitratus calce expulerat, cum rubore cōfessum ad malorum medicinam venire, & misericordiam cum rubore consequi rogitantem: cumque prorsus illum repulisset, magnum quiddam sibi visus est præstitisse. Itaque magnificè glorians, maximo pastori quę peracta essent communicat, ad quem Epistolam illam maximè vtilem ac sapientissimam, omni virtute ac disciplina refertam, vir diuinissimus scripsit, inenarrabilem benignissimi

προβάτων τῆς μάνδρας ἀποσκιρτώη, καὶ μακρὰν ἀποπλανᾶτο, ἐπὶ ταῖς ἐρήμοις ἀνίχνευεν καὶ περιενόστει, τῇ τε σύριγγι καὶ τοῖς νομίοις μέλεσιν ἀνεκαλεῖτο, καὶ ἔδρα πάντα καὶ ἔπασχεν, ἕως ἂν τὸ πλανώμενον ἀνασώσηται. Χεῖρα δὲ τοῖς τῆς εὐθείας ἀπολισθαίνουσιν ὤρεγε, καὶ τοὺς χαμαὶ κειμένους ἀνώρθου. Οἵαν δὲ πρὸς τοὺς ἀδικοῦντας καὶ θρασυνομένους, καὶ τῆς εὐταξίας ἀποθέοντας ἐνιπὴν ἔνδικον ἐποιεῖτο, καὶ ὅπως τοὺς ὑπὸ τῶν πέλας ἀδικουμένους τε καὶ πλεονεκτουμένους ἐξεδίκει, καὶ τὸ φιλάνθρωπον ὅσον περὶ τοὺς ἡμαρτηκότας εἶχεν, ἅπασιν ἐκπεταννὺς τὰς τῆς μετανοίας πύλας, καὶ τοὺς ἐπιστρέφοντας ἀσπασίως καὶ φαιδρῶς, ὡς Χριστοῦ μιμητὴς, προϊέμενος, καὶ Ναυάτου τὴν ἀπανθρωπίαν καὶ ἀλαζονείαν ἀπαρχῆς τοῦ θείου κηρύγματος τῶν ἱερῶν περιβόλων ἐξοστρακίζων, δηλώσει τοῖς ἀκροαταῖς ὁ λόγος, τῆς τῶν Δημοφίλῳ τετολμημένων διηγήσεως ἀκροθιγῶς ἁψάμενος, ἀφεὶς ἐντελέστερον μαθήσεσθαι ἐντευξομένοις τοῖς ἃ πρὸς ἐκεῖνον ὁ θαυμασιώτατος ποιμὴν γεγράφηκεν. Οὗτος ὁ Δημόφιλος ὑπῆρχε τῶν ὑπὸ τῷ μεγάλῳ τελούντων ἱεροθέτῃ Διονυσίῳ θεραπευτῶν, ἐκ τῆς ὑπ' Ἀθήναις ἐπαρχίας ὁρμώμενος, διὰ τῆς ἱεροτελεστικῆς αὐτοῦ πανοσίου χειροθεσίας θεραπευτὴς τεταγμένος. Μοναχοὶ δὲ τοῦτο τὸ τάγμα χρηματίζουσι, τῇ προσηγορίᾳ ταύτῃ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ μάλιστα καλούμενοι, ταῖς τοῦ ἱερατείου πύλαις ἐφεστάναι ταττόμενοι. Τὸν οἰκεῖον οὖν πρεσβύτερον αὐτὸς τετυραννηκὼς, εἰσπεπηδηκὼς ἐν τοῖς ἀδύτοις, οὗ χωρεῖν οὐκ ἦν αὐτῷ θεμιτὸν, ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου τε συνέστειλε, καὶ τοῦ χώρου τῶν ἱερωμένων σὺν ἀτιμίαις καὶ προπηλακισμοῖς ἐξέωσε, ζηλώσας δῆθεν, καὶ χαλεπήνας, ὡς ὁ χριστομίμητος ἱερεὺς ἀπὸ ἁμαρτημάτων τινὰ μετανοοῦντα προσήκατο, ὃν ὡσεί τινα δυσσεβῆ καὶ ἀλιτήριον ἡγησάμενος ὁ Δημόφιλος ἀπελάκτισεν, ὁμολογοῦντα μετ' αἰδοῦς πρὸς ἰατρείαν κακῶν ἥκειν, καὶ τυχεῖν ἐλέους δεόμενον· καὶ παράπαν ἀπωσάμενος, ἔδοξέ τι μέγα κατωρθωκέναι. Δι' ὃ καὶ μεγαλαυχῶν, ἀνατίθησι τῷ μεγίστῳ ποιμένι τὰ πεπραγμένα, πρὸς ὃν τὴν πανωφελῆ τε καὶ πάνσοφον ἐπιστολὴν ἐκείνην ἀντέγραψεν ὁ θειότατος, τὴν πάσης ἀρετῆς καὶ εὐταξίας διδακτικὴν, δι' ἧς τὴν ἀνεκδιήγητόν τε τοῦ φιλανθρώπου

Κυρίου

Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ περὶ ἡμᾶς, καὶ μάλιστα μετανοοῦντας εὐσπλαγχνίαν, καὶ τὴν ἑαυτοῦ θεομίμητον συμπάθειαν διεσήμανεν, ἐπαγαγὼν ἱστορίαν φρικτὴν, ἣν ὑμῖν, ὦ θερμότατοι τῶν μεγίστων τοῦ ἀξιεπαίνου Πατρὸς αὐχημάτων ἀκροάσεως ἐρασταὶ, προθήσομαι. Εἰ βούλει, φησὶ, καὶ θείας ὁράσεως ἁγίου τινὸς ἀνδρὸς ἐπιμνησθήσομαι, καὶ μὴ γελάσῃς· ἀληθῆ γὰρ ἐρῶ. Γενόμενόν με ποτε κατὰ τὴν Κρήτην, ὁ ἱερὸς ἐξεναγώγησε Κάρπος, ἀνὴρ καὶ εἴ τις ἄλλος, διὰ πολλὴν καθαρότητα νοῦ πρὸς θεοπτίαν ἐπιτηδειότατος. καὶ γοῦν οὐδὲ ταῖς ἁγίαις τῶν μυστηρίων τελεταῖς ἐνεχείρει, μὴ πρότερον αὐτῷ κατὰ τὰς προτελείους εὐχὰς ἱερὰς, καὶ εὐμενοῦς ὁράσεως ἐπιφαινομένης. Ἔλεγεν οὖν, ὅτι λελυπηκότος αὐτόν ποτε τῶν ἀπίστων τινός· ἡ λύπη δὲ ἦν, ὅτι τῆς Ἐκκλησίας ἐκεῖνός τινα πρὸς τὸ ἄθεον ἀπεπλάνησεν, ἔτι τῶν Ἱλαρίων ἡμερῶν αὐτῷ τελουμένων, δέον ἀμφοτέρων ἀγαθοπρεπῶς ὑπερεύξασθαι, καὶ Θεὸν σωτῆρα συλλήπτορα λαβόντα, τὸν μὲν ἐπιστρέψαι, τὸν δὲ ἀγαθότητι νικῆσαι, καὶ μὴ διαλιπεῖν νουθετοῦντα διὰ βίου παντὸς, ἄχρις οὗ τὸ σήμερον, καὶ οὕτως ἐπὶ τὴν θείαν αὐτοὺς ἀγαγεῖν γνῶσιν, ὡς ἂν ἤδη καὶ τῶν ἀμφισβητησίμων αὐτοῖς κρινομένων, καὶ τῶν ἀλόγως θρασυνομένων ἐννόμῳ δίκῃ σωφρονεῖν ἀναγκαζομένων. Ἀλλ᾽ ἐν ἑαυτῷ μὴ πρότερον τοῦτο παθὼν, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως τότε πολλήν τινα τὴν δυσμένειαν καὶ τὴν πικρίαν ἐκτήξας, κατεδάρθη μὲν, οὕτω κακῶς ἔχων (ἑσπέρα γὰρ ἦν) περὶ δὲ μέσας νύκτας (εἰώθει γὰρ εἰς τόνδε τὸν καιρὸν αὐτὸς ἐφ᾽ ἑαυτοῦ πρὸς τοὺς θείους ὕμνους ἐγρηγορέναι) διανίσταται μὲν οὐδὲ τῶν ὕπνων (αὐτῶν πολλῶν γε ὄντων, καὶ ἀεὶ ἐκκοπτομένων) ἔξω ταραχῆς παραπολαύσας, ἑστὼς δὲ ὅμως εἰς τὴν θείαν ὁμιλίαν οὐκ εὐαγῶς ἠνιᾶτο καὶ ἐδυσχέραινεν, οὐκ εἶναι δίκαιον λέγων, εἰ ζῶσιν ἄνδρες ἄθεοι, καὶ διαστρέφοντες τὰς ὁδοὺς τοῦ Κυρίου τὰς εὐθείας. Καὶ ταῦτα λέγων ἐδεῖτο τοῦ Θεοῦ πρηστῆρί τινι τὰς ἀμφοτέρων εἰσάπαξ ἀνηλεῶς ἀποπαῦσαι ζωάς. Ταῦτα δὲ εἰπὼν, ἔλεγε δόξαι ἰδεῖν ἄφνω τὸν οἶκον, ἐν ᾧπερ εἱστήκει, διαδονηθέντα, πρότερον ἐκ τῆς ὀροφῆς εἰς δύο μέσον διαιρεθέντα, καὶ τινα πυρὰν πολύφωτον ἐπίπροσθεν ἑαυτοῦ, καὶ ταύτην (ἐδόκει γὰρ λοιπὸν ὕπαιθρος ὁ τό-

Domini nostri Iesu Christi circa nos, præsertim pœnitentiam agentes, misericordiam, & suam ipsius Deo similem commiserationem declarauit, horrendâ historiâ in medium allatâ, quam vobis, qui ingenti animi ardore gesta laudatissimi Patris gloriosa libenter audire consueuistis, proponã. Si libet (inquit) diuinam sancti cuiusdam viri visionem memorabo, neque irriseris: vera enim dicam. Cùm aliquando Cretam appulissem, S. Carpus hospitio me suscepit, vir si quisquam alius, ob ingentem animi puritatem diuinis speculationibus aptissimus: qui nec sanè prius sancta mysteriorum sacrificia aggrediebatur, quàm inter primas preces, quæ ante sacrificium peraguntur, sacra illi ac propria visio apparuisset. Ipsum igitur (vt idem aiebat) infidelis quidem tristitia affecerat: tristitia autem hæc erat, quòd ille quemdam ab Ecclesiâ ad impietatem abduxerat, dum adhuc ab ipso festi dies Hilariorum agerentur, & pro vtriusq; (vt virum bonum decebat) preces effundere, Deumque seruatorem in auxilium accipere debuisset, vt alterum quidem ab errore conuerteret, alterum verò benignitate superaret, nec omni vitæ tempore ab admonendo desistere, vt eos hac ratione ad Dei cognitionem adduceret, & quæ in controuersiam venerant, tandem aliquãdo iudicarentur, & quæ temerè per audaciam patrata essent, iure legitimo emendare cogerentur. Is (cùm sibi id non prius contigisset) nescio quo pacto tum magno quodam odio ac amaritudine, animo intabuit, itaque malè affectus (erat enim vespera) obdormiit: ceterùm mediâ nocte (ipse namque consueuerat hoc tempore ad diuinas laudes apud se vigilare) surrexit, cùm neque somnos ipsos (nam & multi, & crebrò interrupti fuerant) absque perturbatione cepisset, nihilo secùs ad diuinam collocutionẽ stans, indignè tristabatur, & molestè ferebat, non esse iustum asserens, si viri impij, quiq; peruerterent vias Domini rectas, viuerent. Et cùm hæc diceret, Deum obsecrabat, vt fulmine aliquo amborum vitas sine vllâ misericordiâ prorsus abrumperet. Quæ cùm dixisset, confestim sibi visum esse videre referebat, domum, in quâ erat, primùm quidem à summo culmine permotam, in duas partes mediam diuidi, ac rogum ante se magni luminis, & hunc (locus enim deinceps

Quid hic appellat Dionysius sancta mysteriorum sacrificia, nisi Missæ celebrationem? Vt eos confundat, qui nostro tempore negant Missam esse sacrificium.

S. Carpi visio.

ſub dio eſſe videbatur) è cælo ad ſe vſque deferri, cælum verò ipſum apertum, & ſuper dorſo cæli Ieſum, cui innumerabilis Angelorum multitudo humanam effigiem præ ſe ferentium aſſiſtebat. Et hæc quidem supernè vidiſſe, admiratumque eſſe, Carpus aiebat. Cùm verò in terram oculos deflexiſſet, ſolum ipſum inſtar immenſi ac profundi cuiuſdam hiatus diſciſſum ſe vidiſſe dixit, & homines quidem illos, quibus malè imprecatus fuerat, ante ſe iuxta os hiatus illius conſiſtere trementes ac miſerabiles, vt parum abeſſet, quin præ pedum ſuorum inconſtantiâ iam iam deiiciendi viderentur: verùm ſub hiatu ſerpentes ſurſum repere, & circa pedes illorum ſeſe mouentes, interdum quidem in ſpiram contractos, ſimul ingrauare atque pertrahere; interdum verò dentibus vel caudis accendentes & demulcentes, vt qui in voraginem illos præcipitare omnino molirentur. Fuiſſe etiam viros quoſdam, qui in medio pro ſerpentibus contra viros ſimul irruerent, perturbarent, impetum ſimul facerent ac ferirent. Porrò illi iam iam caſuri videbantur, partim quidem inuiti, partim verò voluntarij, cùm à malo ſenſim cogerentur, ſimulque inducerentur. Hic Carpus dum inferiora aſpiceret, plurimùm ſe lætatum, ac ſuperiora neglexiſſe dicebat, moleſtè verò grauiterque tuliſſe, quòd necdum cecidiſſent, ſæpeq; cùm in hoc negotium incumberet, nihil profeciſſe, ac propterea indignatione affectum illis imprecatum eſſe. Cumque vix tandem ſurſum oculos eleuaſſet, vidiſſe rurſus dicebat cælum vt priùs viderat, Ieſumque factum illud miſeratum de excelsâ illâ ſede ſurrexiſſe, ac ad eos vſque benignam illis manum porrigentem deſcendiſſe, Angelos item cum ipſo ſimul, alium aliunde aſſumentes, pro viris illis reſtitiſſe, Ieſumque Carpo manu adhuc extentâ dixiſſe: Deinceps me hoſtiliter percute, paratus enim ſum pro hominibus iterùm ſeruandis mortem oppetere; & hoc mihi perantiquũ fuerit, dum ne ceteri homines peccent. Intuere præterea, num vſui tibi futurum ſit, hoc in hac voragine, & cum ſerpentibus domicilium, cum Dei ac bonorum, & humani generis peramantium Angelorum conſortio permutare. Hęc ſunt quæ ego audiui, veraq; eſſe credo. Omnino ſanè in admirandâ illâ viſione diuinâ, amplissimi Sacerdotis cle-

πος) ἐκ τοῦ οὐρανίου χώρου μέχρις αὐτοῦ καταφερομένην, τὸν δὲ οὐρανὸν αὐτὸν ἀναπεπταμένον, καὶ ἐπὶ τῷ νώτῳ τοῦ οὐρανοῦ τὸν Ἰησοῦν, ἀπείρων ἀνθρωποειδῶν αὐτῷ παρεστηκότων Ἀγγέλων. Καὶ ταῦτα μὲν ἄνωθεν ὁρᾶσθαι, καὶ θαυμάζειν. Κάτω δὲ κύψας ὁ Κάρπος, ἰδεῖν ἔφη καὶ τὸ ἔδαφος αὐτὸ πρὸς ἀχανές τι χάσμα, καὶ σκοτεινὸν διερρηγμένον, καὶ τοὺς μὲν ἄνδρας ἐκείνους, οἷς ἐπηρᾶτο, περὶ αὐτοῦ κατὰ τὸ στόμιον ἑστηκέναι τοῦ χάσματος, ὑποτρόμους, ἐλεεινοὺς, ὅσον οὔπω καταφερομένους ὑπὸ τῆς τῶν οἰκείων ποδῶν ἀστασίας· κάτωθεν δὲ ἀπὸ τοῦ χάσματος ὄφεις ἀνέρπειν, καὶ περὶ τοὺς πόδας αὐτοῖν ὑποκινουμένους, ποτὲ μὲν ἀποσύρειν ἐπανειλουμένους ἅμα καὶ ἐπιβαροῦντας, καὶ ἕλκοντας· ποτὲ δὲ τοῖς ὀδοῦσι, ἢ τοῖς οὐραίοις ὑποτύφοντας, ἢ ὑπογαργαλίζοντας, καὶ διὰ παντὸς εἰς τὸ ἀχανὲς ἐμβάλλειν μηχανωμένους. Εἶναι δὲ καὶ ἄνδρας τινὰς ἐν μέσῳ τοῖς ὄφεσι, κατὰ τῶν ἀνδρῶν συνεπιτιθεμένους, διαδονοῦντας ἅμα καὶ ὑπωθοῦντας, καὶ καθαπαίοντας. Ἐδόκουν δὲ εἶναι πρὸς τὸ πεσεῖν ἐκεῖνοι, τὰ μὲν ἄκοντες, τὰ δὲ καὶ ἑκόντες, ὑπὸ τοῦ κακοῦ ἅμα κατ' ὀλίγον βιαζόμενοι ἅμα καὶ πειθόμενοι. Ἔλεγε δὲ ὁ Κάρπος ἑαυτὸν ἥδεσθαι κάτω βλέποντα, τῶν ἄνω δὲ ἀμελεῖν, δυσχεραίνειν δὲ καὶ ὀλιγωρεῖν, ὅτι μὴ πεπτώκασιν ἤδη, καὶ τῷ πράγματι πολλάκις ἐκθέμενον, καὶ ἀδυνατήσαντα, καὶ ἀχθεσθῆναι, καὶ ἐπαράσασθαι. Καὶ ἀνανεύσαντα μόλις, ἰδεῖν μὲν αὖθις τὸν οὐρανὸν, ὥσπερ τὸ πρότερον ἑωράκει, τὸν δὲ Ἰησοῦν ἐλεήσαντα τὸ γινόμενον, ἐξαναστῆναι τοῦ ὑπερουρανίου θρόνου, καὶ ἕως αὐτῶν καταβάντα, χεῖρα ἀγαθὴν ὀρέγειν, καὶ τοὺς Ἀγγέλους αὐτῷ συνεπιλαμβανομένους, ἄλλον ἄλλοθεν ἀντέχεσθαι τοῖν ἀνδροῖν, καὶ εἰπεῖν τῷ Κάρπῳ τὸν Ἰησοῦν, τῆς χειρὸς ἤδη προτεταμένης· Παῖε κατ' ἐμοῦ λοιπὸν, ἕτοιμος γὰρ εἰμὶ καὶ αὖθις ὑπὲρ ἀνθρώπων ἀνασωζομένων παθεῖν, καὶ προσφιλές μοι τοῦτο, μὴ ἄλλων ἁμαρτανόντων ἀνθρώπων. Πλὴν ὅρα, εἰ καλῶς ἔχει σοι τὴν ἐν τῷ χάσματι καὶ μετὰ τῶν ὄφεων μονὴν ἀνταλλάξασθαι τῆς μετὰ Θεοῦ καὶ τῶν ἀγαθῶν καὶ φιλανθρώπων Ἀγγέλων. Ταῦτά ἐστιν ἃ ἐγὼ ἀκηκοὼς πιστεύω ἀληθῆ εἶναι. Ἠγάσθη τε δὲ πάντως τοῦ ἀξιοθέου ἀρχιερέως, τὸ περὶ τὸ

ὁμόφυ-

ὁμόφυλον συμπαθὲς, οὐχ ἧττον ἢ τὴν τοῦ ὄντως ἀγαθοῦ καὶ θεαρχικωτάτου ἱεράρχου Χριστοῦ περὶ ἡμᾶς ἀγαθότητα, τῆς ἀξιοθαυμάστου θεοπτίας. Ταύτης πυθόμενοι, καὶ ἔτι μειζόνως ἀγασθήσεσθε, εἰ τῶν Ἀποστολικῶν ἀγώνων, καὶ δρόμων καὶ χαρισμάτων ἀκούσεσθε, οἷς καταγλαϊσθεὶς καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην διέλαμψεν. Οὐ γὰρ Ἀθηναίων ἦν ποιμὴν καὶ διδάσκαλος μόνον, ἀλλὰ καὶ διδάσκαλος διδασκάλων, καὶ ποιμὴν ποιμένων, καὶ διαιτητὴς καὶ θεσμοθέτης. Οὐδὲ μέχρις Ἑλλάδος ὁ δρόμος αὐτῷ περιώριστο, ἀλλὰ καὶ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ τοῦ καθηγεμόνος αὐτοῦ καὶ ἱεροθέτου Παύλου παραπλήσιος. Ἀποστολικὴν γὰρ χάριν καὶ σημείων δύναμιν εἰληφὼς, Ἀποστολικῶς, οἷά τις πτηνὸς πανταχόσε διέτρεχέ τε, καὶ τὸ τῆς ὄντως ζωῆς Εὐαγγέλιον ἐκήρυττεν, Ἀποστολικαῖς σαγήναις καὶ πανάγροις λίνοις ζωγρῶν, καὶ αἰχμαλωτίζων, ἐκ τοῦ τῆς ἀγνοίας βυθοῦ πρὸς τὸ τῆς ἀληθείας φῶς, τοὺς σκότῳ πλάνης κεκρατημένους. Ὅτι μὲν γὰρ τοῖς κατὰ διαφόρους χώρας, καὶ νήσους Ἐκκλησιῶν ἡγεμονίαν καὶ διδασκαλίαν πεπιστευμένοις, ὡς διδάσκαλος καὶ κορυφαῖός τις ἄλλος Ἀπόστολος, ὑποθήκας διδασκαλικὰς καὶ μυστικὰς διδαχὰς ὑπετίθετο, σαφῶς διαγγέλλουσι τὰ πρὸς τοὺς Ἐφεσίων, καὶ Σμυρναίων, καὶ Κρητῶν πανιεροτάτους, καὶ πρὸς αὐτῶν τῶν τῆς ἁγιωτάτης Ἐκκλησίας θεμελίων, τῶν Ἀποστόλων λέγω, προκεχειροτονημένους προέδρους, Τιμόθεον, καὶ Πολύκαρπον, καὶ Τίτον, αὐτῷ διηγορευμένα δόγματα, καὶ μυσταγωγήματα, καὶ διατάγματα. Ὅτι δὲ καὶ δρόμον Ἀποστολικὸν τετέλεκε, καὶ παραδόξοις θαυματουργίαις θεόθεν δεδόξασται, πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα πιστώσεται καθ' ἃ προϊὼν ὁ λόγος, τοὺς μαρτυρικοὺς, οὓς καρτερικώτατα διήνυκεν ἄθλους ὑπαγορεύων διεξελεύσεται. Μάλιστα δὲ ἡ μετάρσιον αὐτὸν τῆς ἑσπερίου λήξεως ἀφαρπάσασα νεφέλη καὶ μετεωρίσασα, καὶ ἀεροπόρον, ὡς καὶ τοὺς ἀκροτάτους θεόπτας, καὶ θεολόγους Ἀποστόλους, ἄλλον ἄλλοθεν τῶν τῆς γῆς περάτων ἐξαπιναίως ἐπὶ τὴν πανσεβάσμιον Ἱερουσαλὴμ ἀπαγαγοῦσα τὴν πάντων Χριστιανῶν κοινομήτορα, κἀν τῇ τῶν θείων μυστηρίων ἀκροπόλει Σιὼν, τῇ μητρὶ τῶν Ἐκκλησιῶν, τοῖς Χριστοῦ φοιτηταῖς συνάψασα, ὅτε τὸ τῆς παναγνου θεομήτορος ἐκηδεύετο λείψανον, τῇ τοῦ αὐτῆς ἀφράστως σεσαρκωμένου

mentiam circa genus humanũ non minùs admirati eſtis, quàm clementiſſimi erga nos ſummi ac maximi ſacerdotis Chriſti benignitatem. Hac auditâ, vehementiùs etiam admirabimini, ſi Apoſtolica certamina curſusque, atque dona cæleſtia audieritis, quibus illuſtris factus per totum orbem terrarum emicuit. Non enim Athenienſium ſolùm paſtor & magiſter fuit, ſed magiſter magiſtrorum, paſtor paſtorum, cauſarum cognitor, & legum lator fuit. Neque in Græciæ finibus curſus illi terminatus eſt; ſed vſque Illyricum Paulum ducem ſuum & ſacrorum inſtitutorem proximè ſecutus eſt. Cùm enim Apoſtolicam gratiam & ſignorum poteſtatem accepiſſet, inſtar Apoſtoli vbique tamquã auis percurrebat: Euangelium veræ vitæ prædicabat, ſagenis Apoſtolicis retibusq; quibus viui homines caperentur, ex ignorationis profundo erroris caligine oppreſſos ad veritatis lucem prouehebat. Nam quòd iis, quibus per varias regiones atque inſulas Eccleſiarum præfectura officiumque concreditum erat, tamquam doctor & alius quidam ſummus Apoſtolus, exemplaria doctrinæ & monita recondita proponeret, apertè declarant illa diuina & myſtica præcepta quæ ab ipſo tradita leguntur ſanctiſſimis Epheſiorum, Smyrnenſium, atque Cretenſium præſulibus, Timotheo, Polycarpo, & Tito, quos ipſa ſacroſanctæ Eccleſiæ fundamenta, Apoſtolos loquor, in Epiſcopos deſignarant. Quòd verò curſum etiam Apoſtolicum perfecerit, & admirandis editis miraculis diuinitus glorioſus apparuerit, multa quidem & alia fidem facient, quibus ſequens oratio, quaſi in tranſcurſu manifeſtando percurret grauia certamina, quæ ille fortiſſimè dimicauit. Sed in primis nubes illa quæ ab Occidentis partibus abreptum ſublimem ipſum abſtulit, perque aërem ambulantem & elatum abduxit, vti etiam ſummos Dei inſpectores & Theologos Apoſtolos, alium aliunde repentè è finibus terræ in celeberrimam communem omnium Chriſtianorum matrem Ieruſalem aſportauit, & in excelſâ diuinorum myſteriorum arce Sion, Eccleſiarum matre, ceteris Chriſti diſcipulis copulauit, cùm Dei matris innocentiſſimæ corpori iuſta perſoluerētur, quod ob editum Filij Dei partum,

Virtus Apoſtolica S. Dionyſij.

qui

qui ex ipsâ natus est,& ortum carnis ineffabiliter accepit: cum eaque familiariter vixit, magnis honoribus auctum à cælestibus Angelorum ordinibus plurimâ cum pompâ elatum est. Et ipsius delubrum mirandũ in modum extructum sanctissimis diuinisq; Apostolorum capitibus & manibus ex Sion in Gessemani translatum,linguis diuino spiritu percitis, igneis ac diuinissimis laudatũ, & gloriâ cumulatum est. Hinc Virgo integerrima, quæ omnibus cælestibus potestatibus sublimior est, & omni creationi dominatur, post celebratam eius memoriam ad sublimiorem cæli requiem est assumpta. At diuini ipsius præconis verba audienda sunt: neque enim de Angelico ac decentissimo choreæ illius per aërem euolantis aduentu testis alius fide dignior inueniri posset. Et sanè hoc ipsum quoque perquàm accuratè à nobis obseruatum est, vt quæ præceptor ipse diuinus manifestâ demonstratione tradidit,nos non attingamus, ne idipsum tractaremus, Eloquia quæ ab ipso proposita sunt, repetentes. Siquidem apud Præsides nostros numine afflatos,& nos (vt ipse nosti) & plerique ex sanctis fratribus nostris ad visendum corpus illud, quod vitæ nobis principium attulit,Deumque suscepit, conuenimus. Aderant præterea Iacobus frater Domini, & Petrus, summa & maximè veneranda Theologorum maiestas. Deinde visum est, vt omnes sacri Præsules post visionem illam, præpotentem diuinæ imbecillitatis benignitaté pro viribus quisq; suis celebraret. Porrò post Theologos, omnes (vt nosti) sacros doctores superauit totus admiratione plenus, & præ stupore extra se positus, & eorum quæ laudabat, communione affectus, & ob ea omnia, quæ audita sunt,& oculis perspecta, siue intellecta, seu non intellecta, numine afflatus esse, & diuinus laudandi magister est iudicatus. Quid si ea tibi quæ illic diuina ratione tractata sunt, eloquar? Etenim nisi mei penitus sim oblitus, scio me partes quasdam diuinarum illarum laudationum abs te sæpiùs audisse. Quamobrem nullus, dilectissimi, orationi fidem habere detrectet, cùm eos qui circa Cornelium fuêre, animo reputauerit: nam & illi non aliter ac qui cum Petro, Ioanne,& Iacobo fuerunt, gratiâ sancti Spiritus sub formâ ignis impleti, linguis

Ecce verũ quod vulgò dicitur, Apostolos omnes sanctissimæ Dei Genitricis exequiis interfuisse, diuinisq; illorũ capitibus & manibus eius funus fuisse elatum.

Hierotheũ institutorem suum intelligit.

τε καὶ γεγεννημένου Θεοῦ Λόγου καταφοιτήσει καὶ περιπολήσει γεραιρόμενον, καὶ ταῖς οὐρανοβάμοσιν Ἀγγελικαῖς τάξεσι δορυφορούμενον. Κἀκ τῆς Σιὼν ἐπὶ Γεσσεμανῆ, τὸ οὐρανομίμητον αὐτῆς τέμενος ταῖς παναγέσι καὶ θείαις Ἀποστολικαῖς κάραις τε καὶ ὠλέναις μεταφερόμενον, καὶ ταῖς πνευματοκινήτοις πυροειδέσι, καὶ θεολογικωτάταις γλώτταις ὑμνούμενόν τε δοξολογούμενον. Ὅθεν ὁλόκληρος μετὰ τὴν ἐν μνήματι κατάθεσιν, εἰς τὴν ὑπερουράνιον ἀνελήφθη λῆξιν ἡ πάντων τῶν οὐρανίων ὑπερτέρα δυνάμεων, καὶ πάσης δεσπόζουσα κτίσεως. Κἀντεῦθεν τοῦ θεοφάντορος ἀκουστέον διαγορεύοντος· ἕτερος γὰρ οὐκ ἂν εἴη μάρτυς ἀξιοπιστότερος, περὶ τῆς ἀγγελοπρεποῦς τῆς ἰσαγγέλου χορείας ἐκείνης νεφελοδρόμου συνελεύσεως. Καίτοι καὶ τοῦτο ἡμῖν ἐπιτετήρηται λίαν ἐμμελῶς, ὥστε τοῖς αὐτοῦ τῷ θείῳ καθηγεμόνι κατ' ἔκφανσιν σαφῆ διηυκρινημένοις μηδ' ὅλως ἐγκεχειρηκέναι ποτὲ πρὸς ταυτολογίαν, εἰς τὴν αὐτὴν τῶν προτεθέντος αὐτῷ λογίου διασάφησιν. Ἐπεὶ καὶ παρ' αὐτοῖς τοῖς θεολήπτοις ἡμῶν ἱεράρχαις, ἡνίκα καὶ ἡμεῖς (ὡς οἶσθα καὶ αὐτὸς) καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνεληλύθαμεν. Παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος, καὶ Πέτρος, ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης. Εἶτα ἐδόκει μετὰ τὴν θέαν, ὑμνῆσαι τοὺς ἱεράρχας ἅπαντας, ὡς ἕκαστος ἦν ἱκανὸς, τὴν ἀπειροδύναμον ἀγαθότητα τῆς θεαρχικῆς ἀσθενείας. Πάντων ἐκράτει μετὰ τοὺς θεολόγους (ὡς οἶσθα) τῶν ἄλλων ἱερομυστῶν, ὅλος ἐκδημῶν, ὅλος ἐξιστάμενος ἑαυτοῦ, καὶ τὴν πρὸς τὰ ὑμνούμενα κοινωνίαν πάσχων, καὶ πρὸς πάντων ὧν ἠκούετο, καὶ ἑωρᾶτο, καὶ ἐγινώσκετο, καὶ οὐκ ἐγινώσκετο, θεόληπτος εἶναι καὶ θεῖος ὑμνολόγος κρινόμενος. Καὶ τί ἄν σοι περὶ τῶν ἐκεῖ θεολογηθέντων λέγοιμι; Καὶ γὰρ εἰ μὴ καὶ ἐμαυτοῦ ἐπιλέλησμαι, πολλάκις οἶδα παρά σου καὶ μέρη τινὰ τῶν ἐνθεαστικῶν ἐκείνων ὑμνῳδιῶν ἐπακούσας. Μηδεὶς οὖν, ἀγαπητοί, τῷ λόγῳ διαπιστείτω, τοὺς ἀμφὶ Κορνήλιον ἀναλογισάμενος· ὅτι κἀκεῖνοι τοῖς ἀμφὶ Πέτρον, καὶ Ἰωάννην, καὶ Ἰάκωβον ὁμοίως ἐπλήσθησαν τοῦ πυριμόρφου τοῦ παναγίου Πνεύματος χάριτος, καὶ γλώσσαις ἐλάλησαν,

καὶ τερα-

καὶ τερατουργικῆς ἰσχύος μετειλήχεισαν. Πῶς γὰρ οἱ πάντῃ διεσπαρμένοι, καὶ ἄλλος ἀλλαχόσε παροικίαν ἰθύνειν, καὶ Ἀποστολὴν ἐκτελεῖν προκεχειρισμένοι, οὕτως ἀθρόον ἐν ἀκαριαίῳ καιρῷ συνεληλύθεισαν, εἰ μὴ θείου νεφοειδοῦς ἕκαστος ἠξιώθησαν ἅρματος; Καὶ μὴν πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ σωτηρίου κηρύγματος τῇ ἀληθινῇ προσφοιτῶσι πίστει, καὶ φωτιζομένοις ἀπ' αὐτοῦ τοῦ θείου φωτίσματος, γένη τε γλωσσῶν, καὶ ἰαμάτων χαρίσματα, καὶ ποικίλων δυνάμεων ἐνεργήματα πλουσίως πρὸς τοῦ τῶν ὑπερφυῶν δωρημάτων παρεκτικοῦ καὶ ἀγαθαρχικοῦ Πνεύματος διεδίδοτο, μήτι γε τοῖς κατὰ τὸν μέγαν Ἀποστολικὸν Διονύσιον. Ἀλλ' ἡ τῆς ἀθλητικῆς αὐτοῦ μαρτυρίας ἱερὰ σάλπιγξ ἐπὶ καιροῦ σαλπίσασα, τοὺς αὐτοῦ θείους ἀγῶνας εἰσδῦναι καὶ κατοπτεῦσαι προτρέπεται, καὶ τὸν λόγον ἐπὶ τὴν τῶν ἐνδοξοτάτων αὐτοῦ μεθίστησιν ἀριστευμάτων ἐγκωμιαστικὴν ὑφήγησιν. Πλὴν γε πρὶν ἐπιβῆναι τοῦ τῶν μαρτυρικῶν σκαμμάτων οὐδοῦ, δεῖν εἰδέναι τουτὶ τὸ φιλήκοον ἀκροατήριον, ὡς τοῖς τοῦ εὐφημουμένου θεοκήρυκός τε καὶ ἱερομάρτυρος θεοπνεύστοις συγγράμμασιν ἑπόμενοι, τὴν αὐτοῦ μακαρίαν ἄθλησιν ἐν τοῖς ὑστάτοις τῆς τοῦ Τραϊανοῦ βασιλείας γεγονέναι κατειλήφαμεν. Ἐν μὲν τῷ τετάρτῳ τοῦ περὶ Θείων ὀνομάτων λόγου κεφαλαίῳ φάσκοντος, ἔνθα τὴν τοῦ ἔρωτος ἐπωνυμίαν ἐξυμνεῖ· Καίτοι ἔδοξέ τισι τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερολόγων, καὶ θειότερον εἶναι τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα τοῦ τῆς ἀγάπης. Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος· Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. Τοῦτο γὰρ τὸ ῥητὸν ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος, μέλλων ἐν Ῥώμῃ μαρτυρικῶς ἀθλήσειν, καὶ τοῖς λέουσι βορὰ κατὰ τὴν τοῦ τυράννου Τραϊανοῦ πρόσταξιν παραβληθήσεσθαι, περὶ τὸ τῆς αὐτοῦ τυραννείας ἔνατον ἔτος, κατὰ τῶν εὐσεβεστάτων Χριστιανῶν διωγμὸν ἐγείραντος, Ῥωμαίοις ἐπιστέλλων γέγραφεν. Ὡς ἐκ τούτου παραδηλοῦσθαι, πρὸς τῷ τοῦ διώκτου τυραννίδος πέρατι, καθὼς ἔφθημεν εἰρηκότες, τὸν ἱεροφάντην μεμαρτυρηκέναι Διονύσιον. Πρὸς δὲ τὸν τῆς βροντῆς υἱὸν τὸν ὑψηλότατα καὶ ὑπὲρ πάντα νοῦν ἐγκόσμιόν τε καὶ ὑπερκόσμιον βροντήσαντά τε καὶ θεολογήσαντα τρισμακάριστον γράφων Ἰωάννην ἐν Πάτμῳ περιωρισμένον ἀποφάσει Δομετιανοῦ, τοῦ μετὰ Τίτον τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ βεβασιλευκότος (ἄμφω γὰρ Οὐεσπεσιανοῦ παῖδες ἦσαν) περὶ τὸν τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἔσχατον ἐνιαυτὸν κατὰ τῶν πιστῶν λυττήσαντος, φησὶ προφητικῶς προ-

locuti sunt, & edendorum miraculorum potestatem acceperunt. Quomodo enim qui quoquouersum erant dispersi, atque alius aliò hospitium dirigere, & munus Apostolicum exequi mandatum habuerant, sic breuissimo tempore simul conuenissent, nisi vehiculo diuino nubi simili quisque dignus habitus esset? Et quidem omnibus qui in initio salutaris prædicationis in verâ fide ambulantes ab ipsâ diuinâ luce illuminati sunt, genera linguarum, sanitatum dona, diuersarum virtutum operationes abundè à Spiritu cælestium donorum largitore, & boni totius fonte, nedum magno illi Dionysio Apostolorum coæuo, sunt impertita. At sacra inuicti ipsius martyrij tuba, opportunè sonans, diuina ipsius certamina ingredi ac intueri hortatur, orationemque ad gloriosa ipsius facinora celebranda transferre. Verumtamen antequam de martyrij ipsius progressibus dicere incipiamus, illud benignos auditores scire oportet, quòd scripta Deo plena diuini præconis, sacrique martyris, cuius laudes nobis proposuimus, sequentes, beatum eius agonem in postremis Traiani regni diebus fuisse accepimus. Nam in quarto narrationis de Diuinis nominibus capite, vbi amoris appellationem laudat, dicit: Iam verò quibusdam ex nostris sacrorum tractatoribus visum est, amoris nomē quàm dilectionis esse diuinius. Scribit enim & diuinus Ignatius: Amor meus cruci suffixus est. Hoc enim verbum diuinus Ignatius extremo supplicio Romæ dimicaturus, ac leonibus imperio Traiani Regis cibus projiciendus, circa nonum regni ipsius annum, desæuientis contra Christianos pietatis amantissimos, Romanis per Epistolam scripsit. Vt hinc liqueat, sub finem tyrannicæ sæuitiæ (vt pridem diximus) Dionysium sacrorum interpretem mortem occubuisse. Verùm cùm ad beatissimū Ioannem scriberet tonitrui filium, ac omnibus cùm terrenis tum cælestibus sublimiorem, qui de rebus diuinis instar tonitrui locutus est, quique in Patmo, edicto Domitiani post Titum fratrem eius regnū adepti (ambo enim Vespasiani filij fuère) exulauit, cùm circa vltimum regni eius annum contra fideles desæuiret, prophetice hoc (cùm futurorum

Apostoli vndique miraculo ad exequias Deiparæ translati Ierosolymam.

Scribit ad S. Ioannem Euangelistam in Patmo exulantem.

prædicandorum gratiâ insignitus esset) prænuntiando dixit: Nos certè nullum infortunium priuabit Ioannis radio omnia collustrante, nunc quidem memoriâ & innouatione tuæ veræ Theologiæ consequêtes: paulò verò pòst (dicam enim, etsi hoc temerarium videatur) vobis ipsis coniungendos. Sum autem omnino fide dignior, si ea quæ à Deo didici, quæque tibi præcognita sunt, etiam dixero, quòd ex Patmi carcere liber dimittêris, & in Asiæ regionem reuertêris, ibi imitanda rectitudinis exempla peracturus, & ea posteris traditurus. Domitiano igitur non multò pòst vitâ functo, iuxta oraculum summi Patris Apostolicis & Propheticis donis insigniti, Nerua regnum adeptus, eos qui in exilio erant reuocauit. Tum verò Euangelista quoque maximus in Ephesiorum metropolim ciuitatem reuersus est, & oraculum rei euentus comprobauit. Porrò cùm iam Nerua ipse quoque decessisset, qui habenas Romani principatus moderabatur, imperium ad Traianum Regem deuolutum est: qui contra Scythas Thracesque, ac quàm plurimas alias gentes partâ victoriâ elatus, existimauit nemini imperare posse, nisi etiam venerandã ac piam Christianorum congregationem cultui & adorationi dæmonum, qui sunt detestanda simulacra, subderet. Proinde atrox illis bellum indixit, & vniuersam suam ditionem cruore martyrum, quoquouersum sæuissimis quæsitoribus dimissis, inebriauit, mandans, vt ipsi omnes Christianos simulacris sacrificia facere improbè cogerent, non obtemperantes autem omni suppliciorum genere interimerent. Beatus igitur, terque sæpiusque B. Dionysius, ad septuagesimum annum, per mille opprobria, tormenta, bella, & pericula mortis, cùm à suæ gentis hominibus, tum interdum à fide & religione coniunctis, domesticisque Philosophis, præsertim insipientibus, progressus, & tam ingenti barbarorum ac gentiliũ in colendis simulacris insanientium multitudini, nec non ferocissimæ impiorũ ac crudelium Hebræorum dispersioni expositus, cursum duplum peregit, eius quem Paulus, qui multùm decertauit, quiq; cælis illatus est, fecerat, quatenus præsertim ad temporis longitudinem spectat, & varios populos, quos signis & prodigiis, ab ipso virtute sancti Spiritus editis,

Traiani persecutio in Christianos.

ἀγορεύων, καὶ προφητικῆς μετέσχηκε χάριτος. Ἡμᾶς δὲ οὐδὲ τοὐναντίον ἀποστερήσει τοῦ Ἰωάννου παμφαοῦς ἀκτῖνος, νῦν μὲν ἐντυξομένους τῇ μνήμῃ καὶ ἀνανεώσει τῆς σῆς ἀληθοῦς θεολογίας, μικρὸν δὲ ὕστερον (ἐρῶ γὰρ, εἰ καὶ τολμηρὸν) ὑμῖν αὐτοῖς ἑνωθησομένους. Ἀξιόπιστος δὲ πάντως εἰμὶ, τὰ προεγνωσμένα μαθὼν ἐκ Θεοῦ καὶ λέγων, ὅτι καὶ τῆς ἐν Πάτμῳ φυλακῆς ἀφεθήσῃ, καὶ εἰς τὴν Ἀσιάτιδα γῆν ἐπανήξεις, καὶ δράσεις ἐκεῖ τοῦ Ἀγαθοῦ μιμήματα, καὶ τοῖς μετά σε παραδώσεις. Τοῦ Δομετιανοῦ τοιγαροῦν μετ' οὐ πολὺ τετελευτηκότος, κατὰ τὴν τοῖς χαρίσμασιν Ἀποστολικοῖς τε καὶ Προφητικοῖς διαπρέψαντος θεσπεσίου Πατρὸς πρόρρησιν, Νερούας τὴν βασιλείαν διαδεξάμενος, τοὺς ἐν ὑπερορίαις ἀνεκαλέσατο. Τηνικαῦτα δὲ καὶ ὁ μέγιστος Εὐαγγελιστὴς εἰς τὴν Ἐφεσίων ἐπανῆλθε μητρόπολιν, καὶ τὰ τῆς προαγορεύσεως εἴληφε πέρας. Τοῦ Νερούα τὸν βίον μετηλλαχότος, ἐπὶ χρόνον ἕνα τὰς τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχῆς ἡνίας κεκρατηκότος, εἰς Τραϊανὸν τὸν τύραννον τὸ κράτος μεταπέπτωκεν· ὃς λίαν τῇ κατὰ Σκυθῶν τε καὶ Θρακῶν, καὶ διαφόρων ὅτι πλείστων ἐθνῶν ἐπαρθεὶς νίκῃ, καὶ δόξας μηδενὸς ἄρχειν, εἰ μὴ καὶ τὸ πανευσεβὲς τῶν Χριστιανῶν σύστημα τῇ τῶν δαιμόνων καὶ βδελυκτῶν ξοάνων λατρείᾳ καὶ προσκυνήσει καθυποτάξειεν. Ὠμότατον ἀνερρίπισε διωγμὸν, καὶ πᾶσαν τὴν ὑπ' αὐτῷ τελοῦσαν γῆν μαρτυρικῶν αἱμάτων ἐμέθυσε, πάντοσε διαπεμψάμενος ἀπηνεστάτους διώκτας αὐτοὺς ἰταμῶς πάντας Χριστιανοὺς καταναγκάζειν θύειν τοῖς εἰδώλοις, ἢ μὴ πειθομένους παντοδαποῖς ἀποκτείνειν βασάνων εἴδεσιν. Ὁ μακάριος τοίνυν, καὶ τρὶς τοῦτο καὶ πολλάκις Διονύσιος, ἐπὶ ἑβδομηκονταετῆ χρόνον διὰ μυρίων ὀνειδισμῶν, καὶ πειρασμῶν, καὶ πολέμων, καὶ κινδύνων ὑπό τε τῶν ὁμογενῶν, καί ποτε ὁμοθρήσκων, καὶ τῶν συνσόφων, μᾶλλον δὲ ἀσόφων, διεληλυθὼς, καὶ πρὸς τοσαῦτα πλήθη βαρβάρων τε καὶ Ἑλλήνων εἰδωλομανῶν, καὶ πρὸς τὴν τῶν ἀνόμων καὶ δυσμενῶν Ἑβραίων ἀγριωτάτην διασπορὰν ἀντιπαραταξάμενος, καὶ δραμὼν δρόμον διπλασίονα τοῦ ὃν Παῦλος ὁ πολύαθλος καὶ οὐρανοδρόμος δεδράμηκεν, ὅσον γε κατὰ τὴν χρονικὴν παράτασιν, καὶ λαοὺς ἀπείρους διὰ τῶν ὑπ' αὐτοῦ τῇ τοῦ παναγίου Πνεύματος ἐνεργείᾳ

τελου-

τελουμένων σημείων καὶ τεραστείων, σαγηνεύσας πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν, τούς τε μακροτάτους καὶ χαλεπωτάτους τοῦ πρώτου διωγμοῦ διαύλους διαπεράσας, οὓς ὁ πρῶτος τῶν διωκτῶν, καὶ πάντων κάκιστος τῶν πώποτε βεβασιλευκότων, καὶ βεβηλότατος Νέρων κατὰ τοῦ Χριστωνύμου πληρώματος διήγειρε, καὶ τοὺς κορυφαίους τῶν Χριστοῦ μαθητῶν ἀνεῖλε. Τοὺς δ' αὖ μετέπειτα χειμῶνας, οὓς ἡ Δομετιανοῦ μανία κατὰ τῶν πιστῶν ἐπήγαγεν, ἀνδρείως ὑπομείνας, καὶ δόκιμος ἐν πᾶσι φανείς, διαβόητον ἀπηνέγκατο κλέος. Ὅθεν ἡ ὑπόπτερος φήμη πανταχόσε θέουσα τὴν πανεύφημον αὐτοῦ προσηγορίαν ταῖς τοῦ Τραϊανοῦ τραχυτάταις ἀκοαῖς ἐνήχησε, βροντηδὸν ἀναγγέλλουσα τὸν Ἀποστολικὸν ὃν ἁπανταχῇ μετῄει περιόντα δρόμον, καὶ τὴν πολλὴν ἱδρῶτα, καὶ μόχθον, καὶ τὴν ἐν ἔργῳ τε καὶ λόγῳ δύναμιν, δι' ὧν ἡ κηρυττομένη θειοτάτη καὶ σωτήριος πίστις σημείοις καὶ τέρασιν ὑπ' αὐτοῦ παραδόξως ἐνεργουμένοις ἐβεβαιοῦτο, καὶ ἐπλατύνετο, καὶ ὡς ἡ τῶν Ἑλλήνων δεισιδαιμονία, καὶ εἰδωλικὴ θρησκεία κατὰ κράτος ἐστηλιτεύετο, καὶ κατελύετο. Ἐφ' οἷς ἄγαν ταραχθεὶς ὁ λυσσώδης τύραννος, θηριώδεις τινὰς τὴν γνώμην, Φάλαρίν τε καὶ Ἔχετον τοὺς ἐπὶ θηριωδίᾳ καὶ ἀσπλαγχνίᾳ καὶ ὠμότητι βοωμένους, ὑπεραίροντας, ἐξέπεμψεν ἐν τοῖς πρὸς ἥλιον δύνοντα μέρεσιν ἰχνηλατεῖν καὶ καταδιώκειν τὸν θεοκήρυκα· καὶ εἴ που τοῦτον εὕροιεν, εἴκοντα μὲν τοῖς βασιλικοῖς δόγμασι, καὶ λατρεύειν τοῖς δαίμοσι, καὶ θύειν ἀνεχόμενον, τιμαῖς καταγεραίρειν, καὶ ὡς αὐτὸν δορυφορούμενον ἀνάγειν, ἢ μὴ πειθόμενον αὐτόθι τῇ τοῦ ξίφους τιμωρεῖσθαι τομῇ. Τοῖς οὖν τυραννικοῖς οἱ τοῦ διαβόλου θεράποντες ἀθεωτάτοις παροξυνθέντες προστάγμασιν, οἷον ἵπποι τινὲς οἰστρηλατούμενοι, ἢ πειναλέοι θῆρες ἐπὶ θήραν ἐπειγόμενοι, κατὰ τὴν Γαλλικὴν ἔθεον χώραν, κἀκεῖθεν ὀχλαγωγήσαντες ἀγελαίους τινὰς καὶ δημίους ἅμα, κατεζήτουν τὸν πανᾳοιδιμώτατον θεοφάντορα. Καὶ δὴ καταμηνυθέντος αὐτοῦ τοῖς διώκταις ὑπάρχειν ἐν Παρησίᾳ πολίχνῃ οὕτω καλουμένῃ δρομαίως εἰσελάσαντες, ἐκεῖσε κατέλαβον αὐτὸν ἀπελαύνοντα τόν τε τῆς εἰδωλομανίας πλάνον καὶ ζόφον, τῷ τε τῆς ἀληθείας κηρύγματι, καὶ τῷ τῆς θείας διδασκαλίας διαυγάσματι, καὶ τοῖς τῶν θαυμάτων τερατουργήμασιν. Ὀφθαλμοὶ γὰρ τυφλῶν ἀνέβλεπον, καὶ ὦτα κωφῶν ἠνοίγοντο, καὶ γλῶσσαι μογιλάλων ἐξανοῦντο, καὶ βάσεις

fidei, quæ in Christum est, conciliauit; dum primæ persecutionis longissimos ac molestissimos cursus perageret, quos persecutorũ primus, & omnium quotquot vmquam regnauerunt, pessimus atque impurissimus Nero contra Christianum populum excitauit, qui & summos Christi discipulos de medio sustulit. Reliquas verò tempestates, quæ subsecutæ sunt, quas insania Domitiani contra fideles adduxit, cùm fortiter pertulisset, in omnibusque probatus apparuisset, celeberrimam gloriam retulit. Quare fama velox quocumq; permeans, clarissimũ eius nomen asperrimis Traiani auribus insonuit, Apostolicum eius cursum, quem vbique velocem ambierat, instar tonitrui annuntians, multum item sudorem, laborẽ, potestatem, cùm in verbis tum in factis, quibus diuinissima & salutaris fides prædicata signis atque miraculis ab ipso admirabiliter editis confirmaretur, atque dilataretur, Gentilium verò superstitio & cultus simulacrum vehemẽter infirmaretur ac dissolueretur: quas ob res Tyrannus furens turbatus, quosdam animo, vt feræ crudeles, qui Phalarim Echetumque sæuitiâ, immanitate ac crudelitate superare dicerentur, ad partes Occidentis destinauit, iniuncto illis onere inuestigandi ac persequendi diuini præconis: & sicubi illum decretis Regiis cedere, dæmonibus inseruire ac sacrificare reperissent, honoribus decorarent, ipsumque hominum coronâ stipatum ad se deducerent; sin minùs parêret, ibidem capitis obtruncatione puniretur. Igitur ministri diaboli sæuissima tyranni præcepta implentes, tamquam equi quidam stimulis agitati, vel famelicę feræ ad venationẽ excitatę, in Gallicam regionem cucurrerunt, ibiq; gregarios quosdam simulq; plebeios sollicitabant, vt celeberrimũ diuinum præconẽ inquirerent. Qui sanè cùm Parisiis paruo oppidulo, quod sic appellatur, eum inquirentibus esset ostẽsus, eò celeriter properarunt, ipsumq; caliginem, ac in colendis simulacris errorem & insaniã, tum veritatis præconio, tum diuinæ doctrinæ splendore, ac miraculorum prodigiis propellentem offenderunt. Oculis enim cæcorũ lux restituebatur, surdorũ aures aperiebãtur, linguæ mutorum soluebantur, in-

Persecutio quam passus est sanctus Dionysius.

Miracula à S. Dionysio patrata.

ceſſus claudorum conſtringebantur, varijs morbis obſtricti, implorato Seruatoris omnipotentis auxilio, per admirandæ ſanctitatis eius miniſtrum mira facientem, ac in tenebris ignorantiæ poſitos ad cognitionis & ſalutis lucem adducentem, liberabantur. Interim enim fidelium multitudo augebatur, Deoque per Galliam ac Germaniam prouinciam maximam templa excitabantur: numerus verò ſuperſtitioſorum decreſcebat, & ſimulacrorum templa diruebantur, Beliarque hoſtis poteſtas & fraus cōculcabantur, isque in triumphum ducebatur. Quamobrem miſer non ferens cernere ſuam ipſius potentiam diſſolui, obedientes & miniſtros cōtra virum ſanctum potentiæ illius inuaſorem, & dedecoris indicem impulit: qui furibundi cùm ipſum comprehendiſſent cum Ruſtico & Eleutherio ſanctiſſimis eius diſcipulis, filiisque ſpiritu ſibi coniunctis, quorum illum quidem ſacrificum, hunc verò ſacrorum miniſtrum conſecrarat (ſimul etiam ambo decertabant, ac ductoris & præceptoris ſui, quemadmodum etiam Pauli orbis terræ luminis Syluanus & Timotheus, certaminis & curſus ſocij erant) & tyrannico tribunali inſidentes, hos toruo ac draconis aſpectu intuentes leonis rugitu interrogabant, dicentes: O deſpicate ſenex, túne es ille, qui cultum deorum noſtrorum vetas, populosque arte magicâ, & dicendi artificio, ac præſtigiis confiſus, illos venerari, & inuictis parêre Regibus reſiſtis, vimque mandatorum illorum reiicis? Cuínam temet addixiſti? aut quâ religione obſtrictus es? & quem Deum prædicas? Ille verò audaciſſimam illorum contumaciam nihil veritus, animosè valdè reſpondit: Veſtræ ego impietatis vaſtator ſum, impuritatis ſimulacrorum euerſor, ac omnis gentilium erroris diffamator, potentiæ Chriſti vnigeniti Dei Filij addictus, cui meipſum ſeruum conſtitui, cui etiam ſeruio in ſpiritu meo, qui ante quidem omnia ſecula ſine affectione, & extra tempus à Patre genitus fuit, in fine autem ſeculorum ex Mariâ Virgine ſine ſemine ac corruptione carnem aſſumpſit, & in lucem editus, in omnibus, præter peccatum, mortali homini (vt nos ſumus) ſimilis factus, & cruce ſuâ ac morte diaboli im-

S. Dionyſius capitur cum ſocijs ſuis.

Siſtitur ad tribunal, vbi increpatur.

Reſponſio S. Dionyſij, eiuſdemq; concio ad impios iudices.

χωλῶν συνεσφίγγοντο, καὶ ποικίλων νοσημάτων ἀσθενοῦντες ἠλευθεροῦντο, τῇ τοῦ παντοδυνάμου Σωτῆρος ἐπικλήσει, διὰ τοῦ θαυμασιωτάτου θεράποντος αὐτοῦ παραδοξοποιοῦντος, καὶ τοὺς ἐν σκότει τῆς ἀγνοίας καθημένους προσκαλουμένου πρὸς τὸ φῶς τῆς γνώσεως καὶ σωτηρίας. Ἐπὶ τούτοις γὰρ τῶν πιστῶν ἡ πληθὺς ηὐξάνετο, καὶ ναοὶ τῷ Θεῷ κατὰ Γαλλίαν, καὶ Γερμανίαν, τὴν μεγίστην ἐπαρχίαν ἠγείροντο· ὁ δὲ τῶν δεισιδαιμόνων ἀριθμὸς ἠλαττοῦτο, καὶ τῶν εἰδώλων οἱ σηκοὶ κατερριπτοῦντο, καὶ ἡ τοῦ Βελίαρ τοῦ δυσμενοῦς δυναστεία καὶ ἀπάτη κατεπατεῖτο καὶ ἐθριαμβεύετο. Δι' ὃ μὴ φέρων καταλυομένην ὁρᾷν τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ὁ δείλαιος, τοὺς ὑπηκόους καὶ ὑπουργοὺς κατὰ τοῦ ἁγίου τοῦ καθαιροῦντος αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν, καὶ τὴν αἰσχύνην παραδειγματίζοντος ἐξέμηνεν, οἵτινες αὐτὸν ἐμμανῶς συλλαβόντες σὺν Ῥουστίκῳ καὶ Ἐλευθερίῳ, τοῖς εὐαγεστάτοις αὐτοῦ φοιτηταῖς, καὶ πνευματικοῖς υἱέσιν, ὧν τὸν μὲν ἱερουργὸν, τὸν δὲ λειτουργὸν καθιέρωσεν (ἄμφω γὰρ συνηγωνιζέσθην καὶ συνεξεχέτην τῷ οἰκείῳ καθηγεμόνι, καὶ φοιταγωγῷ, καθάπερ Παύλῳ τῷ τῆς οἰκουμένης φωστῆρι Σιλουανὸς, καὶ Τιμόθεος) καὶ καθεσθέντες ἐπὶ τυραννικῷ βήματι, ἐμβλέψαντες δρακοντείῳ βλέμματι, καὶ λεοντείῳ βρυχήματι κεκραγότες, ἤροντο λέγοντες· Ὦ δύστηνε γεραιὲ, σὺ τυγχάνεις ὢν ὁ τῶν θεῶν ἡμῶν τὸ σέβας ἀπαγορεύων, καὶ τοὺς λαοὺς μαγικῇ τέχνῃ, καὶ εὐγλωττίᾳ, γοητεύμασι πείθων μὴ λατρεύειν αὐτοῖς, καὶ τοῖς ἀνικήτοις ἀντιπίπτων βασιλεῦσι, καὶ τὴν τῶν δογμάτων αὐτῶν ἰσχὺν ἀποβαλλόμενος; Τίνι σεαυτὸν ἐπιγράφῃ; καὶ ποίας θρησκείας εἶ; καὶ τίνα κηρύττεις θεόν; Ὁ δὲ κατ' οὐδὲν δείσας τὴν αὐτῶν θρασυτάτην ἀπόνοιαν, εὐθαρσῶς λίαν ἀντέφησεν· Ἐγώ εἰμι ὁ τῆς ὑμῶν ἀθεΐας καθαιρέτης, καὶ τῆς εἰδωλικῆς μυσαρότητος καταλύτης, καὶ πάσης Ἑλληνικῆς πλάνης στηλιτευτὴς, τῇ τοῦ Χριστοῦ τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ δυνάμει καθεστηκὼς, ᾧ καὶ ἐμαυτὸν ἀνέθηκα δοῦλον, ᾧ καὶ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου, τῷ πρὸ πάντων μὲν τῶν αἰώνων ἐκ Πατρὸς γεννηθέντι ἀπαθῶς καὶ ἀχρόνως, ἐπὶ τέλει δὲ τῶν αἰώνων ἐκ παρθένου Μαρίας ἄνευ σπορᾶς τε καὶ φθορᾶς σαρκωθέντι, καὶ τεχθέντι, κατὰ πάντα, πλὴν τῆς ἁμαρτίας, βροτῷ καθ' ἡμᾶς χρηματίσαντι, καὶ δι' οἰκείου σταυροῦ καὶ θανάτου τὸ κράτος τοῦ διαβόλου καταργήσαντι,

τι, καὶ τὸν θάνατον νεκρώσαντι, καὶ μέχρις ᾅδου τοῦ δυσείμονος κατελθόντι, καὶ τὸ ἐκεῖσε σκότος λύσαντι, καὶ τῇ τριημέρῳ αὐτοῦ ἐκ νεκρῶν ἀναστάσει φῶς τῷ κόσμῳ λάμψαντι, καὶ ζωὴν, καὶ ἀφθαρσίαν βλύσαντι, ὃς ἐξεδίδαξε σέβειν ἕνα Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσι διαιρουμέναις ἀσυγχύτως, ἤγουν ἐν Πατρὶ, καὶ Υἱῷ, καὶ ἁγίῳ Πνεύματι· αὐτὸς ὑπάρχων εἷς τῆς ἀκτίστου Τριάδος, συναΐδιος, καὶ συνάναρχος, καὶ ὁμοούσιος τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. Τοῦτον τὸν ἀληθινὸν Θεὸν κηρύττομεν, ταύτην τὴν καθαρὰν καὶ ἀμώμητον τῶν Χριστιανῶν πίστιν καταγγέλλομεν, ὑπὲρ ταύτης πάντα παθεῖν ἑτοίμως ἔχομεν, οὐ πῦρ, οὐ ξίφος, οὐ θυμὸν ἀγρίων θηρῶν, οὐδ᾽ οἱανοῦν πρὸς ὑμῶν ἐπινοουμένην βασάνων ἰδέαν δειμαίνοντες. Τὴν εὐτολμίαν οὖν τοῦ ἀνδρειοτάτου καὶ πολυΐδμονος γέροντος καταπλαγέντες οἱ τύραννοι, πάλιν πρὸς αὐτὸν καὶ τοὺς αὐτοῦ συνάθλους μαθητὰς εἶπον, ἀπειλήν τε πνέοντες καὶ μαργαίνοντες· Πρὸς ὑμῶν ἄρα τὰ τῶν βασιλέων ἡμῶν καὶ ἀρχόντων καταφρονεῖται δόγματά τε καὶ προστάγματα, καὶ ἡ τῶν ἀηττήτων ἡμῶν θεῶν τιμὴ καὶ ἐξουσία παρορᾶται; Ὁ δὲ θεῖος ἱεράρχης, καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ τῆς μαρτυρικῆς παρατάξεως προηγούμενος, θαρσαλεώτερον αὖθις ἀντεφθέγξατο· Ὄλοιτο βασιλέων καὶ ἀρχόντων ἅπαν ἀσεβές τε καὶ ἀντίθεον πρόσταγμα, καὶ θεοὶ, οἳ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν οὐκ ἐποίησαν, ἀπολέσθωσαν ὡς ἀδρανεῖς, ὡς μέλεοι, ὡς βδελυροὶ ὄντως ὑμῶν οἱ θεοὶ, καὶ οὐδενὸς λόγου ἄξιοι· δαιμόνια γὰρ τυγχάνουσιν ὄντες καὶ διανοίας κακοδαίμονος ἀναπλάσματα, καὶ χειρῶν ἀνθρωπίνων τεχνάσματα. Ὅμοιοι τοίνυν αὐτοῖς οἱ ποιοῦντες αὐτὰ, καὶ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ᾽ αὐτοῖς γένοιντο, κωφοὶ, καὶ τυφλοὶ, καὶ ἀναίσθητοι. Ἡμεῖς γὰρ Χριστὸν τὸν ὄντως ὄντα τῶν ὅλων Θεόν τε καὶ δημιουργὸν, καὶ κηδεμόνα, καὶ τῆς ζωῆς χορηγὸν γινώσκομεν, καὶ αὐτὸν μόνον σέβομεν, καὶ κηρύττομεν, καὶ τὰς ἐλπίδας εἰς αὐτὸν ἀνατιθέμεθα, καὶ θανεῖν ὑπὲρ αὐτοῦ προθυμούμεθα, θυμάτων ἱερῶν, καὶ σφαγίων δίκην ἑαυτοὺς λογιζόμενοι, καὶ σπεύδοντες ἐπὶ τὴν τοιαύτην σφαγὴν, ἄγαν ἀγαλλόμεθα, ὡς ἀσφαλῶς πιστεύοντες αὖθις ἀναστήσεσθαι, τῆς κρείττονος, καὶ μακαριωτέρας, καὶ διαιωνιζούσης τευξόμενοι λήξεως, καὶ τοῖς ἀκηράτοις στεφθησόμενοι στέμμασι. Τοὺς δ᾽ αὖ καθ᾽ ὑμᾶς εἰς αὐτὸν μὴ πιστεύοντας, ἀλλὰ τὴν αὐτοῦ θεότητα, καὶ τὴν ἀληθῆ καὶ ἀΐδιον, καὶ πέρας οὐκ

S. Dionyſius reciſum caput circumfert ſuis manibus.

didaque duo lumina profundo aquarum submergerentur, sed Christi Ecclesia eos semper fortes propugnatores haberet. Dum hæc agerentur, mulier nobilis & clara, Catula nomine, quæ gentili metu valdè correpta erat, tum ad fidem Christi, propter Martyrum miracula, conuerti desiderauit, vimque desiderij & voluntate & re declarauit, ac Dei misericordiâ compuncta, interueniente ei vi diuinâ, consilium cepit, vt ad conuiuium persecutores supplex inuitaret. Cumque multa eis munera detulisset, prudenter odium nefarij consilij, quod illi aduersus martyres ceperant, excussit: exposito autem nostris animi sui consilio, præcepit, vt clàm pretiosa corpora Martyrum auferrent in vnam partem vrbis, vt in saxo quod situm esset in agello in sequentis anni sementem parato, terrâ obruta corpora occultarent. Illi diligenter imperata fecerunt. O furtum laudabile, quod damnum non dedit, sed potiùs profuit! Deinde vt solent ij qui agros colunt, pullos suos admittere, vt fructum ferant: sic ager ille beatorum Martyrum & dote cõpletus est, & gratiâ affluit, vt & centuplum fructum agricolæ fideles percipiant, salutem, & magnum thesaurum sanctitatis posteris relinquant. Mulier honestissima, quam dixi, non immemor sanctitatis Martyrum, vt vidit tyrannorum iracundiam deferbuisse, locum idoneum, qui sanctorum Martyrum ossa custodire debebat, omni diligentia quæsiuit, inuentoque magno fornice, ædificium notauit, quam præstantissimam feminam & matrem familias non præter dignitatem, quin sine metu credimus, sanctis Martyribus hisce similem euasisse, propterea quòd nisi eam etiam Redemptor omnium in fidem nominis sui venire voluisset, numquam eius animus eiusmodi consilium aperuisset. Verùm ex hoc citra cõtrouersiam eam credimus beatorum Martyrum ossa conseruasse prudenti consilio, vt quæ eis digna fuerit, atque illorum precibus verè in fide progressus fecerit. Christianorum autem multitudo numerosissima, beatorum Martyrum do-

Catula cõuersio.

Corpora sanctorum Martyrum à Catulâ absconduntur.

δύο φωτιστήρια, μὴ τῷ βυθῷ τῶν κυμάτων κατακαλυφθῶσιν, ἀλλὰ τοῦ Χριστοῦ ἡ Ἐκκλησία δυνατοὺς ἔχῃ ἀεὶ πολεμιστάς. Ἐν τούτοις γυνὴ ἔντιμος Κατοῦλα ὀνόματι, ἥτις ἐθνικοῖς φόβοις ἀκμὴν κρατουμένη ὑπῆρχεν, ἐπιστρέψασα τότε εἰς τὴν πίστιν τοῦ Χριστοῦ διὰ τῶν θαυμάτων τῶν μαρτύρων, ἑαυτὴν εἰς ἐπιθυμίαν ἐξέδωκε, καὶ τῇ γνώμῃ ἔδειξε καὶ τοῖς ἔργοις, τοῦ πόθου τὴν δύναμιν, καὶ ἐλέει Θεοῦ κατανυγεῖσα, ἐπελθούσης αὐτῇ ἄνωθεν δυνάμεως, συμβούλιον ἔλαβε, καὶ δὴ εἰς συμπόσιον ἱκέτευσεν ἐλθεῖν τοὺς διώκτας. Καὶ ὅτε αὐτοῖς πολλὰ δῶρα προσήνεγκεν, ἐπιτηδείως τὴν μῆνιν τῆς κακοβουλίας αὐτῶν ἐξήνεγκε κατὰ τῶν μαρτύρων· τοῖς δὲ πιστοῖς τὰ ἀπόκρυφα τῆς καρδίας αὐτῆς φανερώσασα, προσέταξεν, ἵνα συλήσωσι κρυπτῶς τὰ ἔντιμα σώματα τῶν μαρτύρων εἰς ἓν τῶν μερῶν τῆς πόλεως, ἐν τῇ πέτρᾳ τῇ εἰς μικρὸν κειμένῃ πεδίον, τὸ ἑτοιμασθὲν εἰς σπορὰν ἐπὶ τοῦ μέλλοντος καταχώσαντες, ἀποκρύψωσιν. Οἵτινες τὰ κελευσθέντα πληρώσαντες, σπουδαίως τὸ αὐτοῖς προσταχθὲν ἐπετέλεσαν. Ὢ κλεψοσύνη ἐπαινετή, ἥτις οὐ προσήγαγε ζημίαν, ἀλλὰ μᾶλλον ἐπωφελὲς κέρδος; Εἶτα ὡς ἔθος ἐστὶ τοῖς σπείρουσιν τὴν χώραν αὐτῶν, πώλους ἐκδέχεσθαι τοῦ ἐνεγκεῖν τὸν καρπόν· οὕτω τῶν μακαρίων μαρτύρων ἐστὶν χώρα ἐκείνη πεπληρωμένη προικός, καὶ χάριτος εὐθηνουμένη, ὅπως ἑκατονταπλασίονα καρπὸν οἱ πιστεύοντες γεωργοὶ ἀμήσωνται, ἀξιούμενοι σωτηρίας, καὶ μέγα θησαυρὸν τοῖς μετέπειτα καταλείψωσιν ἁγιοσύνης. Ἡ προρηθεῖσα δὲ κοσμιωτάτη, μὴ ἐπιλαθομένη τῶν μαρτύρων τὸν ἁγιασμόν, ὡς ἤδη τῶν τυράννων εἰδυῖα καταπαύσασαν τὴν φλεγμονήν, τόπον εὔθετον ὀφείλοντα φυλάττειν τῶν ἁγίων μαρτύρων τὰ ὀστᾶ, πάσῃ ἐπιμελείᾳ κατεζήτησε, καὶ εὑροῦσα μέγα ξοῦλον, οἰκοδομὴν ἐσφράγισεν, ἣν θαυμασιωτάτην καὶ μητροφαμήλιον γυναῖκα οὐ χωρὶς ἀξίας πιστεύομεν, ἄνευ δὲ φόβου, τῶν ἁγίων μαρτύρων τούτων ὁμοιωθῆναι, ὅτι εἰ μὴ καὶ αὐτὴν ὁ λυτρωτὴς πάντων εἰς πίστιν τοῦ ἰδίου ὀνόματος ἐλθεῖν ἠξίωσεν, οὐδέποτε ἡ καρδία αὐτῆς συμβουλίαν τοιαύτην ἐξήνεγκεν. Ἀλλ' ἐκ τούτου χωρὶς πάσης ἀντιλογίας πιστεύομεν, ὅτι τῶν μακαρίων μαρτύρων τὰ ὀστᾶ διεφύλαξε δι' ἀγαθῆς βουλῆς, ὡς ἀξία αὐτῶν γινομένη, καὶ ταῖς ἱκεσίαις αὐτῶν ἐν τῇ πίστει προκόψασα ἐν ἀληθείᾳ. Τῶν Χριστιανῶν δὲ ἡ πληθύς, ὡς πολλὴ οὖσα, διὰ τῆς τῶν μακαρίων μαρτύρων διδασκαλίας

ἐπιστρέ-

ἐπιστρέψασαι, παντὶ μόχθῳ καὶ καμάτῳ, καθὼς ἠδύναντο, μετὰ πάσης προσευχῆς καὶ μεγάλης ἐπιθυμίας ἐπάνω τῶν μακαρίων σωμάτων τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἐκκλησίαν οἰκοδομήσασαι, καὶ ἐν τῇ ἁγίᾳ δόξῃ τῆς ἁγίας Τριάδος, τρίτον ἀριθμὸν ἀξίως μετὰ ἀρωμάτων κατέθεντο τὰ ἄξια σώματα Θεῷ τῷ παντοδυνάμῳ βοηθοῦντι ἐν ἀγαθοῖς καθ᾽ ἡμέραν δυνάμεσι καὶ σημείοις διαλάμπουσι. Ποῖος οὖν λόγος ἢ ποία γλῶσσα τοσούτων μαρτύρων ἐπαρκέσαι διηγήσασθαι τὰς δυνάμεις, ὁπόταν οὐδὲ αὐτοὶ δύνανται ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ κατανοῆσαι τὰ ἑαυτῶν; Ἀσθενοῦσι γὰρ σωτηρίαν, χωλοῖς τὸ περιπατεῖν, τυφλοῖς φῶς, κωφοῖς τὸ ἀκούειν, καὶ ἀλάλοις διδόντες λόγον, καὶ ἀκάθαρτα πνεύματα παρεδρεύοντα τοῖς σώμασιν ἐκδιώκοντες, ἀπαύστως παρέχουσιν τὰς ἰάσεις. Καὶ ἀγαθῇ εὐχῇ καὶ μακαρίᾳ ὑπακοῇ πιανόμενοι ἡμεῖς, εἰ καὶ τὰ μάλιστα οἱ ἀνάξιοι ταῖς αὐτῶν πιστεύομεν προσευχαῖς βοηθούμενοι σώζεσθαι, ἢ καὶ ἐξιστάμενοι ὡς ἀνάξιοι τὰς αὐτῶν ἡμῖν ἀξίας παραστῆσαι πειρώμεθα. Οὐχὶ γὰρ ἐκ τῶν ἡμετέρων τρόπων ὧν κεκτήμεθα, ἢ οἰκείᾳ προγνώσει, ἀλλ᾽ ἐκ παλαιᾶς διηγήσεως ἡμῖν ἐξηνήχθη, καὶ ἃ ἐκ μέρους ἐκ παγίου [ἀρχαίου] ὀλίγα καθὰ ἠδυνήθημεν, καὶ ἀπὸ μακρῶν χρόνων ἀκηκόαμεν, ἐν συγγραφῇ παρεδώκαμεν, οὐκ αὐτομολήσαντες περὶ τὴν ἐξήγησιν, ὡς εἴρηται, ἀλλ᾽ ὡς τῶν μεγάλων ἔγνωμεν διηγήματα διδασκάλων, φοβούμενοι τὸν Θεόν, καὶ τῇ μερίμνῃ τῆς ἀγάπης ἀναπτόμενοι, πολλὰ τῶν μακαρίων ἀνδρῶν φωτεινὰ θαύματα ἠγωνισάμεθα εἰς ἔπαινον Χριστοῦ, καὶ δόξαν τῶν μαρτύρων, καὶ ἀνάμνησιν ἐν ἐσχάτοις ἱεροῖς παραδοῦναι χάρτεσιν· ἵνα μὴ ὑποκλέψαντες καὶ ἀμελήσαντες, καὶ τῷ ἀρχαίῳ γρηγοροῦντι καθ᾽ ἡμῶν ἐχθρῷ καὶ φθονοῦντι πειθόμενοι, σιγήσαντες ὁμοίως τοῖς λέγουσιν, ὅτι φλογὶ καυστικῇ κατακεκαυμένα εἰσὶ τὰ συγγράμματα αὐτῶν, ἀποτύχωμεν τῆς χάριτος αὐτῶν. Τῶν δὲ ἡμετέρων ἐννοιῶν γρηγορούντων τῇ αὐτῶν χάριτι, καὶ χωρούντων ἐξ ὀλίγων τῶν συγγεγραμμένων, δύνανται τὰ νοηθέντα εἶναι μεγάλα. Ταῦτα δὲ χωρὶς φόβου πιστεύομεν πολλοὺς αὐτοὺς καὶ ἑτέρους διὰ Χριστὸν ὑπομεμενηκέναι ἀγῶνας, ὅτι καὶ ἕως τοῦ νῦν τοσαῦτα δι᾽ αὐτῶν ἡ θεία δύναμις καταξιοῖ φανερωθῆναι θαυ-

ctrinâ conuersa, omni operâ & studio, vt poterant, cum precibus magnaq; cupiditate supra beata corpora sanctorum martyrum templum ædificauit, & in sanctâ gloriâ sanctæ Trinitatis dignè cum aromatibus tria numero sancta corpora condiderunt ac deposuerunt, Deo rerum omnium præpotente, qui opitulatur quotidie in bonis ac beatis, qui virtutibus signisque clarent. Quæ igitur oratio, quæ lingua, tam magnorum virorum mira & inusitata opera possit exponere, cùm ne ipsi quidem humanâ ratione sua intelligere possint? Ægrotis enim salutem, claudis incessum, cæcis lumen, surdis auditũ, & mutis sermonem dantes, immundosque spiritus qui in corporibus insident, exagitantes, assiduè remedia afferunt. Nos quoque & salutari voto, & beatâ obedientiâ diuites, etsi maximè indignos, eorum tamen precibus adiutos, salutem assecuturos credamus, aut etiam deserti vt indigni, faciamus vt in illorum meritis sit nobis auxilium & præsidium constitutum. Neque enim à nostris moribus habuimus, aut à nostrâ prænotione, sed ex veteri narratione à nobis perfectum est: quæque pauca à certâ firmaque antiquitate, & à longis temporibus audiuimus, ea vt potuimus litteris mandamus, non expositionem aggressi, sed vt magnorum doctorum res gestas cognitas habuimus, veriti Deum, charitatisque studio incensi, multa & præclara beatorum virorum, quæ mira sunt, facinora conati sumus Christi laudis causâ, gloriæque Martyrum & memoriæ in extremis sacris chartis prodere: ne si neglexissemus ac contempsissemus, veteriq; hosti nostro, qui in perniciem & exitium nostrum vigilat, & inuidet, parentes, reticuissemus hæc omnia, eodem modo quo ij flammâ & igne ea quę ab eis scripta erant, deflagrasse dicunt, eorum gratiâ amicitiâque priuemur. Cùm autem cogitationes nostræ & illorum gratiâ vigilent, & ex paucis scriptis prodeant, ea quæ cogitata sunt & dicta, magna esse possunt. Hæc verò ipsos sine metu, multosque alios Christi causâ & nomine certamina pertulisse credimus, cùm etiam adhæc vsque tempora tot tamque mira opera & miracula per eos vis diuina palàm edi velit, vt

omnes incolæ & aduenæ obstupescant. Ergo perpessi sunt mortem Christi martyres, Dionysius, Rusticus & Eleutherius, septimo Calendas Octobris, Domitiano Imperatore, in Galliâ Lutetiæ Parisiorum, regnante Domino nostro Iesu Christo cum Patre & sancto Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

μάσια, ὥστε ἐξίστασθαι πάντας τοὺς οἰκοῦντας, καὶ παρατυγχάνοντας. Ἔπαθον οὖν οἱ μακάριοι μάρτυρες τοῦ Χριστοῦ, Διονύσιος, Ῥουστίκος καὶ Ἐλευθέριος, ἑβδόμῃ Καλανδῶν Ὀκτωβρίου, ἐπὶ Δομετιανοῦ βασιλέως, ἐν τοῖς μέρεσι τῆς Γαλλίας καὶ Παρησίας πόλεως, βασιλεύοντος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἅμα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

VITA
S. DIONYSII AREOPAGITAE
ATHENARVM EPISCOPI FRANCORVM APOSTOLI ET MARTYRIS,

Per R. P. PETRVM HALLOIX *Societatis* IESV *concinnata, eiusdemq́; Notationibus illustrata.*

PRÆFATIO.



SI è claris sanctorum Patrum vitis eæ primum punctum ferunt, quæ vnà cum antiquitatis auctoritate, maiores in litteris, in laboribus, in peregrinationibus, in signis denique ac salutaribus prodigiis, admirabilitates habent; nemini sanè in dubio relinquitur, quo loco, quóve numero ea censeri debeat, quæ sanctum Dionysium Areopagitam oculis spectandum, penitusq; cognoscendum exhibet: virum scilicet Apostolis ætate coniunctũ, virum sacris profanisque disciplinis apprimè eruditum, virum è Græciâ in Ægyptum, ex Ægypto in Græciam, & hinc cum magno Paulo, vase electionis, in varias orbis plagas profectum, postremoque in Asiam, in Italiam, in Galliam, in Hispaniam grauibus de causis peregrinatum: virum inquam post Areopagi supremos apices mitissimũ legis Christianæ discipulum, sed è discipulo eximium orbis doctorem, insignem Galliarum Apostolum, fortem ac generosum Christi martyrẽ, in vitâ æquè & post vitam perillustribus factis atque miraculis gloriosum. Huius ego vitæ seriem, iis omnibus perdiligenter & quàm accuratè perquisitis, quæ ad illam pleniùs ac rotundiùs concinnandam facere visa sunt, & inuocato (quod ipsemet ante omnium rerum initia faciendum edocuit) Dei optimi maximi auxilio in præsenti aggrediar. *Dion. l. de Diuinis nom. c. 3.*

CAPVT I.

Genus, patria, ætas, studia.

NAtus est [a] Dionysius Athenis, vrbe totius Græciæ multò clarissimâ ac nobilissimâ: idque [b] anno circiter Christi nono, Augusti Imp. quinquagesimo, parẽtibus quidem vitæ instituto gentilibus, sed genere & virtute claris. Puer artes liberales domi siue in vrbe suâ talium artiũ parente ac dominâ perdidicit. Quibus egregiè imbutus foras adolescens prodiit, atque in Ægyptum quasi ad vnicam & singularem sacratioris & reconditioris disciplinæ magistram, [c] imperante Tiberio Nerone, se contulit, tam vt eius regionis nobiles Philosophos conueniret, quàm vt si quid nouæ rerum abditarum cognitionis haurire posset, id patriis institutionibus velut sacrum complementum adiiceret. Nam illò ferè præstantissima quæque ingenia, post ceteras disciplinas alibi perceptas, pro Mathesi rerumque cælestium cognitione adipiscendâ, & sacris mysteriis ritibusque addiscendis, quasi pro supremo omnigenæ eruditionis coronamento migrare solitos accepimus. [d] Quod de Pythago-

Quo anno natus sit Dionysius.

Aegypti laus à studiis artiũ.

thagorâ, de Thalete Milesio, de Platone, de Eudoxo, deque aliis compluribus eximiis Philosophis multi Auctores tradiderunt. [e] Quin etiam ipso huius Dionysij tempore domicilia Sacerdotum, hoc est Ægypti sapientum, & loca vbi Plato, vbi Eudoxus, vbi alij viri illustres habitauerant, Heliopoli ostendebantur. Istos porrò Ægypti Sacerdotes, siue Prophetas, (sic enim illi suæ gentis sapientissimos appellitabant, non secùs quàm Persæ Magos, Assyrij Chaldæos, Galli Druidas, & Indi Gymnosophistas) ab ipso Abrahamo Patriarchâ, qui ibidem Heliopoli iam olim vixerat, hausisse primitus Astrologiæ disciplinam, scripsêre viri multò doctissimi. Istuc ergo Dionysius in flore ætatis eiusmodi studiorũ caussâ profectus est: quamdiu autem ibidem constiterit, nullæ, quod quidem sciam, produnt litteræ; sed ibi fuisse, cùm Christus Saluator Ierosolymis pro totius generis humani salute cruci suffixus penderet, perquàm terrifica illa solis defectio terram terreret vniuersam, testes citantur ipsiusmet Dionysij ad sanctum Polycarpum Smyrnæ Pontificem litteræ, quæ hodieque extant, & in doctorum versantur manibus. Quo quidem tempore annum ætatis agebat Dionysius circiter vigesimum quintum, & Heliopoli (quæ vrbium Ægypti, vt modò insinuatum est, præcipuâ Sacerdotum habitatione clarissima antiquitus habebatur) vnà cum [f] Apollophane sophistâ, æquali suo, degebat. [g] Exurgente igitur illâ eclipsi, cùm ambos magna teneret admiratio, quid sibi lux derepentè, & alieno tempore, & præter naturæ legem se condens, quidve cælo obductæ, nouo prorsus & insolito more, tenebræ, & quidem tantæ tamque diuturnæ vellent ac portenderent (tres enim ipsas horas, nimirum à sextâ vsque ad nonam tenuisse, sacra produnt Oracula) tum ipsis ad exactiùs explorandos distinguendosque amborum luminarium congressus digressusque, Philippi Aridæi regulâ Astronomicâ vti visum, & impensiùs inusitatam illam solis ac lunæ concursionem contemplari atque attendere. Cumque obseruando deprehendissent (quod aliàs quoque erat notissimum) fieri ordinario naturæ cursu haud posse, vt sol id temporis suorum defectionem radiorum pateretur: & nunc lunam quoque ipsam aduerterent (quæ solita esset alioqui à parte occiduâ solem subire) iam è contrario ab Orientali tractu subingredi, ac velut pullum nigrantemque amictum soli obtendere, & suâ caligine auctorem parentemque lucis, ad vltimam vsque eiusdem lineam offuscare, ac demum resilire: tum Dionysius ingenti cum admiratione ad cognatum & consodalem suum conuersus, *Quid hoc*, inquit, *rei est, ô Apollophanes? quid ista sibi ostenta volunt?* Ille autem diuino quodam afflatu, *Hæ sunt*, inquit, *ô bone Dionysi*, [h] *rerum diuinarum mutationes.* Tum verò ipsum rursus Dionysium cælestiori quodam instinctu percitum (idque traditione, vt Michael Syngelus loquitur, à parentibus ad filios deriuatâ) dixisse ferunt: *Ignotus in carne patitur Deus, cuius caussâ vniuersum hoc obscuratum atque concussum est.* Aut certe, quod eum tam breuiter quàm eleganter intulisse alij memorant: Ἢ τὸ Θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. *Aut Deus patitur, aut patienti compatitur.* Denique idem Dionysius admirandæ huius defectionis & obscuritatis tempus, annum, diem, horam perdiligenter annotauit, atque sicunde fortassis inauditæ mutationis vel caussa quæpiam, vel occasio, seu prodita litteris, seu vulgata sermonibus posteà temporis inaudiretur, seriò animaduertere statuit. Quod tandem Athenis, vt mox dicetur, è Pauli Apostoli congressu, & fidâ relatione non sine magno Fidei lucro est assecutus. Liceat verò hîc nobis in isto tam admirabili principis luminaris defectu & contemplatu pulchra æternæ sapientiæ consilia pauxillulum demirari: liceat etiam vnà summam illius rerum omnium conditoris & moderatoris potentiam iuxtà & bonitatem fixiùs attendendo & amare & complecti: eius, inquam, moderatoris, qui, vt rectè obseruauit & dixit Sapiens, *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Quàm enim fortiter tam Iudæorum quàm Gentilium corda tum attigit, & quàm suauiter communem salutis vtrorumque rationem disposuit, cùm & Iudæis semper signa de cælo petentibus, tam illustre de cælo & in cælo signum dedit, & clarissimo, quamuis atratum tenebrarum, prodigio, memor suæ charitatis, suæ iniuriæ immemor, in ipsâ suâ morte subuenit? & cùm gentilibus atque alienigenis, tam iis qui longè quàm qui propè, nominatim autem Dionysio & Apollophani, earum rerum quibus maximè capiebantur atque vacabant studiis, tamquã aptissimis ad eos alliciendos & sibi coniungendos lenociniis, sese quadamtenus manifestans succurrit, nempe Astrologiæ deditis extraordinaria in astris prodigia exhibendo. Quippe ambo, dum cælos suspiciunt, dum rimantur sidera, dum solis defectio-

Alexander Polyhistor in historiâ Iudæorum. Iosephus l.1. Antiq. cap.9. Eusebius lib.9. de Præparat. Euág. c.17. Suidas in Dionysio.

Michael Syngelus in Encomio S. Dionysij.

Luc.15,33.

Suidas in Dionysio.

Dei Sapientia in vocatione ad Fidem.

Sap 8,1.

defectionem inusitatam vident & examinant; Deo corda permouente, prima nouæ legis & Christianæ fidei semina suis postmodò temporibus in fruges eruptura, vt pôst videbitur, susceperunt. Sic olim tres illos Magos inspiciendis & obseruandis stellis intentos, vnâ eis obiectâ prorsus mirâ & insolenti ad perquirēdum nouum Regem (cuius illa ferebat indicium) & ad congrua ei munera, dignosque tantis natalibus honores deferendos, incertum fortiùs an suauiùs, pertraxerat. Sic deinde homines piscatores ad piscatum deducturus animarum, atque à mari & à retibus ad Ecclesiæ gubernacula prouecturus, non alio quàm piscationis vocabulo vsus ad se pellexit. Quin & pellectos nullo neque gratiore neque suauiore modo detinuit, atque in suæ potentiæ ac diuinitatis fide atque notitiâ confirmauit, quàm obiectis inter piscandum prodigiosis iactibus & capturis. Sed ad Dionysium eiusque capturam redeamus. Iam ergo reuersus ex Ægypto in patriam, eò magis in ore atq; oculis suorum ciuium esse cœpit, quòd ad insitam naturæ ingeniique nobilitatem, atque ad patrias artes ac disciplinas, etiam ab exteris gentibus nouam quasi scientiarum supellectilem deportaret. Ita haud difficile nobili ac generoso iuueni fuit, præclaris præsertim imbuto artibus & moribus, viam sibi ad quamuis amplos honores & magistratus aperire. Quare cùm genere suo & nomine condignas esset complexus nuptias (nam ad illas stimulabat cùm ætas illis idonea, tum cupido summæ dignitatis ad quam adspirabat, & quam citra coniugium, vti mores tunc erant, vix sperabat)[k] cumque perillustrem sibi feminam nomine Damarim copulasset, ita studuit cunctas matrimonij leges examussim custodire, ita se in suscepto vitæ statu & gradu gerere, vt nullo mali facinoris obstaculo, cursum ad ea quæ petebat, sibi præpediret.[l] Igitur inter Archontas (nouemuirûm is est Magistratus) præmonstratâ ex instituto patrio totius vitæ anteactæ integritate, Athenis est cooptatus. E quo Magistratu redditâ rursum, vti moris erat, officij sui, quo benè perfunctus esset, ratione, cùm scilicet insontem se, atque ab omni auaritiæ & iniquitatis suspicione immunem in eo iudicio, quod illi δοκιμασίαν,[m] id est, probationem siue censuram appellant, ritè comprobasset, in sanctissimum[n] Areopagi consilium, qui summus illic erat vrbanæ dignitatis gradus, inoffenso pede conscendit. Atque inibi quidem haud postremo eum fuisse loco, tunc cùm sanctus Paulus, doctrinæ suæ rationē redditurus, iniectâ manu in Areopagum pertractus est, sed vnum potiùs è primis Iudicibus, imò etiam Iudicum principem Græci scriptores disertè asseuerant. Et Michael quidē Syngelus post eximiam Athenarum laudem, quas (vti vere erant) Græciæ decus, Philosophorum domicilium, Oratorum gymnasium atque ludum appellat, ita subdit de Dionysio. *Ex eâ,* inquit, *vrbe hic est ortus Dionysius, eiusq; dux fuit illustrissimus, & Areopagi Iudicum princeps: quorum Iudicum splendorem generis atque magnificentiam, rerum Atticarum Scriptores Androtion & Philochorus fusè denarrarunt. Ex quibus profectò maiorum Dionysij primatum, & honorem, & gloriam coniecturâ assequi licet. Nec enim apud superbos Athenienses facilis cuiquam ad eiusmodi principatum aperta erat via, nisi quem & sapientia, & prudentia, & iustitia, & fortitudo, & temperantia, & cum his simul eximia generis claritudo commendaret.* Ita ille. Fuit denique Dionysius ex eo consilio & Senatu, qui iam olim à Solone legislator & morum censor, & custos legum, & religionis ac cærimoniarum præses, & capitalium ac grauissimarum caussarum iudex atque arbiter fuerat constitutus. Ad quem Senatum non tantùm è reliquâ Græciâ, sed è remotis quoq; nationibus,[p] atque adeò ab ipsis Romanis, licet præcipuam sapientiæ atque grauitatis laudem affectantibus, difficiliores lites, & intricatiora iudicia subinde referebantur. In quo quantus fuerit Dionysius, siue doctrinarum varietatem, siue Iuris æquitatem, siue morum denique spectes innocentiam, clarè idem Syngelus docet, qui non modò facundissimum in Oratoribus, acutissimum in Philosophis, perspicacissimum in Astronomis, in ceteris artibus ac disciplinis spectatissimum, sed etiam (quod multò maius est atque gloriosius) inter bonos optimum, & inter Iudices longè iustissimum extitisse scribit. Atque talis quidem erat, cùm gentilis atque deorum cultor: qualis autem posteà, hinc ordiemur.

Trium Magorum ad Christū euocatio.

Damaris Dionysij vxor.

Simeon Metaphrastes in Vitâ. Michael Syngelus in Encomio, & alij.

Athenarum laus.

Areopagi commendatio.

NOTATIONES.

NATVS [a] EST DIONYSIVS.] Dionysij inter Scriptores sacros doctrinâ & sanctimoniâ clarissimi tres fuerunt, (nam de Patribus Græcis tantùm sermo est in præsentiâ) Dionysius Areopagita, Dionysius Corinthiorum Episcopus, & Dionysius Alexandrinus: qui omnes scripta vtilissima

-lissima posteris reliquere. Areopagita primo sæculo floruit, Corinthius secundo, Alexandrinus tertio. Ac proinde hi duo posteriores mentionem Areopagitæ facere potuerunt: & Corinthius quidem, testibus Eusebio Cæsareæ Palęstinæ Episcopo & Maximo martyre, fecit; sed an Alexandrinus etiam fecerit, haud perinde constat. Multi quidem id asserunt, & eiusdem Maximi Scholiastæ auctoritatem ad hoc confirmandum proferunt; vbi scilicet scribit, S. Dionysium Alexandrinum composuisse Scholia in beatum Dionysium sibi cognominem. Verùm per Dionysium sibi cognominem non intelligi Areopagitam, infrà fusè docui Quæst. 2. in solutione argumentorum aduersæ partis. Verba autem Eusebij lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 22. de Dionysio Corinthio sunt hæc: Δηλοῖ δὲ ἐπὶ τούτοις, ὡς καὶ Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης ὑπὸ τοῦ Ἀποστόλου Παύλου προτραπεὶς ἐπὶ τὴν πίστιν, κατὰ τὰ ἐν ταῖς Πράξεσι δεδηλωμένα πρῶτος τῆς Ἀθηναίων παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχείριστο. *Significat præterea* [Dionysius Corinthius] *Dionysium Areopagitam ab Apostolo Paulo ad fidem conuersum, vt produnt Acta, primum Athenarum Antistitem creatum esse.*

De eodem Dionysio Corinthiorum Episcopo, ita Maximus in præfatione Scholiorum suorum ad libros Areopagitæ: Μνημονεύει δὲ τοῦ Ἀρεοπαγίτου καὶ Διονύσιος ἀρχαῖος Κορινθίων Ἐπίσκοπος, καὶ Πολύκαρπος ἐν τῇ πρὸς Ἀθηναίους ἐπιστολῇ αὐτοῦ. *Mentionem facit Areopagitæ etiam Dionysius, antiquus Corinthiorum Episcopus, & Polycarpus in suâ ad Athenienses epistolâ.* Ita ille. Hæc autem propter eos, qui eumdē Areopagitam existimarunt etiam Athenarum & Corinthiorum fuisse Episcopum, dicta sint. Nam ex his patet, esse diuersos; cùm alter alterius mentionem faciat.

De his duobus Dionysiis, Corinthio inquam & Alexandrino, ampliùs σὺν Θεῷ in ipsorum Vitis & Sæculis dicetur: nunc solùm de Areopagitâ, qui secundùm Apostolos primus mihi ponitur in suo Sæculo, idque suasu antiquitatis, cùm ætate vix nouem annis minor Christo fuerit, vt iam nunc ostendam.

[b] ANNO CIRCITER CHRISTI NONO.] Hic annus ex ipsius Dionysij ad Apollophanem epistolâ colligitur, vbi tempore passionis Christi Domini, siue eclipseos quæ tum accidit, se viginti quinque annorum fuisse scribit. Quæ epistola, licet nunc Græcè non extet, tamen extabat tempore Caroli Calui Imperatoris, sub annum Christi 876. quo tempore vnà cum aliis S. Dionysij Operibus eam Latinè vertit Erigena Scotus. Nam hodieque ea versio superest, & eodem planè stilo quo ceteræ epistolæ, vt dubio nullus relictus sit locus. Accedit de viginti quinque annis auctoritas S. Maximi ad Epistolam decimam S. Dionysij, quæ est ad S. Ioannem Euangelistam, his verbis: Ὑποθώμεθα δὲ καὶ τὸν θεῖον Διονύσιον, ὅτε τὰ ἐπὶ τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου εἶδεν, εἶναι ἐτῶν κέ. ἅτε οἶμαι καὶ ἔτι ἀναγινώσκοντα. *Supponamus verò & diuinum Dionysium, cùm eiusmodi prodigia Christo cruci affixo vidit, annorum fuisse viginti quinque, quod & me adhuc legisse puto.* Itaque existimauerim, Maximum aliquando incidisse in illam B. Dionysij Græcam epistolam, sed ab aliis, vt sæpè fit, auulsam. Si igitur Dionysius fuit viginti quinque annorum in vltimo Christi anno, hoc est, ætatis Christi trigesimo tertio, vt plurimi tenent, vel trigesimo quarto inchoato, vt alij volunt, sequitur, eum natum anno Christi nono circiter. Addo *circiter*, ob variantes sententias. Iam nonus Christi, & quinquagesimus Augusti, iuxta Eusebium (quo in Ecclesiasticâ chronologiâ nemo certior) inter se concurrunt, & sequitur approbatque Baronius.

[c] IMPERANTE TIBERIO.] Suidas in Dionysio ita de eo, in editione Morellij: Κατὰ γοῦν τὴν ἀρχὴν Τιβερίου Καίσαρος, ὅτε δὲ καὶ τὴν ἡλικίαν ἤκμαζεν, ἀπῆρεν εἰς Αἴγυπτον τοῖς ἐκεῖσε σοφοῖς ὁμιλῆσαι γλιχόμενος. *Imperante Tiberio Cæsare, cùm iam ætate floreret, soluit in Ægyptum, cum Philosophis, qui inibi agebant, versari desiderans.* Pachymeras in Paraphrasi Epistolæ septimæ Dionysij, sub finem: Ἔθος γὰρ ἦν τότε τοῖς ὁπουδήποτε Ἕλλησιν ἀποδημεῖν εἰς Αἴγυπτον μαθήσεως ἕνεκα. *Erat enim tum Græcis consuetudo, vndique in Ægyptum studio Matheseos peregrinandi.*

[d] QVOD DE PYTHAGORA, &c.] De his multa sunt veterum testimonia. Breue est illud M. Tullij libro quinto, De finibus bonorum & malorum, extremo. *Cur Plato,* inquit, *Ægyptum peragrauit, vt à Sacerdotibus barbaris numeros & cælestia acciperet?* & paullò pòst: *Cur Pythagoras & Ægyptum lustrauit, & Persarum Magos adiit? cur tantas regiones barbarorū pedibus obiit? tot maria transiuit? cur hæc eadem Democritus?* &c. Vide Diogenem Laërtium in eorumdem Vitis, & Strabonem in libris Geographiæ 14. & 17. & Valerium Maximum libro 8. capite 7. & de aliis Philostratum in Vitis Sophistarum, præsertim in Aristide, & S. Iustinum Martyrem in Cohortatione 1. ad Græcos, ante medium, vbi dicit, constare ex Theodoro & ex aliis Historicis, Orpheum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem & alios Ægyptum adiisse, & libris Moysis adiutos, meliùs de Deo sapuisse. Vide & Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromatum, ante medium, vbi sic inter alia: Θάλης δὲ Φοίνιξ ὢν τὸ γένος, καὶ τοῖς Αἰγυπτίων προφήταις συμβεβληκέναι εἴρηται, καθάπερ καὶ ὁ Πυθαγόρας αὐτοῖς γε τούτοις· δι' οὓς καὶ περιετέμετο, ἵνα δὴ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθοι φιλοσόφων, Χαλδαίων τε καὶ Μάγων τοῖς ἀρίστοις συνεγένετο, καὶ τὴν Ἐκκλησίαν τὴν νῦν οὕτω καλουμένην ὁμακοεῖον αἰνίττεται. *Thales autem, cùm esset Phœnix genere, etiam cum Ægyptiorum Prophetis congressus esse dicitur, sicut & Pythagoras cum iisdem versatus est: propter quos etiam fuit circumcisus, vt adyta ingrediens Ægyptiorum mysticam disceret philosophiam, & cum Chaldæorum, & Magorum præstantissimis egit familiariter, & quæ nunc Ecclesia appellatur, ab illo* ὁμακοεῖον *dicta est.* Vox ὁμακοεῖον *coauditorium* (si fas ita loqui) significat, nempe locum, quò multi ad audiendum vnà conueniunt: ex ὁμοῦ & ἀκούω, *simul audio.*

[e] QVIN ETIAM IPSO DIONYSII TEMPORE.] Strabo enim, qui eodem quo Dionysius tempore floruit, hoc est, imperante Tiberio, ita de se libro 17. Geographiæ scribit: Ἐν δὲ τῇ Ἡλίου πόλει καὶ οἴκους εἴδομεν μεγάλους, ἐν οἷς διέτριβον ἱερεῖς. Μάλιστα γὰρ δὴ ταύτην κατοικίαν ἱερέων γεγονέναι φασὶ τὸ παλαιὸν φιλοσόφων ἀνδρῶν καὶ ἀστρονομικῶν. *Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus Sacerdotes degebant. Immò dicunt hanc olim Sacerdotum*

dotum habitationem fuisse, hominum philosophiæ & astronomiæ deditorum. Et paucis interiectis: Ἐκεῖ οὖν ἐδείκνυντο οἵτε τῶν ἱερέων οἶκοι, καὶ Πλάτωνος, καὶ Εὐδόξου διατριβαί. Συνανέβη γὰρ δὴ τῷ Πλάτωνι ὁ Εὔδοξος δεῦρο, καὶ συνδιέτριψαν ἱερεῦσιν ἐκεῖνοι ἐνταῦθα τρισκαίδεκα ἔτη, ὡς εἴρηταί τισι. *Ibi ergo ostendebantur Sacerdotum domicilia, & Platonis atque Eudoxi scholæ. Istò enim ascendit cum Platone Eudoxus, ibique cum Sacerdotibus tredecim annos versati sunt, vt dictum ab aliquibus est.* Vide ibidē plura huc spectantia. De Platone ita S. Augustinus lib. 8. De Ciuitate Dei, c. 4. *Quàm longè latèque potuit, peregrinatus est. Quaquauersum enim alicuius nobilitate scientiæ percipiēdæ fama rapiebat. Itaq; & in Ægypto didicit, quæcumque illic magna habebantur atq; docebantur.* Ægyptios autem accepisse ab Abrahamo Patriarchâ scientiam astrorum, aliasque complures artes, testatur Alexander Polyhistor, *vir magni ingenij multæque eruditionis* (vt appellat Eusebius lib. 9. de Præparat. Euangel. cap. 17.) scriptor perantiquus, de quo sic ibidem: Συζήσαντα δὲ τὸν Ἀβραὰμ ἐν Ἡλιουπόλει, τοῖς Αἰγυπτίων ἱερεῦσι πολλὰ μεταδιδάξαι αὐτοὺς, καὶ τὴν ἀστρολογίαν, καὶ τὰ λοιπὰ τοῦτον αὐτοῖς εἰσηγήσασθαι. &c. *Ceterùm cùm apud Heliopolim Abraham Sacerdotum consuetudine plurimùm vteretur, multa ipsos, nec non astrologiam, & reliqua eò pertinentia edocuisse tradit.* Eius sententiæ accedit Iosephus lib. 1. Antiquitatum, cap. 9. his verbis: Τὴν τε ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεται, καὶ τὰ περὶ ἀστρονομίαν παραδίδωσι. πρὸ γὰρ τῆς Ἀβράμου παρουσίας εἰς Αἴγυπτον οἱ Αἰγύπτιοι τούτων εἶχον ἀμαθῶς. *Arithmeticam quoque & astrologiam cum illis communicauit. Nam ante Abrahami aduentum in Ægyptum, Ægyptij horum rudes erant.*

[f] Vna cvm Apollophane Sophista.] Hic Apollophanes præceptor fuit Polemonis Laodicensis: Polemon autem Aristidis Philosophi eloquentissimi, qui Apologeticum pro Christianis obtulit Hadriano Imperatori: de quo Aristide vide Eusebium libro 4. Historiæ, cap. 3. & Hieronymum in Catalogo. De Apollophane ita Suidas in Dionysio: Συνῆν δὲ αὐτῷ Ἀπολλοφάνης ἐκεῖνος ὁ σοφιστὴς, οὗ Πολέμων ὁ Λαοδικεὺς ἐν Σμύρνῃ διήκουσεν, ὁ διδάσκαλος Ἀριστείδου. *Vnà cum Dionysio erat Apollophanes Orator ille, quem Polemon Laodicenus, magister Aristidis, Smyrnæ audiuit.* Hunc ergo Apollophanem S. Polycarpus Smyrnæ Episcopus ad manum habuit, & ad Christi fidem conuertit. Super quâ conuersione duæ extant Dionysij Epistolæ: vna ad S. Polycarpum hortatoria, vt eum ad Fidem conuertat; altera ad ipsum Apollophanem iam conuersum gratulatoria. Fuisse Apollophanem sancto Dionysio non solùm veterem sodalem, sed & cognatum, videntur ista Syngeli verba in eius Encomio indicare: Ἑταίρῳ δήπουθεν ὄντι φιλτάτῳ καὶ ὁμογενεῖ. *Veteri sodali amicißimo & cognato.*

[g] Exvrgente illa eclipsi.] Tota huius eclipseos ab iis animaduersæ historia partim ex duabus S. Dionysij Epistolis, vnâ ad S. Polycarpum, alterâ ad Apollophanem, collecta est: partim ex Maximo, Syngelo, & Metaphraste. Quibus adde Suidam, Nicephorum, Pachymeram, & alios. Eclipseos quidem, siue tenebrarum toti orbi obtensarum, quod ad substantiam spectat, Euangelistæ tres, Matthæus, Lucas, & Marcus meminerunt; sed quod ad modum attinet, præter hunc Dionysium, nemo. Vtrobiq; autem multa admodum mira extiterunt. Ad prius enim quod attinet, primò facta est in plenilunio, quod aliàs numquam. Cùm enim Solis defectio fiat ex coniunctione Solis cum Lunâ (id quod accidit in nouilunio) tum facta est in eius maximâ disiunctione, siue in plenilunio. Nec enim Iudæi alio tempore Pascha celebrabant, quàm in plenilunio. Deinde obumbrauit hæc eclipsis totam terram: quod naturaliter fieri non potest, cùm Luna minor sit Sole, nec eum proinde totum possit toti terræ, nisi maximo miraculo, occultare. Tertiò, durauit tres ipsas horas, cùm alioqui ob contrarium Solis & Lunæ concursum breuissima esse debeat & soleat; præsertim, quòd corpus solare ingētis sit magnitudinis; lunare autem, eius respectu perexiguum. Sic enim videmus, re quapiam minimâ ob oculos positâ, etiam prægrandem montem nobis abscondi, sed ita, vt si rem illam minimam vel minimum remoueris, extemplò illum eumdem montem conspicias. Ita de Sole accidisset, si Luna inter oculos nostros & illum opposita vel tantillum promouisset, neque prodigium interuenisset.

Hæc tria miracula è tribus Euangelistis constant: è quibus sic Matthæus cap. 27, vers. 45. *A sextâ autem horâ tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam.* Et Lucas cap. 23, v. 44. *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam. Et obscuratus est Sol.* Et Marcus cap. 15, v. 33. *Et factâ horâ sextâ, tenebræ factæ sunt per totam terram vsque in horam nonam.* Agunt autem ibi de tempore Paschatis, in plenilunio Martij. Ex quibus verbis licet colligi necessariò non possit, vllam fuisse eclipsim propriè dictam (cùm potuerit Deus optimus maximus istas tenebras inducere Sole & Lunâ ordinarium cursum tenentibus, vt in Ægypto factum legitur antiquitus) tamen cùm veram fuisse eclipsim, grauissimi Auctores etiam Ethnici tradant, & ipse S. Dionysius non modò illam, sed eius quoque modum vnà cum æquali suo Apollophane, maximo Philosopho, adhibitâ regulâ astronomicâ, curiosè obseruarit, litterisque mandarit, par est idem cum iisdem sentire homines non præfractos. Ex Auctoribus Ethnicis, qui eclipseos tempore Passionis Domini nostri Iesu Christi animaduersæ meminerunt, citatur nominatim Phlegon libertus Hadriani Imperatoris, egregius Historicus, cuius verba Græca è Chronico Eusebij, itemque ex Alexandrino, siue, vt alij vocant, è Fastis Siculis, hîc propono. Ita igitur Phlegon lib. 13. Τῷ δὲ τετάρτῳ ἔτει τῆς σβ. Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρᾳ ς΄. τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατεστρέψατο. id est, ex interpretatione sancti Hieronymi: *Quarto autem anno ducentesimæ secundæ Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante acciderant, defectio Solis est facta: dies horâ sextâ ita in tenebras versus, vt stellæ in cælo visæ sint: terræque motus in Bithyniâ Nicænæ vrbis multas ædes subuertit.* Ita Phlegon apud Eusebium ad annum Domini 33. Idem quoque

Eusebius,

Eusebius, eodem loco, in aliis Ethnicorum commentariis se hæc ad verbum reperisse scribit: Ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν. Βιθυνία ἐσείσθη· Νικαίας τὰ πολλὰ ἔπεσεν. *Sol defecit: Bithynia concussa est: Nicææ ædificia multa corruerunt.* Thallus quoque Historicus, teste Iulio Africano secundi sæculi Scriptore, idem ipsum in suam Historiam retulit. Ita enim de illo: Τοῦτο τὸ σκότος ἔκλειψιν ἡλίου Θάλλος ἀποκαλεῖ ἐν βίτῃ τῶν Ἱστοριῶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἀλόγως. *Hasce tenebras defectum Solis appellat Thallus lib. 3. Historiarum, vt mihi quidem videtur, inconsideratè.* In quibus quidem verbis indicat Africanus, in alterâ se esse sententiâ, nimirum vt tenebræ tantùm fuerint miraculo quodam Ægyptiarum tenebrarum simili per vniuersam terram obductæ. In quâ opinione fuit etiam Origenes & Tertullianus, & quidam alij: inter quos & Sedulius Presbyter lib. 5. Paschalis operis, dum ita cecinit:

Intereà horrendæ subitò venere tenebræ,
Et totum tenuere polum, mœstisque nigrantem
Exequiis texère diem. Sol nube coruscos
Abscondens radios, tetro velatus amictu
Delituit, tristemque infecit luctibus orbem.
Hunc elementa sibi meruerunt cernere vultum
Auxiliis orbata patris, lætata per ortum,
Mœsta per occasum. Nam lux vt tempore fulsit
Nascentis Domini, sic hoc moriente recessit,
Non absens mansura diu, sed mystica signans
Per spatium secreta suum: quippe vt tribus horis
Cæca tenebrosi latuerunt sidera cæli,
Sic Dominus clausi triduo tulit antra sepulchri.

Quibus in versibus nulla fit mentio eclipseos, sed tantùm Solis, occursu nubium, obscurati. Nunc tamen communior videtur sententia, veram, sed prodigiis plenam fuisse eclipsim, de quâ sic S. Augustinus Epist. 80. ad Hesychium, Tomo 2. *Quando nos vidimus Solem sic obscuratum, quemadmodum obscuratus est, cùm Lumen mundi penderet in ligno? Nisi fortè defectus Solis & Lunæ, quos consueuerunt computatores siderum annotare atque prædicere, inter cælestia prodigia numerabimus, quia Lunam sæpiùs in suâ plenitudine, Solem verò rarius, sed tamen vidimus in fine Lunæ secundùm eorum computum defecisse. Non erat talis Solis ille defectus, quando crucifixus est Christus, & ideò verè mirabilis erat & prodigiosus. Pascha quippe fuerat Iudæorum, quod non nisi in plenitudine Lunæ celebratur. Secundùm Astrologorum autem numeros certum est, Solem, quando Luna plena est, non posse deficere, sed quando finis est Lunæ, non quidem semper, sed aliter numquam, cùm secundùm illos numeros deficit. Quid ergo tale vmquam quisquam meminit apparuisse de cælo, ex quo Dominus illa prædixit, quale apparuit, quando passus est?* Ita S. Augustinus.

Sed quæret nunc aliquis, quonam pacto tantum miraculum patratum sit, nempe vt Luna tam exigua Solem tam immensum orbi toti absconderit.

Respondeo, inter plures sententias hanc videri probabilissimam, quæ dicit, Angeli ministerio vel subtractos orbi radios illos, qui à Lunâ comprehendi non potuerunt, atque occultatos; vel certè (quod nostro Salmeroni magis placet) compressos, coactosque, vt in Lunam cuncti inciderent. Equidem magis credo, verum huius prodigij modum nos latere.

Iam autem circa eiusdem eclipseos, aut duorum potiùs luminarium processiones, ista extiterunt haud minora prioribus miracula:


Primò, quòd Luna ab Orientali tractu Solem subiuerit, res prorsus insolens & inaudita.

Secundò, quòd ita progressa sit vsque ad partem Solis occiduam, vt tres horas partim progrediendo, partim regrediendo sub Sole fuerit.

Tertiò, quòd licet ad extremam vsque Solis partem occiduam processerit, ita vt eiusdem Solis pars Orientalis primò apparere detecta & detersa deberet: tamen Lunâ retrò versus Orientem resiliente, contrarium acciderit, nempe vt pars occidenti obuersa primò apparuerit, lumenque, vt antè, refuderit.



Ecce hîc deſcriptam claritatis gratiâ conſpicuam imaginem:



Sit ergo in figurâ præſenti, A terra, B Luna, C Sol, D Oriens, E Occidens, F G diameter ab ipſo Sole ad Solis oppoſitum: H pars Solis Orientem reſpiciens, I pars Solis Occidentem ſpectans: linea verò ab H ad I, diameter diſci ſeu corporis ſolaris. Iam tempore paſſionis Luna erat in G, ſiue ex diametro Soli oppoſita, proptereaque plena, & radiis ſolaribus tota collucens, vt in plenilunio aſſolet. Horâ igitur ſextâ, quâ Chriſtus in cruce pendebat, ſubitò tranſiit Luna ab G, ſiue à loco Soli ex diametro oppoſito, ad H, ſiue ad partem Solis Orientalem, ibique Solem ſubiens ex eâ parte inchoauit eclipſim, indeque ad I progreſſa, totum Solem caligine ſuâ, velut pullâ veſte, obduxit: deinde ab I ſiue parte Solis occiduâ ad H reſiliit, ita vt pars Solis vltimò obtenebrata primò inclaruerit, mundoque radios ſuos diffuderit, contrà quàm aliàs ſemper factum fuerit, aut fieri ſolitum ſit. Progreſſio itaque ab H ad I, & regreſſio ab I ad H, tres ipſas horas tenuit, à ſextâ ſcilicet vſque ad nonam, hoc eſt, in plagis Orientalibus à meridie ad tertiam pomeridianam. Deinde ab H ad G, hoc eſt, ad locum ſuum naturalem citiſſimè rediit, ita vt veſperi in ſuâ eſſent ſtatione, Sol in occaſu, Luna ex oppoſito; & hæc quidem plena ac lucida, perinde quaſi loco mota non fuiſſet. Quarum rerum tam admirabili ſpectaculo perculſi Dionyſius & Apollophanes Philoſophi, quid ſibi iſta vellent, inter ſe quæritarunt, vt in Vitâ expoſuimus. Denique de ambobus illis Philoſophis, S. Dionyſio inquam & Apollophane, deque totâ huius eclipſeos ratione, mihi patrocinantem habeo clariſſimum Godefridum Wendelinum, virum (vt ſcribit in Athenis ſuis Belgicis eruditiſſimus Franciſcus Sweertius) *in omni litteraturâ, & præſertim in Mathematicis diſciplinis ad miraculum vſque verſatum.* Cuius ego epiſtolium quoddam διδακτικὸν ad noſtrum Andream Schottum piæ mem. ſuper Dionyſio Areopagitâ, eiuſque Scriptis, (quæ fortiter tuetur) felici ſorte nactus ſum. Vtinam citius! Sed, vt ſpero & opto, videbunt aliquando lucem tanti viri tractatus perutiles.

h RERVM DIVINARVM MVTATIONES.] Sic Græcè in Epiſtolâ S. Dionyſij ad Polycarpum: Ταῦτα, ὦ καλὲ Διονύσιε, θείων ἀμοιβαὶ πραγμάτων.

Hæ

Hæ ſunt, ô bone Dionyſi, diuinarum mutationes rerum. Quidam iſtud ἀμοιβαὶ πραγμάτων verterunt *vices rerum,* aliqui *viciſſitudines,* nonnulli *retributiones,* alij *vicarias mutationes:* quia ſcilicet vox ἀμοιβαὶ ſeorſum accepta has omnes admittat ſignificationes. Verùm non ſatis eſt interpreti, attendere, quid vox aliqua ſignificet, ſed quid hoc vel illo loco ſignificet: hoc autem loco nec *vices,* nec *viciſſitudines,* nec *vicarias mutationes,* nec *retributiones* ſignificat, ſed ſimpliciter *mutationes.* Nam iſta alia vocabula capiuntur pro iis quæ ſæpè & viciſſim fiunt, hîc autem agitur de mutationibus planè inſolitis, & quales numquam aliàs fuerunt, nec erunt. Quæ porrò illæ? nempe Dei mors, diuinarum antiquæ legis cærimoniarum interitus, noui Teſtamenti nouæque legis introductio, hisque ſimilia verè diuina. Dionyſius Rickelius in expoſitione Epiſtolæ ad Apollophanem, *diuinarum retributiones ſunt rerum,* ſic exponebat, *Id eſt, quidam iuſti effectus contingentes ob iniuriam & irreuerentiam illatam Deo, ſeu diuinis ſubſtantiis.* Et optimè quidem, ſi bona fuiſſet Græcæ vocis ab interprete (quiſquis ille fuerit) verſio; verùm, vt dixi, & vt doctioribus placuit interpretibus, nihil aliud hîc Latinè reddendum fuit, quàm *diuinarum mutationes rerum.* Vnde Pachymeras in Paraphraſi eiuſdem ad Polycarpum Epiſtolæ, pro ἀμοιβαὶ vſurpat μεταβολαὶ, quod vocabulum *mutationes* præcipuè ſignificat. Vide etiam hac ipsâ de re Michaëlem Glycam, Parte 3. Annalium, vbi eamdem ſancti Dionyſij Areopagitæ ad Polycarpum Epiſtolam citat, ſimulque & totidem fere verbis ea, quæ ex eadem Epiſtolâ in contextu Vitæ produximus. Ipſe tamen, & laudatus ab eo Chryſoſtomus, exiſtimant, non fuiſſe propriè dictam eclipſin, ſed tenebras tantùm ex diuinâ aduerſus Chriſticidas indignatione mundo inductas. Sed alia ſententia melior & communior.

i Ignotvs in carne patitvr Devs.] Ille ſcilicet Deus, cui erat ara hoc titulo, Ignoto Deo; de quo titulo inferiùs. Iſta porrò verba, *Ignotus in carne,* &c. attribuuntur Dionyſio à Michaële Syngelo, qui ſic habet: Ἐπὶ τῷ παραδόξῳ σφόδρα τεθηπὼς, καὶ τὴν ἀνθρωπείαν ὑπερβεβηκὼς γνῶσιν, κατανοήσας τὸ γεγονὸς, Ὁ ἄγνωστος, ἔφη, ἐν σαρκὶ πάσχει Θεὸς, δι' ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωταί τε καὶ σεσάλευται. *Præ re inopinatâ admodum ſtupefactus* (Dionyſius) *& humanam cognitionem ſupergreſſus, eo quod factum fuerat perpenſo, Ignotus, inquit, in carne patitur Deus, propter quod vniuerſum hoc concuſſum & obtenebratum eſt.* In Romano autem Breuiario eſt, exclamaſſe illum: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſoluetur.* Apud Suidam quoque, vt in Vitâ notaui, aliter eſt verbis, ſed ſenſu conformiter. Dici ergo poteſt, ſanctum Dionyſium variis in occurſibus, repetitâ iſtius eclipſeos memoriâ, aliter atque aliter, vt ſæpè fit, dixiſſe. Nam & in ipſis Euangeliis aliter atque aliter à diuerſis Euangeliſtis Chriſti dicta referuntur, vt patet cùm alibi ſæpiùs, tum in muliere ſanguinis profluuio laborante, Matthæi 9. Marci 5. & Lucæ 8.

k Cvmqve perillvstrem sibi feminam nomine Damarim copvlasset.] Damarim S. Dionyſij Areopagitæ vxorem fuiſſe, probatur his ſequentibus argumentis.

Primò, quòd ipſa ſancti Lucæ verba, Actorum 17 verſu vltimo id innuant. Ea ſic habent: Τινὲς δὲ ἄνδρες κολληθέντες αὐτῷ ἐπίστευσαν. ἐν οἷς καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, καὶ γυνὴ ὀνόματι Δάμαρις, καὶ ἕτεροι σὺν αὐτοῖς. *Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.* Ita verſio vſitata. Vbi vox Græca γυνὴ, & Latina *mulier;* cùm aliàs æquè quamuis mulierem ſignificent, quàm vxorem: inde factum, vt nonnulli dubitarint, an hîc pro *vxore* caperentur. Verùm, ſi Euangeliſtæ verba diligenter attendantur, ſatis & mens eius & verborum ſignificatio inclareſcet. Nam mihi quidem ſatis euidens eſt, voluiſſe Euangeliſtam primò aperire generatim nonnullos Paullo adhæſiſſe, atque (vt vis Græcæ vocis κολληθέντες retineatur) conglutinatos fuiſſe, & in Chriſtum credidiſſe: deinde ſpeciatim deſignare Dionyſij Areopagitæ domum, hoc eſt, ipſum & vxorem & domeſticos, cùm dixit: ἐν οἷς καὶ Διονύσιος, &c. quæ clariùs ſic verſa eſſent: *Inter quos & Dionyſius Areopagita, & vxor nomine Damaris, & ceteri cum eis:* hoc eſt, domeſtici, exemplum patris & matris familias ſecuti. Nam vox ἕτεροι propriè eſt *ceteri:* cùm hæc ex illâ facta ſit. Quare illæ voces, *& alij cum eis,* non ſignificant alios omnes præter Dionyſium & Damarim (ſic enim bis idem diceretur, quandoquidem de aliis ſuprà dictum ſit, *Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt*) ſed tantùm ſignificant eos qui coniunctim cum Dionyſio & Damari crediderunt, atque eorum exemplo & incitamento, ſiue totam familiam.

Verum quidem eſt, quòd ſenſus clarior extitiſſet, ſi vox αὐτοῦ *eius* addita fuiſſet, & dictum καὶ γυνὴ αὐτοῦ, *& mulier eius:* verùm id non ſolet, aut certè non eſt neceſſarium. Quod multis exemplis firmari poteſt. Neque enim ipſe ſanctus Chryſoſtomus (quem à nobis eſſe, qui contraria ſentiunt, confitentur) cùm γυναῖκα pro vxore vſurpauit, neque ipſe, inquam, addidit vocem αὐτοῦ *eius;* quò clariorem ſuam ſententiam redderet, ſed ſimpliciter ita dixit libro 4. De Sacerdotio: Ὁ δὲ Ἀρεοπαγίτης ἐκεῖνος, ὁ τῆς δεισιδαιμονεστάτης πόλεως ἐκείνης, οὐκ ἀπὸ δημηγορίας μόνης ἠκολούθησεν αὐτῷ μετὰ τῆς γυναικός; Quæ interpretes ſic verterunt, & benè: *Areopagita verò, ille vrbis iſtius ſuperſtitioſiſſimæ ciuis, nonne ad ſolam orationem* (Pauli ſcilicet) *vnà cum vxore illum ſecutus eſt?* Vbi tamen non dixit μετὰ τῆς αὐτοῦ γυναικὸς, *cùm vxore ſuâ,* ſed ſolùm μετὰ τῆς γυναικός, *cum vxore.* ſatis enim intelligitur. Ita & in ſacris Litteris illud αὐτοῦ frequenter omittitur, vt in 1. ad Corinthios cap. 7. verſ. 3. *Vxori vir debitum reddat,* Græcè eſt: Τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω. vbi non eſt dictum, τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, *vxori ſuæ.* Sic in eodem ipſo capite ſæpiùs. Neque fauet contrariæ ſententiæ, quòd in Latino apud Lucam ſit *mulier:* idem enim ibi eſt atque *vxor.* Sicut & in iſto Pauli eodem capite 7. verſ. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* vbi vox *mulier* bis ponitur pro *vxor,* & Græcè vtrobique eſt γυνή. Nec aliter ferè in Scripturâ *vxor* effertur,

quàm per vocem γυνή. Quo in ſignificato reperies vſurpatam vocem γυνή apud Paulum in vnico capite iam citato, ſaltem decies ſexies, & frequenter quidem ſine Pronominis additione. Sic verſ. 27. Δέδεσαι γυναικί; μὴ ζήτει λύσιν. Λέλυσαι ἀπὸ γυναικός; μὴ ζήτει γυναῖκα. *Alligatus es vxori: noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem.* Sic verſu 11. dixerat: Καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι, *Et vir vxorem non dimittat.*

Secũdò, ſi ſanctus Lucas voluiſſet ſignificare quampiam aliam feminam, & non vxorem Dionyſij, addidiſſet, vt fieri ſolet, particulam τίς, *quædam*, dixiſſetque: Καὶ γυνή τις ὀνόματι Δάμαρις, *& mulier quædam nomine Damaris.* Sed neque in Græco eſt τίς, neque in Latino *quædam*. Putauit tamen eſſe in Græco Ioannes Lorinus noſter, ideoque in alteram magis inclinauit ſententiam, cùm dixit: *Si vxor Dionyſij erat, non vocaſſet* γυναῖκά τινα, *mulierem quamdam, ſed breuiſſimè dixiſſet*, Καὶ γυνὴ αὐτοῦ. Sic Lorinus. Atqui non dixit S. Lucas γυναῖκά τινα, *mulierem quamdam*, ſed breuiſſimè dixit, καὶ γυνὴ, *& vxor*, omiſſo αὐτοῦ, *eius*: ſicut ſolitum eſſe omitti, iam è ſancto Paulo oſtendimus. Itaque Lorinus à nobis eſt, aut certè eſſe debet. Neque ſi textus Syriacus habeat *quædam*, præualere Greco debet, cùm Acta primitus ſcripta Græcè fuerint, non Syriacè: neque item præferri poteſt Latino, cùm Latina verſio è Græco fonte deriuata ſit, & eodem Pronomine *quædam* careat, & magis ſuo fonti reſpondeat.

Tertiò, cùm alterius ſententiæ Auctores fateantur, pro nobis facere antiquiſſimos & doctiſſimos & ſanctiſſimos Patres, Chryſoſtomum & Ambroſium, & nonnulli etiam ſanctũ Auguſtinum (ſed huius locum nondum reperi) ipſi autem ne vnum quidem è ſanctis Patribus, quo ſe tueantur, habeant; & argumentis (vt ea, quæ iam diximus, monſtrant) nitantur imbecillibus, certè non obſcurè oſtenditur, vtra ſit præferenda ſententia. Nam ſanè Ambroſij verba non inclinantis tantùm in noſtram ſententiam, ſed etiam prorſus incumbentis, & eam omnino amplexantis, extant in Epiſtolâ eius 82. ad Vercellenſem Eccleſiam, ante medium: vbi, poſtquam de Philoſophis cum Paulo diſputantibus verba S. Lucæ protulit, ita ſubdit: *Ex hoc tamen numero* (Philoſophorum ſcilicet) *non immunis gratiæ abiyt Apoſtolus. Siquidem etiam Dionyſius Areopagites cum Damari vxore ſuâ, aliiſque multis credidit. Itaque illi doctiſſimorum atque eloquentium cœtus ſimplici diſputatione victos ſe eſſe, credentium exemplo manifeſtarunt.* Hæc S. Ambroſius.

Quartò, Scriptores Vitæ ſancti Dionyſij Areopagitæ, idem de vxore eius Damari tenent & ſcribunt. Teſtes Hilduinus, Vincentius Bellouacenſis, Petrus Equilinus Epiſcopus, & alij. *Qui protinus ſurgens*, inquit Hilduinus, *cum omni domo & vxore ſuâ Damari, quam vt ſumeret, more terrenæ nobilitatis, propter amorem ſuſcipiendæ charæ ſobolis, eum ſui coëgere parentes, ad mandata properat ſancti Pauli.*

Vide & Baptiſtam Mantuanum libro 1. De conuerſione, vitâ & paſſione ſancti martyris Dionyſij.

Et vero eſt ſimillimum, antiquiſſimos Vitæ ſancti Dionyſij Scriptores, vel ex ipſis Athenarũm archiuis, vel ex maiorum traditione de ſancti Dionyſij coniugio cognouiſſe. Item ſanctum Ioannem Chryſoſtomum, diu Athenis verſatum, non potuiſſe de primo vrbis eius Epiſcopo id ignorare. Accedit auctoritas S. Maximi, cuius exſtant in Dionyſium Græca σχόλια, breuia illa quidem, ſed docta. Hic igitur in Præfatione ſuâ non obſcurè indicat, in Actis Apoſtolorum non modò Dionyſij Areopagitæ factam eſſe mentionem, ſed & domus ipſius, ſiue familiæ.

Atqui non poteſt dici alibi facta eſſe mentio familiæ, quàm in nomine *Damaris*, & eorum qui crediderunt cum eis, id eſt, cum heris ſuis Dionyſio & Damari. Verba autem ſancti Maximi, poſtquam dixit dignitatem Dionyſij, à ſancto Lucâ ſignificatam voce illâ *Areopagita*, ſunt hæc: Ἐπιβάλλω δὲ μᾶλλον, ὅτι διά τε τὸ κατὰ σοφίαν περιττὸν, καὶ διὰ τὸ ἐν Ἀθηναίοις ἀνεπιλήπτου πολιτείας ἔκκειτον, μνημονευθῆναι μετὰ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. *Adiicio autem amplius*, inquit, *propter eximiam eius ſapientiam, & inter Athenienſes inculpatæ vitæ præſtantiam, mentionem ipſius factam eſſe cum domo ſuâ*, id eſt, non tantùm ipſius, ſed etiam domus ſuæ. Quæ ſcilicet tum vera & plena eſt laus & gloria alicuius patrisfamilias, cùm non ipſe tantùm, ſed eius domus tota, frugi eſt & benè morata, vxor ſcilicet, liberi, famuli, ancillæ, & ſi qua alia neceſſitudo cohabitat.

1 IGITVR INTER ARCHONTAS.] Hi fuerunt magiſtratus nouem virorum. Nomina erant, *Rex*, *Archon*, *Polemarchus*, & *Theſmothetæ* ſex. Quorum qui rectè fuiſſent functi magiſtratu, in Areopagum aſcendebant, non qui ſecùs. De his ita Maximus in Præfatione ad ſanctum Dionyſium: Ἐκ γὰρ τῶν ἐννέα καθισταμένων Ἀρχόντων Ἀθήνησιν τοὺς Ἀρεοπαγίτας ἔδει συνεστάναι δικαστὰς, ὥς φησιν Ἀνδροτίων ἐν δευτέρᾳ τῶν Ἀτθίδων. Ὕστερον δὲ πλειόνων γέγονεν ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ, τουτέστιν, ἡ ἐξ ἀνδρῶν περιφανεστέρων πεντήκοντα καὶ ἑνὸς, πλὴν ἐξ εὐπατριδῶν, ὡς ἔφημεν, καὶ πλούτῳ καὶ βίῳ σώφρονι διαφερόντων, ὡς ἱστορεῖ Φιλόχορος διὰ τῆς τρίτης τῶν αὐτῶν Ἀτθίδων. *E nouem viris enim, qui Athenis Archontes conſtituti erant, Iudices Areopagitas (vt inquit Androtion in ſecundâ Atticarum) conſtare oportebat: poſteà verò è pluribus conſtitit Areopagi Senatus, id eſt, è viris illuſtrioribus quinquaginta vno, ſed nobilibus tamen, vti diximus, & diuitiarum copiâ vitæque modeſtiâ excellentibus, quemadmodum Philochorus in tertiâ earumdem Atticarum memorat.* Vide etiam Plutarchum in Solone. Tractat autem fusè de Archontibus & Areopagitis Carolus Sigonius libro 2. De republicâ Athenienſium, ſub finem. De Archontibus meminit & Demoſthenes in Oratione aduerſus Leptinem, vbi ſub initium hanc citat legem: Ἀτελῆ δ' οὐ μηδένα εἶναι τριηραρχίας, πλὴν τῶν ἐννέα Ἀρχόντων. *Triremis inſtruendæ nemo ſit immunis præter nouem Archontas.* Meminit & Plutarchus in Pericle, vbi de eo ſic ſcribit: Καὶ ταχὺ θεωρικοῖς καὶ δικαστικοῖς λήμμασιν ἄλλαις τε μισθοφοραῖς καὶ χορηγίαις συνδεκάσας τὸ πλῆθος, ἐχρῆτο κατὰ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς, ἧς αὐτὸς οὐ μετεῖχε διὰ τὸ μήτ' Ἄρχων, μήτε Θεσμοθέτης, μήτε Βασιλεὺς, μήτε Πολέμαρχος λαχεῖν,

αὐτ-

αὗται γὰρ αἱ ἀρχαὶ κληρωταὶ ἦσαν ἐκ παλαιοῦ, καὶ δι' αὐτῶν οἱ δοκιμασθέντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον. *Et breui theatralibus & iudicialibus sportulis atque aliis mercenariis donis ac largitionibus corrupta plebe vsus est aduersus Areopagi curiam, cuius ipse pars non erat, quod nec Archon, nec Thesmothetes, nec Rex, nec Polemarchus sortitò cooptatus esset. Hi enim magistratus sortitò antiquitus creabantur, & per hos postquam probati fuissent, in Areopagum ascendebant.* Ita Plutarchus.

Omnium Archontum munia atque officia tam in communi quàm in particulari scribit accuratè & distinctè Pollux in Onomastico, libro 8. Vbi nota, in Græcis vertendis non prorsus felicem fuisse isto loco interpretem; vt cùm statim initio ista, Καὶ ὅσα κοινῇ καὶ ἰδίᾳ πράττει ἕκαστος αὐτῶν, sic vertit, *Et quæcumque tam publicè quàm priuatim singuli faciunt*, cùm vertendum fuerit, *& quæcumque tam communiter quàm speciatim eorum vnusquisque facit.* Nam differunt *communiter* & *publicè*, sicuti etiam *priuatim* & *speciatim*, vt omnibus notum: siquidem multa possunt fieri *communiter*, à tribus verbi gratiâ, in secreto & occulto, quæ non possunt dici fieri *publicè*: & contrà quod *publicè* fit ab vnico è Magistratu, non potest dici fieri *communiter*. Ita quoque de vocibus *priuatim* & *speciatim* ratiocinandum. Adde, ex ipso Polluce hæc dilucescere: quippe qui primò exponit ea quæ omnibus Archontibus sunt communia, deinde descendit ad ea quæ singulis sunt propria & specialia, videlicet quæ Thesmothetis, quæ Archonti, quæ Regi, quæ Polemarcho. Nam vocabulum *Archon* semel generatim accipitur, semel speciatim. Sicut in Angelorum nominibus nomen *Angeli* nunc commune est omnibus sanctorum spirituum hierarchiis, nunc speciale infimæ hierarchiæ extremis spiritibus.

m IN IVDICIO, QVOD ILLI ΔΟΚΙΜΑΣΙΑΝ, &c.] Extat Lysiæ Oratoris antiquissimi oratio sic inscripta, Περὶ τῆς Εὐάνδρου δοκιμασίας, *De Euandri probatione. In quâ oratione* (inquit Carolus Sigonius lib. 2. de Repub. Atheniensium) *Euandrum defendit.*

Verùm, saluâ Sigonij pace, non defendit Lysias Euandrum, sed accusat, vt patet legenti Orationem, adeoque ex his ibidem ipsius Lysiæ verbis: Καὶ μηδεὶς ὑμῶν ἡγείσθω με Λαοδάμαντι χαριζόμενον κατηγορεῖν Εὐάνδρου, ὅτι φίλος ὢν τυγχάνει, ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῆς πόλεως προνοούμενον. *Ac nemo vestrûm arbitretur me in gratiam Laodamantis, quòd mihi amicus sit, accusare Euandrum, sed vt vobis atque vrbi prospiciam.* Falsus est Sigonius in significatis vtriusque vocis δοκιμασίας & *probationis*, quæ hîc non significant *approbationem*, sed *iudicium* sic appellatum, in quo scilicet probabatur quispiam recténe suo functus magistratu esset, an secùs. Eadem voce δοκιμασίας tali in significatu vtitur & Isocrates in suâ Areopagiticâ, vt paulò inferiùs citabitur. Non licuisse autem omnibus Archontibus in Areopagitarum ordinem ascendere, liquet ex secundâ Oratione Demosthenis contra Aristogitonem, sub initium: vbi innuit, non semper omnes Thesmothetas (idem verò est iudicium de ceteris Archontibus) admitti in Areopagum, his verbis: Τοῦτο δὲ ὅσοις τῶν θεσμοθετῶν εἰς Ἄρειον πάγον οὐχ οἷόν τ' ἐστὶν ἀνελθεῖν, παρέντες τὸ βιάζεσθαι στέργουσιν ἐμμένοντες τῇ ὑμετέρᾳ γνώσει. *Hoc autem, quotquot è Thesmothetis in Areopagum non datur ascendere, omissâ violentiâ, boni consulunt, vestris cognitionibus acquiescentes.* Quibus verbis insinuatur, Athenienses de moribus Thesmothetarum cognoscere solitos, antequam in Areopagum ascendere permitterent; & aliquos nonnumquam, qui non satis se probassent, fuisse ab iis præclusos, nec vi aduersus iudicia vsos. Tulit enim Solon legem, vt non priùs ascenderent in Areopagum, quàm bis probati essent, semel in populi iudicio, vt auctor est Demosthenes aduersus Leptinem: vbi dicit eos δὶς δοκιμασθέντας ἄρχειν, ἔν τε τῇ βουλῇ, καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ.

Ad quem locum ita Vlpianus: Οἱ θεσμοθέται τὸν ἐνιαυτὸν ἦρχον· δεύτερον δὲ ἐδοκιμάζοντο, διὰ τὸ ἐκεῖθεν εἰς τὸν Ἄρειον πάγον ἔρχεσθαι, εἰ μή τις μεταξὺ διεβέβλητο, ἕως δὲ θανάτου ἔμενον οἱ Ἀρεοπαγῖται. *Thesmothetæ annuum gerebant magistratum: secundò autem probabantur, eò quòd inde ad Areopagum tenderent, nisi quis intereà crimen aliquod intendisset: manebant verò Areopagitæ vsq; ad obitum.* Libanius verò clarissimè in argumento ad Orationem Demosthenis contra Androtionem: Οἱ θεσμοθέται ἐνιαυτὸν μόνον ἦρχον περὶ τῆς ἀρχῆς κρινόμενοι περὶ τοῦ προλαβόντος παντὸς βίου, καὶ εἰ μὲν εὑρέθησαν ἐν πᾶσι δίκαιοι, ἦρχον τὸν ἐνιαυτόν· εἶτα πάλιν μετὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκρίνοντο, εἰ καλῶς ἐν αὐτῷ ἦρξαν, καὶ εἰ δικαίως ὤφθησαν ἄρξαντες, προσετίθεντο τῇ βουλῇ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν. *Thesmothetæ annum dumtaxat magistratu fungebantur, ante quem, in totam anteactam vitam inquirebatur: quòd si in omnibus iusti comperiebantur, eum annum imperabant; quo finito rursus fiebat de illis iudicium, recténe imperassent; atque si iustè imperasse constaret, adscribebantur Senatui Areopagitarum.*

n IN SANCTISSIMVM AREOPAGI CONSILIVM.] Sic vocat Valerius Maximus lib. 2. cap. 6. vbi de Athenis scribens, *Est & eiusdem vrbis*, inquit, *sanctissimum consilium Areopagus, vbi quid quisque Atheniensium ageret, aut quonam quæstu sustentaretur, diligentissimè inquiri solebat: vt homines honestatem (vitæ rationem memores reddendam esse) sequerentur.* Idem lib. 5. c. 5. vocat Areopagum *diuini atq; humani certaminis venerabile domicilium*: diuini quidem, eò quòd Mars ibi iudicatus sit, cùm homicidium admisisset, vnde & nomen sumptum. Nam Ἄρειος πάγος, id est, *Martis curia*, vti & Iuuenalis appellat Satyrâ 11. vbi de occultandis Areopagitarum exemplo arcanis atque consiliis hunc dedit versum:

Ergo occulta teges, vt CVRIA MARTIS *Athenis.*

Qui versus prouerbij loco vsurpatur, dum amico commendatur consilij cuiuspiam aut rei tacendæ occultatio. Optimè enim reticebant Areopagitæ sui arcana consilij. Vnde & illud adagium, *Areopagitâ taciturnior*. De quo nomine videri etiam potest sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. Epistol. 91. & 92. Nullum vmquam consilium Areopago creditur fuisse iustius, seuerius, constantius, de quo inter alia Demosthenes aduersus Aristocratem,

 Hoc

Hoc autem, inquit, *ad Areopagi laudem accedit, quòd nemo hîc vmquam vel reus damnatus, vel actor superatus, ostendere potuerit, sententiam perperàm fuisse latam.* Græca sic habent: Πρὸς δὲ τούτοις τοιούτοις οὖσιν ἐνταυθοῖ μόνον οὐδεὶς πώποτε, οὔτε φεύγων ἁλοὺς, οὔτε διώκων ἡττηθεὶς ἐξήλεγξεν, ὡς ἀδίκως ἐδικάσθη τὰ κριθέντα. Marcus Tullius libro 1. ad Atticum, Epistolâ 13. Senatum Romanum pro testimonio maximæ laudis cum Areopago comparat his verbis: *Romanæ autem res sic se habent: Senatus* Ἄρειος πάγος, *Nihil constantius, nihil seuerius, nihil fortius.* De Areopagitis vide plura apud Isocratem in Oratione Areopagiticâ, & apud Lucianum in Anacharside, siue, De gymnasiis.

Ne autem fallaris, memento, apud Baronium ad annum Christi 52. nonnulla de Areopagitis ex Budæo in Pandectas, vt apparet, sumpta reperiri, sed quædam malè & aliter quàm à Budæo citata, & quædam item malè intellecta: è quorum numero est illud, quod ibi habet his verbis: *Accedebat & illud, quòd qui talis visus in eum ordinem obrepsisset, nec qualem præ se ferebat aspectus, inuentus esset, nullis meritis, sed tantùm genio (vt aiunt) impellente, ab Areopagitarum numero sponte discedere cogeretur.* Primò igitur, quòd illa attribuit Luciano in Hermotimo, nihil sanè illic apud Lucianum est eiusmodi. Secundò, cùm accepisset ista Budæus ex Isocratis Oratione Areopagiticâ, & paulò ante citatum Isocratem citasset aliâ in re Lucianum in Hermotimo, eorum excerptor, non animaduersâ posteriore citatione, existimauit omnia ad Lucianum in Hermotimo referri. Tertiò Budæi verba malè sunt intellecta. Nec enim dicit Budæus (vti nec Isocrates, cuius ipsissima verba mox proferam) *aliquem nullis meritis, sed tantùm genio impellente ab Areopagitarum numero sponte cogi discedere:* sed dicit sic, *obseruatum esse, eos, qui moribus alioquin intolerandis anteà fuisse videbantur, si quouis modo fortè ad Areopagiticum consilium irrepsissent, tum demum temperare sibi solitos esse; & tamquam loci genio afflatos ex ingenio suo migrare (vt Plauti verbis vtar) malleque institutis tanti consilij, quàm insitis sibi vitiis, aut etiam ingeniis insistere.* Sic Budæus. Quod ergo dixit Budæus, *ex ingenio suo migrare*, interpretatus videtur Baronius, *Ab Areopagitarum numero sponte discedere.* Atqui alius planè sensus Budæi verborum est, nempe hic, *pristinos prauos mores deserere, & viuere cum Areopagitis, moribus Areopagitarum*, siue, (vt Carolus Sigonius lib. 2. de Republicâ Atheniensium, sub finem, eumdem Isocratis locum interpretâs ait) *ex instituto potiùs Senatus, quàm ex suo vitam egisse.* Iam verba Isocratis, tam à Budæo, quàm à Sigonio citatis locis Latinè reddita, sic Græcè habent: Σημείοις δ᾽ ἄν τις χρήσαιτο περὶ τῶν τότε καθεστώτων, καὶ τοῖς ἐν τῷ παρόντι γιγνομένοις. Ἔτι γὰρ καὶ νῦν ἁπάντων τῶν περὶ τὴν αἵρεσιν καὶ τὴν δοκιμασίαν ταύτην καταλελυμένων, ἴδοιμεν ἂν τοὺς ἐν τοῖς ἄλλοις πράγμασιν οὐκ ἀνεκτοὺς ὄντας, ἐπειδὰν εἰς Ἄρειον πάγον ἀναβῶσιν, ὀκνοῦντας τῇ φύσει χρῆσθαι, καὶ μᾶλλον τοῖς ἐκεῖ νομίμοις ἢ ταῖς αὑτῶν κακίαις ἐμμένοντας. Τοσοῦτον ἐκεῖνοι φόβον τοῖς πονηροῖς ἐνειργάσαντο, καὶ τοσοῦτον μνημεῖον ἐν τῷ τόπῳ τῆς αὑτῶν ἀρετῆς καὶ σωφροσύνης ἐγκατέλιπον. Τὴν δὴ τοιαύτην, ὥσπερ εἶπον, κυρίαν ἐποίησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐταξίας. Quæ sic reddo:

Qualia tum fuerint Areopagi instituta, potest ex iis, quæ hodieque fiunt, capi coniectura. Nam & nunc quoque cunctis, quæ ad electionem & probationem spectant, relaxatis, nonnullos intuemur, tametsi aliis in rebus sint intolerabiles, tamen posteaquam in Areopagum ascenderint, vereri naturæ suæ ductum sequi, potiusque illius loci institutis, quàm vitiis suis acquiescere. Tantum illi metum improbis incusserunt, tantumque in eo loco virtutis suæ ac temperantiæ monumentum reliquerunt. Hanc igitur curiam, vt dixi, censuræ morum præfecerunt. Ita Isocrates. Ex quo patet, quàm diuersus sit eius sensus ab eo qui extat apud Baronium. Quòd verò ibidem additur: *Lucianus etiam in Hermotimo suâ quoque ætate Areopagitarum iudicio caussas definiri consueuisse tradit:* nusquam hoc tradit in Hermotimo Lucianus, qui in toto Dialogo nihil habet aliud, nisi hæc per transennam: nimirum, in eligendo Philosophiæ magistro *neq; ætatem dicentis spectandam esse, neque habitum, neque in Philosophiâ æstimationem, sed Areopagitas imitandos, qui noctu & in tenebris iudicant, vt non ad dicentes, sed ad dicta ipsa respiciant.* quæ ita Græcè: Μήτε ἡλικίαν τοῦ λέγοντος ἑκάστου, μήτε σχῆμα, ἢ δόξαν ἐπὶ σοφίᾳ αἰδούμενον, ἀλλὰ κατὰ τοὺς Ἀρεοπαγίτας αὐτὸ ποιοῦντα, οἳ ἐν νυκτὶ καὶ σκότῳ δικάζουσιν, ὡς μὴ ἐς τοὺς λέγοντας, ἀλλ᾽ ἐς τὰ λεγόμενα ἀποβλέποιεν. Ita Lucianus. Idem verò in Anacharside sub medium describit Areopagitarum morem in audiendis aut cohibendis in iudicio oratoribus: *Ingressi*, inquit, *in Areopagum, considunt cædis aut vulneris ex destinato inflicti, aut incendij caussam cognituri: deinde vtrique de iure contendentium dicendi copia permittitur: dicunt verò alternis vicibus, & qui litem intendit, & qui reus est, aut ipsi per se, aut Rhetorum sibi conducunt operam, quibus caussa oranda est. Illi ergo, quamdiu ea quæ ad rem sunt, dixerint, perferuntur à Senatu auscultante cum silentio: ceterùm, si quis meditato proœmio orationem exorsus fuerit, vt iudicum animos aliquâ beneuolentiâ sibi propensiores faciat, aut miserationem, aut præcipuam aliquam orationis vim atque potentiam caussæ adduxerit (qualia permulta Rhetorum filij machinantur, vt hisce verborum præstigiis Iudicum perstringant oculos) progressus actutum præco illi indicit silentium, non permittens Rhetori ad Senatum nugandi libertatem, ac verbis caussæ inuoluendæ potestatem, quò minùs Areopagitæ ea, quæ facta sunt, nudè queant perspicere.* Ita ibi ex versione interpretis. Nam Græca prolixitatis vitandæ studio præterij.

Sed de Areopagitis nemo meliùs & exactiùs scripsit, quàm Isocrates in suâ Areopagiticâ: vbi præter ea, quæ ex eo laudauimus, scribit Areopagitas cùm aliarum ætatum, tum potissimè adolescentiæ rationem habuisse, his verbis, & his de caussis: Ἁπάντων μὲν οὖν ἐφρόντιζον τῶν πολιτῶν, μάλιστα δὲ τῶν νεωτέρων. Ἑώρων γὰρ τοὺς τηλικούτους ταραχωδέστατα διακειμένους, καὶ πλείστων γέμοντας ἐπιθυμιῶν, καὶ τὰς ψυχὰς αὐτῶν παιδευθῆναι δεομένους ἐν ἐπιθυμίαις καλῶν ἐπιτηδευμάτων καὶ πόνοις ἡδονὰς ἔχουσιν. ἐν μόνοις γὰρ ἂν τούτοις ἐμμένειν αὐτοὺς ἐλευθέρως τεθραμμένους καὶ μεγαλοφρονεῖν εἰθισμένους. *Curam igitur gerebant, cùm omnium, tum verò adolescentium in primis. Videbant enim eam ætatem turbulentissimis fluctibus*

fluctibus agitari, & plurimis redundare cupiditatibus, maximeque necessarium esse sic institui, vt honestis studiis & laboribus voluptate temperatis delectari assuescerent. Eos enim, qui liberaliter edocti, & magnitudini animorum assuefacti essent, in solis illis rebus perseueraturos. Vide ibidem plura & pulchra.

o NISI QVEM SAPIENTIA.] Græca Syngeli sic habent: Οὐ γὰρ ἂν παρ' Ἀθηναίοις ἀγερώχοις εἰς ἀρχὴν προήκετο τοσαύτην, εἰ μὴ πρὸς τῇ σοφίᾳ καὶ τῇ τῶν φρενῶν εὐκοσμίᾳ, σωφροσύνῃ τε, καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ ἀνδρίᾳ, καὶ τῇ περιβλέπτῳ τοῦ γένους ὑπεροχῇ κατηγλάϊστο. Vbi procul dubio per illud τῇ τῶν φρενῶν εὐκοσμίᾳ intelligit *prudentiam*. Quod liquet ex eo, quòd reliquas tres virtutes morales subiungat, nempe temperantiam, iustitiam, fortitudinem: præmittat autem prudentiam, & coniungat cum sapientiâ: quòd vti sapientia res diuinas, sic prudentia res humanas respiciat cognoscatque. Quare Basilius Millanius Syngeli interpres, haud ita commodè videtur hoc loco reddidisse, τῇ τῶν φρενῶν εὐκοσμίᾳ, *animi ornamenta*: (tametsi etiam id aliàs significet) nec σωφροσύνῃ *prudentiam*, cùm potius *temperantiam* hîc reddere debuisset. Tum enim omnes virtutes viro Areopagitæ necessariæ indicatæ fuissent: nempe sapientia, iustitia, fortitudo, temperantia. Et sanè temperantia Platoni, Aristoteli, & aliis σωφροσύνη semper appellatur. Videtur porrò Syngelus ad locum Isocratis in Oratione Areopagiticâ respexisse, vbi sic scribit: Οὕτω γὰρ οἱ πρόγονοι ἡμῶν περὶ τὴν σωφροσύνην ἐσπούδαζον, ὥστε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἐπέστησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐκοσμίας, ἧς οὐχ οἷόν τε ἦν μετασχεῖν, πλὴν τοῖς καλῶς γεγονόσι, καὶ πολλὴν ἀρετὴν καὶ σωφροσύνην ἐν τῷ βίῳ ἐνδεδειγμένοις. ὥστε πάντων αὐτὴν εἰκότως διενεγκεῖν τῶν ἐν τοῖς Ἕλλησι συνεδρίων. Quæ Budæus in Pandectas sic reddidit: *Maiores autem nostri vsque eò studiosi temperantiæ fuerunt, vt consilium illud Areopagiticum moribus hominum componendis publicè præfecerint. In cuius numerum cooptari solis illis sperare licuit, qui claris natalibus orti, virtutis ac modestiæ documenta permulta honestate vitæ dederant. Ex quo tandem factum, vt consessus ille totius Græciæ haud immeritò longè sit præstantissimus.*

p ATQVE ADEO AB IPSIS ROMANIS.] Valerius Maximus rei huius testis est, qui lib. 8. cap. 1. sic scribit: *Materfamilias Smyrnæa virum & filium interemit, cùm ab ipsis iuuenem optimæ indolis, quem ex priore viro enixa fuerat, occisum comperisset. Quam rem Dolabella ad se delatam, Athenas ad Areopagi cognitionem relegauit: quia ipse neque liberare cædibus duabus contaminatam, neque punire eam iusto dolore impulsam sustinebat. Consideranter & mansuetè populi Rom. Magistratus, sed Areopagitæ quoque non minùs sapienter, qui inspectâ caussâ, & accusatorem & ream post centum annos adesse iusserunt, eodem affectu moti quo Dolabella.* Idem aliis verbis refert Gellius lib. 12. Noctium Atticarum, cap. 7. vide ibi.

CAPVT II.

Dionysij ab erroribus ad fidem conuersio.

MVLTIS [a] demum pòst annis, quàm ista Solis defectio, de quâ superiùs memoratum est, apparuerat, S. Paulus orbem terrarum fulguris ac tonitrui instar peragrans, & modò cunctas Græciæ oras suâ sanctioris vitæ atque doctrinæ luce collustrans, Athenas quoque peruenit: vrbem, si quam aliam, omni prauæ superstitionis genere, & deorum non notorum modò, sed etiam ignotorum insano cultu longè famosissimam: vrbem, quam omnes artes & scientiæ, ac præsertim vniuersæ Philosophorum sectæ, velut vnicum totius sapientiæ vmbilicum, densis agminibus obsidebant: vrbem denique, vbi & ciues & aduenæ (quod ipse S. Lucas non frustrà annotauit) *ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui*, hoc est rumorum colligendorum aut spargendorum, siue quarumcumque demum nouarum rerum curiosissimam: vt proinde Apostolo seminandi verbi (vnde & *seminiuerbius* illis est appellatus) cupido numquam frequens deesse posset voluntariorum ad noua & inaudita mysteria confluentium multitudo. Hîc igitur cùm haud secus quàm alibi fecerat, firmo fidentique animo sanctum Christi Euangelium palàm annuntiaret, felici prorsus sorte, nec sine Deo euenit, vt tum Dionysius de stupendâ illâ Solis obscuritate, tam ex eiusdem Pauli verbis quàm ex aliorum scriptis atq; sermonibus, in Christianâ scholâ, quod tantopere olim desiderauerat, certiùs cognosceret. [b] Paulum enim id temporis Christi Domini vitam, mortem, resurrectionem, coram Iudæis, Epicureis, Stoicis, aliisque quibuslibet, iam in foro, iam in synagogis, iam vbi sors dederat, publicè priuatimque, magnâ cum libertate atque constantiâ quotidie prædicantem, quidam apprehensum tamquam inauditæ auctorem superstitionis, & nouorum dæmoniorum annuntiatorem, ad Areopagum (cuius erat de religionibus ac cærimoniis iudicare) protinus adduxerunt. [c] Nam licet Romanis omnia tum subessent, Atheniensibus tamen & Lacedæmoniis sua iura & magistratus in integro, vt antiquitus, relicta erant. Hinc & Pauli caussa non ad Romanum prætorium, sed ad præcipuum illud Athenarum tribunal spectabat. [d] Stans igitur Paulus in medio Areopagi, cælestem

Atheniensiũ mores.

Act. 17, 21

Paulus ad Areopagum ductus.

cæleſtem planè & diuinitus inſpiratum ſermonem, temporique & auditoribus quàm maximè conuenientem, ducto ab eorum aris & delubris exordio, ingenti cum fiduciâ habuit, nempe ſibi per vrbem Athenienſem, & loca ipſis religioſa pertranſeunti, & antiquas Deorum ſtatuas & ſimulacra diligentiùs attendenti, aram vnam inter alias occurriſſe, in quâ inſcriptum eſſet: [e] IGNOTO DEO. Cùm enim Athenienſes, [f] tam ex antiquiſſimorũ Philoſophorum ac Poëtarum libris, [g] quàm è Sibyllinis oraculis vnum aliquem eſſe Deum percepiſſent, inaſpectabilem, innominatum, ineffabilem, ne illum ipſi fortaſſe, aut alium quempiam magnorum deorum ac numinum debitis honoribus defraudarent, aram eo titulo erexerant. Quare quod ipſi ignorantes colerent, hoc ſe illis annuntiare Paulus proclamabat: ipſorũq; adeò Poëtarum, quos illi permagni facerent, teſtimoniis, & quibuſdam receptæ Philoſophiæ doctrinis vſus, ita ſenſim ad ſapientiorum animos peruaſit, vt cùm alij, tum ipſe Dionyſius aliorum apex, & inſtar multorum, eius adhærere fidei, doctrinæque decreuerit. [h] Nec opus miraculis atque prodigiis viro docto atque ſapienti fuit (quæ tamen haud defuiſſe, nonnulli Auctores ſcribunt) ſed doctis tantùm & ſapientibus dictis: quæ vbi ex ore Pauli audiuit, confeſtim illi ſe ſubmiſit. Sic enim Paulus loquebatur: *Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. Præteriens enim, & videns ſimulacra veſtra, inueni & aram in quâ ſcriptum erat:* IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cùm ſit Dominus, non in manu factis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cùm ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia. Fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum: quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inueniant: quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrûm. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis & cogitationis hominis Diuinum eſſe ſimile. Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant: eò quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.* Hæc ſumma orationis, quam beatus Paulus pro fidei ſuæ defenſione, & Chriſti honore, in Areopago habuit: quæ quibuſdam quidem (vt ſæpenumerò in rebus quoque optimis accidit) riſui atque ludibrio, nonnullis ſtupori atque admirationi, aliquibus verò honori ac venerationi fuit. Nam in Iudicis Dionyſij animam, velut in terrâ optimam, profundè illapſa, in eximiæ pietatis ac ſanctimoniæ arborem ſe extulit, in quâ & cæli aues, hoc eſt, Athenienſium primò, deinde & Francorum, aliorumque deinceps populorum conuerſæ ad Deum mentes nidificarent. Illo enim ipſo tempore, [i] anno ſcilicet ætatis ſuæ circiter quadrageſimo tertio, iſtis aliiſque efficacibus Pauli verbis, cum illius præſertim admirandæ eclipſeos memoriâ adhuc animum ſtimulante collatis, ad Chriſti fidem perductus eſt. [k] Magnum ſanè opus diuinæ gratiæ: negari non poteſt: tamen vt trahenti Deo minùs repugnaret, ipſa ſuæ Philoſophiæ ſecta (erat enim [l] Platonicus) non parum adiutabat. [m] Nam Epicurei quidem & Cynici, toti in voluptatibus, toti in ſordibus, atque ad nihil aliud ferè, quàm ad faceſſendum generoſis animis negotium, nati, lõgiſſimè à moderatis Chriſtianæ fidei inſtitutis aberant. Platonici autem, præſertim eruditiores, (è quibus ſe eſſe ſuo iure gloriari poterat Dionyſius) [n] non pauca diuinæ legi docebant conſimilia. Nam animæ immortalitatem, & iudicium, & præmia & pœnas, quæ maximi inter alia ſunt momenti, inter ſua primæ auctoritatis ſcita habuerunt. His igitur frequentiſſimè cùm Apoſtoli, tum alij Doctores, & nunc etiam Paulus, ad ſalubrem incutiendum timorem, qui initiũ eſt ſapientiæ, vtebantur. Dionyſij porrò eâdem ipsâ viâ deductionem ad Chriſtum, ipſa Apoſtolorum Acta diſertè teſtantur: vbi poſt recitatam beati Pauli in Areopago orationem (cuius extrema verba iudicij & reſurrectionis mentionem induxerant) ita ſubditur: *Cùm audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant: quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterùm. Sic Paulus exiuit de medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei crediderunt: in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis:* nimirum ij præcipuè, qui ex Dionyſij domo familiaque erant, & qui inuitatum in ædes Paulum, ſuper nouâ Chriſti doctrinâ, & vnius veri Dei cultu, ſapientiſſimè diſputantem, & propoſitis quæſtioni-

Ara ignoti Dei.

S. Pauli oratio. Act. 17.

Vide S. Chryſoſt. Homil. 10. ad Populũ Antiochenum, ſub finem.

Orationis S. Pauli fructus.

Dionyſius ante ſuſceptam fidem fuit ſecta Platonicus.

Platonicorum ſcita fidei conformia.

Actor. 17.

quæstionibus sine morâ & hæsitatione respondentem, satisque facientem audiuerāt atque suspexerant. Ita vir tanti nominis & gloriæ (quippe cùm omni eruditus politicâ liberalique doctrinâ, tum genere, opibus, dignitate, cunctis denique quæ vehementiùs demiratur genus mortaliū, multò florentissimus) homini extraneo, pauperi, despecto, multisq; etiam irriso, sese post tanta profanarum inflantiumque scientiarum decora, rudem discipulum, ac nouæ humilisque doctrinæ tironem atque auditorem tradidit. Neque tam grandi natu virum in aquæ expiatoriæ lauacrum descendere, & modò geniti infantis ritu, in Christo renasci ac repuerascere, nouaq; Christianæ disciplinæ elementa, tam Areopago dissentanea, puduit piguitve condiscere. Nimirum ea vis est diuini verbi, ea Patris vniuersorum ad se attrahentis efficacia, ea deniq; Spiritus sancti voluntatem humanam inter nosq; affectus commouentis operatio, vt vnà cum fide subeat confestim, depulsis vitiis, integer amicarū virtutum chorus; & qui paulò antè sui amans, superbus, arrogans, litigiosus, intemperans, aut aliter vitiosus cernebatur, idem nunc acceptâ nouæ religionis formâ, & salutari ablutus lauacro, velut alter homo, & antiquis exutus vitiis, sui contemptor, modestus, demissus, pacificus, castus, aliisque virtutum ornamentis clarus, & cunctis charus agnoscatur. Quod non solùm in Dionysio, sed in plurimis quoque aliis & olim cernere licuit, & nunc in barbararum gentium conuersione licet liquidò animaduertere. Tantum scilicet prima fidei eruditio & Ecclesiæ Baptismus in animos possunt. Quæ sanè tam magna & tam sancta morum commutatio haud minùs hodie in admirabili venerandæ Eucharistiæ Sacramento, quàm in salutifero Baptismate haberet locum (est enim Eucharistia illo sanctior & gratiis fecundior) si quo modo ad hoc, ita ad illam ab æquè sollicitis & benè comparatis animis adiretur. Et fieret id fortasse, si, vt Dionysio & Hierotheo (quibus ea *Sacramentum sacramentorum* appellata est) eius nobis dignitas magis perspecta foret, & cordi ampliùs inhæreret. Verùm hæc aliàs. Est enim propius quiddam aliud, quod circa Dionysij accessum ad fidem tractandum est. Nam quærere possit quispiam: nullúsne in vrbe Atheniensi, aut etiam in ipso Areopago motus, ex talis tantique viri abscessu, factus sit: nulláne in eum accusatio, tamquam in deorum desertorem adornata, nihilne denique impietatis nomine (sic ipsis noua religio denotabatur) seu damni illatum, seu insidiarum structum, seu calumniarum intentatum. His enim si appetitus est Dionysius, & cunctis superior fuit; nec sanè illaudatus præteriri debet, & prò exemplo est proponendus. Id igitur modò agendum.

Fidei Christianæ efficacia.

Eucharistia Baptismo sanctior.

Dionysius lib. de Eccles. Hier. cap. 3.

NOTATIONES.

a MVLTIS DEMVM POST ANNIS.] Anno nimirum Christi 52. aut circiter: quandoquidem à pluribus recipiatur illa sententia, quæ S. Dionysij ad Christum conuersionem ad annum à Christi passione vndecimum refert.

b PAVLVM ID TEMPORIS.] Patent hæc è capite 17,17. Actuum Apostolorum, vbi de eo his verbis: *Disputabat igitur in Synagogâ cū Iudæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant. Quidam autem Epicurei & Stoici Philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiuerbius hic dicere? Alij verò, Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Iesum & resurrectionem annuntiabat eis. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire quæ est hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina? Noua enim quædam infers auribus nostris. Volumus ergo scire, quidnam velint hæc esse.* Ita ibi.

c NAM LICET ROMANIS OMNIA TVM SVBESSENT.] Auctor est Maximus in Prologo ad Opera S. Dionysij his verbis: Κἂν γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τότε ἐκράτουν, ἀλλ᾽ οὖν αὐτονόμους ἀφῆκαν Ἀθήνας, καὶ Λακεδαιμονίαν. Ὅθεν ἔτι παρὰ Ἀθηναίοις καὶ τὰ κατὰ τοὺς Ἀρεοπαγίτας ἐπολιτεύετο. *Tametsi enim Romani tum dominarentur, tamen Athenas & Lacedæmonem suis vti legibus permiserant. Vnde etiam tum apud Athenienses Areopagitæ suo munere fungebantur.* Eadem refert Simeon Metaphrastes in Vitâ eiusdem S. Dionysij: Εἰ γὰρ καὶ Ῥωμαῖοι πάντων τότε ἐκράτουν, ἀλλ᾽ Ἀθηναίους καὶ Λακεδαιμονίους αὐτονόμους ἀφῆκαν. Idem planè sensus, qui verborum Maximi. Adferunt autem hæc per occupationem rhetoricam: quia nimirum obiici potuisset, S. Paulum non Areopago, sed potestati Romanæ omnia tunc regenti fuisse sistendum, sicut in Bithyniâ Plinio Prætori sistebantur Christiani.

d STANS IGITVR PAVLVS IN MEDIO AREOPAGI.] In Actis Apostolorum cap. 17,19. *Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire, quæ est hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina?* Ductus similiter ad Areopagum fuerat olim Socrates, & quidem (quod sanctus Iustinus testatur) eiusdem, cuius Paulus, criminis accusatus. Sic enim de eo in Apologiâ ad Senatum, post medium: Σωκράτης τὰ αὐτὰ ἡμῖν ἐνεκλήθη. Καὶ γὰρ ἔφασαν αὐτὸν καινὰ δαιμόνια εἰσφέρειν, καὶ οὓς ἡ πόλις νομίζει Θεοὺς, μὴ ἡγεῖσθαι αὐτόν. *Socrates eorumdem criminū est insimulatus, quorum nos. Etenim illū dixerūt noua introducere dæmonia: & quos vrbs Deos esse censet, eum nō putare.* Et paulò pòst dicit eumdē Socratem cohortatum fuisse populares ad cognitionē Dei ignoti, sic scribens: Πρὸς Θεοῦ τοῦ ἀγνώστου αὐτοῖς διὰ λόγου ζητήσεως ἐπίγνωσιν προὐτρέπετο εἰπών. Τὸν δὲ Πατέρα καὶ δημιουργὸν πάντων οὔθ᾽ εὑρεῖν ῥᾴδιον, οὔθ᾽ εὑρόντα εἰς πάντας εἰπεῖν ἀσφαλές.

Ad Dei autem ipsis ignoti cognitionem, per rationis inuestigationem cohortatus est dicens: Patrem verò & omnium opificem, nec inuenire facile, nec inuentum ad omnes diuulgare securum est. Et mox subiicit Christum ex parte cognitum à Socrate, in illis verbis: Χειστῷ δὲ τῷ καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους γνωσθέντι. Quod ideò fortè dicit, quòd saltem confusè videatur Socrates Deum vnum agnouisse, & ita Christum quà Deus est.

Et in Apologiâ ad Antoninum Pium Imp. sub initium, dicit, mortem eiusdem Socratis à dæmonibus per homines improbos fuisse procuratam. Καὶ αὐτοὶ οἱ δαίμονες διὰ τῶν χαιρόντων τῇ κακίᾳ ἀνθρώπων ἐνήργησαν, ὡς ἄθεον καὶ ἀσεβῆ ἀποκτεῖναι, λέγοντες καινὰ εἰσφέρειν αὐτὸν δαιμόνια. *Et ipsi dæmones effecerũt per homines malitiâ gaudentes, vt tamquã atheus & impius occideretur, dicentes noua illũ inducere dæmonia.* Quæ autem Socratis ad mortem proficiscentis vltima fuerint in Areopago verba, recitat idem Iustinus in Parænesi ad Græcos sub finem: Ἔφη γὰρ οὕτως· Ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι· ἐμοὶ μὲν τεθνηξομένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις. Ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἐπὶ τὸ ἄμεινον πρᾶγμα ἔρχονται, ἄδηλον παντὶ, πλὴν ἢ τῷ Θεῷ. Hæc è Platone desumpta in Apologiâ Socratis, prorsus in fine, ita Latinè vertit Cicero lib. 1. Tuscul. quæst. sub finem: *Sed tempus est,* inquit, *vt moriar, vos vt vitam agatis. Utrum autem sit melius, dij immortales sciunt, hominem quidẽ scire arbitror neminem.* Iustinus quidem ipsa verba Platonis vsurpauit, exceptâ voce vnâ τεθνηξομένῳ, pro quâ in Platone est ἀποθανουμένῳ, eiusdem significati. Sed Cicero in suâ Latinâ versione multùm in vnâ voce aberrauit, cùm pro *Deus scit*, vti habet Plato, reddidit, *dij immortales sciunt.* Negabat enim Socrates deos immortales, & vnum solum Deum asserebat, pro quo & moriebatur. Itaque non cõueniebat vt diceret, *dij immortales sciunt*, quod neque dixit; sed, *Deus scit.* Propterea que imprudenter à Tullio est Latinè redditũ, *dij immortales sciunt.* Subiecit Iustinus post Socratis verba iam laudata: Ἀλλὰ Σωκράτης μὲν ταύτην ὑστάτην ἐν τῷ Ἀρείῳ πάγῳ φωνὴν ἀφεὶς, ἐπὶ τὸ δεσμωτήριον ὥρμησε, τῷ Θεῷ μόνῳ τὴν τῶν παρ' ὑμῖν ἀδήλων πραγμάτων ἀναφέρων γνῶσιν. *Verùm Socrates hac extremâ in Areopago editâ voce, in carcerem properauit, soli Deo incertarum nobis rerum notitiam tribuens.* In Cohortatione porrò ad Græcos, sub medium, ait, Platonem non ausum fateri veram de Deo doctrinam, ne idem sibi accideret quod Socrati. *Plato autem,* inquit, *acceptâ, vt videtur, Moysis & aliorum Prophetarum de vno & solo Deo doctrinâ, quam in Ægypto didicerat, propter ea quæ Socrati acciderant, veritus ne ipse quoque Anytum quempiam aut Melitum contra se apud Athenienses suscitaret, accusantem & dicentem, Plato iniustè agit, & curiosa tractat, deos, quos ciuitas recipit, non recipiens; cicutæ metu variam quamdam & fucatam de diis instituit orationem.* Et paulò pòst in eadem Apologiâ: *Hæc ergo cùm Plato in Ægypto didicisset, & iis quæ de vno Deo dicta erant admodũ delectatus esset, nominis quidẽ Moysis, (quòd vnum & solum Deum esse doceret) mentionẽ apud Athenienses inferre non tutũ putabat, Areopagũ veritus.* Euripides quoq; eodem quo Plato perculsus metu, vnum Deum apertâ fronte profiteri non est ausus, de quo vide Plutarchũ l. 5. De placitis Philosophorũ, c. 7. Quod igitur non est ausus Plato, non ausus Euripides, hoc ausus est Paulus, & multò ampliùs: & contemptu mortis non modò euasit ipse mortem, sed alios quoque à morte ad vitam traduxit.

e IGNOTO DEO.] Hieronymus in cap. 1. Epistolæ ad Titum, ita scribit: *Inscriptio autem aræ non ita erat, vt Paulus asseruit,* IGNOTO DEO, *sed ita, Diis Asiæ, Europæ, & Libyæ, diis ignotis & peregrinis. Verùm quia Paulus non pluribus diis indigebat ignotis, sed vno tantùm,* IGNOTO DEO, *singulari verbo vsus est, vt doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotauissent, & eum rectè scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant.* Ita ille.

Cui consentit Ioannes Hessels Doctor Louaniensis in suâ Censurâ Historiarum, cap. 10.

Verùm hæc sententia nullo modo recipienda est, cùm aduersetur verbis Pauli, & modo loquẽdi, cùm de inscriptionibus agitur, vsitato. Tum enim semper ipsissima verba citari solent, & ita citasse Paulum, ex eius loquendi formâ manifestò liquet. *Inueni & aram,* inquit, *in quâ scriptũ erat,* IGNOTO DEO. Nam si non fuisset scriptum, IGNOTO DEO, sed Ignotis diis, refelli Paulus potuisset, nec vim vllam eius argumentũ, aut certè haud magnam habuisset. Quare standum potiùs sententiæ S. Chrysostomi & aliorum antiquorũ Patrum, vno ferè excepto Hieronymo, & tenendum est, plures fuisse aras similibus ferè notis inscriptas, nempè alias Ignotis diis, alias IGNOTO DEO. De prioribus meminit etiam Tertull. lib. 1. Contra Marcionem, c. 9. *Inuenio,* inquit, *Ignotis diis aras prostitutas: sed Attica idololatria est. Itẽ Incertis diis, sed superstitio Romana est.* Iam verò aram Athenis IGNOTO DEO constitutam fuisse ob eclipsim tẽpore Passionis, tenet Petrus Comestor in Historiâ scholasticâ super Actis Apostolorum, nec improbabilem credunt Salmeron & Gaspar Sancius in eadem Acta Apostolorum cap. 17. Motos enim fuisse illos arbitrantur ad id faciendũ ex inspectâ miraculosâ eclipsi in morte Christi. Quod quamuis sit probabile, tamen probabilius est, iam olim ab aliis id factũ fuisse ex obscurâ cognitione Dei Iudæorum, cuius nomen dicebatur ineffabile, ac proinde ipse ignotus & incertus. De quo & Pompeius, domitis Iudæis, apud Lucanum libro 2. de Bello ciuili, sic ait:

Cappadoces mea signa timent, & dedita sacris
Incerti Iudæa Dei. —

Causa porrò erectæ talis aræ Ignotis diis, aut IGNOTO DEO, hæc à nonnullis affertur, quòd pestilitatis tempore, cùm facta ceteris diis, quos norãt, sacrificia nihil profuissent, veriti ne quem Deum inhonoratum reliquissent, qui proinde tanti mali causa esset, aram erexerunt, IGNOTO DEO, reque diuinâ ei factâ, mox sanati sunt. Exinde remanserunt ara & aræ inscriptio, quæ occasionem Paulo præbuerunt IGNOTI DEI, verè Dei, ipsis annuntiandi. Huius ignoti Dei mentionem inducit & Lucianus in Dialogo qui inscribitur, Φιλόπατρις ἢ Διδασκόμενος, *Philopatris,* seu, *Qui docetur.* vbi ita Critias: Ναὶ τὸν ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις, παρθένος διέμεινε μέχρι τῆς ἀποτομῆς. *Per ignotum Athenis, virgo permansit vsque ad decollationem.* Loquitur autem de Gorgone, cui Perseus caput amputauit. Et in fine eiusdem Dialogi: Ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον

ἐφευρόντες καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες τούτῳ εὐχαριστήσομεν. *Nos autem, cùm ignotum Athenis inuenerimus, & adorauerimus, ſublatis in cœlũ manibus ei gratias agemus.* Ita ibi Lucianus.

[f] EX ANTIQVISSIMORVM PHILOSOPHORVM.] Acmonis ſcilicet, Mercurij, Philemonis, Sophoclis, Orphei, Pythagoræ, & aliorum, teſte S. Iuſtino Martyre tam in Cohortatione ad Gentes, quàm in libro De Monarchiâ. Nam in illâ quidem extremâ ſic ſcribit: Εἰ δέ τις οἴοιτο παρὰ τῶν πρεσβυτάτων παρ' αὐτοῖς ὠνομασθέντων Φιλοσόφων τὸν περὶ Θεοῦ μεμαθηκέναι λόγον, Ἄκμωνός τε καὶ Ἕρμου ἀκουέτω. Ἄκμων μὲν ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ λόγοις πάγκρυφον τὸν Θεὸν ὀνομάζοντος. Ἕρμου δὲ σαφῶς καὶ φανερῶς λέγοντος, Θεὸν νοῆσαι μὲν ἐστι χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον, ᾧ καὶ νοῆσαι δυνατόν. *Sin quis opinetur, ab antiquiſſimis apud eos nominatis Philoſophis de Deo addiſcendam eſſe doctrinam, is Acmonem & Mercuriũ audiat. Illum quidem, in ſuis de eo libris Deum* πάγκρυφον, id eſt *prorſus occultum, appellantem; Mercurium verò, clarè ac manifeſtè dicentem: Deum intelligentiâ aſſequi difficile eſt; eloqui autem haud poſſibile, ne illi quidem, cui poſſibile ſit mente aſſequi.* In libro autem De Monarchiâ Dei hos citat verſus inter alios:

Sophoclis. Εἷς τῶν ἀληθείαισιν, εἷς ἐστιν Θεός.
Vnum profectò Numen, vnus eſt Deus.

Citat eumdem verſum Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis, ſub initium.

Philemonis. Θεὸν δὲ ποῖον, εἰπέ μοι, νομιστέον;
Τὸν πάντ' ὁρῶντα, καὐτὸν οὐχ ὁρώμενον.
Dic, quæſo, qualis æſtimandus eſt Deus?
Qui cuncta ſpectet, nemini aſpectabilis.

[g] E SIBYLLINIS ORACVLIS.] De his vide lib. 2. S. Theophili Patriarchæ Antiocheni, ſub initium, vbi hæc inter alia:

Εἷς Θεὸς, ὃς μόνος ἄρχει ὑπερμεγέθης, ἀγένητος,
Παντοκράτωρ, ἀόρατος, ὁρῶν μόνος αὐτὸς ἅπαντα.
Vnus, qui ſolus regnat, Deus, atque ſupremus,
Ingenitus, cunctis dominans, qui cernere cuncta
Eualeat, quamuis non aſpectabilis vlli.

Hieronymus quoque in cap. 16. Ezechielis, ad illud, *Et coronam decoris in capite ſuo*, docet, Dei maieſtatem, cuius nomen eſt ineffabile, non penitus ignotam fuiſſe Gentilibus. *Cuius*, inquit, *maieſtatem etiam gentilitas non ignorat, & Athenienſium teſtatur ara*, IGNOTO DEO.

IPSORVMQVE ADEO POETARVM.] Nam illa quæ in Pauli oratione afferuntur, *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*; & rurſus illa, *Ipſius enim & genus ſumus*, cùm in Arato Poëta antiquiſſimo ac laudatiſſimo, partim ſenſu partim verbis reperiantur; tum etiam in aliis, quibus Apoſtolus citandis ſuperſedit. Aratus quidem ſua ſic orſus eſt Phænomena.

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον. Μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα
Καὶ λιμένες. Πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. ———
Ab Ioue ducamus primordia, néve ſinamus
Hunc indictũ homines. Iouis omnia cõpita plena,
Plenaq; sũt hominũ fora, plena Ioue æquor, & ipſi
Portus. Nã fruimur cuncti Ioue: & illius omnes
Audimus genus. ———

Vbi dum omnia Ioue plena, & omnes Ioue frui, eiusque genus eſſe dicit, hoc ſanè indicat, quòd in Deo viuamus, moueamur, & ſimus. Poſtremum verò hemiſtichium verbo tenus ſignificat, quod dixit Paulus: *Ipſius enim & genus ſumus.* Omnia deorum plena, dixit etiam Thales, vnus è ſeptem Græciæ Sapientibus, teſte Cicerone lib. 2. De Legibus, ante medium. *Siquidem*, inquit, *& illud benè dictum eſt à Pythagorâ, doctiſſimo viro, tum maximè & pietatem & religionẽ verſari in animis, cùm rebus diuinis operam daremus: & quod Thales, qui ſapientiſſimus inter ſeptẽ fuit, homines exiſtimare oportere deos omnia cernere, deorum omnia eſſe plena: fore enim omnes caſtiores, & velut in fanis eſſent, maximè religioſos.* Vide etiam Ariſtidem Oratione 1. ſiue Hymno in Iouem, ſub finem. Καὶ πάντα δὲ πανταχοῦ Διὸς μεστά. *Et omnia vbique Iouis plena*, &c.

[h] NEC OPVS MIRACVLIS ATQVE PRODIGIIS VIRO DOCTO.] Auctor eſt S. Chryſoſtomus, credidiſſe Dionyſium dictis Apoſtoli abſq; ope miraculorum. Cuius verba è lib. 4 De Sacerdotio ſub finem, poſui ſuprà ad Cap. 1. litterâ k. Quæ idem confirmat Homiliâ 7. de Laudibus Pauli, ſub finem, his verbis: Ἐκάλεσαν αὐτὸν ὡς μέλλοντες κρίνειν, ποτὲ μὲν Ἰουδαῖοι, ποτὲ δὲ Ἀθηναῖοι· οἱ δικασταὶ μαθηταὶ, οἱ ἀντίδικοι ὑπήκοοι. *Citarant illũ tãquam iudicaturi, modò Iudæi, modò Athenięſes: & Iudices facti ſunt diſcipuli, & aduerſarij facti ſunt obedientes.* Quaſi dicat: Audito Paulo tantũ abfuerunt Iudices vt eum condemnarent, vt potiùs quidam ei ſtatim adhæſerint atque crediderint.

Deinde Pauli linguam igni comparat, quòd vt hic admotam materiam, ita illa ſuos auditores ſtatim in ſe trãsferret. Quo ſanè ſignificatur vis verborum Pauli, non autem miraculorum. Auctor eſt & S. Ambroſius l. 10. Epiſtolâ 82. quem vide citatum ſuprà, vti & Chryſoſtomum.

Sentẽtiæ porrò ſanctorum Ambroſij & Chryſoſtomi accedit Syngelus in Encomio Dionyſij, vbi in eius ad credendum facilitatem ac promptitudinem ſic exclamat: Βαβαὶ τῆς καρδίας τῆς εὐπετῶς καὶ ἀνεπιστρόφως πάσης σαρκικῆς προσπαθείας ἀπορραγείσης παντοίαν ὑλικὴν ἔμφασιν ἀποσεισαμένης, καὶ τῷ σωτηριώδει θᾶττον πιστευσάσης κηρύγματι; *Papæ*, inquit, *cor facilè & conſtanter cunctam affectionẽ carnalem abrumpens, atque omnimodam corpoream demonſtrationẽ excutiens, & ſalutari præconio actutũ credens!*

[i] ANNO SCILICET ÆTATIS SVÆ, &c.] Conuerſum eſſe Dionyſium ad fidem anno ætatis ſuæ quadrageſimo tertio, ſic colligi poteſt: Dionyſius nouem annis, vt ſuprà oſtenſum eſt, natu minor erat Chriſto: quãdo autem conuerſus eſt, erat Chriſti quinquageſimus ſecundus, & Claudij Imperatoris decimus (hi enim apud Euſebium in Chronico concurrunt) ſi ergo tollas de Chriſti quinquaginta duobus annis nouenos, remanebunt quadraginta tres Dionyſij.

Reſtat ergo nunc dumtaxat probandum, Dionyſij conuerſionem incidiſſe in annum Claudij decimum. Nam idem eſt Chriſti quinquageſimus ſecundus. Sic autem probatur ex Actis Apoſtolorum cap. 17. & 18. Paulus poſt Dionyſij conuerſionem Athenis rectâ petiit Corinthum, ibique offendit Aquilam Ponticum Iudæum, & Priſcillam vxorem eius, qui nuper ab Italiâ ob edictum Claudij (qui præceperat omnes Iudæos Româ diſcedere) Corinthum appulerant. Atqui edictum illud euulgatum eſt anno eiuſdẽ Claudij nono, cùm Paulus Oroſius, ſancti Auguſtini æqualis, libro 7. Hiſtoriarum, cap. 6. ita

ita ſcribat, allegetque auctorem Ioſephum, *Anno*, inquit, *eiuſdem nono expulſos per Claudium vrbe Iudæos Ioſephus refert.* Quare ſi anno Claudij nono egreſſi ſunt ex Italiâ, & Corinthũ venerunt, Aquila Ponticus & Priſcilla, ad eosq; paulò pòſt Athenis venit Paulus recenter conuerſo à ſe Dionyſio, quid probabilius, quàm vno anno poſt edictum, aut circiter ſaltem (ne quis prærigidè agere velit) eam accidiſſe conuerſionem? Nam certò quidem ac neceſſariò id ex dictis effici non aſſero, cùm potuerint hæc omnia eodē anno nono Claudij accidere, Dionyſij conuerſio, edictum Claudij, Pauli Athenis emigratio, & Aquilæ Pontici Româ diſceſſus, & occurſus amborum Corinthi: ſed quia hoc difficilius ſit (ſiquidem initio anni aſſignandum eſſet edictum, vel certè vix vlla mora ab edicto prolato permittenda emigrantibus) ideò meliùs ad ſequentem annum eorum in vrbe Corintho occurſus, & Dionyſij conuerſio transferuntur. Accedit, quòd pro nobis ij faciunt, qui conuerſum eſſe Dionyſiũ anno à Chriſti paſſione vndeuigeſimo (qui ipſe noſter annus eſt) adſtruunt: quod & doctiſſimus Baronius ad Chriſti quinquageſimum ſecundum annotauit.

k ATQVE AB EODEM APOSTOLO BAPTIZATVS, &c.] Teſtis Menæum 4. Octobris in Vitæ compendio, vbi ſic de S. Dionyſio: Καὶ ἀγρευθεὶς ὑπὸ τοῦ μεγάλου Παύλου καὶ βαπτισθεὶς, χειροτονεῖται Ἐπίσκοπος. *Captus à magno Paulo, & baptizatus, creatur Epiſcopus.* Quæ non ſic intelligenda ſunt, quaſi ſtatim à Baptiſmo creatus ſit Epiſcopus, ſed conuenienti tempore, poſtquam ſcilicet ab Hierotheo Athenienſi Pontifice inſtructus, ad tanti muneris functionē à S. Paulo iudicatus eſt idoneus. Methodius in Martyrio S. Dionyſij ita de S. Paulo: Διονύσιον ἐθνικοῖς ἔθεσι πρῴην ἐμπεπλεγμένον εἰς ὁδὸν σωτηρίας ὁδηγήσας ἐπέστρεψε καὶ τῷ ἱερῷ Βαπτίσματι ἀναγεννήσας θείᾳ ἁγιωσύνῃ αὖθις ἐστερέωσε. *Dionyſium moribus gētilitiis nuper implicatũ in viam ſalutis perducens conuertit, & ſacro Baptiſmate à ſe regeneratũ diuinâ rurſus ſanctitate cōfirmauit.*

l ERAT ENIM PLATONICVS.] Solebant viri docti, examinatis variis Philoſophorum ſectis, vnam deligere, quam potiſſimè ſequerentur. Grauiſſimi autem quiq; Platonem Philoſophis omnibus, etiam Ariſtoteli, anteponebant; ac modò *diuinum* appellabant, modò *ſapientiſſimum*, modò *ſanctiſſimum*, modò *Homerum Philoſophorum*, modò *Deum.* Alia ex his Panætius, poſtremum Cicero ipſe detulit. Nam de Panætio, qui ceteras Platonis ſententias, exceptâ vnâ, approbabat, ita libro 1. Tuſculanarũ quæſtionum, poſt medium: *Quem enim omnibus locis diuinum, quem ſapientiſſimum, quem ſanctiſſimum, quem Homerum Philoſophorum appellat, huius hanc vnam ſententiam de immortalitate animorum non probat.* Ita Cicero. Atqui nihil verius, nihil certius, quàm animorum immortalitas. Vnde ſi alia omnia probabat, certè & hoc poſtremũ maximè probare debuerat. Idem ad Atticum lib. 4. Epiſt. 15. *Quòd in iis libris, quos laudas, perſonam deſiderat Scæuolæ, non eam temerè demoui, ſed feci idem quod in* πολιτείᾳ *Deus ille noſter Plato, &c.* Et lib. 2. de Naturâ deorum: *Audiamus Platonem, quaſi quemdam Deum Philoſophorũ.* Alibi quoq; ſemper Ariſtoteli præfert Platonem, quod profitetur lib. 1. Tuſculanarum, ante medium. *Ariſtoteles*, inquit, *longè omnibus (Platonem ſemper excipio) præſtans ingenio & diligentiâ, cùm quatuor nota illa genera principiorum eſſet complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quamdam naturam cenſet eſſe, è quâ ſit mens.* Eumdem Platonem omnibus Philoſophis prætulerunt omnes SS. Patres. Arnobius l. 1. aduerſus Gentes, *Plato*, inquit, *ille ſublimis apex Philoſophorum & columen, ſæua illa diluuia, & conflagrationes mundi, purgationem terrarum ſuis eſſe in commentariis prodidit.* Et lib. 2. *Plato ille diuinus multa de Deo digna, nec communia ſentiens multitudini*, &c.

Notaui plura ad Vitam S. Iuſtini Philoſophi. Denique Platonici fuerunt S. Hierotheus, Dionyſius, Iuſtinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Auguſtinus, & ceteri ferè omnes Patres, Græci & Latini, antequam fidei illuſtrarentur lumine. Nec mirum: adeò enim Plato Moyſen ſecutus eſt, vt de illo dixerit Numenius, Philoſophus Pythagoricus: Τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωϋσῆς ἀττικίζων; *Quid eſt enim Plato, niſi Moyſes Atticè loquens?* Quare ſi Nicolaus Cuſanus Cardinalis, vir lōgè doctiſſimus, ſi Marſilius Ficinus, ſi alij poſt illos, ſi noſmetipſi Dionyſium dicamus fuiſſe Platonicum, non eſt quod nobis Iacobus Faber Stapulenſis (quem ego ab eruditione & pietate, & Dionyſij defendēdi ſtudio, maximi facio) nobis ſuccenſeat. A Dionyſio enim magis ſtamus, quàm contra Dionyſium, quando omniũ optimo Philoſophorum choro eum inſerimus, imò & ipſi Platoni præferimus. Nam Marſilius quidem, cui ego adſtipulor, in argumento ad librũ De diuinis nominibus, ita de illo: *Etſi Dionyſium Platonis tamquam pij Philoſophi ſectatorem alicubi declaramus, ipſum tamen non ſolùm ceteris Platonicis propter doctrinæ Platonicæ culmen, verùm etiam Platoni propter nouum veritatis Chriſtianæ lumē anteponendum cenſemus.* Fatetur alioqui etiam D. Thomas ad cap. 5. De diuinis nominibus, lect. 1. Dionyſium imitari multùm Platonicos.

Atenim non deſunt, qui putent ac doceant, fuiſſe potiùs ſectâ Stoicum, quàm Academicũ. Quibus ego reſpondeo, minimè aptos fuiſſe iudiciis Areopagiticis homines Stoicos. Quid enim iuſtè iudicare poſſint, qui peccata omnia cenſent paria? De quibus Stoicis quid exiſtimet M. Tullius, vide in eius Oratione pro L. Murænâ: ibi enim aduerſus Catonem diſputans, docet, eos qui à Platone ſunt & Ariſtotele, iudiciis & tribunalibus eſſe aptiores, quàm qui à Zenone Stoicorum principe. Fateor tamen, Dionyſium morum grauitate, virtutum conſtantiâ, iudiciorum ſeueritate appellari potuiſſe Stoicum: ſic nimirum, vt nemini parceret nocenti, neminem condemnaret innocentem; nullius aduerſus æquitatem gratiâ moueretur, nullius miſeriâ ad veniendum contra ſtatuta à legibus ſupplicia molliretur.

m NAM EPICVREI QVIDEM ET CYNICI.] Abfuiſſe hos longiſſimè ab inſtitutis Chriſtianæ legis, arguit morum circa caſtitatem atque modeſtiam diſſimilitudo. Nam Epicurei ſummum bonum in voluptate ponebant, à quâ Euangelium dehortatur. Cynici autem caninâ pleni impudentiâ (vnde & inditum ipſis nomen) honeſti & inhoneſti, decori & indecori diſcrimen nullum faciebant. At verò Chriſtiani vel ſolâ modeſtiâ,

modestiâ, cultuque honestatis tam ab vtrisque, quàm ab omni diuerso genere dignoscebantur.

De vtrisque, & Epicureis & Cynicis, vide Diogenem Laërtium De vitis Philosophorum, in Epicuro, & in Diogene Cynico.

n NON PAVCA DIVINÆ LEGI DOCEBANT CONSIMILIA.] Hæc sunt videlicet quæ Iudæis & Christianis eadem sensit Plato:

Primò, Deum esse, qui semper esset, & ortum non haberet.

2. Esse ineffabilem.

3. Esse vnum.

4. Esse principium, medium, & finem.

5. Esse semper iustum, vt præmia bonis, supplicia malis statuat.

6. Trinitatis mysterium quadamtenus attigisse visus est.

7. Esse bonos Genios, esse & malos.

8. Animam esse immortalem.

9. Mundum non esse ab æterno, sed creatum.

10. Mundum esse corruptibilem.

11. Mortuorum resurrectionem.

12. Terram cælestem, quam nos vocamus terram viuentium.

13. Iudicium extremum, & cunctorum meritis dignam retributionem.

De quibus & de pluribus vide Eusebium de Præparatione Euangelicâ lib. 11.

CAPVT III.

Dionysij contra fidei suæ & vitæ nouæ calumniatores virtus & constantia.



QVEMADMODVM [a] in rebus mundanis vsu venit, vt quò sublimiùs sitæ fuerint, hoc plurium pateant oculis atque sermonibus: ita ferè in hominum vita contingit, vt cùm humiles & plebeij, seu benè seu malè egerint, in silentio & ignoratione versentur: eorum contrà qui in eminentiori aliquo honoris atque dignitatis gradu constituti fuerint, vita omnis, & facta dictaq; omnia cunctorum exposita sint non solùm oculis atque sermonibus, sed etiam opinionibus & iudiciis, in vtramque partem variis, frequentiùs verò inuidorum quoque ac maleuolorum cauillationibus atque calumniis. Erat ergo Dionysius, antequam Christianæ militiæ nomen daret, in Areopago, velut in sublimi quodam theatro, primarum partium actor, & omnium vndiquaq; spectantium oculis conspicuus: obseruabatur ab omnibus, colebatur ab omnibus; ita vt non posset vllum eius dictum factúmve in tantâ dignitatis luce esse obscurum. Quare cùm, Paulo in augustissimum illud Areopagi consilium adducto, & nouæ superstitionis reo, iussisset pro se volenti dicere, fieri audientiam, interque dicendum tota concio iam aures ad Paulum, iam ad Dionysium oculos cõuerteret, huncque interdum illius nimis intentum dictis obseruaret, tum nonnihil primò mirari, deinde aliquid suspicere, posteà verò quàm finitâ oratione non modò liberum dimitti Paulum animaduerterunt, sed etiam (quod nonnulli curiosiùs perscrutantes annotarunt) domum nonnumquam inuitari, benignè haberi & audiri, denique coli & honorari cognouerunt; tum eius rei rumor per vrbem spargi, atque à populo, vt talium auidissimo, cupidissimè audiri & referri, principem scilicet Areopagi ab vno extraneo captum & delusum, spretis magnis diis deabusque, vni illi IGNOTO DEO, quem iste hospes & aduena attulisset, totum adhærescere. Qui rumor cùm non esset vanus, eaque propter magis in dies magisque confirmaretur, nec iam dissimulare Dionysius aut vellet aut posset, Deus bone! quæ passim admirationes, qui cauilli, quæ sermonum contentiones, quæ calumniæ, à notis, ab ignotis, à propinquis, à familiaribus, ab omni denique hominum genere, ordine, sexu? cùm nullus ferè in Areopago, in foro, in circulis sermo alius, quàm de Dionysio per eos dies passim resonaret. Nam exceptis qui eius supremum locum & honorem ambiebant, dolebant fermè cuncti talis ac tam præstantis viri tam miserum & miserandum (vt ipsi quidem opinabantur & vocabant) casum: & illam à Ioue & Marte, & Mineruâ & Cerere, aliisque suis cælitibus, pro vno ignoto defectionem, tamquam certissimam de cælo prolapsionem complorabant. Consanguinei verò & affines, cùm prorsus statuisse eum viderent, nuntium honoribus remittere, acquisitum nomen negligere, Areopagum & partam in eo dignitatem relinquere, quid non egerunt? quid non tentarunt? quam in partem sese non verterunt? quas ad eius expugnandum animum fabricas non admouerunt? cùm ita & illum & coniugem subinde lacesserent: Heu vos miseri! quid vobis euenit? quid hoc rei actum est? quid istud monstri?

Michael Syngelus in Dionysij Encomio.

Tentationes à consanguineis.

Quò vobis mentes rectæ, quæ stare solebant
Antehac, dementes sese flexere viai?

Enimuerò tu, Dionysi, qui hæc agas, satin' sanus es? an te aliquæ exagitant intemperiæ? Nam subitarium hoc negotium in viro aliàs tam maturo, tam prudente, tam considerato, quis queat dubitare, quin aliquid præstigiarum & malæ artis ab aliquo nefario & conscelerato procuratum habeat? Túne deos, quos omnis retrò antiquitas coluit, quos tu ipse adhuc tam sanctè veneratus es, & venerandos esse docuisti,

ſti,mutatâ deſubitò voluntate,nunc abiicis? tu illos, velut Circæo quodam poculo in alium verſus, nunc deſpiciendos & deſpuendos doces? Ecquâ de cauſſâ verò? nempe vt vnum ſeditioſum, & ſceleratum,& impium, quem ſui populares ob horrenda flagitia morte infamiſſimâ mactarunt, tamquam Deum colas & venereris? Papæ! inſolentem, inuiſam, inauditam amentiam. Talia illi & multa alia. Quibus cùm ſapientiſſimè vir Dei nouus reſponderet,& hinc deorum vanitatem ex antiquiſſimis ipſorum gentilium libris; & inde vnius veri Dei veritatem, ſolidiſſimis rationibus commonſtraret, ſurdis, quod aiunt, auribus accinebat. Et de Chriſto quidem,cùm ex Pauli doctrinâ eius ſummam innocentiam & voluntariam pro hominibus mortem, & data in morte prodigia, replicando etiam nondum inueteratam defecti Solis memoriam,ſatis clarè oſtenderet; tamen ipſi & illa temerè inficiabantur & hanc aliorſum trahebant. Quaſi nimirum & talis innocentia ſi fuiſſet,numquam fuiſſet publico iudicio condemnata; & illa Solis defectio ſi totum orbem inumbraſſet, non tam eâ de cauſſâ, quàm occultis quibuſdam rationibus accidiſſet. Plurima enim deorum fatis in mundo euenire, quorum explorare cauſſas velle, quandoquidem ipſi dij ignotas velint,extremæ ſit dementiæ.Proinde orare ſe illum atque obteſtari,vt etiam atque etiam ſecum cogitet atque cõſideret, quid agat: totam hîc eius exiſtimationem atq; famam periclitari: nec ipſi tantùm eam religionis mutationem, ſed vniuerſæ quoque Dionyſiorum genti atq; familiæ fraudi fore. Quare miſereretur ſui, ſuorumque, neu per imprudentiam ſuam, aut temeritatem, aut ſtultitiam, aut etiam impietatem committeret, vt domus ſua modò tam florens,tam opulenta, tam honore & gloriâ circumfluens,& ſemper hactenus in omnium ore & laude verſata, nunc vnius ſuperſtitionis (quæ paſſim exſibiletur) gratiâ,iſtis omnibus nudata, in ſquallore & ſordibus, humilis & deformata iaceat, nihilque priſtini decoris atque ornamenti retineat;ſed infamiæ atque ignominiæ, cuius tam vixerit hactenus inſolens, fiat obnoxia. Nec defuerunt fortaſſe, qui exilium & tormenta, aut mortem, & Socratis exitium ei denuntiarent. Si enim Socrati, tanto Philoſopho, Deum vnum & nouum, ſed illum tamen ſummum, & ab hiſce miſeriis remotiſſimum,inducenti nex allata ſit; quid de eo futurum, qui vnum furciferum (nulla enim erat apud efferatos talium verborum parſimonia) & [b] inter latrones patibulatum,eſſe Deum edoceat,& pro magno Numine venditet? Denique ſimile prorſus ſomnio videri, tam ſtupidum eſſe aliquem & bardum, qui hæc tam incredibilia vel ſuſpicetur, non modò credat; quid virum doctum? quid Areopagitam? quid primi illius conſilij principem? Ita ferè iſti. Quibus quàm ſapienter & quàm fortiter nouus Chriſti athleta reſponderit, haud paulò facilius eſt cõgitatu, quàm dictu: ſumma tamen reſponſi hæc fuit: Valdè ſcilicet in Chriſti perſonâ ab ignaris hominibus aut nimis credulis aberrari. Nam qualis fuerit Magiſter,non aliunde certiùs quàm ex diſcipulis poſſe diſci. Quorum diſcipulorum ea ſit vita,ij mores, vt nihil vitioſum, nihil fallax, nihil fucatum deprehendi in iis poſſit: doctrina verò tam rectæ rationi & veræ Philoſophiæ conſentanea, vt nihil magis. Cuius ſcilicet minimè dubiam veritatem [c] ingens prodigiorum eam ob rem patratorum copia euidenter comprobarit:& eorum quidem prodigiorum,quibus non vana hominum fama gloriáve collecta ſit, ſed infirmorum, & debilium, & mancorum,imò & mortuorum,ſanitas, vita,ſalus procurata. Ad minas autem vel exilij vel mortis quod attineat, ſe vel Socrate ipſo libentiùs promptiuſq; (quippe & pro meliori cauſſâ) moriturum. Vitam enim eſſe,non mortem, pro Chriſto mori. Hanc mortem,vel vitam potiùs, certatim à Chriſtianis peti,& auidiùs quàm theſaurum quæri. Nec verò Epicureos tam inhiare atque adhinnire voluptatibus, quàm veros ac germanos Chriſti ſectatores eas refugere atq; aſpernari. Nam præ cunctis & voluptatibus & deliciis maximo ipſis in pretio eſſe labores,ſudores,vigilias,& quæcumque vulgo hominum dura & aſpera & intolerabilia reputantur. Quod profectò dum faciunt, non vitiatæ infractæq; naturæ, & ad mollia ſemper inclinantis inſtinctu, ſed eximiæ cuiuſdam virtutis & altioris poteſtatis adminiculo, id ſe præſtare manifeſtè produnt. His igitur & talibus dictis, qualia ex Pauli ore identidem nouus tyro audiebat (nam ad diuinum eius ſpiritum animam ſuam agglutinauerat) non modò ab importunis eorum aggreſſionibus bellè ſe expediebat,ſed etiam nonnullos quà vi rationum, quà auctoritatis pondere in ſuas partes, non ſecùs ac ferrum magnes, pertrahebat: quoſdam verò, quos euincere obſtinatos omnino non poterat, ſaltem labefactatis eorum arietibus ac machinis ita quatefaciebat, vt ſuis

Dionyſij ad conſanguineorum cauillos reſponſio.

Chriſtianorum ſtudia & vota.

suis inciperent munitionibus atque momentis diffidere: alios denique sua præfractiùs obstinatiusque defendentes, quàm aliena patientiùs faciliusque sufferentes, ita absoluebat, vt intelligerent, nisi suas accommodare aures sapientibus dictis mallent, quàm alienas arreptis è triuio maledictis obtundere, nihil esse cur domum suam ventitarent, aut congressum peterent: quidquid enim agerent, acturos frustrà, frustrà laboraturos. Cùm autem essent non pauci, qui toto, quod aiunt, pectore aduersus eum obniterentur, nullus tamen fuit ex omnibus, qui plus facessiuerit negotij, quàm qui aliàs vnus erat ex omnibus longè charissimus & familiarissimus, nempe à primâ ætate sodalis, & in iuuentute peregrinationum socius, & vno verbo, alter ipse, Apollophanes: idem inquam ille, qui vt moribus simul & studiis artium coniunctissimus, & in Ægypto contubernalis, celeberrimam illam Solis defectionem, cùm Heliopoli vnà essent, simul notauerat, simul explorauerat, sed non perinde in cor animumque demiserat. Is igitur nullum non mouit lapidem, quò intimum suum amicum de susceptâ nouâ Religione deturbaret. Hic autem è contrario dies noctesque de illo in suam sententiam attrahendo cogitare. Adibat & audiebat alter alterum eò libentiùs ac patientiùs, quò vtrique auidior animus erat & socij euincendi, sibique adiungendi, & veteris amicitiæ retinendæ. Sed cùm mutuæ accessiones semper plenæ amoris essent, tamen discessiones semper mœroris luctusque erant quàm confertissimæ. Nam ob spes vtrimq; frustratas, quò maior in ingressu amor se explicuerat, hoc tristior in digressu amaror succedebat. Leuiùs tamen & patientiùs, quodcumque istud erat molestiæ, ferebat Dionysius: quippe Pauli & Hierothei consolationibus sustentatus, immò & cælesti intus gratiâ, præsertim à suscepto initiationis Sacramento, roboratus: at verò Apollophanes (quem & ista deficiebant è cælo præsidia, & quem sua insuper conturbabat, intusq; agitabat, sicut praua & peruersa, sic perantiqua & nimis inueterata de diis suis opinio) continere se interdum non poterat, quin graues in iras atq; iniurias vehementiùs exardesceret, atque eò nonnumquam vsque progrederetur, vt multis indignisque tam Christum, quàm Paulum, velut tanti mali auctores, conuitiis & execrationibus oneraret; immò vtrumque, vt mille crucibus, mille cruciatibus dignissimum, diris omnibus deuoueret. Nempe, vti acerbè infremens aiebat, nihil vmquam visum tetrius, nihil auditum execrabilius, quàm ob nescio quam nouitiam legem, nec legem, & ob vnius vilissimi & facinorosissimi Iudæi (quæ effrenis erat ipsius & multorum maledicentia) simulatam & arrogatam diuinitatē (ob quam tamen dignissimâ pœnâ in sublimi pependisset) deos optimos maximos, atque ab omni vetustate cultos, contemni, sanctissima & augustissima templa deseri, antiquissimas cærimonias ritusque negligi, omnem deniq; sacrorũ religionem ac pietatem in sannas ludibriaque conuerti. Quæ quidem verba tam acerbè iracundeque proiecta, tametsi generosum Dionysij pectus satis grauiter vulnerarent, hac tamen tenus dumtaxat penetrabant, vt ne impos sui maledicta maledictis regereret, sed tantisper iræ dans locum, veterisque memor amicitiæ, cuncta in præsens sustineret. Hunc enim, quē modò diaboli liuor & superstitionis malignitas incendisset, exulcerati animi ęstum, non desperabat tempore ipso, quod omnia domat, lenitum iri; atque etiam (si Dei optimi maximi voluntas foret, & gratia iuuaret) sperare se aliquando eum, mutatâ voluntate, in ipsis Christi castris meriturum. Nec verò falsus animi fuit. Nam cùm negotiis alium aliò vocantibus, disiuncti locis fuissent, & Apollophanes [d] in Polycarpi (erat hic vir in consuetudine familiari sanè quàm admirabilis) congressum, seu Smyrnæ seu alibi incidisset, interque mutuos sermones eò fortè ventum esset, vt de Dionysio verba miscerentur, ecce rursum ille in hunc commoueri, & maledicta iácere, & parricidam appellare, idcircò nimirum potissimè, quòd dixisse aliqua aut scripsisse Dionysium aduersus Græcos siue Gentiles, suisque ipsos armis oppugnasse inaudisset. Polycarpus igitur pro solitâ animi lenitate & mansuetudine bonum hîc esse ratus hominem mollibus verbis delinire potiùs, quàm iratum magis exasperare, & ignem, vt vulgò dicitur, fodere; ita rem temperauit, ita motus omnes composuit, ita denique progressu temporis eum sibi deuinxit, vt ipsius tam Christo quàm Dionysio conciliandi reconciliandique spes non minima emicaret. Misit ergo litteras ad Dionysium, docuitque de eodem Apollophane, quo nunc in loco res essent: nempe illum non mediocriter in ipsum fuisse commotum, propterea quòd illum intellexisset tam libris quàm disciplinis Græcorũ iniquè aduersus Græcos vti, ideoque temperare nequaquam sibi potuisse, quin & maledicta in eum iácerer,

Dionysij & Apollophanis de Fide contentio.

S. Polycarpi ad Apollophanis conuersionem studium.

ret,& parricidam appellaret. Desideratur quidem hac ætate illa sancti Polycarpi Epistola,sed Dionysij ad eam responsum, vnde hęc colliguntur,beneuolentiæ mansuetudinisque plenum, hodieque extat. Cuius ferè hæc est summa: Nescire se vmquam aduersus Græcos aut aduersus quoscumque alios dixisse. Nam arbitratum se esse, viris bonis sufficere, si veritatem in se ipsâ agnoscerent, atque ita vt se habet annuntiarent. Hoc enim si debitè fieret, tum per sese omnia quæ à veritate sunt aliena, vt aliâ re nullâ esset opus, posse redargui. Quare superuacaneum esse, veritatis interpretem aut cum his aut cum illis depugnare. Nam ita prorsus rem hîc esse, atque in possessione regij numismatis. Ait enim vnusquisque, illud se habere: & habet fortassis particulæ illius adulterinam quamdam imaginem, sed verum numisma non habet. Igitur illum si quis redarguerit, accedet similiter & alius, qui & hoc verum numisma penes se esse dicet, eodemque modo alius & alius, licet adulterina singuli afferant numismata, sed verum nullus. At cùm ipsum verum & regale numisma prolatum fuerit,quod facilè suâ sponte se prodit, probatque legitimum,ita vt à nullo redargui possit; tum cetera omnia, quæ non sunt illi in omnibus similia, per se & nullo negotio apertæ conuincentur falsitatis. Sic in verâ & Christianâ religione vsu venit. Hæc enim mundo ostensa,& aliis comparata, se solam veram ac sinceram religionem præstat: alias verò non religiones, sed superstitiones, & imagines tantùm atque vmbras quasdam religionis adulterinas clarè commonstrat. *Itaque minimè festinus*, inquit, *aut præceps fui, vt vel aduersus Græcos vel aduersus alios quoscumque dicerem. Mihi enim satis est,& hoc det Deus, primò veritatem agnoscere,deinde agnitam, quemadmodum oportet, annuntiare.* Sic ille. Atque hoc fuit primum illius Epistolæ membrum: in quo prudenter ad conciliandam sibi Apollophanis beneuolentiam de obiectâ Græcorum impugnatione se purgauit. In secundo autem membro, iactum Apollophanis telum acutè quidem, sed benignè & citra contumeliam,in ipsum retorsit. Sic enim de illo ad eumdem Polycarpum, *Quod autem ais*,inquit, *me* [e] *ab Apollophane sophistâ probro affici, & parricidam appellari, propterea quòd Græcorum scriptis abutar aduersus Græcos, veriùs sanè illi possem obÿcere, ipsos Græcos diuinis contra diuina non sanctè vti: quippe qui per Dei sapientiam attentent diuinum cultum & religionem è medio tollere. Neque hîc de vulgo dumtaxat hominum loquor, qui Poëtarum fabulis, earum sectando spurcitias,adhærescunt,& res creatas aduersus creatorem adorant, verùm ipse, ipsemet Apollophanes diuinis aduersum diuina non sanctè vtitur. Rerum enim existentium scientiâ (quæ rectè ab ipso Philosophia dicitur,& quæ à S. Paulo Dei sapientia appellatur) tam ad earumdem rerum quàm ad ipsius scientiæ auctorem veros Philosophos subuehi oportebat.* Ita ille. Post hæc autem memor se cum amatore & studioso Astrologiæ loqui,ad eum iisdem artibus capiendum,quibus ipse captus sit, accingitur. Memorat enim mirabilia quæ in cælo & in Sole supra communem naturæ ordinem olim facta sint: disputatque ea fieri tantùm ab eo potuisse,qui & cælos & Solem ab initio condiderit, & nunc in statu suo contineat. *Ac ne aliorum, aut etiam eius sententiam*, inquit, *contra institutum meum refellam,intelligere debebat Apollophanes, vtpote sapiens, nihil vmquam in ordine motuq; corporum cælestium mutari potuisse, nisi mutante ipsorum conditore & conseruatore,* [f] *qui, vt docent sacræ Litteræ, facit mutatq; omnia. Quin igitur eum colit, quem vel ex eo verè omniū esse Deum cognouimus? Quin eum admiratur,cuius potentia & rerum omnium causa est, & omni sermone superior?* [g] *Quis enim fecit, vt olim Sol & Luna simul cum reliquis cælis hærerent prorsus immoti, & vt diem totum iisdem in punctis cuncta consisterent? Aut certè,quod etiam mirabilius, quis efficere potuit, vt cælis maioribus solito motu currentibus,illi qui intra ipsos continentur, & cum ipsis ad sua spatia rapi solent,præter morem iam resisterent, nec vnà in orbem circumq; deferrentur? Certè sola vis diuina præpotenti suo cunctisq; dominante imperio id potuit. Cedò rursus,* [h] *quis auctor aliàs fuit,vt dies vnus ferè tribus æquaretur,& in totis viginti horis cuncti cælorum orbes motionibus contrariis retrò cursum flecterent,& circuitionibus naturæ ordinem exsuperantibus eò vnde venerant reuerterentur? Aut,si hoc magis placet,quis vni Soli dedit, vt in cursu proprio, quincuplici suâ motione in horas decem contractâ,eamdem rursus totam aliis decem horis remensus,nouam terendo viam remearet? Nam & hoc Babylonios meritò obstupefecit, & Regi Ezechiæ tamquam humanum transgresso fastigium,& Dei potētiam exæquanti,vltrò & citra pugnam submisit. Quid dicam magnifica illa in Aegypto,vel etiam alibi patrata miracula? Nam quæ attuli, vt cunctis communia & in cælo facta, vbique terrarum & omnibus gētibus sunt celebrata.* Hæc

Dionysij ad S. Polycarpum Epistola.

Similitudo egregia religionis & numismatis.

Pium sancti Dionysij votum.

1. Cor. 1, 21.

Amos 5, 8. secundum Septuag. Ὁ ποιῶν πάντα, καὶ μετασκευάζων.

Iosue 10.

Vide S. Maximum & Pachymeram, de quincuplici motione.

Hæc Dionyſius pro aſſerendâ vnius Dei veritate ex cælo & aſtris in Aſtrologi gratiam cùm diſſerüiſſet, veritus ne illa apud Apollophanem, propter ſacrarum Litterarum, vnde deſumpta ſunt, ignorationem, aut propter ipſorum prodigiorum inexperientiam, fidem non obtinerent (tametſi quod de triplici die dictum eſt, è Perſarum quoque ſacris ritibus cognoſci poſſit, quandoquidem diei illius protenſionem Magi ipſi, vt æternæ traderent memoriæ, [k] triplicis Mithræ, ita Solem appellant, diem ſolemnem fecerint) petit tamen à Polycarpo, vt præter illa, & præ illis, memoriam ei refricet illius admirabiliſſimæ defectionis Solis, quam Heliopoli vnà viderint, cùm & ipſe Apollophanes, velut diuinans, proclamauit: *Hæ ſunt rerum diuinarū mutationes. Et ecce hæc ipſa mutatio*, adiungit Dionyſius, *tranſtulit nos ab errore ad veritatem, à tenebris ad lucem, à morte ad vitam, à ſimulacris ad verum Deum.* Deinde concludens Epiſtolâ, *Tu verò*, inquit, *ô diuine Polycarpe, reliqua, quæ deſiderantur, adijce, vt virum talem & tam ſapientem ad longè ſapientiſſimam traducas religionis Chriſtianæ veritatem.* Et verò adiecit, remque totam feliciter confecit Polycarpus. Nam cùm aliis, tum maximè ipſius Dionyſij argumentis hominem aggreſſus, tandé eò deduxit, vt relictâ mundi ſapientiâ, lubens volens ad diuinam (quæ ſola veræ ſapientiæ meretur nomen) ſe transferret. Quæ tum porrò fuerint vtriuſque & Dionyſij & Polycarpi gaudia, qui plauſus, quæ mutuæ congratulationes, de tanto viro ſociatis laboribus ad ſuaue Chriſti iugum adducto, quis dicat? Solet præda multo tempore & magnis ſudoribus acquiſita eſſe lætior, & plus multò afferre voluptatis, quàm citò & breui labore parta. Enimuerò hæc eiuſmodi fuit, vt alia ſimilis fortaſſe nulla reperiri poſſit, pro quâ & tam diu & tam conſtanter fuerit vnquam ab vllo laboratum. Valdè enim ſerò & multis pòſt annis quàm de religione inter illos agi cœptum fuerat, imò poſt multas quoq; & calumnias & conuitia, inde quidem acriter & ſuperbè iacta, hinc autem leniter & modeſtè tolerata, fructus hic longanimitatis multò ſuauiſſimus, tamquam dignum operæ pretium, perceptus eſt. Adeò iuuat in procurandâ fratrum ſalute, & in peccatoribus, quamuis obſtinatis & pertinacibus, in viam reducendis, nec citò nec tardè deſpondere animum, ſed menſes & annos & multiplicata luſtra ſuſtinere, adeoq; totam vitam, & quamdiu vel tibi vel illis ſpiritus & ſanguis ſuperſit, monendo, arguendo, increpando, vota denique & preces ad Deum fundendo, & ſi etiam opus ſit, labores, dolores, moleſtias, & omnis generis conuitia & maledicta ſufferendo, dum anima cælo & terrâ carior lucrifiat, laborare. Quanta porrò fuerit Dionyſio ex vnius animæ lucro vis gaudij, quantus exultantis animi feruor, teſtes ſunt ipſius ad Apollophanem datæ poſt ſuſceptum fidei ſacramentum litteræ, quarum exemplum hîc ſubiicio.

Ratio certa lucrandi animas.

DIONYSIVS APOLLOPHANI PHILOSOPHO S.

Dionyſij ad Apollophanem Epiſtola.

[l] IAm iam ad te, CORDIS MEI AMOR, *ſermonem dirigo, & multas meas curas ſollicitudinesq; tuâ causâ olim ſuſceptas, tibi in memoriā redigo. Nempe tenes, quàm miti & beneuolo animo tuam illam in errore, tametſi leuibus ex cauſis, pertinaciam redarguerim, vtq; iſtas vanas, quibus illudebaris, opiniones inſimulauerim. Nunc autem ſummam diuinæ erga te benignitatis moderationem, quanto poſſum maximo affectu venerans, tibi ſalubriter reſipiſcenti, pars animæ meæ, cōgratulor. Quin & iis, quæ olim aſpernabare, nunc iuuat te affari; & quorum priùs reſpuebas notitiam, ea modò rurſus inculcare.* [m] *Sæpè enim tibi & quidem accuratè expoſui, (quod & Moyſes litteris prodidit) hominem à Deo primitus è limo factum, & mundi peccata diluuio expiata; & conſecutis temporibus ipſum Moyſen, amicitiâ cum Deo copulatum, multa in Aegypto & in Aegypti egreſſione, ipſius Dei causâ & virtute patraſſe prodigia: neque ipſum modò, ſed alios quoque deinceps diuinos Vates ſimilia non rarò edidiſſe, qui & Deum è virgine naturam humanam ſuſcepturum multò antè prænouerant. Quibus mihi non ſemel, ſed ſæpiùs reſpondiſti, non modò te neſcire an hæc vera eſſent, ſed etiam quis ille Moyſes, & albus aterne fuerit, penitus ignorare: Euangelium autem Ieſu Chriſti, qui eſt Deus totius Maieſtatis (quod meum vocabas) reſpuere, Paulum verò mundi circumambulonem & verbiſatorem à terrenis ad cæleſtia deuocantem nolle recipere. Denique tu me quoque, quaſi patriæ religionis iura degener abdicaſſem, inq; nefaria ſacrilegia præceps iſſem, reprehendens hortabare, vt ea, quibus innitebar dediſcerem: aut ſaltem aliena miſſa faciens, ſatis haberem mea retinere, neu diuinis numinibus & patriis inſtitutis derogarem. Poſteaquam verò ſuperna lux paternæ gloriæ ſuper mentis tuæ tenebras ſplēdoris ſui radios ſuâ voluntate demiſit, ſimul intimo cordi meo infudit, vt plenum pie-*

Geneſ. 2, 7.

Pſal. 28, 3.

pietatis negotium tibi memorarem: nempe quo modo nobis Heliopoli degentibus (eram tum annos circiter viginti quinque natus, & tu mihi fermè coæuus) die quadam sextâ, & horâ item ferè sextâ, Sol horribiliter, subeunte Lunâ, obscuratus fuerit (n non quòd Deus, sed quòd Dei opus in veræ ipsius lucis occubitu lucere non quiuerit) túmque ex te percunctatus sim, quid tibi, vir prudentissime, super hoc videretur, tu autem eiusmodi responsum dederis, quod menti penitus infixum, nullâ prorsus obliuione, nullâ vel mortis imagine dilabi possit. Cùm enim totus orbis tetrâ tenebrarum caligine vniformiter obductus fuisset, ac iam repurgari Solis globus & renitescere occepisset, tum assumptâ Philippi Aridæi regulâ, & contemplatis cæli orbibus deprehendimus, quod erat quoque aliàs notissimum, non potuisse id temporis defectionem Solis euenire: deinde obseruauimus, Lunam ab Oriente Solem subiuisse, eiusq; radiis obstruxisse, donec totum occuleret, quæ tamen aliàs ab Occidente solita esset occurrere: quin illam quoque notauimus, cùm ad extrema Solis peruenisset, eiúsque vniuersum orbem obtexisset, tum retrò Orientem versus recurrisse, quamuis id esset tempus, quod nec Lunæ præsentiam, nec Solis concursum postularet. Ego igitur, ô multiplicis eruditionis sacrarium, tanti mysterij nescius cùm essem, sic te alloquebar: Quid sibi vult hoc rei, ô doctrinæ speculum Apollophanes? Insolita ista portenta ecquorúmnam tibi mysteriorum videntur indicia? Tu autem ore diuino magis, quàm humanæ vocis sermone, Hæ sunt, ô bone Dionysi, *inquiebas,* diuinarum rerum mutationes. *Denique, cùm diem annúmque annotassem, & tempus illud cum eo, quod Paulus mihi quondam ab ore suo pendenti annuntiauerat, signis conclamantibus concordare sensissem, tum & veritati manus dedi, & me falsitatis nexibus expedij. Quam proinde veritatem, & mirificè prædico, & tibi ingero, quæ est vita & via &* lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Cui & tu tandem, vt verè sapiens, cessisti. Nam cessisti vitæ, cùm mortem abdicasti. Et optimè sanè deinceps feceris, si eidem veritati prorsus adhæseris; ita quidem nobis arctiùs coniungere. Illud enim, illud os nobiscum posthac erit, cuius splendore verborum, mentis meæ perstringens aciem, solitus eras accersitis hinc inde coloribus, & fucato eloquentiæ nitore intimos pectoris nostri recessus pertentare, imò & nonnullis interdum maledicentiæ aculeis nos acriùs fodicare. Quare quemadmodum antehac, vt tute fatebare, doctrinæ Christianæ, sacrarumq; Litterarum quamuis sapida cognitio tibi non sapiebat, sed cùm ad eam vel degustandam tantùm accederes, à mentis tuæ palato resiliens, ac velut dedignans in pectore tuo sedem ponere, resistebat: ita modò postquam cor intelligens ac prouidum es nactus, tete ad superna erige, neque pro ijs quæ non sunt, ea quæ verè sunt dimitte: adeoq; contra eos, qui te ad falsa prouocauerint, tantò in posterum esto pertinacior, quantò tu nobis, cùm ad veritatem votis omnibus inuitaremus, extitisti peruicacior. Sic enim ego in Domino* IESV, *(qui est esse meum & viuere) lætus dehinc moriar, quandoquidem & tu in eo viuas.*

Dionysius 25. annos natus tempore Passionis Dominicæ.

Eclipseos in Christi occubitu exploratio.

Apollophanis de eclipsi iudiciũ.

Ioan. 1.

Humilis sacrarum Litterarũ stilus non sapit Gentilibus.

Hactenus exemplum litterarum Dionysij, & vnà exuberantis lætitiæ, super vnius peccatoris ad Deum accessione, illustre testimonium. Itaque non tanùm fortis & constans Areopagita noster in sustinendis calumniis, & in quibuscumque aduersus fidem nostram machinationibus eluctandis fuit, sed etiam felix & fortunatus. Iam ad accusationem intentatam, aut irrogatam pœnam, nomine respectuque nouæ religionis quod attinet, horum nihil fuit. o Athenienses enim à Socratis morte (cuius ita eos puduit ac pœnituit, vt mox in publici luctus signum, palæstras & gymnasia omnia clauserint, eiusque accusatores alios exiliis, alios morte multarint, ipsum autem æreâ statuâ donarint) minimè præcipites fuêre, nec ad suscipiendam de nouâ religione aduersus quempiam accusationem, nec ad ferendum de Deorum cultu aut neglectu iudicium. Hinc etiam paucæ cùm sint è claris vrbibus, vbi non multa extiterint Christianorum martyria: tamen Athenis, vrbe tam amplâ & celebri, ne vnus quidem fidei Christianæ causâ (de quo quidem firmiter constet) vel exilij, vel mortis pœnâ, præsertim publico iudicio multatus esse facilè reperiatur. Nam de PVBLIO & QVADRATO Athenarum Episcopis, & Dionysij nostri successoribus (de quibus ferè solis ambigi posset) vero est quàm simillimum, quorumdam priuatorum iniuriis, vel tumultu populi subitaneo (vti ex ipsorum & Martyrum actis quadamtenus licet intelligi) vel lapidibus appetitos, vel aliis modis exagitatos, quo pax Christianis esset, sponte sua vrbe cessisse, alibique oppetisse. Quâ de re dicendi locus commodior in Quadrato. Iam enim post euicta, quæ in principiis

Atheniensium de Socratis damnatione pœnitentia.

Athenis nulla aut paucissima martyria.

cipiis occurrere solent, variorum impedimentorum luctamina, ad considerandos eis cùm in sacrâ Theologiâ, tum in omnimodâ virtute profectus prouehimur.

NOTATIONES.

Agitur [a] in hoc Capite de variis aduersus Dionysium tentamentis. Quæ in Vitis Sanctorũ annotare apprimè vtile est, quòd virtus in iis maximè elucescat, & imitationi stimulis indat. Solet autem summus inter suos Magistratus & princeps dignitatis gradus vel fortiter retinere possidentem, vel vehementer inuitare aspirantem. Rupit hos laqueos Dionysius: neq; etiam magis aut amicorum blanditias, aut obtrectatorum verba, aut territantium minas curæ habuit. Vide Syngelum extremo ferè Dionysij encomio. Apollophanem quoque, veterem & intimum sodalem, non tam Christi causâ deseruit, quàm patientiâ & longanimitate deuicit.

Viderant simul stupuerantque insolitam Solis defectionem, sed aliter atque aliter interpretati erant. Dionysius altiori quodam modo & planè diuinitus de Deo in corpore grauia patiente intellexerat: Apollophanes autem de Sole ipso, quem pro Deo habebat, aliquid naturæ contrarium sufferente acceperat. Quod indicare videtur Dionysius in eâ, quam ad eum dedit, Epistolâ, vbi de illâ loquens defectione Solis, hanc adiecit, quasi per occupationem, parenthesin *(non quòd Deus, sed quòd Dei opus in veræ ipsius lucis occubitu lucere non quiuerit)* tamquam si diceret; non quòd Sol Deus sit, vti arbitraris, atque ita Deus lucere non quiuerit, sed quòd Sol Dei opus in Christi, qui vera lux est, occubitu obscuratus sit. Simili occupatione vsus est idem Dionysius lib. De diuinis nominibus cap. 4. vbi post relatam Solis multiplicem efficientiam ita subiunxit: Καὶ οὐ δήπου φημὶ κατὰ τὸν τῆς παλαιότητος λόγον, ὅτι θεὸς ὢν ὁ ἥλιος, καὶ δημιουργὸς τοῦδε τοῦ παντὸς ἰδίως ἐπιτροπεύει τὸν ἐμφανῆ κόσμον· ἀλλ᾽ ὅτι τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θεότης. *Nec hoc dico*, inquit, *antiquitatis fabulam secutus, quòd Sol Deus sit & vniuersi effector, sicque propriè mundum hũc aspectabilem gubernet: sed quòd inuisibilia Dei à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Ita scilicet Apollophanes in Ægypto iam versans, Ægyptiorum imbutus erat antiquo errore, quo Solem & Lunam deos esse arbitrabantur, & venerabantur. De quibus ita Eusebius libro 1. De præparatione Euangelicâ, cap. 9. *Priscos Ægyptios ferunt, cùm oculos in mundi huius contemplatione defixissent, cumque rerum omnium naturam vehementi admiratione obstupescerent, Solem ac Lunam sempiternos esse deos, omniumque principes censuisse.* Quibus ista Arnobij consonant, libro 1. aduersus Gentes: *Solem deum cùm credatis esse, conditorem eius, opificemque non quæritis. Luna cùm apud vos dea sit, non similiter scire curatis, genitor eius & fabricator quis sit.* Licet etiam multas intueri veteres inscriptiones Solem Deum testantes, quarum plures sunt apud Ianum Gruterum, & hæc inter alias:

DEO. SOLI. INVICTO.
ARAM.
C. IVLIVS. CÆSAR.
D. D.

[b] INTER LATRONES PATIBVLATVM.] Frequentissima hæc erat Gentilium in Christianos obiectio, quòd ipsi hominem patibulatum & cruci affixum, & seruili morte damnatum colerent. Sic ex illis vnum inducit loquentem Arnobius lib. 1. aduersus Gentes. *Sed non*, inquit, *idcircò dij vobis infesti sunt, quòd omnipotentem colatis Deum, sed quòd hominem natum, & (quod personis infame est vilibus) Crucis supplicio interemptum, & Deum fuisse creditis, & superesse adhuc creditis, & quotidianis supplicationibus adoratis.* Sic & alium inducit Minutius Felix in Octauio: *Et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum, & Crucis ligna feralia eorum cærimonias fabulantur, congruentia perditis sceleratisque tribuunt altaria: vt id colant, quod merẽtur.* Neque tacuit Lactantius Firmianus, qui lib. 4. De verâ sapientiâ, cap. 16. *Venio nunc*, inquit, *ad Passionem, quæ velut opprobrium nobis obiectari solet, quòd & hominem & ab hominibus insigni supplicio affectum & excruciatum colamus.* Et cap. 16. ibidem: *Dicat enim fortassis aliquis: Cur si Deus fuit, & mori voluit, non saltem honesto aliquo mortis genere affectus est? cur potissimùm cruce? cur infami genere supplicij? quod etiam homine libero, quamuis nocente, videatur indignum.* Vide ibi insignem responsionem. Neque siluit Augustinus, qui Sermone 8. de Verbis Apostoli, *De Cruce Christi*, inquit, *nobis insultant sapiẽtes huius mundi, & dicunt: Quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum!* Vide etiam S. Isidorum Pelusiotam lib. 4. Epist. 31. vbi Gentilem quemdam sophistam, irridentem Christi crucem & passionem, egregiè & cum applausu audientium conuicit. Nam cùm ille de Deo crucifixo in effusum risum solueretur, quæsiuit Isidorus: *Sed vnde potes demonstrare Christum crucifixum?* Mirantibus autem cunctis, quorsum talis interrogatio tenderet, Gentilis velut certus de victoriâ respondit, *In vestris Euangeliis id scriptum est*: tum Isidorus, *Atqui & in iisdem*, inquit, *scriptum est, quòd resurrexerit & in cælos redierit. Si ergo vnum credis Euangelio, crede & alterum.* Post quæ tantus est exortus adstantium risus & applausus, vt vterque erubesceret, Isidorus de gloriâ, Gentilis de ignominiâ.

[c] INGENS PRODIGIORVM EAM OB REM PATRATORVM COPIA EVIDENTER COMPROBARIT.] Via probandi diuinitatem Christi per prodigia, ab ipsomet Christo ostensa est, Matth. 5. vbi missis à Ioanne ad interrogandum, num ipse Messias & Saluator esset, respondit: *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Hanc viam & Apostoli tenuerunt, & eorum sectatores ac posteri: nec vmquam ad Fidẽ probandam defuit in Ecclesiâ Dei potestas miraculorum. Hanc fidei & Ecclesiæ notam benè pertractauit S. Iustinus Martyr, ad cuius Vitam, vbi nos de illâ fusiùs, remitto Lectorem.

d In POLYCARPI.] Is est S. Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus.

e AB APOLLOPHANE SOPHISTA.] Nomen *sophista* est vnum ex ancipitibus, & quæ vtramq; in partem capi possunt, bonam & malam. Hîc autem in bonam capitur, pro multarum rerum & artium perito. Alibi appellat eum Dionysius *doctrinæ speculũ*, alibi *virum sapientẽ*. De primis significationibus vocis huius σοφιστὴς *sophista* vidēdus est Plutarchus in Themistocle, sub initiũ.

f QVI, VT DOCENT SACRÆ LITTERÆ, FACIT MVTATQVE OMNIA.] Locus hic est in LXX. Interp. Amos cap. 5, 8. his verbis: Ὁ ποιῶν πάντα καὶ μετασκευάζων. *Faciens omnia & mutans.* Alioqui vulgata editio Latina habet: *Facientem Arcturũ & Orionem, & cõuertentem in manè tenebras, & diem in noctẽ mutantẽ.* Loquitur autem de Deo, cuius solius est talis actio, conuersio, mutatio.

g QVIS ENIM FECIT, VT OLIM SOL ET LVNA, &c.] Desumpsit S. Dionysius è lib. Iosue cap. 10. v. 12. & seqq. vbi sic loquitur: *Tunc locutus est Iosue Domino, in die quã tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro Iustorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei. Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.* Ecclesiastici autem cap. 46, 5. ita de Iosue: *An non in iracundiâ eius impeditus est Sol, & vna dies facta est quasi duo?*

Assignat porrò Dionysius duos modos, quibus fieri potuit, vt Sol & Luna starent immoti. Vnus quidem, quo omnes cæli vnà cum illis cõsisterent, nullamque in partem mouerentur. Alter, quo cæli omnes, etiam illi in quibus Sol & Luna fixi sunt, solito motu voluerentur, solique Sol & Luna quieti eodem in loco starent, nec cum suis cælis mouerentur. Quod posterius prodigiũ meritò Dionysius priori admirabilius futurum fuisse censet. Turbam enim ingentium contineret miraculorum, quæ Astrologis relinquo expendenda.

Super hac duorum luminarium insolitâ & prodigiosâ statione atque morâ nonnullas pertractat quæstiunculas Serrarius noster in cap. 10. Iosue, quas operum vacuis non sit inutile contueri. Vide & Gasparem Sancium in 38. caput Isaiæ.

h QVIS AVCTOR ALIAS FVIT, VT DIES VNVS FERE TRIBVS ÆQVARETVR?] Aliud hoc loco proponit S. Dionysius Apollophani prodigium, de Solis regressu tempore Ezechiæ Regis Iuda. Cui signum futuræ curationis suæ postulanti ait Isaias lib. 4. Regum cap. 20, 9. *Hoc erit signum à Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias: Facile est, vmbram crescere decẽ lineis: nec hoc volo vt fiat, sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus. Inuocauit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.* Sic ibi. Quod miraculum reponitur Isaiæ c. 38, 7. his verbis: *Hoc autem tibi erit signum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est: Ecce ego reuerti faciam vmbram linearũ, & per quas descenderat in horologio Achaz in Sole, retrorsum decem lineis. Et reuersus est Sol decẽ lineis per gradus, quos descenderat.*

Sensus historiæ huius est talis: Ezechias Rex Iuda ex graui infirmitate lecto affixus, Dñũ pro valetudine recuperãdâ exorauit: Deus per Isaiã Prophetam ei non modò se valetudinem redditurum, sed etiam quindecim annos vitæ addere rum promisit. Ezechias signum petiit in eius rei testimonium. Indulsit Deus, & facturum se dixit, vt Sol, qui iam decem diei horas confecerat, totidem retrò reflecteret, atq; in Orientem regrederetur. Quod & factum est. Ac propterea ille vnus dies, quo ista fiebant, rectè dicitur à Dionysio fuisse ferè par tribus. Nam si quatuor adderentur horæ, essent triginta octo, ac cõsequenter tres dies. Nam cùm dies sit horarũ duodecim, Sol iam decem confecerat, atque ita ferè vnum diem absoluerat, exceptis scilicet duabus horis, antequam regrederetur: in regressu autem cùm totidem horas impenderit, nempe decem, secũdi diei spatium fuit, exceptis rursum duabus horis; quo decem horarum spatio peruenit Sol ad locũ ortus sui: ex quo deinde loco ad Occidentẽ vsq; confecit duodecim horas integras; ita vt vltimus cursus Solis fuerit dies integer horarũ duodecim, duo autem priores fuerint singuli horarum decem. Atque ita dies ille supra Iudææ horizontem fuit triginta duarum horarum.

Ex his facile est verborum S. Dionysij sensum colligere. *Quis*, inquit, *vni Soli dedit, vt in cursu proprio* (qui est scilicet horarum duodecim ab Oriente in Occidentem) *quincuplici suâ motione in decem horas contracta* (cùm nimirum, nisi contraheretur cursus ad Occidentem, motio illa deberet esse horarum duodecim) *eâdem rursus totam aliis duodecim horis remensus* (quando videlicet pro eo, quòd debuisset reliquas duas diei horas ad Occidentem vsq; perficere, iis relictis, eâdem quâ venerat viâ retro flexit per meridiẽ, ad locum vnde exortus erat) *nouam terendo viam remearet.* Est enim planè noua via, cùm Sol sit prope Occasum, retrò ad Meridiem reuerti, & per eum ad Meridiem regredi. De quincuplici autem Solis motione vide Maximum & Pachymeram ad hanc Dionysij Epistolã. Porrò scopus sancti viri in his exemplis fuit, peritũ Astrologiæ Apollophanem docere, illas in cælis atque astris mutationes à solo Deo vnico & vero factas esse: vti & illas quoque, quas tẽpore Passionis Christi, cùm ipsi vnà essent in Ægypto, viderint: ac proinde illum vnicum Deum sequendum & colendum, qui Solem & Lunam & omnes cælos condiderit: non verò existimãdum Soli aut Lunæ aliquid inesse diuinitatis: quemadmodum nec illis omnibus, quos Gentiles vt deos colunt, Ioui, Marti, Mineruæ, Neptuno, ceteris.

i NAM ET HOC BABYLONIOS MERITO OBSTVPEFECIT.] Dicit Dionysius, Babylonios tanti conspectu miraculi obstupefactos, citra pugnam se subdidisse Ezechiæ. Quæ in hoc sensu capienda sunt, misisse scilicet Regem Babyloniorum (is tum erat Berodach Baladan, filius Baladan) legatos cum muneribus ad Ezechiam Regem, & societatem atque amicitiam ab eo petiisse. Quod & Iosephus libro 10. Antiquitatum Iudaicarum capite 3. testatur his verbis:

Ὁ δὲ

Ὁ δὲ τῶν Βαβυλωνίων βασιλεὺς, Βαλάδας ὄνομα, πέμψας πρὸς τὸν Ἐζεκίαν πρέσβεις, δῶρα κομίζοντας, σύμμαχόν τε αὐτὸν εἶναι παρεκάλει καὶ φίλον. *Rex autem Babyloniorum Baladas nomine, missis ad Ezechiam legatis cum muneribus, rogauit eum, vti socius & amicus esse vellet.* Non habetur quidem in sacris Litteris, venisse Legatos petitum societatem & amicitiam, neq; lib. 4. Regum cap. 20. neq; lib. 2. Paralipomenon cap. 32. neque Isaiæ cap. 39. (in illis enim omnibus locis, & solis, huius historiæ est memoria) sed tantùm venisse gratulatum de recuperatâ valetudine (vt in 4. Regum & in Isaiâ indicatur) vel interrogatum *de portento, quod acciderat super terram* (vt 2. Paralipomenon) nihilominùs tanta est apud me Iosephi & Dionysij Areopagitæ auctoritas, vt facilè illis assentiar. Neque vllâ ratione eos probo, qui hunc vel illum aliquid, quod in Scripturis non sit, proferentem, audacter, ne dicam temerè & impudenter sugillant. Quasi verò non perinde Iudæis præter Scripturam suæ traditiones fuerint (quas ipsas non semel citat S. Hieronymus) sicut modò sunt Christianis: aut quasi aliæ historiæ sacræ non illis peræquè ac nobis in vsu & auctoritate illis extiterint temporibus. Quare ea sola, quæ ita rationi aut Scripturæ aduersantur, vt cùm eâ conciliari non possint, prorsus improbanda sunt. Est enim Scriptura sacra Domina veritatis. Sed si quis aliqua vera non putet, propterea quòd in illâ desint, næ illi mens & sensus magis deest. Est tamen discrimen inter fidem quam Scripturæ tribuimus, & fidem quam aliis historiis, aut humanis traditionibus accõmodamus. Illa enim diuina, hæc humana est: illa certa & falli nescia, hæc non ita certa quin falli possit. Quod igitur Iosephus (quem SS. Patres laudauerunt, & magni fecerunt) & Dionysius Areopagita (quem schola suspicit Theologorum) afferunt sacris Scripturis non aduersum, sed omissum tantùm, hoc meo iudicio magni faciendum est; neque vllo modo audiendi sunt, qui quauis leui occasione in illos irruunt.

k TRIPLICIS MITHRÆ.] Quod hîc affert Dionysius de triplicis Mithræ seu diei portento, & Babyloniorum submissione, id in ipsis quoque Persarum sacris ac Ritualibus libris contineri asserit, nempe contra Gentilem Apollophanem gentilitio pugnans gladio. Μάλιστα μὲν οὖν τοῦτο τῶν Περσῶν ἱερατικαῖς ἐμφέρεται φήμαις· καὶ εἰσέτι Μάγοι τὰ μνημόσυνα τοῦ τριπλασίου Μίθρου τελοῦσιν. *Maximè igitur hæc*, inquit, *in Sacerdotalibus Persarum monumentis continentur: atque Magi etiamnum memoriam triplicis Mithræ celebrant.* Vbi triplicis Mithræ, id est, triplicis Solis. Est enim Mithras Persis idem, quod Sol, coliturq; ab iisdem diuinis honoribus, quippe ipsorum Deus. Hinc Artabazus Persa apud Xenophontẽ lib. 7. de Institutione Cyri, per illum iurat: Μὰ τὸν Μίθρην. *Per Mithram.* Strabo item libro Geographiæ 15. Τιμῶσι τὸν ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν. *Colunt Solem, quem Mithram appellant.* Veteres quoq; extant inscriptiones, vbi iunctim ponuntur Sol & Mithras, vt videre est in hîc appositis.

Romæ:

Ex Onufrio & Fuluio.

SOLI. INVICTO.
MITHRÆ.
T. ANTISTIVS.
T. F. STELLATINA.
SEVERIANVS.
DEDICAVIT.

Mediolani in ianuâ S. Ambrosij, portâ Vercellensi:

Ex Arriano.

S. D. I. M.
P. ACIL. PISONIANVS.
PATER. PATRATVS.
QVI. HOC. SPELEVM. VIOL.
IGNIS. ABSVMPTVM.
COMPARATA. AREA. A. REPVBL.
MEDIOL. PECVNIA. SVA.
RESTITVIT.

Vbi quatuor primi characteres D. S. I. M. significant: DEO. SOLI. INVICTO. MITHRÆ. Vide plures eiusmodi inscriptiones apud Ianum Gruterum. In quibus SOLI MITHRÆ nihil est aliud, quàm Soli quem Persæ Mithram appellant. Vnde apud Curtium lib. 4. Historiarum, de iisdem Persis sic prorsus legendum: *Solem Mithram, sacrumque & æternum inuocant ignem.* Non verò, quod aliqui voluerunt, Solem, Martem, &c. Nec enim illis Mars Deus in cultum. Romani porrò non statuas modò, sed & templa Soli Mithræ erexerunt. De Aureliano Imperatore conditore & consecratore templi Solis testatur Flauius Vopiscus in eius Vitâ. *Templum Solis*, inquit, *magnificentissimum constituit.* Et priùs dixerat: *Cùm ad templum Solis venissemus, ab Aureliano Principe consecratum.* De Mithrâ & eius sacris in specu fieri solitis, meminerunt S. Iustinus Martyr, Tertullianus, Gregorius Nazianzenus, & alij complures.

l IAM IAM AD TE CORDIS MEI AMOR, &c.] Illa sancti Dionysij Epistolâ ad Apollophanem iam Christianum rudiore stilo primitus è Græco in Latinum conuersa fuit, vt quidem repræsentatur ab Hilduino Abbate, in Vitâ S. Dionysij, octingentis antè annis scriptâ. Et stilus vix Latinus, ac ne vix quidem arguit è Græco esse versam.

Exemplum autem Græcum venisse videtur in manus S. Maximi, sed posteà amissum, cùm ad Epistolam Dionysij 10. quæ est ad Ioannem, ita scribat: Ὑποθώμεθα δὲ καὶ τὸν θεῖον Διονύσιον, ὅτε τὰ ἐπὶ τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου εἶδεν, εἶναι κέ ἐτῶν. ἅτε οἶμαι καὶ ἔτι ἀναγινώσκοντα. *Supponamus autem*, inquit, *sanctum Dionysium, quando ista propter Domini Crucem prodigia conspexit, fuisse viginti quinq; annorum, quemadmodum me adhuc legisse arbitror.* Sic ille. Cùm autem id disertè in hac ad Apollophanem Epistolâ expressum reperiatur, & alibi nusquam credibile est Maximum in eam Epistolam aliquando incidisse, sed nunc eamdem intercidisse. Accedit, quòd tam argumentum ipsius Epistolæ, quàm stili Græci vestigia (quæ magis in rudi versione notari possunt & solent, quàm in politiore) spiritum & orationem spirent sancti Dionysij.

m SÆPE ENIM TIBI ET QVIDEM ACCVRATE EXPOSVI, &c.] Hæc indicant frequentes Dionysij cum Apollophane congressiones & disputationes, vti & illa quæ pòst subdit: *Quibus mihi non semel, sed sæpiùs respondisti, &c.*

n NON

[n] NON QVOD DEVS, SED QVOD DEI OPVS, &c.] Est Dionysij ad Apollophanem occupatio, qua occurrit tacitæ obiectioni, quam mouere potuisset Apollophanes, dicens, extraordinarium Solis & Lunæ occursum cum densis tenebris, vocari diuinarum rerum mutationes; quia scilicet Sol & Luna dij sint & habeantur; ideoque eorum prodigiosas mutationes, rerum esse diuinarum conuersiones. De quo iam egi initio Capitis fusiùs.

[o] ATHENIENSES ENIM A SOCRATIS MORTE, CVIVS ITA EOS PVDVIT.] Rem narrat Diogenes Laërtius in Socrate, vbi sub extremã eius Vitam hæc refert: Ἀθηναῖοι δ' εὐθὺς μετέγνωσαν, ὥστε κλεῖσαι καὶ παλαίστρας καὶ γυμνάσια. Καὶ τοὺς μὲν ἐφυγάδευσαν, Μελίτου δὲ θάνατον κατέγνωσαν. Σωκράτη δὲ χαλκῆς εἰκόνος ἐτιμήσαντο, ἣν ἔθεσαν ἐν τῷ Πομπίῳ, Λυσίππου ταύτην ἐργασαμένου. Ἄνυτόν τε ἐπιδημήσαντα αὐθήμερον ἐξεκήρυξαν Ἡρακλεῶται. *Athenienses ita mox pœnituit, vt palæstras & gymnasia clauserint: & alios quidem exilio, Melitum verò morte condemnarint. Socratem porrò æreâ statuâ honorarint à Lysippo factâ, quam in Pompeo* [celeberrimo vrbis loco] *posuerunt. Anytum denique peregrè profectum Heracleotæ ipsâ die edicto exterminarunt.*

CAPVT IV.

Dionysij in Theologiâ & virtute profectus, atque ad Episcopatum euectio.

EX [a] quo tempore nouus hic Christi miles aquis salutaribus in Ecclesiâ Dei respersus, cunctis inimici pompis ac lenociniis nuntium remisit, cõfestim tamquam de morte translatus ad vitam, & pristinæ suæ cum strepitu populari consuetudinis oblitus, noua studia aggredi, nouas virtutes omni conatu & animi & corporis vrgere ac persequi cœpit. In quo, vt faciliùs iuxtà & feliciùs fructum operæ suæ dignum consequeretur, ipsa magistrorum dignitas ac præstantia (vnde primus discendi ardor nasci solet) momenti attulit plurimum. Nam eos sanè magistros habuit, qui Deum ipsi habuerant præceptorem. Nempe Apostolos & Discipulos Christi, [b] sed præ omnibus, & diutiùs omnibus, Paulum. Qui enim illum verbo veritatis in Christo genuerat, idem prima illi spiritus alimenta suppeditauit, idem prima fidei elementa tradidit, idem lac illi potum dedit. Instar siquidem & exemplum bonæ matris præstare erga Dionysium Paulus voluit; non minùs scilicet liberaliter educando, quàm ingenuè pariendo. Quare præcipua religionis nostræ mysteria sedulò illi exposuit, mundum videlicet, qui perperàm à nonnullis Philosophis ab æterno exstitisse disputaretur, à Deo conditum esse, cùm anteà nihil omnino, nisi Deus, extitisset: tum etiam Angelos, tum homines primitus creatos; & illos quidem cæli habitatores, hos autem terræ incolas, & paradisi cultores constitutos: ad quorum pleniorẽ notitiam ipsi sedulam veteris Instrumenti lectionem impensè commendabat. Deinde primorum parentum peccata & pœnas, & illorum ad posteros transfusionem, atq; inde totius humanæ infirmitatis originem (vnde vt culparum, sic aquarum profluxisset diluuium) explanabat. Post illud quoque, perditi generis instaurationem, & Patriarcharum seriem atque fidem, egregiaq; numinis instinctu facinora in oculis defigebat. Tum verò ad scriptam Dei voluntatẽ, & Angelorum ministerio cælitus delatam legem, ac Moysi in manus traditam aggrediebatur: cuius legis præcepta duabus tabulis exarata cùm mirificè dilaudasset, eaque non solùm naturæ conformia, sed etiam humanæ societati cõseruandæ necessaria commonstrasset, dehinc multitudinem rituum ac cærimoniarum rudi, duroque populo, ad perdomandam eius ferociam, congruenter quidem initio impositarum, sed nunc mutatis temporibus earumdem nimiam difficultatem, atque ex eâ re plurimas mortalium partim transgressiones, partim anxietates (prout vel existimatio neglectum, vel nimia sollicitudo superstitionem pareret) verbis exaggerabat. Ex quibus omnibus, ac præcipuè ex perpeti hominum exitio ac ruinâ, efficere nitebatur, & profectò efficiebat, opus fuisse omnino, vt lege veteri exarescente, rebusque pessum euntibus, noua lex, nouus legislator adueniret: & quidem talis, cui potestas & imperium in omnes esset. Itaq; Deum Patrem misisse è cęlo vnigenam Filium suum, qui iunctâ sibi & conglutinatâ nostrâ naturâ, simul Deus simul homo existens, redimere modo optimo genus mortaliũ, & pro suâ infinitâ sapientiâ sciret, & pro inexhaustâ potentiâ posset, & pro immensâ bonitate vellet. Super quibus altissimis Fidei nostræ mysteriis, cùm Dionysio tamquam acuto & solerti in paucis Philosopho multa succurrerent exaduersò, eaque nec leuia nec spernenda argumenta, hæc vbi Magistro suo lucis habendæ gratiâ proposuisset, ab hoc euestigiò tam lucidè habebat exposita, & nouis insuper aliorum nodorum exsolutionibus coniunctim declarata, vt multò semper plus referret, quàm quæsisset. Cùm enim Paulum minimè fugeret, quantus olim in Republicâ Christianâ futurus esset Dionysius, accelerabat hominem Eccle-

S. Paulus Apostolus Dionysij primus præceptor in rebus fidei.

Veteris legis commendatio.

Noua legis causa & institutio.

Ecclesiæ necessarium opportunis instruere documentis, atque in eius animam, velut in quamdam sacrorum depositorum arcam fidelissimam, omnes scientiæ ac sapientiæ suæ thesauros congerere. Itaque, cui nec acre deerat ingenium, & talis ac tantus Magister suppetebat, facile fuit, accedente in primis non impari diligentiâ, eò diuinarum rerum cognitionis breui tempore peruenire, quò pauci multis annorum spatiis vix ac ne vix quidem potuerint attingere. Denique (vt quid Paulus Dionysio contulerit, paucis & significantibus verbis è Scripturâ complectar) *circumduxit eum & docuit.* [c] Nam

Deut. 32, 10.

Paulo Græciam & Asiam peragranti tres ipsos annos adhæsisse Dionysium, constans est fides. Illo igitur Theologiæ Magistro maximè & primò omnium vsus est: [d] secundùm hunc autem S. Hierotheo, viro, si non omnino pari Apostolis, certè suppari, & mirificis Dei optimi maximi donis vbertim cumulato. De quo in præsentiâ (quòd aliàs opportunior, cùm eius describetur vita, futurus sit enarrandi locus) plura non tangam. Quia verò minimè satis est homini ad Ecclesiæ gubernacula admouendo, quantacumque pollere scientiâ, seu sacrâ seu profanâ; sed opus prætereà est, ac præcipuè quidem, multâ eximiaque virtute (nam illa instrumenti dumtaxat, hæc autem animæ locum tenet) idcircò Dionysius tantò in hanc quàm in illam incubuit impensiùs, quantò anima instrumento præstabilior est. Nec longè illi petenda omnigenæ virtutis aut documenta fuerunt aut exempla, cùm & illa idemtidem ex Magistri ore, velut certissima oracula, audiret; & hæc in eiusdem vitâ & moribus, quasi in pulcherrimâ picturâ, quotidie legeret. Quare illius exemplo, corpus suum (quæ prima est tendentibus ad vitæ perfectionem via) [e] crebris ieiuniis, vigiliis, laboribus perdomabat, atque in seruitutem quotidie redigebat. Neque enim poterat nec volebat in comitatu Pauli aliud facere quàm Paulus. Vti ergo Paulus (quemadmodùm de se ipse prædicat) cùm aliis in multis malis fuit, tum nominatim *in labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate*, sic & Dionysius, vt Magistri germanus discipulus, esse in iisdem voluit: nec quidquam in vitæ victusque commodis, aut malorum immunitatibus habere singulare. Quippe ex Euangelij lectione didicerat, sufficere *discipulo, vt sit sicut magister eius; & seruo, sicut dominus eius.* Nolebat igitur, laborante, aut

S. Hierotheus Dionysij secundus magister in Religionis mysteriis.

Eximia scientia & virtus præstans, duo ad Episcopatum necessaria.

Via ad vitæ perfectionem.

1. Cor. 11, 27.

Matth. 10, 25.

vigilante, aut ieiunante Magistro, vel otiosus esse, vel somnolentus, vel genio deditus: sed belli illius intestini & continuæ pugnæ, in quâ inter se hostiliter caro & spiritus, licet habitatione coniunctissimi, assiduè confligunt, conscius (*caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem*) huic arma sua, quibus præualeret & insolesceret, detrahere; & illi auxilia & neruos, quibus legitimo suo potiretur dominatu, instituit acquirere. Itaque lecti, mensæ, aliarumque rerum huiusmodi, non modò delicias, sed etiam minùs necessarias commoditates generoso animo circumcidit. Spiritui verò prorsus è contrario, non solùm quas potuit commoditates, sed etiam delicias omnes, tametsi eas non semper, nec omni ex parte necessarias, indulsit. Quas autem? Nimirum continuas ad Deum precationes, quibus nihil nec sapidius esse potest, nec salubrius: deinde sancti Euangelij & aliarum sacrarum Scripturarum lectionem, non tantùm diurnis, sed etiam nocturnis horis frequentatam; quâ nescio an quidpiam aduersus malarum voluptatum exitiales illecebras reperiri fortius valeat atque solidius. Denique (vt alia omittam) diuinæ illius mensæ, & Panis viuifici quotidianum pastum, vnicas deuotæ animæ delicias, quibus tamen deliciis (nec enim id de omnibus dici potest) & robur quoque inest & immortalitas. Hæc igitur quatuor inter alia plurimi faciebat (quæ & omnes sanè, qui nomen aliquod in perfectiore vitâ obtinere apud Deum volunt, plurimi facere, & maximo in pretio habere debent) corporis scilicet inuictam depressionem, orationis vsum indeficientem, sacræ lectionis studium indefatigabile, diuini epuli famem gustumque insatiabilem: primum quidem eâ de caussâ, quòd quantò corpus deprimitur, tantò ferè spiritus eleuetur: secundùm autem, quòd sapienter intelligeret, *omne datum optimum & omne donum perfectum desursum* esse, *descendens à Patre luminum*, & continentiam atque sapientiam non tam humanâ ope acquiri, quàm ritè postulantibus manu diuinâ conferri: tertium verò, quòd minimè ignoraret, sacræ Scripturæ verba spiritum & vitam esse: quartum denique, quòd certus existeret, omnes Diuinitatis thesauros illo in Sacramento pleniùs atque vberiùs quàm vspiam alibi, cum hominibus communicari. Itaque per sollicitam corporis macerationem, & assiduam precationum in cælos eiaculationem, ad alias virtutes (quarum istæ non tantùm fundamenta, sed etiam

Gal. 5, 17.

Mentium piarum delicia.

Iacobi 1, 17

Dionysij in virtutum viâ profectus.

iam fomenta sunt) sibi viam strauit. Quin etiam eò vsque & laborando & conniten-do progressus est, vt nihil eum corpus, aut certè propè nihil retardaret, quò minùs & diuinas litteras hominibus terrestribus, & friuola voluptatum amantibus inaccessas penetraret: ac sese insuper (adiuuante in primis ac subleuante illâ gratiâ, quæ in Sacramento sacramentorum plurima suscipitur) visis cælestibus, & Angelicis collocutionibus dignum exhiberet. Paulus igitur hos sui discipuli profectus videns, & egregia virtutum specimina, quæ in dies affatim exhibebat, cùm animo suo subinde pensitans, miro efferebatur gaudio. Nam ita Dionysius cunctos sui Magistri mores induerat, ita omnem eius disciplinam, speculi instar nitidissimi, repræsentabat, vt hic eum contemplans, velut alterum se in eo contemplari videretur; vt nec immeritò eadem illi posset dicere, quæ alij cuidam discipulorum, licet alio quodam sensu, dixit: *Tu autem assecutus es meã doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam.* Quippe adeò hæc noster Areopagita erat assecutus, vt non tantùm ea in Paulo esse meminisset, sed ipse etiam vitâ & moribus repræsentaret. Quare Paulus nihil ampliùs differendum ratus, quin tantum lumen ad dispergendas gentilitiorum errorum tenebras in sublimi poneret, eum magno totius Ecclesiæ bono, sed Occidentalis præsertim, vt pòst videbitur, longè maximo, creauit Episcopum, Atheniensique Ecclesiæ iam ad lucem assurgenti præesse voluit: [f] siue primum (vt alius Dionysius Corinthiorum Antistes & scriptor perantiquus memorat) [g] siue secundum, vt è Græcorum Menæo (vbi primus locus sancto Hierotheo assignatur) colligi potest. Nam in primis ferè omnium Ecclesiarum Episcopis, non modò propter ingenia hominum, naturali quodam vitio antiquitatem affectantia, sed etiam propter frequentes ipsorum Episcoporum ab vno loco ad alium migrationes, magna inueniendi ordinis certæque successionis assignandæ difficultas exoritur. Constat enim, vti enascente, sic adolescente Ecclesiâ, non Apostolos tantùm, sed ipsorum quoque discipulos incredibili quodam fidei ardore succensos, non vnius loci ditionisve angustiis labores terminasse suos, sed Ecclesiâ satis alicubi fundatâ instructaque, relicto inibi aliquo è discipulis successore, alias in terras Euangelij quàm longissimè propagandi studio cupidè commigrasse. Vnde & Historiæ Ecclesiasticæ Principem

2. Tim. 3, 10.

S. Dionysius à Paulo creatur Episcopus.

Series primorum in Ecclesiis Episcoporũ eur incerta.

Eusebius lib. 3. Hist. Eccl. c. 37.

valdè laudo, qui hunc illorum morẽ (prælucet enim veritati) minimè tacitum præteriit, sed de his ipsis, quæ iam transcurrimus, temporibus agens, deque viris Apostolicis (qui vsque ad S. Quadratum, Dionysij nostri, post Publium, in eodem Atheniensi Episcopatu successorem, extiterunt) mentionem inducens, in hanc ferè perscribit sententiam. *Plurimi*, inquit, *eâ tempestate ardentiori cælestis sapientiæ amore succensi, & animos diuini verbi thyrso percussi, primò quidem salutaribus obsequentes cohortationibus, copias suas in egenos distribuebant, deinde relictâ domo & patriâ, munus Euangelicæ prædicationis aggrediebantur, atque iis potissimè, qui nihildum Christianæ fidei inaudissent, Christum annuntiare, & sanctorum Euangeliorum Scripturas aperire, omni studio contendebant. Hi autem iactis in peregrinâ terrâ fidei fundamentis, cùm alios pro se Pastores ibidem ordinassent, & nouarum Ecclesiæ plantarum curam culturamq́, eis demandassent, tum ad alias inde regiones atque gentes sese cum Dei gratiâ atque adiutorio transferebant. Quippe cùm illo etiam tempore plurima ab illis miracula, Spiritus sancti virtute designarentur: quibus fiebat, vt ad primas eorum conciones, plurima mortalium turba veram erga Deum pietatem atque cultum auidis animis combiberent.* Sic ille. Cùm igitur non rarò accideret, nonnullos ex iis Pastoribus perexiguo tempore, & rebus non satis exactè ordinatis, in Episcopali throno considere, hinc factum est, vt iis in serie Episcoporum præteritis, ipsorum successores, qui & diutiùs eas prouincias administrassent, & in rebus Ecclesiæ stabiliendis plus laborassent, pro primis Episcopis haberentur. Ita Hierotheum Ecclesiam Atheniensem à Paulo vixdum inchoatam, primum suscepisse, auxisse, rexisse, docuisse arbitrandum est; sed eo paucis pòst annis ad alia, quò Spiritus agebat, digresso, aut etiam ab Apostolis euocato & misso ([k] nam in Hispaniam concessisse, & ibi Episcopatum tenuisse, in confesso est) Dionysium à Paulo eidem Ecclesiæ præfectum esse: [i] idque anno circiter à Christi ortu quinquagesimo quinto: quo tempore agebat ipse Dionysius annum ætatis ferè quadragesimum sextum, parque erat tam regendæ Ecclesiæ, quàm quibusuis laboribus pro suscepti muneris ratione sufferendis. Quæ quidem quemadmodum præstiterit, & quibus in fundando atque ordinando Atheniensi Episcopatu virtutibus effloruerit, nunc tempus est breuiter exponendi.

Christianorum in disseminãdo Euangelio feruor.

S. Hierotheus aliquamdiu rexit Ecclesiam Atheniensem.

Quo anno Dionysius creatus sit Episcopus Athenarũ.

NO-

NOTATIONES.

EX a QVO TEMPORE NOVVS HIC CHRISTI MILES, &c.] Agitur in hoc cap. de S. Dionysij Præceptoribus in doctrinâ fidei, & sub illis profectu eximio.

b SED PRÆ OMNIBVS, ET DIVTIVS OMNIBVS, PAVLVM.] Quin Paulus Apostolus & Doctor Gentium, præceptor S. Dionysij Areopagitæ fuerit, nefas est dubitare. Vide quæ diximus in productis è Græcorũ Menæo Elogiis. Verùm quòd quidam hæretici improbè effutire ausi sint, Dionysium ne semel præceptoris sui Pauli meminisse, iuuat breuiter ad refrenandam impudentium mendaciorum audaciam aliquot loca colligere, in quibus perhonorificam magistri sui facit mentionem.

1. Igitur in libro de Diuinis nominibus, c. 2. sic ait: Καὶ τοῦτο ὑπερφυῶς ἐννοήσας ὁ κοινὸς ἡμῶν καὶ τοῦ καθηγεμόνος ἐπὶ τὴν θείαν φωτοδοσίαν χειραγωγός, ὁ πολὺς τὰ θεῖα, τὸ φῶς τοῦ κόσμου, τάδε φησὶν ἐνθεαστικῶς ἐν τοῖς ἱεροῖς αὐτοῦ Γράμμασι. Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ, εἴτε ἐπὶ γῆς (ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοὶ) ἀλλ᾽ ἡμῖν εἷς Θεὸς ὁ Πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτὸν, καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι᾽ οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς δι᾽ αὐτοῦ, &c. *Et hoc cùm præcellenter intellexisset communis meus & præceptoris mei ad diuinam illustrationem manuductor qui magnus in diuinis est, & lux mundi, hæc in sacris*
1. Cor. 8. *Epistolis suis diuino instinctu dicit: Nam etsi sunt qui dicantur Dij, siue in cælo, siue in terrâ (siquidem sunt Dij multi, & Domini multi) nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Qui locus totidem verbis est in Paulo 1. ad Cor. cap. 8. Itaque meminit magistri sui, & cum honore.

2. In eodem lib. cap. 3. vtriusque simul magistri, hoc est, Pauli & Hierothei, laudem intulit his verbis: Καὶ ἡμᾶς τοὺς μετὰ Παῦλον τὸν θεῖον, ἐκ τῶν ἐκείνου λόγων στοιχειωθέντας, &c. *Ac nos, qui post Paulum illum diuinum, eius [Hierothei] documentis instituti sumus, &c.*

3. Ibidem cap. 4. Διὸ καὶ Παῦλος ὁ μέγας ἐν κατοχῇ τοῦ θείου γεγονὼς ἔρωτος, καὶ τῆς ἐκστατικῆς αὐτοῦ δυνάμεως μετειληφὼς, ἐνθέῳ στόματι, Ζῶ ἐγὼ, φησὶν, οὐκ ἔτι, &c. *Quocircà & Paulus ille magnus diuino amore correptus, atque à se ipse dimotus,*
Gal. 2,20. *diuino ore, Viuo,* inquit, *iam non ego, viuit verò in me Christus, &c.*

4. Ibidem, cap. 7. Καὶ τοῦτο ὑπερφυῶς ἐννοήσας ὁ θεῖος ὄντως ἀνὴρ, ὁ κοινὸς ἡμῶν καὶ τοῦ καθηγεμόνος ἥλιος, Τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων φησὶν, &c. *Quod cùm eximiè cognouisset verè diuinus vir, communis meus & Præceptoris*
1. Cor. 1, 25. *sol, dixit: Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Eant nunc cum mendaciis suis & calumniis homines improbi & impudentes, & dicant non meminisse Præceptoris sui eum; qui toties & sæpiùs, tantaque cum laude meminit.

c NAM PAVLO GRÆCIAM ET ASIAM PERAGRANTI TRES IPSOS ANNOS ADHÆSISSE DIONYSIVM.] Quin Pauli comes fuerit Dionysius, ambigi non debet. Primi ac præcipui Historici id asserunt. Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. 4. inter Pauli comites & adiutores illum recenset. Item Nicephorus Callistus, & alij. Verba Michaelis Syngeli idem testantis vide suprà Cap. 11. Adhæsisse autem ei tres ipsos annos, ex antiquis monumentis & ab Hilduino accepimus.

d SECVNDVM HVNC AVTEM S. HIEROTHEO.] Auctor est ipse Dionysius paulò antè citatus num. 2. & in illis locis, quæ ex illo excerpsimus; atque in Vitâ posuimus Cap. XXIII. vbi non tantùm fatetur se Hierothei discipulum, sed etiam prædicat.

e CREBRIS IEIVNIIS, VIGILIIS, LABORIBVS.] De his vide Syngelum in Encomio, vbi inter alia: Καὶ τῆς πρὸς Θεὸν ἀναλάσεως ὅλος ἐραστὴς καὶ ἀγωνιστὴς καθίσταται, προσευχαῖς συντόνοις διημερεύων τε καὶ διανυκτερεύων, καὶ παννυχίσιν ἀΰπνοις ἐγκαρτερῶν, καὶ νηστείαις τὸ σαρκίον δαμάζων, καὶ τὴν χείρονα μοῖραν καθυποτάσσων τῇ κρείττονι, τὸν χοῦν τῷ νοῒ, καὶ τὴν γεώδη καταλεπτύνων παχύτητα, ἣ ταῖς διανοίαις οἷά τις ὁμίχλη ζοφώδης ταῖς ἡλιακαῖς ἀκτῖσιν ἐπιπροσθεῖν εἴωθεν. *Et totus ad Deum assurgere amat contenditque continuis precibus diu noctuque insistens, atque insomnibus peruigiliis obdurans, & ieiuniis corpus perdomans, ac partem deteriorem præstantiori subijciens, nempe puluerem menti, & rationi terrestrem crassitiem, quæ intelligentiæ non secùs ac tenebrosa nebula solet obstruere.* Vide ibi plura de eius virtutibus & miraculis.

f SIVE PRIMVM (VT ALIVS DIONYSIVS, &c.] Huius testem habemus Eusebium lib. 3. Histor. Eccles. cap. 14. Sic enim de Areopagitâ scribit: Ὃν τῆς ἐν Ἀθήναις Ἐκκλησίας πρῶτον Ἐπίσκοπον ἀρχαίων τις ἕτερος Διονύσιος τῆς Κορινθίων παροικίας ποιμὴν γεγονέναι ἱστορεῖ. *Quem* (Areopagitam) *Atheniensis Ecclesiæ primum Episcopum alius ex antiquis Dionysius Corinthiorum Episcopus fuisse narrat.* Idem repetit Eusebius lib. 4. cap. 22. Nicephorus Callistus lib. 2. Histor. Eccles. scribit, ipsius Pauli manibus consecratum. Ἐπὶ τοσοῦτον δ᾽ αὐτῷ τὰ τῆς πίστεως, ὡς μὴ μόνον τοῦ θείου καταξιωθῆναι λουτροῦ, ἀλλὰ καὶ διὰ χειρῶν Παύλου Ἀθηνῶν προχειρισθῆναι Ἐπίσκοπον. *Tantâ erat,* inquit, *in Christum fide, vt non solùm diuino dignus lauacro esset, verùm etiam ipsius Pauli manibus Athenarum crearetur Episcopus.*

Sunt qui dicant, huius consecrationis manu Pauli factæ memoriam extare etiamnum in ditione Luxemburgensi, in pago *Aquila*. Abest hic pagus ab vrbe Treuiris horæ circiter itinere. Ibi exiguum est templum sancto Dionysio Areopagitæ sacrum, & in eo eiusdem Sancti cranium, aut potiùs cranij vertex, cuius in exteriori parte cernitur crux alba, cùm cranij reliquum subnigrum sit. Hanc crucem Dionysio impressisse Paulum, dum eum consecraret, communior sermo est: quorumdam tamen, non tunc, sed dum aquâ salutiferâ illum ablueret: nam vtroque in Sacramento signum vsurpari Crucis in confesso est, & docet ipse Dionysius lib. de Ecclesiasticâ hierarchiâ cap. 2. & 5. Verumtamen illa crux, quæcumque demum sit, siue in Ordinibus siue in Baptismo efformata, crux est transiens, & extrinsecus tantùm signans, non verò intus & vsque ad ossa penetrans, iisque inhærens. Vnde consequitur, aut miraculo factum vt crux illa cutem peruaderet, cranioque insisteret: aut

aut certè, vt modo nobis incognito sic impressa adhæreret. Nam qui dicitur *character Sacramenti*, ab eiusmodi cruce planè diuersus est: ille enim non corpori, sed animæ imprimitur; eique indelebiliter adhærescit, ac tribus tantùm in Sacramentis confertur, iuxta illum Tridentini Concilij canonem 9. sess. 7. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in animâ, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile (vnde & iterari non possunt) anathema sit*. At verò crux illa, quæ extrinsecus ab Episcopo aut à Sacerdote efformatur, corporale signum est, & delebile, & omnibus Sacramentis commune.

Tertia verò sententia de tempore impressæ crucis est Ioannis Bertelij Abbatis Epternacensis, qui in suâ Lutzemburgensi Historiâ, summo cranio impressum Crucis signum à D. Paulo Apostolo refert, cùm ab eo iam Episcopus in Gallias cũ benedictione ablegaretur. Verùm hęc sententia teneri non potest, nisi si dicatur Dionysius bis in Galliam esse missus, semel à Paulo, & semel à Clemente post Pauli mortem. Missum autem à Paulo, nullæ antiquæ litteræ vel minimum vestigium ostendunt: à Clemente autem, vt pòst liquebit, plurimæ. Meminit huius cranij Arnoldus Rayssius in suo Hierogazophylacio, siue Thesauro sacrarum Reliquiarum Belgij, pag. 349. De eodem cranio, & impressâ cruce, mecum communicarunt oculati testes P. Ioannes Roberti S. Theologiæ Doctor, & hîc Duaci sacrarum Litterarum tunc Professor, & P. Ioannes Sebastianus Philosophiæ eodem tempore in Treuirensi Academiâ magister: quorum hic quidem eâ ipsâ de caussâ Aquilam profectus, rem diligentissimè examinauit, atque ad me perscripsit: inter alia verò, eam crucem læuem esse ac minimè porosam, tametsi, quod reliquum est cranij, porosum sit: deinde ex eo cranio, quod argento circumductum scutellam efficit, vinum à peregrinis aduersus dolores capitis sumi solitum; vnde tam ob miraculorum copiam, quàm ob gratias à Pontificibus concessas, magno inibi esse in honore. Quòd autem id cranium, siue potiùs cranij suprema pars, sit ipsius Areopagitæ, hoc indigenæ ex maiorum suorum priscâ traditione habere se asseuerant. Vnde verò, aut quando acceperint, memoriæ proditum non habent.

[g] SIVE SECVNDVM, VT E GRÆCORVM MENÆO, &c.] Disertè Menæum ad diem 4. Octobris, Hierotheum Dionysij magistrum, vocat Athenarum Episcopum, cùm sic de illo: Προχειρισθεὶς ὑπὸ τοῦ Ἀποστόλου Παύλου Ἐπίσκοπος χειροτονεῖται Ἀθηνῶν, &c. *Primùm ab Apostolo Paulo eruditus Athenarum constituitur Episcopus.* Quòd si Hierotheus Athenis Episcopus fuit, certè primus fuit, Dionysius autem secundus. Nam Dionysio successit Publius, Publio Quadratus.

[h] NAM IN HISPANIAM CONCESSISSE, &c.] Cùm sanctus Paulus magno teneretur desiderio in Hispaniam proficiscendi (quod insinuauit in Epistolâ ad Romanos cap. 15, 24. his verbis: *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos*, &c.) diu autem eius impediretur iter, credibile est tum misisse Hierotheum in Hispaniam, & Athenis in Hierothei locum constituisse Dionysium. Constat autem communi Hispanorum Scriptorum consensu, Hierotheum in Hispaniâ fuisse Episcopum. De quo plura in ipsius Hierothei Vitâ.

[i] IDQVE ANNO CIRCITER A CHRISTI ORTV 55.] Hic annus erat ętatis Dionysij 46. quandoquidem iunior Christo fuit annis 9. Cùm autem Dionysius ad Christi fidem conuersus sit anno ætatis suæ 43. vt antè declaratum est, atque inter hanc conuersionem & Episcopatum, tempus dumtaxat triennij intercesserit, vt tenetur communiter, rectè colligitur, tam anno suo 46. quàm Christi 55. habenas suscepisse Atheniensis Ecclesiæ. Quam sententiam & illi præcipuè amplectentur, qui Dionysium primum omnino Athenarum Antistitem esse volunt. Nec enim vllam habere potest veri speciem, eam vrbem, multis iam ad fidem traductis, Episcopatu caruisse plus triennio. Qui autem tantummodò secundum fuisse dicent, tamen cùm prioris tam exigua extiterit memoria, vt à plurimis in serie prætereatur Episcoporum, saltem hanc opinionẽ admittent vt probabilem.

CAPVT V.

Dionysij in fundando & ordinando Episcopatu Atheniensi eximia virtus & industria.



ERAT Ecclesia Atheniensis, cùm eam Dionysius moderandam suscepit, in suis adhuc incunabulis, pusilla, debilis, infirma, sancti Hierothei quidem lacte vtcumque nutrita ([a] nã Paulus obiter tantùm & per transennam, quòd aliò festinaret, semina fidei proiecerat) sed nondum per ætatem vegetis & fortibus membris: quippe quorum augmento & vigori, [b] aduersa quorumdam leuium, & nouam fidem irridentium Philosophorum aura plurimùm officiebat. *Philosophi multum fidei officiunt.* Quibus tamen reuincendis, vt sanè quàm laboriosam, sic perutilem hactenus operam idem Hierotheus nauauerat; sed aliò Dei voluntate traductus, præcipuam fundatæ ac firmatæ illius Ecclesiæ laudem Dionysio reliquit. Hic enim annos multos eam tenuit, tantaque statim ab initio diligentiâ ad illius amplificationem, confirmationem, ordinationem incubuit, vt tandem nulli Ecclesiarum Græciæ, neque numero, neque robore, neque aptâ singulorum inter se membrorum conuenientiâ, vllâ ex parte concederet. *Atheniensis Ecclesiæ laus.* Nam à Pauli comitatu in eam vrbem reuersus, illo spiritu feruens, quem à tali Magistro acceperat, & quem communicare cum suis popularibus quàm plurimis æstuabat, confestim præcipuos Ecclesiæ, quibus maximè confidi posse didicerat, adire, benignè affari, participes suorum consiliorũ efficere,

de

de Paulo & eius factis visa auditaque narrare, viciſſim item ſciſcitari de numero Chriſtianorum Athenienſium, de feruore, de conſtantiâ, de aduerſariis, de eorum conatibus, dolis, impugnationibus, aliiſque ad rem prudenter inter hoſtes gerendam cognitu neceſſariis: denique adhortari eos, vt ſinguli pro viribus, alius cognatos & affines, alius vicinos & amicos, alius hoſpites & aduenas ad notitiam IGNOTI DEI, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti adducerent. Et videre erat vnumquemque, ardentibus Paſtoris ſui verbis inflammatum, pro ſe omnem operam atque induſtriam ſpondere, & ſpes non vanas aut horum aut illorum ad fidem pertrahendorum oſtendere. Ita ignis vbique charitatis cum ingenti omnium gaudio, & incredibili ex mutuo conſpectu animorum exultatione, & ſui pro vnicâ Dei gloriâ deuotione promicabat. Dixiſſet aliquis, aureum illud primæ Eccleſiæ ſæculum, quo Ieroſolymis *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna*, Athenis Dionyſio auctore atque duce eſſe renouatum. Sic breuî bonus acceſſit ad veteranos tyronum numerus, partim ſapientiæ & ſpiritui doctiorum, cui reſiſtere non poterant, manus dantes, partim imbecillioris ſexus inuſitatâ modeſtiâ, grauitate, caſtimoniâ in ſtuporem rapti, partim denique ſingulari omnium in dictis & factis prudentiâ, æquitate, fide, conſtantiâ, ceteriſque virtutibus ſuauiter ſimul potenterque perducti. Facillimum enim erat vel ipſo aſpectu (ſic in alteris modeſtia pellucebat) Chriſtianos Gentileſque internoſcere. Nihil enim in iſtis leue, nihil fallax, nihil fucatum, nihil arrogans, nihil turbidum, nihil denique non ex optimâ & ſinceriſſimâ profectum diſciplinâ cernebatur. Ita vt vel inimicis ipſis, tantâ virtutum vi conuictis, perquàm ſuaue interdum videretur, per odorem iſtorum vnguentorum ad totam Chriſtianæ religionis fragrantiam, cum amoris impetu decurrere. Et quia nihil ferè eſt, quod ita hominum demulcere deuincireq; animos ſoleat, quàm in ſummâ dignitate & auctoritate par animi demiſſio atque humanitas; incredibile dictu eſt, quantum apud ciues ſuos hiſce virtutibus effecerit Dionyſius. nempe qui cùm eſſet (vti priùs fuerat Areopagi caput) ſic modò totius Athenienſis Eccleſiæ princeps, tamen tantùm infra ſe modeſtiâ, manſuetudine, affabilitate deſcenderet, nulli vt ſe præferre, cunctos ſibi æquare vellet: adeoque id ageret, vt nullius priuati domus tam vni pateret amiciſſimo, quàm ſuæ ædes apertæ eſſent omnibus. Ita faciles ad eum aditus omnium erant, non honeſtiorum modò, ſed pauperum quoq; & pupillorum & viduarum, immò horum potiùs; quibus etiam magiſtri ſui Pauli exemplo, non tantùm animæ documenta neceſſaria, ſed corpori quoque ſuſtentãdo æris collectanei ſtipes opportunas procurabat. His igitur aliiſq; eius officiis, cùm Eccleſiæ corpus ſatis copioſâ frequẽtiâ coagmentatum, pro faciliori regimine ac profectu exigere videretur, vt gradus officiaque, quemadmodum in benè moratâ Republicâ ſolet, conſtituerentur; rem hanc Dionyſius, vt quondam Apoſtoli in electione Diaconorum, totius congregationis precibus etiam atque etiam commendauit: ipſe verò præ omnibus ad hoc opus, tam ſacrificia & vota, quàm nocturnas diurnaſq; preces totâ mentis contentione adhibuit: donec tandem docente intus Spiritu, quid ex vſu commiſſi ſibi gregis, & ad maiorem Dei gloriam eſſet, liquidò cognouit, & bono publico foras produxit. [c] Cùm igitur omnis populus Chriſtianus duas in claſſes ex antiquo eſſet diuiſus, nempe aliquorum ſacris miniſteriis addictorum, & aliorum omnis ſacri muneris exortium (priores nunc Clerici, poſteriores Laici appellantur) primò quidem ad priores aggreſſus, curauit, [d] vt qui vel in Sacerdotes vel in Diaconos eſſent cooptati, quam horum vnuſquiſque perſonam gereret, quodcumque ſacrum munus obiret, id tamquam Deo præſente & inſpectante, immò & cultum, qui ſibi exhibeatur, admittente, omni cum diligentiâ, curâ, ſollicitudine, purum caſtumque præſtaret. In eos enim totius plebis dirigi oculos, nec ab eorum dumtaxat verbis aut mandatis, ſed etiam (ac multò fortaſſe magis) ab eorum vitâ & moribus, ſuæ inſtitutionis condiſcere diſciplinam. Ac proinde diligenter cauendum, ne quid in credito ſibi munere ſeu grande ſeu paruum committerent, quod obſeruantibus ſubditis offenſioni eſſe poſſet. Quibus rectè & ordine conſtitutis, ad alterum Eccleſiæ membrum, ſiue ad Laicos conuerſus, bonum factum iudicauit, eos [e] in tres gradus diſtinguere, quorum poſtremus ſit eorum, qui à ſacrorum myſteriorum inſpectione & vſurpatione arceantur; medius, eorum qui ad hæc admittuntur, & ſanctus populus appellantur; primus autem & præcipuus, Monachorum ſeu Cultorum: hi enim maiorem quamdam & ſublimiorem, quàm medius gradus, perfectionem profi-

Marginalia: Act. 4, 32. — *Modeſtia & ſinceritas, Chriſtianorum nota.* — *Humilitatis vis.* — *Populi Chriſtiani in certos ordines partitio.* — *Laicorum gradus in Eccleſiâ Athenienſi.* — *Monachorum gradus.*

profitentur, proptereaque etiam certis ritibus, non quidem ab Episcopis, sed à Sacerdotibus consecrantur. Quod autem ad postremum seu infimum populi Christiani gradum attinet, eum in tres partes vir sanctus dispertiit, nimirum in Catechumenos, in Energumenos, & in Pœnitentes. *Catechumeni.* Catechumeni vocantur ij, qui primis fidei rudimentis imbuuntur, atque ad sanctam per lauacrum salutare regeneratioñe præparantur. *Energumeni.* Energumeni autem, qui à malis spiritibus agitantur, vera alioqui per susceptum anteà Baptismum Ecclesiæ membra. *Pœnitentes.* Pœnitentes denique, qui publicis grauibusque peccatis se indignos sanctissimorum participatione mysteriorum reddiderunt. Hos omnes admittebat quidem magnus Pontifex in sacram ædem, dum fierent conuentus, permittebatque sacrarum Litterarum lectioni & expositioni interesse (his enim erudiebantur atque sanabantur) sed cùm illis absolutis ad ipsa sacrosancta venerandæ Eucharistiæ mysteria celebranda se accingeret, tum verò ad maiorem tantorum mysteriorum honorẽ (quæ quantam maximam exigunt assistentium puritatem ac sanctimoniam) iubebat eos, vt minùs mundos minúsve capaces, absistere. Quod illi quidem nec inuiti (quippe ita edocti erant) nec prorsus illibenter faciebant. Dionysius enim, vti sapiens & altâ quadam mente prẹditus erat, in hoc impensè laborauerat, vt magnam inter ordines atque gradus concordiam, animorumque consensionem stabiliret. *Ordinum concordia in Ecclesiâ.* Absque hac enim nullam Rempublicam, nullum consilium, nullam religionẽ, nullum conuentum stare posse: rem Christianam Athenis hactenus concordiâ cœpisse & creuisse, eâdem concordiâ deinceps firmam ac stabilem fore. Nec verò plus esse causæ, quamobrem inferiores in Ecclesiâ gradus altioribus aut inuideant aut obtrectent, quàm in corpore vel pedes manibus, vel femora humeris, vel artus membraq; omnia capiti. Nam hanc vniuersorum salutem esse, & optimam compositionem, cùm vnumquodque membrum, suâ contentum sorte, propriis insistat officiis, &, siqua possit, opituletur etiam, non verò obstrepat alienis. In corpore humano singula singulis membris munia ab ipsorum auctore attributa esse: mutuamque inter ipsa ex naturæ instinctu semper durare concordiam: in corpore item Ecclesiæ ab Episcopis quidem, sed diuinitus directis, sua vnicuique ordini & gradui officia distribui; in quibus si volentes libentesque perstiterint, non modò nunc saluti & prosperitati ipsis fore, sed etiam posteà perpetuo honori ac sempiternæ gloriæ. Huiuscemodi ergo rationibus inducti locum tenebant vnusquisque in sacris conuentibus, quem Pontifex assignasset. Non erant quidẽ tum Christianis augusta templa, sed in iis tamen quæ erant, suum quisque locum norat. Adyta tenebat & ingrediebatur solus Pontifex, eiq; subditus ordo sacer: *Locorum in templis distinctio.* proximas penetralibus sedes Monachi occupabant: non quales nunc sunt Monachi, à populo secreti, & Patrem aut Rectorem habentes aliquem Ordinis sui, sed qui pars populi erant, & patriis in ædibus habitantes, pro sacrorum Magistro ac Præsule solum Episcopum, vel aliquem constitutum ab Episcopo Sacerdotem, agnoscebant. Secundùm Monachos, reliquus fidelis populus consistebat, cui ad inspicienda & fruenda diuiniora mysteria ius erat. Paulò ab his longiùs subsidebãt, qui immundi censebantur, aut qui omnium expertes Sacramentorum erant: primò quidem, qui defectionis à fide, vel alterius grauis delicti culpam lugebant, & pœnitentiam mœrore publico profitebantur: deinde qui à dæmonibus possessi, aut obsessi, aut miserandum in modum vexati erant: postremo autem loco, qui nullo dum Sacramento essẽt initiati. Nam hos, vtpote in Christo necdum regenitos, neque sacris vitæ nouæ radiis eatenus collustratos, æquum est iis cedere, qui licet tentationibus victi peccato succubuerint, aut locum dæmonis insultibus dederint, tamen & renati sunt in Christo, & gregi fidelium adscripti, & eorumdem cum illis Sacramentorum participes effecti. Quibus ita constitutis, [f] ad sacrorum rituum ac cærimoniarum curam, quibus non paruus Sacramentis honos ac reuerentia conciliatur, mentem adiecit. *Cærimoniarum in rebus sacris cura.* Hos igitur ritus pietatis atque sanctitatis plenos cùm induxisset, eos cùm ipse primus obseruauit exactissimè, tum ab aliis sacrorum ministris præcipuâ diligentiâ obseruari iussit. Quare Atheniensis Ecclesia tam sancto regente Pontifice, Christianis quidem mirè speciosa & amabilis apparebat, ac velut altera noui Salomonis aula; hostibus verò insidiantibus munita, & terribilis vt castrorũ acies benè ordinata: quippe cui nec foris pulchritudo desideraretur cẹrimoniarum, nec intus fortitudo deesset virtutum; nam in vtrumq; vir longè vigilãtissimus & oculatissimus sedulò excubabat, vti & religionis exterior species foris respectantibus pietatẽ excitaret, & interior deuotæ mentis sanctimonia diuinas è cẹlo gratias deuocaret.

Dionysij inter sacrificandum deuotio.

ret. Quis autem vel sermone eloqui, vel etiam concipere animo possit, g qualis ipse Pontifex Dionysius, dum sacris operaretur, quantúsve fuerit? quàm compositus corpore, mente, spiritu? quàm remotis à terrâ sensibus? quàm cunctis animæ viribus cælo Deoque intentis, & ad capienda diuina vibratis? Satis sanè erat incendendis ad deuotionem atque feruorem omnium cordibus, vna sui Præsulis Deo immolantis consideratio. Itaque ad sacros cœtus, quoties ij cumque haberentur, magna semper erat concurrentiũ promptitudo, magna alacritas animorũ: quando scilicet eum visuri sacrificantem essent, quando verba de diuinis facientem audituri, eum, inquam, cuius vel solus conspectus, vel cogitata tantùm præsentia, non mediocres animis indere virtutis stimulos quibant. Eius porrò verba, cùm ad turbam suam concionaretur, eiusmodi erant, quæ non externos sensus dictionis mollitie titillarent, vel aures blãditiis vngerent, sed quæ mentes acriter ad virtutem cierent, & salubri peccatorum confricatione ad pœnitentiam pungerent. Itaq; sub eius conciones plus suspiriorum audiebatur, quàm laudum & acclamationum, plus verarum lacrymarum cernebatur, quàm inanium plausuum. Erant enim eius sermones non de iucundis, sed de vtilibus, atque vt plurimum de finibus hominis, de morte, de iudicio, de horrendis post hoc fugacis æui suppliciis, deque aliis eiusdemmodi argumentis, vt posset cum Paulo præceptore suo dicere: *Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim vtilium, quò minùs annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos, testificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.* Quidquid enim fecit Paulus, hoc ferè est imitatus Dionysius. Nec enim illa surdis excepit auribus, quæ identidem suis ingeminabat præceptor: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et illud ad Philippenses: *Imitatores mei estote, fratres, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Quis autem magis illam Pauli formam habuit, quàm Dionysius, qui illam non in vitâ modò (quod & alij è discipulis fortasse multi) sed etiam simillimâ in morte præstitit, quod non ita multi. Verùm de his posteriùs; nam alia illis præuertenda sunt. Et ecce nunc ad sacrum Apostolorum cœtum, qui Ierosolymis habitus est, & cui interesse Dionysij excellens virtus meruit, præcupida festinat oratio.

Michaël Syngelus in Encomio.

Act. 20, 18

1. Cor. 4, 16, & c. 11, 1.

Phil. 3, 17.

NOTATIONES.

TRactatur in hoc Capite de administratione Episcopatus Atheniensis, & Ordinum in Ecclesiâ distributione.

a NAM PAVLVS OBITER TANTVM, &c.] Sanctum Paulum non diu Athenis commoratum esse, licet ex Actis Apostolorum colligi, cap. 17. & 18. Vide etiam Cornelij à Lapide Chronotaxin Actuum Apostolorum, paginâ 4. Causa verò cur tantisper ibi hæserit, fuit, quòd Silam & Timotheum expectaret: ante quorum tamen aduentum, quia diutiùs morabantur, ipso anno, quo Athenas aduenerat, excessit, & Corinthum petiit, vbi cum Silâ & Timotheo biennium exegit.

b ADVERSA QVORVMDAM LEVIVM ET NOVAM FIDEM IRRIDENTIVM PHILOSOPHORVM.] Id testatur sanctus Lucas Actorum 17. vbi scribit, Epicureos & Stoicos Philosophos cum Paulo disputasse, eumque despicatui habuisse. Erant enim Epicurei leues & voluptuosi, ideoque Christianam Religionem, sobrietatis & castimoniæ studiosam, & futura præsentibus anteponentem, contemnebant. Stoici autem suis mordicus inhærentes decretis, & de Deo, de iustitiâ, de misericordiâ, de aliis virtutibus à nobis diuersissima sentientes, & nimio plus omnibus se sapere arbitrantes, nostra præ suis aspernabantur.

c CVM IGITVR OMNIS POP. CHRISTIANVS DVAS IN CLASSES, &c.] Antiquissima & generalissima est hæc Christiani gregis diuisio, in addictos sacris ministeriis, & in horum expertes; siue in Clericos & in Laicos, quæ breuissima & commodissima est diuisio. De quibus nominibus, ne aliò properans detinear, vide doctissimum Bellarminum libro de Cericis & Baronium Tomo primo Annalium Christi 44.

d VT QVI VEL IN SACERDOTES VEL IN DIACONOS.] Dionysius in suis, qui nunc extant, libris, nullorum Ordinum infra Episcopos meminit, nisi Sacerdotum & Diaconorum: quorum etiam solorum in sacris Litteris est mentio. Ex quo Scriptoris antiquitas, imò & scriptorum ipsius, colligi potest. Neque enim, cùm diutissimè vixerit, extremâ ætate suâ scripsit, siue secundo sæculo (quo plures erant in Ecclesiâ distincti Ordines) sed primo. Quamuis initio secundi nonnulla retractantis more addiderit, vt Quæstione 2. disputauimus. Nec malè etiam dici posset, nomine *Diaconorum* (quod capi generatim potest, vti & nomen *Ministrorum*) omnes Ordines Episcopo & Sacerdoti ministrantes comprehendisse.

e IN TRES GRADVS DISTINGVERE.] Populi seu laicorum in tres gradus distinctionẽ tractat Dionysius lib. de Ecclesiasticâ hierarchiâ cap. 6. Vide in Documentis. Vocat autem illos gradus τάξεις καθαιρομένας, *Ordines qui purgantur*, hoc est, qui à peccato & ignorantiâ mundantur: cuiusmodi sunt omnes, qui non recensentur inter sacros Ecclesiæ Ministros. Talis illorum distinctionis series à sancto Maximo disponitur:

Αἱ καθαιρόμεναι τάξεις διαιροῦνται

Εἰς τοὺς ἐκβαλλομένους τῶν ἱερῶν,	Εἰς τὸν πιστὸν λαὸν,	Εἰς μοναχοὺς ἤτοι θεραπευτάς.

Ordines qui purgantur, diuiduntur

In eos qui è templis emittuntur,	In fidelem populum,	In Monachos siue Cultores.

Quid ſit porrò purgare & purgari, illuſtrare & illuſtrari, perficere & perfici, petendum ex Documentis.

Addo & aliam ſeriem à S. Maximo omiſſam, quò intelligatur, qui ſint qui è templo emittantur, & quam ob cauſam.

Οἱ ἐκβαλλόμενοι τῶν ἱερῶν διαιροῦνται

Εἰς κατηχουμένους,	Εἰς μετανοοῦντας,	Εἰς ἐνεργουμένους.

Qui templis emittuntur, diuiduntur

In Catechumenos,	In pœnitentes,	In energumenos.

Catechumeni ſunt, qui ante Baptiſmum erudiuntur Fidei elementis.

Pœnitentes, qui ob hæreſim aut alia grauia peccata pœnæ ſunt obnoxij.

Energumeni, qui à dæmonibus vexantur, aut turbantur, aut obſidentur.

Hi omnes egebant purgatione, primi quidem à peccato originali & ignorantiâ rerum fidei: ſecundi à peccatis poſt Baptiſmum commiſſis; tertij à contaminatione diaboli. Idcircò propter ſuam impuritatem, antequam ad conſecrationem veniretur ſanctiſſimi Sacramenti, auditis tantùm iis quæ prodeſſe ipſis poterant, dimittebantur è templo, ſicque ſolis præſentibus, quorum vitę puritas & innocentia tanto Sacramento, & ipſius veri Dei & hominis Ieſu Chriſti præſentiâ atque maieſtate non indigna erat, perficiebatur veneranda hominibus & Angelis Euchariſtia.

Sic quidem primis omnino temporibus: nam poſteà ſoli Catechumeni à ſacris myſteriis, vt in SS. Baſilij & Chryſoſtomi Liturgiis obſeruare eſt, abſiſtere iubebantur: idque Diacono poſt Euangelium & recitatam pro Catechumenis ab Epiſcopo precationem aliquoties proclamante, vt egrederentur. Voces Diaconi erant hæ: Ὅσοι κατηχούμενοι, προέλθετε. Οἱ κατηχούμενοι προέλθετε. Ὅσοι κατηχούμενοι, προέλθετε. Μή τις τῶν κατηχουμένων. *Quicumque eſtis Catechumeni, exite. Catechumeni exite. Quicumque eſtis Catechumeni, exite. Ne quis Catechumenorum.* Deinde iis egreſſis, ſubdebat ad ſanctum populum: Ὅσοι πιστοὶ, ἔτι ἐν εἰρήνῃ τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν. *Quicumque Fideles etiam atque etiam in pace Dominum oremus.*

f AD SACRORVM RITVVM AC CÆRIMONIARVM CVRAM.] In cultu diuino ſemper imperatæ obſeruatæq; ſunt ab auctoribus vel promulgatoribus ſacrorum certæ cærimoniæ, ad hoc videlicet inſtitutæ, vt maiore cum reuerentiâ & horrore ea quæ ad Deum ſpectant, agerentur & tractarentur. Tales in lege veteri ſunt plurimæ, & Deo quidem ipſo auctore commendatæ. Tales & in nouâ non paucæ, partim ab Apoſtolis, partim ab Apoſtolorum ſucceſſoribus abundantioris pietatis ac religionis causâ conſtitutæ. Eas autem non tantùm deſcribit, ſed & explicat ſanctus Dionyſius. Cui eam ob rem de Eccleſiâ optimè merito, ſi quis obſtrepat ingratus, næ is peſſimus homo eſt, & pro tantâ inhumanitate vix homo. Plura vis de cærimoniis? tibi videndi ſunt Baronius & Bellarminus.

g QVALIS IPSE PONTIFEX DIONYSIVS.] Si vmquam aliàs, tunc totus Dei erat Dionyſius, cùm ad aram faceret, & quaſi in Deum tranſformatus. Ignes pietatis & eius thura deuotionis duo in primis teſtantur: vnum, quòd ita ſe in ſacrificij tempore componeret, ita gereret, quaſi ipſis in cælis Deo præſens eſſet; alterum, quòd diuina in carcere, diuino ſpiritu & feruore celebranti, Chriſtus ipſe aſpectabili formâ occurrerit, & acceptam ex altari Hoſtiam ſuâ manu obtulerit. Quę duo ex veteribus martyrij eius Actis deſumpta ſunt.

CAPVT VI.

Dionyſius beatiſſimæ Virginis conſpectu in terris fruitur, & ſupremâ excedentis benedictione in Apoſtolorum cœtu potitur.

HÆc eſt Dei Opt. Max. erga ſeruos ſuos, præſertim fide ſinceros, & charitate feruentes, benignitas ac munificentia, vt non modò vitâ perfunctos omni gaudio in æternis Beatorum domiciliis perfundat, ſed eorum quoque in terris ſuperſtitum ſuſceptos labores, aut aduenientes extrinſecus moleſtias, multâ interdum conſolatione attemperet. Ita cum multis Sanctorum, ita cum Dionyſio Areopagitâ illum feciſſe, manifeſtum eſt. Nam cùm deſpectis mundi honoribus, & derelicto celeberrimi illius Areopagi faſtigio, humilem legis Chriſtianæ modeſtiam ac ſubmiſſionem volens lubens amplexus eſſet, ac modò ſub Pauli diſciplinâ (cui totus & animâ, & mente, & corde, a vt Syngeli vtar verbis, erat agglutinatus) doctrinam, ſpiritumque Apoſtolicum combibiſſet, imò & commiſſam ſibi Athenienſem Eccleſiam optimis legibus atque inſtitutis, non ſine multis magniſque laboribus, diuinitus ordinaſſet, hoc ipſe præter alia inter medios ſudores & ærumnas percepit maximæ ac liquidiſſimæ voluptatis nobile ſolatium, quod plurium ſimul Apoſtolorum (qui quidem eâ tempeſtate vitam inter mortales agitabant) per orbem alioqui paulò antè diſperſorum, gratiſſimo conſpectu atque congreſſu, ſed præcipuè beatiſſimæ Virginis Deiparæ incomparabili præſentiâ in hoc mortali corpore dignatus ſit. Nempe ad eam breuì poſt è vitâ migraturam, tam ipſe quàm Hierotheus & Timotheus, b multique alij egregiâ vitæ ſanctimoniâ præſtantes, incredibili ſacræ illius atque animatæ Arcæ teſtamenti viſendæ ac honorandæ ſtudio conuenerunt: imò & Apoſtoli per diuerſa terrarum antehac diuiſi, iam tum diuino nutu, c ſiue ab Angelis, vt quondam Haba-

Michaël Syngelus in Encomio ſancti Dionyſij ſub initiũ.

Dan.14,35 Act. 8,39. Habacuc Propheta aut Philippus Diaconus, rapti, [d] siue leuibus nebulis, quod quidam arbitrati sunt, per sublime vecti, [e] siue etiam (quod multi factum credunt) de appetente eius excessu aliquantò antè diuinitus præmoniti (voluntas enim erat supremi Regis, honorare matrem, & sepulchrum eius reddere gloriosum) ad illius breuî emigraturæ virgineum thalamum, velut condictâ die, simul vnanimes comparuerunt. Erat tum Virgo ætate admodum prouecta ([f] annos scilicet circiter septuaginta duos nata) & huius producendæ vitæ, post fidem in Filium IESVM CHRISTVM longè lateque propagatã, minor ei iam restare ratio videbatur, quàm illius ad cælestem illam perfruendam, & reuisendum Filium lubenter cupideque dimittendæ. Igitur ardentes ad cælum preces, quò nunc anima vehementer anhelabat, non semel, sed sæpiùs sparserat, vt si quidẽ Deo ita collibitum foret, abire sursum de hac statione ad præparatum sibi domicilium liceret; iamq; etiam diuinum responsum, & proficiscẽdi tempus ex animi sententiâ acceperat, cùm fidissimo suo Ioanni, tamquam vni omnium secretorum participi, & cunctorum, quæ ad iusta sibi facienda spectarent, necessario curatori, aperuit. Is verò, quemadmodum velle Virginem matrem cognouerat, sociis Apostolis, aliisque Domini discipulis, & iis quorum vota super hac re Deus exaudierat, aut verbo aut scripto maturè vt significaretur, prouidit. Ita vndecumque, & ab iis qui procul distabant, Ierosolymam est approperatum, & ab omnibus qui propè aberant, ad montem illum Sion, vbi erat Virgini & Ioanni commune domicilium, ingenti studio concursum est. Deus bone! quæ tum illic amicorum inter sese post longinqua tempora, & quàm suaues ac iucundæ reuisiones, recognitiones, consalutationes! quàm stricti amplexus, & quàm sancta oscula! cùm & discipuli & Apostoli, & vtrorumque auditores & sectatores, & cuncti inuicem mirâ cum voluptate congrederentur, totosque & ore, & oculis, & osculis, sancto ipsos conglutinante Spiritu, amores effunderent! Benè profectò hæc in monte Sion, monte sancto, monte amabili; monte, in quo nec ros vmquam mellifluus, nec opportuna aliquando desideretur pluuia; monte, in quo toties sacrosancti Iesu inambularunt pedes, in quo Spiritus sanctus abundantissimas donorũ suorum primitias in generosa dilectissimi cœtus corda diffudit: in quo toties & Angeli & Angelorũ hominumq; Regina conuersati sunt: in quo nunc quoque præcipua totius sanctitatis columina sanctissimæ Parenti suæ quàm religiosissimè parentaturi concurrerunt. Verùmenimuerò, si de monte Sion talia, quid de ipso Virginis habitaculo & thalamo, hoc est, de præcipuâ montis illius gloriâ (nihil enim Mons ille vmquam habuit neque sanctius, neque augustius, quàm istud ipsum, quod Dei Filio, & Dei Matri frequentatũ & inhabitatum est domicilium) quid de illo, inquam, beatissimo domicilio dici aut cogitari dignum potest? quæ ibi fuerunt religiosissimæ pietatis studia! quæ omnigenarum virtutum à Matre sapientiæ sapientissima exercitia! quàm feruidæ illic precationes! quàm profundæ meditationes! quàm altæ contemplationes! qui raptus animi! qui excessus mẽtis! qualia ex illis penetralibus ad Apostolos documenta! qualia ad omnes emanauere consilia, auxilia, solatia, &, vno verbo, omnis generis dona perfecta & data optima! Huc ergo in istam bonorum omnium indeficientem apothecam, vnà cum Apostolis & Apostolorum paribus noster hic ingredi meruit Dionysius: nec hoc tãtùm, sed & Reginæ ipsius thalamo appropinquare, & ipsam Reginam viuentem & videntem cominus intueri, & in diuino vultu effulgẽtes cælestium gratiarum thesauros contemplari, & verba ex ore illo purissimo, melle simul & fauo dulciora, plus nimio felicibus ac fortunatis auribus excipere, & intimis animi medullis condere. O voluptas! ô deliciæ! Quàm citò tibi, ô ter beate Dionysi, quàm citò, & quàm properanter in talium haustu deliciarum tot exantlati antehac abs te labores, & tot perpessu graues ærumnæ forti animo toleratæ, fumi instar euanuerunt, ac nihil esse nec fuisse conuictæ sunt! Sic olim Iacobo Patriarchæ septem anni in vitâ agresti & pastoritiâ durè exacti, cùm super pecore vigilans & æstu vreretur & gelu, tamen speciosæ Rachelis suæ respectu, *videbantur* (vt ait Scriptura) *pauci dies præ amoris magnitudine*. Gen.19,20 Verùm Dionysio totidem ferè anni in laboriosissimo Episcopatus onere transacti, conspectâ Virginis mãtris plenâ modestiæ maiestate, non modò pauci dies videbantur præ amoris & admirationis magnitudine, sed nulli. Cùm verò & adhortantem ipsam ad susceptos in Filij sui vineâ labores constanter in finem perferendos audiuit, & proposita vincentibus multiformium coronarum præmia singulari cælestis oris gratiâ præmonstrantem attendit, tum verò & incredibili amore

Beatissimæ Virginis desiderium excessus, & ad cælos anhelatio.

Montis Sionis laudes.

S. Dionysij ad Virginis thalamum exultatio & profectus.

amore exarsit, & vix ac ne vix quidem apud se fuit. Denique extrema valedicentis & omnibus benè precantis verba, submisso quantum potuit & corpore & animo, mixtisque gaudij & mœroris affectibus excepit, & diu mutus stetit. Vt ille, sic & alij. Illa verò in dulcissimi Filij comitatu, & in præclarâ subuolantium Angelorum pompâ, cælos velocissimè penetrauit, & præcelsa Seraphinorum loca incomparabilis gloriæ plena transscendit. Quis autem in illo articulo fuerit singulorum sensus, quis affectus, quæ comploratio, qui gemitus & suspiria, quis dicat? Tacitis proinde, quæ dici non possunt, cogitari vix possunt, tandem exequiarum cura cùm alios omnes, tum Apostolos maximè, & præcipuè Ioannem Domini peræquè & Dominæ dilectū, tamquam huius domesticum & familiarem, & omnis apparatus è cælo conscium incessit: & quæ eius prouidissima cura fuit, nihil is omnino, quod factum oportuit, infectum prætermisit. Alia litteris persequentur, qui ex instituto laudandum eius excessum vberiùs susceperunt, ego his solùm nunc insistam, quæ cum Dionysij nostri laude, cuius propriè acta pertractamus, coniuncta sunt. Itaque ceteris exequiarum iustis debitè peractis, ad orationes & hymnos funebres ventum est. Placuit enim sacro Apostolorum Senatui, vt in Matris Domini sui laudes, tam ipsi quàm alij Pontificum, si quid in se inesset facundiæ & pietatis, experirentur. Hîc verò erat Apostolos videre & audire velut semideos quosdam, irruente in eos Spiritu commutatos, iam de Filio, iam de Matre, prorsus noua, prorsus mira, prorsus diuina, pari & obsecundante stilo deprædicantes: iam item alios atque alios, & in his sanctum Hierotheum Dionysij præceptorem, tam excellenter, ipso teste Dionysio, eximij laudatoris partes sustinentem, vt omni ex parte, argumenti, dictionis, actionis, affectionis, nomē planè exæquaret suum. Quid ipse autem Dionysius? Nempe qui alios in cælum extollit, ipse de se silet. Verùm illud ipsum silentium, & tāta Hierothei contrà dilaudatio, mihi omni voce expressiùs clamat, illas ipsas virtutes, quas in Magistro tam diligenter obseruauit, & tantopere commendauit, in semet abundanter habuisse; & quod est in se ipse expertus, hoc de Hierotheo expressisse. Nam hoc ingenuorum est proprium ingeniorum, è suo spiritu atque feruore de simili alterius aut etiam maiori benignā cum animis suis facere coniecturam. Si enim & aliis in rebus tantus fuit Dionysius quantum scripta ipsa demonstrant; in huius Virginis & Matris (amabilissimę dicam, an admirabilissimæ?) celebrandis tali in consessu præconiis quantus exstitisse credendus est? Certè (quod ipse de Magistro dixit) totus extra se raptus, totus in ea quę sublimissima sublimissimè attingebat, transformatus. Sed de hocce apud beatissimam Deiparam sacro conuentu, deque profusis in eam honoribus, in præsentiâ satis. Nam ad tempus quo hæc facta sunt quod attinet (quamuis, vbi de re aliquâ constet, peruicacium sit ingeniorum, quærere & altercari de tempore) tamen anno Christi circiter quinquagesimo octauo, Neronis autem Imper. secundo, dicimus accidisse. Rem verò ipsam beatus Iuuenalis Ierosolymorum (vbi ea transacta est) Episcopus, continuâ traditione ad sua tempora deuolutam, abhinc mille ducentis ferè annis Marcianum docebat Imperatorem. Is enim Imperator, cùm insigni esset pietate, & coniugem eam haberet, à quâ solâ in pietatis stadio & studio vinceretur, Pulcheriam Augustam scilicet, corā Deo verè pulchram, illâ ipsâ hortante, ad Beatissimæ Virginis perquirendas Reliquias cogitationes applicuit suas. Itaque ipsum Iuuenalem Patriarcham, & alios Palæstinæ Episcopos, qui ad Chalcedonense Concilium eâ tempestate conuenerant, ad se accitos interrogauit, num sanctissimæ Dei Genitricis sacrum corpus, eo in tumulo, in quo primitus compositum fuerat, etiamnum reperiretur: habere enim se in animo, ad vnum templorum eidem Virgini dicatorum (tria siquidem illi Pulcheria Augusta Constantinopoli fabricauerat, eaque pulcherrima & augustissima) illud transferre, futurum Vrbis principalis munimentum atque præsidium. Cui respondit Patriarcha, in sacris quidem Litteris de obitu Deiparæ mentionem haberi nullam, antiquissimâ tamen ac verissimâ traditione receptum esse, sanctos Apostolos, eius instante obitu, Ierosolymam vndique terrarum, ad quas dispersi fuerant, conuolasse, è vitâ etiam emigranti adfuisse, mortuam cum honore & hymnis tumulasse: quin & ipsum triduum Angelicos concentus eo loci auditos esse. Addebat denique tertio exequiarum die, cùm sancti Thomæ postulatu reclusum fuisset sepulchrum, solas sepulchrales fascias suo loco, perinde quasi paulò antè à corpore desertas, ab ipsis esse inuentas, sed inenarrabili odoris suauissimi fragrantiâ redolentes: ita censuisse ipsos, virgineum corpus à corruptione esse seruatum, atque in

Deiparæ ad cælos emigratio.

Virginis cælo receptæ laudationes.

Tempus Virginei obitus.

Niceph. lib. 15. c. 14

Pulcheriæ Imperatricis laudes.

Sanctissimæ Virginis Deiparæ corpus in cælos translatum.

in cælos translatum: igitur denuò tumulum obsignasse, inibique reliquisse. Et sanè valdè congruebat, vt corpus, quod nulli subditum peccato fuisset, id neque corruptioni, quæ à peccato exorta est, subderetur. Quod etiam Propheta Regius tanto antè interuallo prospiciens, g de vtroque tam Matris quam Filij in-
Ps. 131, 8. corrupto corpore concinebat: *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ:* hoc est, Tu Domine, qui es Sanctus sanctorum, nec tu solùm, sed & Arca sanctitatis tuæ, id est Virgo Maria mater tua, cuius in vtero tamquam in arcâ sanctissimâ, castè & pudicè custoditus es. Surgite ambo absque corruptione ad gloriam incorruptam, & requiem imperturbabilem. Decet enim, vti à duobus primæuis corporibus manauit per inobedientiam corruptio, sic à duobus noui ac beatioris sæculi diuinis tabernaculis per vtriusque obedientiam Deo offerantur incorruptionis primitiæ. Ita Virgo receptis dimissi corporis exuuiis, prorsus integra & incorrupta ad regalem conscendens thalamum, inanem in terris tumulum dereliquit: quamuis nec omnino inanem; quippe illâ sacri depositi aliquantâ præsentiâ sanctitatem indeptus erat non vulgarem. Hunc tumulum pius Imperator quando aliud haberi non poterat, ad se transmissum, in magnificentissimo beatissimæ Virginis templo (*Blachernarum* appellant) proximè sacram mensam deposuit. Nec verò tacuit idem beatus Iuuenalis, eo in cœtu adfuisse vnà cum discipulis & sancto Timotheo atque Hierotheo beatissimum Dionysium. Qui quidem Dionysius, an conspectâ tum in personâ Virginis quasi plusquam humanâ maiestate, ea quæ passim feruntur, dixerit; nimirum se pro Deâ eam fuisse habiturum, nisi aut fides aut ratio inhibuisset, id, inquam, nec ita certum habeo, vt asserere ausim; nec ita incertum, vt refellere debeam. h Vti enim à nouis quidem hominibus, sic à doctis admodum & piis huiuscemodi opinionis celebrata est auctoritas. Quare hæc aliis relinquentes, Dionysium à sanctis locis ad sui gregis pascua reuertentem pedetentim prosequemur.

Glycas Parte 3. pag. 325.

NOTATIONES.

QVæ hoc Capite continetur de sanctissimæ Virginis excessu historia, partim ex antiquâ traditione, partim è sancti Dionysij libro De diuinis nominibus desumpta est. De traditione testatus est ante mille & centum eoque amplius annos beatus Iuuenalis Patriarcha Ierosolymitanus, de quo paulò inferiùs. Verba sancti Dionysij capite tertio eiusdem libri sunt hæc: Ἡνίκα καὶ ἡμεῖς, ὡς οἶσθα, καὶ αὐτὸς, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνεληλύθαμεν. Παρῆν δὲ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος, καὶ Πέτρος ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης, &c. *Quando & nos, vt scis, & ipse* (Hierotheus scilicet) *& multi ex sanctis fratribus nostris ad intuendum corpus, quod principium vitæ & Dei conceptaculum fuit, conuenissemus. Aderat autem & Iacobus frater Domini, & Petrus supremum & venerabilissimum Theologorum columen.*

Quæ verba cùm à diuersis diuersè capiantur, singulorum proferendæ sunt sententiæ, vt pateat ex eorum commissione, quænam vera censenda sit.

Prima igitur & antiquissima & communissima sententia (quam & nos amplectimur) est, illa Dionysij verba de corpore sacrosancto beatissimæ Virginis Mariæ (ad quod intuendum & tumulandum conuenerint Apostoli) esse intelligenda. Sic enim intellexit Iuuenalis Patriarcha Ierosolymitanus, qui abhinc mille ducentis retrò annis vixit & scripsit. Sic & Andreas Cretensis, Ierosolymorum etiam ipse Patriarcha. Sic & sanctus Maximus martyr, sancti Dionysij Scholiastes præcipuus, in suis Scholiis. Sic & sanctus Ioannes Damascenus in Oratione De dormitione Deiparæ. Sic & Michaël Syngelus, Presbyter Ierosolymitanus, & Simeon Metaphrastes, & Nicephoras Callistus, & Georgius Pachymeras, & alij è Græcis: ipsorumque item Menæum, & vno verbo, Græci omnes. E Latinis autem S. Gregorius Turonensis lib. 1. De gloriâ Martyrium, S. Ildefonsus Sermone 4. De assumptione B. Mariæ, Albertus Magnus in dictum librum & locum S. Dionysij, aliique quàm plurimi, antiqui & noui. Et probatur hæc sententia ratione,

Primò, Quia corpus sanctissimæ Virginis aptissimè vocatur ζωαρχικὸν καὶ θεοδόχον σῶμα. Nam ζωαρχικὸν sonat *quod est principium vitæ.* Atqui si Christus est vita (vt se ipse appellauit Ioannis 14. *Ego sum via, veritas, & vita*) & si Deipara est illi principium generationis, certè etiam dici potest *principium vitæ.* Rectè etiam dicitur corpus B. Virginis θεοδόχον, id est, *Dei susceptiuum,* siue *Dei conceptaculum,* quòd scilicet Deum in vtero conceperit & gestauerit.

Secundò, Quia beatæ Virginis excessus & sepultura causam præbuit iustissimam, Apostolos & ex Apostolicis viris præcipuos eò trahendi, tam vt eius aspectu & benedictione fruerentur, quàm vt eius sepulturam, velut Matris & Reginæ, curarent & cohonestarent.

Tertiò, Quia eiusdem Virginis pietati atque charitati valdè consentaneum fuit, vt priusquam terras relinqueret, Apostolos & primores discipulos videre, extremumque salutare, ac potissimùm solando, docendo, hortando ali-

quid eis gratiæ spiritualis impertiri vellet. Poterat enim multo iustiùs, quàm Paulus, illa verba sacra vsurpare, quæ ille ad Romanos: *Desidero enim videre vos, vt aliquid vobis impertiar gratiæ spiritualis ad confirmãdos vos, id est, simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram, atque meam.* His igitur impellor rationibus, vt primæ huic sententiæ, reiectis aliis, adhæręscam; quæ verò contra obiiciuntur, tum refellam, cùm alias opiniones produxero.

Secunda igitur opinio est Ioannis Scoti in Epistolâ ad Carolum Magnũ, per ea scilicet verba, Ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος, intelligi conspectum Christi corporalem. Ex hoc enim loco probat, Dionysium vnà cum Hierotheo & multis aliis Christum vidisse. *Cum quo*, inquit, *multisque aliis sanctis in vnum conuenientibus, Christum post resurrectionem corporaliter est contemplatus; aderantque, vt ipse ait, Iacobus frater Domini*, &c. Quæ si ita intelligantur, vt dicantur Dionysius & Hierotheus vidisse Christum in carne ante suam ascensionẽ, prorsus falsa sunt; tum enim neque ipsi, neque ipsorum Magister Paulus ad fidem adhuc erant conuersi: sin de aliâ Christi apparitione corporali post ascensionem factâ sit sermo, quamuis Græca verba eum quoque admittere sensum possint, tamen etiam sic videtur esse falsus. Nam talis apparitio tam multis simul, & tanto tẽpore post ascensionem facta, nullo modo, neque ab Apostolis, neque ab eorum discipulis (cùm ad resurrectionis probationem faceret plurimum) neque ab vllo prorsus alio, qui spectator tam præclari visi fuisset, tacita esset. Accedit, quòd hæc opinio ab alio hactenus recepta sit nemine.

Tertia sententia est Matthæi Galeni Westcappellij, in Præfatione ad Areopagitica Hilduini, qui de ædibus Ioannis Euangelistæ verba illa sancti Dionysij accipit. *Porrò licet*, inquit, *alij non incommodè fortassis sint ista intellecturi de conuentu ad sepulchrum ipsum subdiali, ibidemque consessu Apostolico; attamen rectiùs existimo, de ædibus Ioannis Euangelistæ accipi posse, in quas recepisse dicitur B. Virginem statim à commendatione Filij sui morituri.* Verùm neque hæc magnam habet probabilitatem. Nec enim tanti ædes illæ erant, vt earum visendarum gratiâ è multis & dissitis locis, & è magnis occupationibus euocandi essent tot Apostoli, & viri Apostolici. Quid, quòd valdè insolens est sermo, ædes vocari corpus? imò nullus vmquam sic locutus legitur.

Quarta proinde est Hilduini Abbatis, qui in S. Dionysij Vitâ, capit verba suprà posita de sepulchro Christi. Nam agens de libro S. Dionysij De diuinis nominibus, vbi verba ista extant controuersa, sic scribit: *In quo ostendit, se apud sanctam ciuitatem, penes sepulchrum Iesu vitæ principis, à Iacobo fratre Domini & Petro Apostolorum principe, necnon & à Theologo Ioanne vnà cum præfato Hierotheo, & S. Timotheo, aliisque sanctis compluribus audisse disputationem & fidei sacramentum*, &c. Vbi τὸ *sepulchrum Iesu vitæ principis* positum est pro eo, quod Græcè habetur τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος. Pro hac opinione, tamquam pro aris & focis, depugnat Franciscus Biuarius in Commentario suo ad Dextri Chronicon, in anno Christi 48. & quod pro eâ quidem adferri potest, enixè adfert; sed tamen ad expugnandam sententiam, quæ à tot sæculis & à tot bonis Auctoribus recepta sit, vt mihi quidem videtur, inualidè.

Primum Biuarij argumentum est, quòd auctores nostræ sententiæ (vt quidem ipse sumit Biuarius pag. 98.) *manifestè defecerint (vno dempto Baronio) in eodem Dionysij textu explicando: dum ex eo credunt haberi, inibi quoque adfuisse Timotheum Pauli dilectum discipulum, & Ephesiorum Episcopum; ad ipsumq; libros suos Dionysium nuncupasse: quod tamen verum non esse, ad annum Domini* 100. *comment.* 11. *Deo duce*, inquit, *monstrabimus.* Hæc ille.

Duo igitur dicit: vnum quidem, quòd omnes, qui verba Dionysij de corpore Virginis accipiunt, iidem, excepto Baronio, ibi adfuisse Timotheum Ephesiorum Episcopum dicant: alterum autem, quòd iidem teneant, adeoque ex Dionysij verbis colligant, libros S. Dionysij ad eumdem B. Timotheum scriptos esse. Ipse porrò vtrumque horum falsum esse dicit, atque se ostensurum, nec interfuisse Timotheum illum funeri Virginis, nec ad eum scriptos esse libros; nos autem vtrumque pro vero tenemus, & pro certo probabimus.

Ac prius quidem de Timothei præsentiâ cõfirmatur ex Auctoribus Græcis, & nominatim ex illorum antiquissimo Iuuenale, Patriarchâ Ierosolymitano, cuius antè memini. Is igitur coram Marciano Imp. & Pulcheriâ coniuge, cùm de ortu ac funere Deiparæ ageret, addidit inter alia, etiam Timotheum & Dionysium Areopagitam & Hierotheum interfuisse. De quo vide Nicephorum Callistum lib. 15. Histor. Eccles. cap. 14. Idem Menæa Græcorum expressè testantur.

Quod autem dicit Biuarius, Dionysij verba nihil pro nobis facere, si ad vnguem perpendantur; & quòd pro hoc confirmando Marsilij profert interpretationem; nihil sanè illa contra nos facit, atque etiamsi aliquid faceret, responderemus, ipsorum Patrum Græcorum explicationẽ, vnius auctoris Latini interpretationi longè præferendã esse, & Græcos ipsos meliùs Græca intelligere, quàm Latinos. Quamuis & plures Latinorum interpretationes à nobis sint, & nouissima quoque nostri Petri Lansselij, qui Græca illa ὡς οἶσθα καὶ ἡμεῖς, ὡς οἶσθα, καὶ αὐτὸς, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνεληλύθαμεν, sic vertit: *Cùm & nos, vt scis, & tu, & multi ex sanctis Fratribus nostris, corporis, quod auctorẽ vitæ Deumq; recepit, videndi causâ conuenissemus.* vbi καὶ αὐτὸς, vertit *& tu.* quo modo & Michaëlis Glycæ Interpres accepit 3. Parte Annalium, vbi eadem verba vertit, *Nos quidem vnà tecum*, &c. quod idem est, atque *nos quidem & tu.* nam αὐτὸς non tantùm significat *ille*, sed etiam *tu.* Quin & hoc modo accepit idem Dionysius paulò antè, in eodem ipso capite, & eadem paginâ, cùm dixit alloquens sanctũ Timotheum: Καὶ πολλάκις ἡμᾶς καὶ αὐτὸς εἰς τοῦτο προέτρεψας. *Et sæpè nos etiam tu ad hoc hortatus es.* Quia tamen ambigua est hîc Dionysij intentio, non eâ nos tantùm particulâ nitimur, vt probemus Timotheum decessui Virginis adfuisse, neque item verbis illis *conuenimus nos*, quasi ibi com-

comprehendat ſecum vnà Hierotheum, aut, ſi mauis, Timotheum, ſed potiùs illis, ὡς οἶδας, *vt noſti*, quæ bis illic vſurpat, quaſi velit dicere, *vt ipſe optimè noſti, qui illic adfueris:* deinde etiam illis verbis, quæ pòſt ſequuntur, vbi dicit Dionyſius ſe ab ipſo Timotheo, memori illorum Hymnorum qui tum decantati ſunt, partes aliquas inaudiſſe. Quibus verbis quid indicare velit aliud, quàm S. Timotheum memoriâ retinuiſſe, quæ illic ad funus D. Virginis, cùm præſens adeſſet, audiuerat?

Quin & Hilduinus ipſe, licet aliter quàm nos in aliis ſenſerit, tamen adfuiſſe Timotheum vnà cum SS. Dionyſio & Hierotheo, nobiſcum ſentit; cuius verba licet videre in eius Areopagiticis. Idem & S. Thomas in Expoſitione ſuper librum De diuinis nominibus, cap. 3. ad hunc ipſum locum.

Secundum eiuſdem Biuarij argumentum eſt, quòd, ſi Dionyſius de tranſitu ageret, non diceret conueniſſe ipſos Ieroſolymis *viſuros corpus eius, quod vitæ principem Deumque ſuſcepit*; ſed ſic, *interfuturos migrationi eius*, &c. Reſpondeo, diuerſos diuersè loqui, Biuarium more ſuo, & Dionyſium ſuo; Latinos aliter, aliter Græcos; Dionyſium autem Græcis ita locutum, vt omnes Græci, ne vno quidem excepto, intellexerint ibi ſermonem eſſe de corpore Virgineo, non autem de ſepulchro.

Et quod addit Biuarius dicturum fuiſſe Dionyſium, *non quidem ad videndum tantùm, ſed ad recipiendam eius benedictionem poſtremam: nec ad videndum corpus dumtaxat, ſed ad videndam eam viuam, priuſquam migraret ad Filium*; Reſpondeo, nos quidem hodie ita locuturos eſſe, ſed Dionyſium in ſuis libris aliud loquendi genus ſectatum, nempe grandiloquum & ſubobſcurum: exiſtimaſſe autem, facilè hæc intellectû iri ab eo, qui iiſdem interfuiſſet exequiis. Intelligenti enim pauca. Nec volebat Dionyſius ſua ab omnibus intelligi, cùm nec omnibus ſcriberet, ſed ſolis Eccleſiæ ſacris Ordinibus.

Addit idem Biuarius: *Quòd ſi velit quis, vt Virginem vitâ præditam Dionyſius nuncupet corpus, inuſitatum inducet loquendi modum, quo nullus Doctorum vſus reperiatur.* Reſpondeo, non tam inuſitatum eſſe, vt *corpus* ponatur pro *perſonâ*, quàm vt *corpus* ponatur pro *ſepulchro*, quod tamen ipſe vult. Quis enim ab orbe condito vmquam ſic locutus eſt, aut loquetur infinitis pòſt ſæculis? *Viſamus corpus quod ſuſcepit Ioannem*, pro, *viſamus ſepulchrum Ioannis. Viſamus corpus, quod ſuſcepit Chriſtum*, pro, *viſamus ſepulchrum Chriſti.* Certè illa longè tolerabilior eſt locutio, *Viſamus corpus, quod ſuſcepit Chriſtum*, id eſt, *viſamus Virginem*, ſeu, *corpus Virginis.* vti & S. Thomas loco antè citato approbat, ita ſcribens: *Poteſt etiam intelligi, quòd conuenerunt ad videndum corpus beatæ Virginis Mariæ in eius morte, quod etiam ſuſcepit Deum in incarnatione.*

Nam vt *caro* in ſacris Litteris percrebrò pro toto homine ponitur, ſic & *corpus* (quod idem eſt quod caro) peræquè pro toto homine poni poteſt. De carne quidem obuia ſunt exempla, vt Geneſ. 6, 12. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam*, id eſt, *omnis homo.* & Pſalm. 55, 5. *In Deo ſperaui non timebo quid faciat mihi caro.* & Ioannis 1, 14. *Et Verbum caro factum eſt.* & Lucæ 3, 6. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Non minùs autem *corpus* ſic accipi poteſt, cùm à carne non differat: imò verò ita accipitur Sapientiæ 1, 4. *Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapiētia: nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*, id eſt, in homine prauo & peruerſo: alioqui in animâ potiùs habitat ſapientia, quàm in corpore. Quin & Matth. 24, 28. & Lucæ 17, vltimo, *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*, id eſt, vbicumque fuerit Chriſtus, vt multi ſancti Patres interpretantur. Accedit, quòd propriè & proximè corpus videatur, ac propterea rectè dicatur eos conueniſſe viſuros corpus; ſicut frequentiſſimè in Scripturis, pro eo quòd diceretur, *non videbitis me*, reperimus vſurpatum, *non videbitis faciem meam.* Sic Geneſeos 43, 44. aliquoties: *Non videbitis faciem meam abſque fratre veſtro minimo*, & ſimilia. Sic & Actorum 20, 25. *Ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui prædicans regnum Dei.*

Adde, propter corpus maximè conuocatos videri Apoſtolos, nempe vt illud (cuius præcipuè honos id temporis à Spiritu ſancto intendebatur) honeſtè ac religiosè ſepelirent, atque etiam vt eſſent, qui & viderent mortuum, & teſtarentur aſſumptum. Alioqui vnde nobis illa eius in cælos aſſumpti tam feſta dies? Vnde tanta, quanta nunc eſt, ſolemnitas prouenisſet?

At enim vrget etiam atque etiam vir admodùm diligens & doctus (talem enim certè agnoſco) atque Dionyſij verbis nos impugnat, iſtis nimirum: *Illic ergo poſt contuitum placuit, vt Pontifices omnes*, &c. *Nihil igitur*, inquit, *aliud Apoſtoli & Diſcipuli fecerunt, niſi videre & contueri, quod ſepulchro Domini valdè congruit, corpori autem Virginis minimè, quod nimirum non ſolùm viderunt, ſed & ſepulturæ mandarunt.* Sic ille. Cui nos dicimus, neque verum eſſe quod aſſumit, neque benè inferri quod colligit. Multa enim ibi præter contuitum corporis alia eſſe facta, indicat eodem loco ipſe S. Dionyſius: ſed omittit ea ſpeciatim exponere, quòd & Timotheo nota eſſent (nempe teſti aurito & oculato) & verbis facilè exprimi non poſſent; neque, ſi poſſent, deberent. Verba Dionyſij ſunt: Ἀλλὰ ἵνα τὰ ἐκεῖ μυστικὰ καὶ ὡς τοῖς πολλοῖς ἄρρητα, καὶ ὡς ἐγνωσμένα σοι παραλείψωμεν. *Sed vt myſtica, quæ illic facta ſunt, tamquam multis ineffabilia, & tibi cognita, prætermittamus.*

Poſtremò reprehendit Biuarius, quòd à nonnullis dicitur *omnes Apoſtolos funeri beatæ Virginis adfuiſſe.* Quâ de reprehenſione id ſolùm habeo dicere, ſi ab illis hoc dicatur, quaſi ex Dionyſij verbis; meritò eos reprehendi, neque enim id eius verba ſonant; ſin ex vetuſtâ traditione, quam Iuuenalis Patriarcha coram Auguſtis Principibus Martiano & Pulcheriâ teſtificatus eſt, immeritò: nempe accipiendo *omnes* diſtributione accommodâ, qui ſcilicet in viuis erant, & adeſſe poterant. Nam quòd duo tantùm nominentur, Iacobus & Petrus, his verbis: Παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος, καὶ Πέτρος ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης. *Aderat autem & Iacobus Chriſti frater, & Petrus ſupremum & venerabiliſſimum Theologorum columen.*

quòd hi, inquam, ſoli nominentur, non obſtat, quin & alij adfuerint (non enim excluduntur) ſed hi tantùm à Dionyſio, tamquam qui tunc præcipui inter Apoſtolos eſſent nominis & auctoritatis, nominàtur. Nam Petrus erat omnium caput, Iacobus autē vrbis Ieroſolymorum (quæ vrbibus omnibus antiſtabat, & Iudaicæ gentis princeps domicilium erat) Antiſtes à collegis ſuis conſtitutus, qui etiam abſtinentiæ & auſterioris vitæ causâ ipſis fidei noſtræ hoſtibus erat reuerendus. Quòd verò Ioannes Euangeliſta nominatus non fuerit, cauſa in promptu eſt, quòd de eius præſentiâ, vtpote Virgini ſemper aſſiſtentis, nulla ſuboriri poſſet dubitatio. Imò S. Mariæ Cathedralis Eccleſia Tornacenſis gloriatur ſe habere *de palmâ, quam ſanctus Euangeliſta & Apoſtolus Ioannes deferebat præeundo in exequiis S. Mariæ Deiparæ.* Sic enim eſt in Hierogazophyliaco Belgico Arnoldi de Raiſſe. Quin & Meſſanenſes in Siciliâ fruſtum aliquod eiuſdem palmæ in principe templo aſſeruant. Vide poſt Franciſci Maurolyci Abbatis Meſſanenſis Martyrologium, adiuncta *Reliquiarum loca.* Ad Paulum autem quod attinet, ſiue adfuerit ſiue abfuerit, nihil fraudi eſt verbis Dionyſij, qui mentionem eius non facit: ſed neque aſſertioni illorum, qui dicunt omnes adfuiſſe; quandoquidem more vulgari loquantur, vt dicant omnes pro parte maximâ, & pro iis qui commodè adeſſe potuerint, & quos Deus ei conſeſſui deſtinauerit.

Nam iidem ipſi, qui dicunt omnes adfuiſſe, poſteà ſubiiciunt defuiſſe Thomam, ac triduo pòſt tantùm adueniſſe: nec ſine diuino quidem id factum conſilio dicunt, nempe vt idem Matris probaret aſſumptionem, qui Filij comprobarat reſurrectionem. Sed Franciſcus Biuarius, dum nimis inſiſtit, vt defuiſſe iſti Apoſtolorum cœtui Paulum probet, oſtendatque non potuiſſe eſſe Ieroſolymis anno Chriſti quinquageſimo octauo, in multis errat. Nam ita ſcribit: *Adhuc autem mihi difficile id videtur: quoniam anno quinquageſimo ſeptimo (qui fuit Neronis ſecundus, teſte Hieronymo lib. de Scriptoribus Eccleſ. in Paulo) Paulus peruenit vinctus Romam, vbi manſit biennio toto in ſuo conducto. Act. vltimo. Vnde anno quinquageſimo octauo non potuit Ieroſolymis adeſſe.* Sic ille. Quòd ergo exiſtimat, annum Chriſti quinquageſimum ſeptimum eſſe ſecundum Neronis, apertè fallitur: non enim quinquageſimus ſeptimus, ſed quinquageſimus octauus eſt ſecundus Neronis, vt liquet ex Euſebij Chronico, & Demonſtratione Pontaci. Deinde, quòd ad probandum, perueniſſe Paulum Romam anno ſecundo Neronis, teſtem adducit Hieronymum, rurſus fallitur. Non enim dicit Hieronymus *perueniſſe*, ſed tantùm *miſſum eſſe. Romam*, inquit, *vinctus mittitur.* Itaque illo anno erat Ieroſolymis. Deinde paulò pòſt in accommodandâ eiuſdem Pauli prophetiâ non parum aberrauit. ſic enim de illo ſcribit: *Quia poſtquam ſemel Romam venit, numquam in Orientem reuerſus eſt, vt ipſe de ſe prophetauerat. Actorum vigeſimo, Ecce ego ſcio, inquiens, quia non ampliùs videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui prædicans regnum Dei.* Sic ille. Atqui Paulus non prophetabat ſe numquam in Orientem reuerſurum; imò tunc, cùm illa prophetabat, rectà tendebat in Orientem, nempe Ieroſolymam, vbi & captus, & vinctus, ac deinde ductus Romam fuit. Erat autem Mileti Paulus cùm illa prophetauit (eſt porrò Miletus vrbs Aſiæ) eoque vocauerat Epheſo maiores natu Eccleſiæ. His ergo Epheſiis, & Mileſiis potiſſimùm, ſed & aliis Eccleſiis Aſiæ, quæ ab illis non longè diſtabant, ſe poſthac per eorum terras non tranſiturum prædicebat. Neque enim eius verba ſic reſtrictè capienda ſunt, quaſi nulli omnino eorum, per quos tranſiuerat prædicans verbum Dei, eſſent in poſterum eius viſuri faciem. id enim ferè fieri non poterat. Nam etiam in Iudæâ prædicauerat, quò tamen iam properabat, & ſine dubio aliis quoque in locis inter Iudæam & Aſiam mediis. Deinde rurſus ex Iudæâ Romam vſque erat profecturus: an in toto illo & tam longo itinere nulla vrbs erat, vbi antè prædicaſſet? neque hoc ſatis. Româ etiam liber dimiſſus à Nerone, ad prædicandum vbicumque voluit Euangelium, annos complures abiit, & quidem, ipſo teſte Biuario atque defenſore, etiam in Hiſpaniam profectus eſt: quod ego illi aſſentior. An nullus igitur intereà, non dicam è Iudæis, aut Græcis, ſed ex Aſianis, quibus tum valedicebat, eius faciem vidit? nullus ad eum, ſeu in Syriam, ſeu in Hiſpaniam, ſeu in Italiam, ſeu aliò, vbi erat, eius viſendi aut conueniendi causâ ſe contulit? nullus quacumque ex occaſione in ea loca profectus, vbi Paulus erat, in eum incidit? Res eſt ſanè creditu perdifficilis. Quid igitur, inquies, iſtis verbis voluit Paulus? Aliud certè nihil, quàm ſe in terram Aſiam, præcipueque Miletum & Epheſum, ampliùs non rediturum.

Poſtremò, non poſſe verba de Chriſti Domini ſepulchro intelligi, probat etiam doctiſſimus Baronius anno Chriſti XLVIII. Quia ſcilicet ſepulchrum illud Apoſtoli iam ſæpè viderant, nec erat cauſa cur id temporis tam multi vnà conuenirent, tam ad videndum illud, quàm ad hymnos ibi concinendos. Cui argumento mirum eſt nihil reſponſum eſſe à Biuario. Maneat igitur firmum (quod & Græci omnes docuerunt, & plurimi Latinorum approbarunt) verba ſancti Dionyſij de conuentu Apoſtolorum ad corpus Virginis intuendum, & honore ſepulturæ adornandum, intelligenda eſſe.

Sed quæret aliquis, quamobrem Apoſtolorum nullus mentionem vllam vel mortis ſanctiſſimæ Virginis, vel conuentus ad exequias eius fecerit. Hoc enim quidam Michaëli Glycæ olim propoſuit. Illius proinde interrogationem, & huius reſponſionem hîc lubet apponere. Sic itaque Glycas Parte tertiâ Annalium. *Memini quoque, dilecte fili, inquit, te inter cetera huiuſmodi dubitationem aliquando mihi propoſuiſſe. Quamobrem, aiebas, diſcipuli Chriſti & Apoſtoli, rebus aliis in commentarios & hiſtorias relatis, prorſus de obdormitione perpetuæ Virginis illius obticuerunt? Hac de re ſatis eſt reſpondere, auctores Euangeliorum Chriſti adminiſtrationem in carne commemorantes, ad eius à terris in cælum aſſumptionem perueniſſe. At illa expers maculæ Domini noſtri Ieſu Chriſti mater prouectâ ætatem attigiſſe*

attigisse perhibetur, vt diuinus ille vir Andreas Cretensis Antistes auctor est. Quapropter fieri non potuit, vt Virginis illius perpetuæ obdormitio Euangelicæ historiæ insereretur, vti quæ longo deinceps tempore, sicut diximus, acciderit. Præterea seorsum peculiari quodam libro de ipsâ nihil Christi discipuli memoriæ prodiderunt, propterea quòd in explicandâ eius administratione occupati, magnopereque de vnâ illâ re solliciti (quo nimirum pacto incredulos fideles efficerent, ac omnes ad puram sinceramque in Christum fidem perducerent) cetera negligebant, præsertim ea quæ ad diuinam illam prædicationem nihil facerent. Sic ille ad propositam quæstionem. Tum subdit cõsequenter, non omnino neglectam fuisse à discipulis Apostolorum hanc de somno Virginis historiam, quandoquidem S. Dionysius in scriptis suis eius meminerit. *Non tamen omnino*, inquit, *diuina isthæc obdormitio silentio prœterita fuit. Nam rerum ille diuinarum interpres, magnus Dionysius de hac admiranda quædam in perscriptis ad Timotheum Epistolis tradere deprehenditur. Ac vide mihi, obsecro, quæ dicturi sumus ex illius narrationibus decerpta. Nos quidem, ait, vnà tecum, multisque sacris fratribus, vt meministi, ad spectandum corpus illud, quod vitæ principium & ipsum Deum aliquando continuerat, conueneramus*, &c. Ita ille.

[a] VT SYNGELI VTAR VERBIS.] Græca Michaelis Syngeli verba in Encomio sancti Dionysij sub initiũ, sunt hæc: Καὶ ὅλος ὅλῃ τῇ ψυχῇ καὶ διανοίᾳ καὶ καρδίᾳ τῷ διδασκάλῳ προσεκεκόλλητο. *Et totus totâ animâ & mente & corde Magistro agglutinatus fuit.* Loquitur autem ibi de sancto Paulo magistro suo; nam & alium magistrum habuit S. Hierotheum, cuius alibi meminit.

[b] MVLTIQVE ALII VITÆ SANCTIMONIA PRÆSTANTES.] Glycas etiam LXX. Christi discipulos vnà cum Apostolis adfuisse existimauit, idque ex ipsius Dionysij verbis colligi. *Ostendit*, inquit, *in hac narratione sacer ille Dionysius vniuersum prope cœtum Apostolorum, & ipsorum* LXX. *Discipulorum, ad venerandum hoc spectaculum congregatum fuisse; tum quòd eodem tempore Discipuli omnes per vniuersum dispersi conuenerint: quorum in numero & ipse fuerit vnà cum Timotheo & Hierotheo.*

[c] SIVE AB ANGELIS, VT QVONDAM HABACVC AVT PHILIPPVS, RAPTI.] De raptu Habacuc Prophetæ ad lacum Danielis, vide librum Danielis cap. 14, 35. vbi inter alia: *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. Et clamauit Habacuc, dicens: Daniel serue Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus. Et ait Daniel: Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel comedit. Porrò Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.* Itaque bis raptus est Habacuc ab Angelo in aëra. S. Philippus autem semel, Actor. 8, 39. cùm baptizasset Eunuchum Candacis Reginæ. *Cùm autem ascendisset de aquâ, Spiritus Domini rapuit Philippum, & ampliùs non vidit eum Eunuchus.*

[d] SIVE LEVIBVS NEBVLIS, QVOD QVIDAM ARBITRATI SVNT, &c.] *Inter alios Syngelius his verbis:* Μάλιςα δ' ἡ νεφέλη μετάρσιον αὐτὸν τῆς ἑσπερίου λήξεως ἀφαρπάσασα, καὶ μετεωρίσασα, καὶ ἀεροπόρον, ὡς καὶ τοὺς ἀκροτάτους θεόπτας καὶ θεολόγους Ἀποςόλους, &c. *Sed inprimis nubes illa, quæ ab Occidentis partibus abreptum sublimem ipsum abstulit, perque aërem euntem abduxit, vti etiam summos Dei inspectores & Theologos Apostolos, altum aliunde repente à finibus terræ in celeberrimam communem omnium matrem Ierusalem asportauit*, &c. Paria ferè Simeon Metaphrastes in Vitâ S. Dionysij, Διὰ Πνεύματος καὶ νεφέλης, *per Spiritum & nubem*, inquit.

[e] SIVE ETIAM, QVOD MVLTI FACTVM CREDVNT, &c.] Tertia sententia est, admonitos maturè Apostolos ac Discipulos de instante Deiparæ Virginis excessu, conatos ante mortem illi adesse. Quam ego cum Baronio & aliis amplector.

[f] ANNOS SCILICET CIRCITER SEPTVAGINTA DVOS NATA.] Diuam Virginem peruenisse ad annum ætatis circiter septuagesimum secundum, tenent hi Auctores:

1. Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus in Vitâ Virginis, *Ætas Virginis*, inquit, *ad septuaginta duos annos processit.*

2. Cedrenus in Compendio Historiarum, vbi de Imperio Tiberij Cæsaris agit, sub quo Christus Dominus passus est, ita de B. Virginis Deiparæ excessu scribit: Παρέδωκε δὲ τὴν ἁγίαν αὐτῆς ψυχὴν τῷ Κυρίῳ καὶ υἱῷ τῷ Θεῷ αὐτῆς ἐτῶν οὖσα οβ´ (Οἱ δὲ φασὶ νη´) ὥστε μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Χριστοῦ εἴκοσι τέσσαρας χρόνους ἐπιβιῶσαν. *Tradidit suam sanctam animam Domino & filio Deo suo annos nata septuaginta duos (quidam tradunt quinquaginta octo.) Vixit ergo viginti quatuor annos post Christi in cælum ascensionem.* Ita ibi.

3. Auctor Opusculi De formâ & moribus B. Mariæ apud Anselmum, dicit, eam, cùm assumpta fuit in cælum, septuaginta duorum fuisse annorum.

4. Fauent eidem sententiæ S. Andreas Cretensis, & Simeon Metaphrastes, qui D. Virginem vsque ad multam senectutem peruenisse scribunt.

[g] DE VTROQVE TAM MATRIS QVAM FILII INCORRVPTO CORPORE.] De virginei corporis incorruptione testis est, præter alios, S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in Oratione De obdormitione Virginis. Vide Glycam Parte 3. Annalium, paginâ 326. De Filij autem incorruptione nefas dubitare.

[h] VTI ENIM A NOVIS QVIDEM HOMINIBVS.] Primus, quem repererim in eâ fuisse sententiâ, vt Dionysius præ admiratione gloriæ ac maiestatis D. Virginis dixerit, se eam adoraturum fuisse tamquam Deum, nì fides obstitisset, est Hubertinus de Casali, qui lib 4. Arboris vitæ, c. 38. sic scribit: *Vnde Dionysius, cùm ad eam videndam introductus fuisset, vidit tantum splendorem, & Angelorum multitudinem innumerabilem circa eam, & propriam Virginem tantâ luce fulgere, vt dixisse referatur, quòd eam, vt Deum, adorasset præ magnitudine gloriæ, quam videbat, nisi Euangelicâ fuisset fide coactus.* Sic ille. Nota idiotismos Gallicos, *propriam Virginem*, pro *ipsam Virginem*, & *coactus* pro *impeditus*. Claruit hic Auctor, teste Trithemio De Scriptoribus Ecclesiasticis, sub Alberto Imp. anno Domini 1300. Hubertini opinionem secuti sunt

 Diony-

Dionysius Rickelius in cap. 3. De Diuinis nominibus, art. 16. Petrus Canisius lib. 3. De Deiparâ, cap. 21. Petrus Ribadeneira in Vitâ sancti Dionysij Areopagitæ, & alij illos secuti.

CAPVT VII.

Dionysij ab Ierosolymis reuersi Pontificiæ occupationes, & Apostolici discursus.

POSTEAQVAM iustis beatissimæ Virgini ex more persolutis, sua vnicuique negotia & sacer instinctus discessum persuaserunt; tum & Dionysius, diuinæ consolationis & cælestium opum plenus, ad iter se accinxit. Viderat enim præcipuum & vnicum ferè mundi miraculum, quod tam multi videre concupiuerant, tam pauci viderant: nec viderat ipse tantùm, sed etiam ex visu simul & auditu mirabiles quasdam amoris sancti faces, & incensa virtutum eius, vnaque Euangelij disseminandi studia mente conceperat: cum Apostolis etiam & discipulis Domini de rebus maximis ac diuinissimis familiariter collocutus fuerat, tantosque ex omnibus fecerat profectus, quantos breui sermone complecti difficile est. Quare tamquam nihil aut parum esset, quod hactenus in vineâ Domini laborauerat, ad longè maiora vastum illud pectus his inflammatum incendiis pertendebat. Neque illum sinebant ea quæ ab aliis per latum orbem variis in regionibus facta audiuerat, somnum oculis capere. Ita continenter obuersabantur animo, ita dies noctesque ad paria stimulabant. Quamobrem ita reditum Athenas disposuit, vti & per longa itineris spatia quàm plurimos, quacumque transiret, Christo studeret mortales adiungere, & vnà statueret, postquam ad suos peruenisset, rebus inibi, quantâ maximâ diligentiâ compositis confirmatisque, ad incultiora & opis suæ indigentiora loca se transferre. Igitur suis redditus, cùm iam non qualis antehac visus, sed tamquam Angelus aliquis de cælo lapsus suspiceretur ab omnibus, amaretur ab omnibus, viam ad res quas intendebat feliciter peragendas inuenit expeditissimam. Itaque & cœtus habere frequentiores, & ea in illis perdocere, quæ vt scitu maximè necessaria, ita fructu essent vberrima: fidei scilicet præceptis mordicus inhærere, & ea frequenti repetere memoriâ, ac liberis suis domesticisque tradere: fidem verò, quæ alioqui inanis sit & infructuosa, probis moribus & honestis actibus corroborare & cohonestare. Quam in rem haud rarò singula

Dionysij ad labores multiplicandos incitamenta.

Documenta plebi Christianæ vtilissima.

singulorum tam in se quàm erga alios officia exponebat, quid parentes filiis, quid filij parentibus; quid domini seruis, quid serui dominis; quid coniuges alter alteri, & omnes inter sese deberent. Denique quid viduis, quid virginibus, quid cælibem vitam sequentibus præcipuè cordi esse oporteret. Nam & in his omnibus inculcandis præcipuos instituisse Apostolos non solùm in libris legerat, sed etiam oculis auribusque acceperat. Quia verò longè maximum momentum ad Ecclesiam in suo flore ac vigore sustentandam, imò & ad amplificandam quoque, & aduersus omnes hostium insultus protegendam, in accuratâ sacrorum ministrorum disciplinâ positum esse intelligebat, propterea & totius doctrinæ formam ipsis præscripsit, & se ipsum (quod Paulus à Tito exigebat, & in illo à cunctis Episcopis) *exemplum præbuit bonorum operum*; hocque omnibus modis sategit, vt qualis esset ipse, aut esse vellet, tales post se in Ecclesiâ suâ relinqueret successores. Quod profectò qui pro dignitate præstat, haud minus Ecclesiæ importat emolumenti, quàm si integram aliquam ad Christi fidem adduceret prouinciam. Quin verò etiam multò magis: nam vel vnicus talis Antistes, non vnius dumtaxat, sed plurium instar est prouinciarum. Nec dubitem affirmare (vt ne longè hinc abeam) sanctum Paulum in vnius Dionysij perfectâ informatione non minùs fecisse commodi, quàm si multas Christianæ religioni regiones adiunxisset? Is enim Dionysius totam Atticam, vt ampliùs operâ Pauli opus non esset, Christo acquisiuit: is multas alias prouincias cursim à Paulo adûbratas, & primis dumtaxat coloribus tinctas, Magistri relegens vestigia, omnibus perfectæ doctrinæ numeris absoluit: is bonam Galliarum partem, is non minimam Hispaniarum ditionem tam per se quàm per suos Christianæ legi subiecit. Sapientissimè igitur, quod dicere institueram, in princeps Ecclesiæ membrum, siue in ordinis sacri bonam ac perfectam constitutionem atque disciplinam, curâ peculiari incubuit. Atque illud in primis & singulariter commendauit, vt ordo quisque inferior superiori, hic autem supremo (vt lex est Dei & naturæ) subiectus esset: neu quisquam aduersus superiores, quos Dei loco habere & reuereri & audire debeat, sibi quidquã temerariâ audaciâ arrogaret. Contra quod eius mandatum si quis interdum sui obliuiosus veniret, mirè angebatur animi; & culpæ reũ, licet aliàs mitissimus, haud sine iustâ verborum

Ad Titũ 2.

Ecclesiasticorum disciplina maximi momenti res.

Ordinum inferiorum aduersus superiores arrogãtia, quam graue flagitiũ.

borum acrimoniâ seueriùs emendabat. Eiusce experimenti testimonium [a] Demophilus ille Cultor siue Monachus præstare potest. Erat enim ex eo Laicorum ordine, qui ob maiorem pietatis cultum Cultores, & ob vnius Dei, reiectis omnibus mundi & rerum terrenarum curis, peculiare seruitium, Monachi nuncupabantur: sed cùm inferiorem se non Presbyteris modò, sed etiam Diaconis deberet meminisse, nescio quâ imprudentis zeli imagine ab inspiciédo vero atque iusto abstractus, contra Sacerdotem quempiam audaciùs insurgere, & nimiam eius in improbos, vt sibi persuadebat, indulgentiam vehementiùs incusare cœpit: quin etiam pœnitentem quemdam criminum suorum medelam ab eodem Sacerdote exposcentem, acerbiùs repellere, & in adyta cõtra fas ingressus, eum cui ea ingrediendi ius esset, cum acerbis dictis aditu prohibere non reformidauit. Quod factum postquam Dionysius ex amborum tam Presbyteri, quàm ipsius Demophili litteris accepisset, non mediocriter sanè (quemadmodum rei grauitas exigebat) commotus animo, siue ob violatum in Ecclesiæ membris debitum ordinem, siue ob Monachi à maligno spiritu illusi acerbam arrogãtiam, tantâ cum animi cæcitate coniunctam, meritò excanduit. Quippe in eum qui irrogatam Sacerdoti iniuriam zelum putaret, & qui perturbatum ab se Ecclesiasticæ dispositionis ordinem, officium ac pietatem nominaret. Adeò insinuata bonis mentibus superbia sensim omnem extundit veræ sapientiæ virtutisque sensum. Quid autem vir sanctus tali in re ac tempore? Aberat tum Athenis, ad alia pro religionis necessitate & incremento profectus, nec tam cõmodè poterat adeò enormiter prolapsum absens releuare, quàm animus erat, aut res postulabat: memor tamen illius boni pastoris, qui oue vnâ perditâ *dimittit nonaginta nouem in deserto*, vt requirat centesimam, alias ipse omnes curas & negotia, vt huic vni intenderet, atque à rectâ rationis orbitâ deerrantem vnam ouiculam reduceret, tantisper seposuit. Epistolam igitur ad eumdem Demophilum conscripsit, & ex abundantiâ quidem charitatis benè longam, sed non longiorem tamen quàm doctiorem, & vtrâque personâ digniorem. Cuius cùm exemplum in promptu habeam, sitque ea longè pulcherrima & adæquè saluberrima, nihil cunctabor eam ponere in medio. Nam præter ipsius Doctoris nostri excellens ingenium, doctrinamq; sacrarum Litterarum longè vberrimam, tria præterea exhibebit suis egregiè depicta coloribus non minimi pretij documenta, quæ in ipso fonte iuuabit recognoscere: nempe quanta sit mansuetudinis apud Deum pulchritudo & æstimatio; quantum hominis arrogantis & in aliena officia se immittentis, peccatum & supplicium; ac postremò, quanta existat diuinæ benignitatis erga peccatores patientia, longanimitas, commiseratio. Cuius quidem virtutis etiam exemplum ibidem profertur, quo nullum vsquam alibi post Euangelium & Acta Apostolorum (nisi me prorsus fugit ratio) nec antiquius reperias, nec efficacius. Epistolam igitur, talia & tam salubria continentem medicamina, nunc expromam.

Cultores & Monachi quales & vnde dicti.

Zeli inconsiderati exemplum.

Superbia vt pias alioqui mentes excæcet.

Matth. 18, 12. Luc. 15, 4.

Epistolæ Dionysij ad Demophilũ vtilitates.

NOTATIONES.

Continet reuersionem S. Dionysij à conuentu Ierosolymitano, & disciplinæ Ecclesiasticæ præclaram in Atheniensi Episcopatu constitutionem. Cuius disciplinæ obseruandæ quàm studiosus exactor fuerit, & violatæ seuerus castigator, exemplo Demophili Monachi, seu Cultoris, ibidem ostenditur.

a DEMOPHILVS ILLE CVLTOR.] Qui in populo, siue inter Laicos præcipuæ pietatis ac deuotionis statum profitebantur, Cultores ab eximio virtutum cultu appellabantur, Græcè θεραπευταὶ, à verbo θεραπεύω, *colo.* Iidem & Monachi appellabantur, quòd μόνῳ Θεῷ, *soli Deo* vacarent, pietatemque vnicè colerent.

CAPVT VIII.

Dionysij ad Demophilum Cultorem siue Monachum, officij & humanitatis limites transgressum, vindex epistola.

DEMOPHILO CVLTORI DIONYSIVS SALVTEM.



TRADVNT [a] Hebræorum historiæ, ô generose Demophile, sanctum illum Moysen, ob insigne animi mansuetudinem, ipsius Dei conspectu dignatum esse; ac si quando illum eâ orbatum gratiâ scribant, non id priùs fuisse factum dicunt, quàm idem ab ingenitâ sibi mansuetudine desciuisset: nam tum demum ei grauiter Dominum succensuisse, cùm nimio plus sibi arrogaret, diuinisq; consiliis obsisteret. At verò cùm eumdem decretis à Deo honoribus illustrem prædicant, id non aliam ob rem, quàm propter eximiam diuinæ bonitatis imitationem, ei attribuunt. Erat enim admodum mansuetus: eaque de causâ *seruus Dei* dicitur, & quàm omnes alij Prophetæ, Dei aspectu dignior. Quin etiam

Num. 12, 3. & 8.

Mansuetudinis vberrima commendatio.

Ibidem v. 7. & 8.

iam cùm aduersus ipsum & Aaronem temerarij quidam de sacerdotij gentisque principatu contenderent, se omni honoris ac dominationis ambitione superiorem præstitit, populique præfecturam Dei ipsius commisit iudicio. Postquam verò & in ipsum insurrexerunt, & præterita exprobrando grauiùs interminati sunt, nihilque propius fuit, quàm vt impetum in eum facerent, tum denique Deum in salutem inclamauit. Eò autem agebat rem suam confidentiùs, quòd malorum omnium subditis ingruentium nulla in se culpa resideret. Prudenter enim intelligebat, eum, qui cum bono Deo versetur, illi, quoad facultas ferat, quàm simillimum effici oportere, nec vllius nisi honesti ac liberalis facti esse conscium. [b] Nam quid *Dauidem Dei patrem* Deo conciliauit, charumque reddidit? Nónne benignitas, & aduersus inimicos ipsos charitas? *Inueni* (inquit ille summè bonus, & bonorum amans) *virum secundùm cor meum.* Et verò lex quoque bona data est, vt iumentorum inimici cura habeatur. Et Iacob, vt innocentiæ tenax, iustificatus est. Et Ioseph fratres insidiatores minimè puniuit. Et Abel simpliciter & minimè suspiciosè cum fratricidâ ambulauit. Denique sacræ Litteræ bonos appellant eos, qui nec mala meditantur animo, nec opere exequuntur, nec aliorum item malitiâ de bono deturbantur, sed qui è contrario, eos qui mali sunt, bonos reddunt, & totum bonitatis suæ sinũ in eos explicant, suaque humanitate ad similia prouocant. Enimuerò ad altiora mentem surrigamus, non iam sanctorum virorum mansuetudinem, non bonorum Angelorum bonitatem deprædicantes, qui Gentium miserentur, qui illis bona postulant, qui homines perniciosos ac maleficos arguunt, qui tam horum grauati malis indolent, quàm aliorum, qui ad bona traducuntur, salute congaudent: neque item alia, quæcumque de beneficis Angelis Theologia tradit, memorantes: sed ipsius Christi, qui verè bonus & longè optimus est, salutares radios in mentis tranquillitate suscipientes, ab his ad diuina eius benefacta collustrati ascendamus. An non eius est ineffabilis atque incogitabilis bonitatis, quòd ea quæ non sunt facit vt sint, & ea quæ sunt conseruat, vt constanter sint, & cuncta vult sibi esse consimilia, atque in suorum bonorum, pro cuiusque modo, partem venire? Quid quòd ab ipso etiam recedentibus amabiliter inhæret, & conatur euincere reluctantes, & vt ne indignus eorum numero censeatur, quæ ipsis in amore & deliciis sunt, rogat: immò & ipsum temerè incusantes sustinet, & defensoris partes suscipit, & se magis eorum amicitiam culturum spondet: adeoque, cùm adhuc longè sint, accedentibus occurrit, & obuiàm procedit, & totus totos amplexans osculatur, neque priora exprobrat, sed amat præsentia, & festum diem agit, & conuocat amicos, bonos scilicet, vt sit *lætantium omnium habitatio.* Demophilus autem, & siquis alius bonis infensus est, valdè iustè increpatur, & bona discit, & bonus fit. Quomodo enim, inquit, non oportebat bonum lætari de eorum salute, qui perierant, & de vitâ eorum, qui mortui erant? Certè & in humeros tollit ouem ab errore vixdum reuersam, & bonos Angelos ad gaudium inuitat: sed & benignus est in ingratos, & *solem suum oriri facit super bonos & malos*: & suam ipsius vitam pro transfugis profundit. Tu verò, quemadmodum litteræ tuæ indicant, etiam Sacerdotis genibus accidentem impium quidem, vt ais & peccatorem, nescio quomodo calcibus ab eo propulsasti. Deinde ille quidem rogabat, & fatebatur se ad malorum medicinam accessisse; tu autem non modò non exhorruisti, sed etiam bonum Sacerdotem audacter contumeliâ affecisti, eum scilicet qui pœnitentem misericordiâ dignum iudicabat. & impium Deo reconciliabat: tandemque Sacerdoti dixisti: *Exi cum tui similibus*, & simul (quod nefas est) in adyta prosiluisti, & Sancta sanctorum vilia reddidisti. Et nobis interim scribis: *Sacra, quæ violatum ibantur, prouidè conseruaui, & adhuc inuiolata conseruo.* Audi ergo iam, quid ego dicam. Nefas est Sacerdotem etiam ab iis, qui superiores te sunt, Ministris, aut à tui ordinis Monachis corrigi: quamuis etiam impiè se habere in rebus diuinis videatur, aut aliquid eorum, quæ prohibita sunt, agere. Si enim indecenter quidpiam & inordinatè in rebus diuinissimis admittere, est instituta & leges violare, quid rationis habere potest traditum à Deo ordinem Dei caussâ peruertere? Neque enim Deus in se diuisus est. Quomodo enim alioqui *stabit regnum eius?* Et si Dei est, vt Scripturæ loquuntur, iudicium; Sacerdotes autem, secundùm Episcopos, diuinorum iudiciorum nuntij sunt atque interpretes, tu ab illis (à quibus etiam Cultor factus es) per medios Ministros diuina cõgruenter statui tuo, cùm tempus fuerit, condiscito. An non & sacra mysteria hoc clamant? [c] Nec enim sine ratione *Sancta sanctorum*

Qualis esse debeat cum Deo versaturus. — Act. 13,22 — Exod. 23,4 — Genes. 23,29. — Gen. 45,4. — Gen. 4,8. — *Boni qui dicantur in Scripturâ.* — *Amor Christi in homines immensus ex quo ostendatur.* — Luc. 15,20 — Psal. 86,7. — Luc. 15,32 — Matth. 5,45. — *Demophili litteræ arrogantiæ & malæ gloriationis plenæ.* — *Sacerdotũ peccata minimè ab inferioribus corrigenda.* — Matth. 12,25. — Isaiæ 30,18. — Malac. 2,7

Locorum in templis distributio.

sanctorum ab omnibus exempta sunt: quibus Pontificum ordo præ ceteris magis appropinquat: deinde Sacerdotum, & post hos consequenter Ministrorum: eos autem

Cultorum locus & munus.

qui Cultores ordinati sunt, adytorum valuæ disterminant, separantque: ad quas etiam valuas initiantur & assistunt,[d] non ad illarum custodiam, sed propter ordinem & sui ipsorum cognitionẽ, tamquam populo præ sacris ordinibus magis appropinquantes. Vnde & sancta sacrorum ordinatio sanxit eos diuinorum quidem esse participes, sed aliis, qui interiores sunt, ea tradendi concessit potestatem. Nam ij qui mysticè circa diuinum semper versantur altare, cernunt audiuntque diuina clarè sibi reuelata, & benignè ad ea quæ extra diuina vela sunt prodeuntes, obedientibus Cultoribus, & sancto populo, & ordinibus qui expiantur, pro dignitate sacra annuntiant: quæ sarta tecta hactenus ritè conseruata sunt: donec in ea violẽtè insiliens,[e] *Sancta sanctorum* cum pompâ ad te efferri nec volentia coëgisti. Ac te interim sacra habere ais, & conseruare: cùm nihil eorum quæ ad Sacerdotes pertinẽt nec videris, nec audieris, nec habeas: quemadmodum neque Scripturarum veritatem cognouisti, licet

2.Timoth. 2. de iis quotidie *verbis contendas ad subuersionem audientium.* Et quidem, si Præfectus

Acris in Monachũ altiora se audentem ex comparatione increpatio.

aliquis Prouinciæ quidquam attentaret, quod sibi mandatum ab Imperatore non esset, iure plecteretur: nec minus si Imperatore quospiam vel absoluente vel condemnante, vnus aliquis subditorum, eius retractare iudicium ausus esset (non enim dicam contumeliâ afficere) is profectò deturbare eum imperio videretur. Tu autem, ô homo, itáne aduersus Dominum mansuetum & bonum, & contra eius Pontificiam legislationem audax es? Atque hæc quidem dici queant, quandocumque quispiam supra dignitatem suam aliqua aggrediatur, etiamsi æqua esse videantur, quæ faciat: quãdoquidem hæc facere liceat ne-

2. Par. 26, 16. mini. Quid enim Ozias absurdum faciebat, cùm Deo incensum adoleret? Quid

1.Reg. 13. Saül, cùm eidẽ sacrificium offerret? Quid

Marc. 1, 24. tyranni dæmones, cùm Iesum verè Deum prædicarent? Verùm Theologia abdicat omnem qui alieno se immiscet officio: Et vnusquisque, ait, in ordine sui ministerij erit. Ac solus Pontifex in *Sancta sanctorum* ingredietur, & semel in anno: atque hoc in omni, iuxta legem, Pontificiâ puritate. Sacerdotes autem portant Sancta: & Leuitæ

Num. 4, 15 *non tangent vasa sanctuarij, ne moriantur.*

2.Reg. 6, 7 *Iratusq; est indignatione Dominus contra*

Num. 12, 10. *Oziam. Et Maria percussa est leprâ,* legem

legislatori ferre aggressa. *Et in filios Scæuæ insilierunt dæmonia.* Act. 19, 16.

Et *non mittebam eos, & ipsi currebant: & non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Ierem. 23, 21.

Et impius[f] *qui immolat mihi vitulum, quasi qui occidit canẽ.* Isaiæ 66, 3

Atque, vt vno verbo dicã, non sustinet legis transgressores perfecta Dei iustitia. Dicentibus autem illis, *In nomine tuo virtutes multas fecimus,* respondet: *Non noui vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Matth. 7, 22.

Quocircà nefas est, vt sacræ loquuntur Litteræ, ea quæ bona sunt non iuxta dignitatem exequi: sed vnumquemq; sibi attendere oportet, nec altiora profundioráve mente prosequi, sed ea sola quæ sibi iuxta statum atq; captum mandata sunt, cogitare. Quid igitur? inquis. Non oportet Sacerdotes impiè agentes, aut alicuius alterius absurdè commissi conuictos reprehendi & corrigi? sed iis solis licebit, *qui in lege gloriatur, per præuaricationem legis Deum inhonorare?*

Contemptorum dignitatis Sacerdotalis verba.

Ecquomodo autem Sacerdotes sunt Dei interpretes? quomodo enim populo diuinas virtutes annuntiabunt, qui earum vim & efficaciam ignorant? quomodo illuminabunt, qui ipsi in tenebris sunt? quomodo Spiritum sanctũ impertient, qui, sitne Spiritus sanctus, neq; habitu neq; re ipsâ & veritate crediderunt? Ad hęc ego tibi respondebo. Neq; enim inimicus est Demophilus. Neque patiar te *circumueniri à satanâ.*

Dionysij ad ea responsio. 2.Cor. 2, 11.

Etenim vnusquisq; ordo circa Deum versans, diuinior est eo qui ab illo magis distat; & ea quæ veræ luci propinquiora sunt, simul & lucidiora ipsa sunt, & ad lucẽ cum aliis communicandam aptiora. Nolim autem mihi propinquitatem ex loco accipias, sed ex rerum diuinarum captu. Quòd si Sacerdotum ordo illuminandi sortitus est facultatem, certè qui eâ non est præditus, à sacerdotali ordine & virtute prorsus excidit.

Indignus est nomine Sacerdotis qui dotibus caret Sacerdotalibus.

Et quidem is luce magis orbatus & temerarius mihi videtur, qui talis cùm sit, ea sibi sumit quæ Sacerdotum sũt propria, neq; timet neq; reueretur res diuinas præter dignitatem prosequi: qui ea ipsa Deum latere putat, quorum ipse sit conscius: qui verba se daturum arbitratur ei, quem falsò appellat Patrem: qui audet nefarias voces suas (non enim precationes dixerim) ad diuina mysteria velut Christi imitatione depromere. Non est hic Sacerdos, non est; sed inimicus, sed dolosus, sed seipsum fallens, sed lupus pelle ouinâ aduersus sanctum populum obtectus. Verumtamen neq; fas est Demophilo ista corrigere. Si enim Theologia iustè iusta tractari iubet; & hoc est iustè iusta tractari, ea nimirum vnicuique, quæ secundùm eius sunt dignitatem, iustè

Scriptura sacra iubet iusta iustè tractari.

distribui; id sanè ipsum omnibus agẽdum est, non verò præter suam cuiusq; dignitatem aut ordinem. Nam & Angelis æquum est ea tribui, quæ ipsorum cõgruunt dignitati; sed minimè à nobis, ô Demophile, cùm nostra nobis potiùs per illos à Deo conferenda sint; sicuti etiam ipsis Angelis per alios præcellentiores Angelos, atque, vt summatim dicam, in omnibus rebus per primas distribuuntur secundis quæ ipsarũ statui congruunt, ab ordinatâ & æquissimâ vniuersorum prouidentiâ. Igitur qui, vt aliis præsint, à Deo constituti sunt, ij posterioribus, quæ ipsis sunt consentanea, distribuant: Demophilus autem & rationi & iræ & cupiditati sua singulis conuenientia definiat, neque ipsorum violet ordinem, sed superior ratio inferioribus partibus imperet. Nam si, cùm in foro viderimus vel famulum domino, vel iuniorem seniori, vel filium patri conuitiantem simul, & irruentem, & plagas inferentem, impiè videamur agere, nisi occurrentes opem ijs, qui digniores sunt, afferamus (quamuis hi etiam fortasse illos priùs iniuriâ affecerint) quî fieri potest, vt non erubescamus videntes rationem ab ira & cupiditate suppeditari, imperioque, quod illi Deus contulit, exspoliari, & in nobis ipsis impiam & iniustam ordinis perturbationem & seditionem & confusionem excitari? Meritò proinde beatus ille noster à

Rerum ordo in cũctis seruandus.

Comparatio elegans ad reuerentiam in maiores natu aut digniores commendandam.

1. Tim. 3, 12. Deo Legislator non permittit Ecclesiæ Dei præesse, qui nõ priùs domui suæ benè præfuerit. Nam qui seipsum benè rexerit, & alium reget; & qui alium, etiã domum; & qui domum, etiam vrbem; & qui vrbem, etiam gentem: atque, vt vno verbo dicam,

Quis aptus regimini Ecclesiæ.

Luc. 16, 10 quemadmodum sacra ait Scriptura, *qui fidelis est in modico, & in magno fidelis est: & qui in modico infidelis est, & in magno infidelis est.* Ipse igitur cupiditati & iræ & rationi iuxta cuiusque gradum sua præscribas: Tibi autem Dei ministri, ministris verò Dei Sacerdotes, Sacerdotibus Pontifices, Pontificibus Apostoli & Apostolorum successores. Ac si quis fortè inter illos ab officio deerrauerit, à sanctis eiusdẽ gradus atq; ordinis corrigetur: nec ordo in ordinem peruertetur, sed vnusquisque in suo ordine & in suo hærebit ministerio. Atque ista hactenus à nobis dicta sint, vt scias & geras quæ tui sunt muneris. Ad tuam verò aduersus hominem, vt ais, impium & peccatorem animi inhumanitatem quod attinet, [g] nescio quo pacto tantam charissimi mei contritionem defleam. Cuius enim, putas, Cultor à nobis constitutus es? nisi enim illius Boni, certè prorsus & ab illo, &

Superiores ordines minimè ab inferioribus corrigendi.

Dionysius grauiter deflet peccatum Demophili.

à nobis, & à toto cultu nostro alienum te fateare necesse est. Et iam oportet vt alium quæras Deum, & Sacerdotes alios, apud quos efferatus magis reddâre, quàm perfectus; & charæ tibi inhumanitatis minister euadas implacabilis. An enim vel nos ipsi ad plenam sanctimoniam perfecti sumus? An diuinæ erga nos clementiæ non egemus? An potiùs duplicia peccata, vt Eccli. 7, 8.
Scriptura loquitur, more impiorum peccauimus, non videntes in quo offendamus, atque insuper nos iustificantes: & putantes nos videre, re autem verâ non videntes? Obstupuit quidem cælum super hoc, & ego inhorrui, & mihi ipse vix credo, ac nisi litteras tuas legissem (quas vtinam non legissem!) scias velim mihi non persuasuros fuisse, si qui fortassis persuadere voluissent, Demophilum in eâ esse sententiâ, vt existimet, Deum, qui in omnia bonus est, non etiam esse humanum, & se eius miserentis atque saluantis non indigere: immò etiam exauctorare Sacerdotes eos audeat, qui dignati sint, ex suâ bonitate, populi ferre ignorantias, vt qui probè scirent se etiam ipsos esse circumdatos infirmitate. At verò diuinus ille & principalis Pontifex aliam iniit viam, & quidem cùm esset ipse, vt sacra tradunt Eloquia, *segregatus à peccatoribus*, qui & nostræ in ipsum charitatis demonstrationem esse voluit, ouium suarum regimen quàm mansuetissimum. Et quidem *seruum nequam* appellat eum, qui conseruo suo debitum non dimisit, neque plurimæ erga se benignitatis partem aliquam cum eo communicauit. Itaque eum suæ fruitioni inhumanitatis adiudicat. Quod necessariò & mihi & Demophilo reformidandum est. Nam & Dominus impiè ipsum persequentibus in ipso passionis articulo remissionem à Patre impetrauit; discipulos quoque increpauit, quòd à se immisericorditer postulassent, vt Samaritanos, qui ipsum ab vrbe suâ repulerant, impietatis condemnaret. Hoc porrò millies in audaci epistolâ tuâ (nam id sursum deorsumq; iactas) dictum est, non te ipsum esse vltum, sed Deum. Dic verò sodes, bonúmne per malitiam? Apage autem. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Sed & innocens est & misericors. *Non contendet, neque clamabit.* Et ipse est mansuetus. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quare impetus tuos nemini æmulandos haudquaquam suscipimus: [h] neque si millies nobis Phinees & Heliam repetas. [i] Iesu enim hæc audienti non placue-

Ierem. 2, 12.
Hebr. 5, 2.
Hebr. 7, 26
Ioan. 21, 15
Matth. 18, 32.
Lucæ 23, 34.
Luc. 9, 55.
Hebr. 4, 14
Isaiæ 42, 2
1. Ioan. 2, 2.

placuerunt discipuli, mitis ac benigni Spiritus tum expertes. Nam & diuinissimus Præceptor noster *cum modestia corripit eos, qui resistunt.* Docendi enim sunt ignorantes, non puniendi: quemadmodum nec cæcos punimus, sed manu ducimus. Tu autem virum oculos ad lucem attollere incipientem, infracto in faciem colapho repulisti, & magno cum pudore accedentem audacter calce impetisti (dignum hoc sanè ingenti horrore) eum scilicet, quem Christus, vt verè bonus, per montes errabundum requirit, & fugientem aduocat, & vix inuentum in humeros tollit. Ne quæso, ne tam malè de nobis consulamus, neque aduersus nosmetipsos gladium conuertamus. Nam illi quidem qui aliquos vel iniuriâ vel beneficio afficere conati sunt, non semper effecerunt quæ voluerunt, sed in se ipsos attractâ vel malitiâ vel bonitate, aut diuinis se virtutibus cumularunt, aut immanibus doloribus immerserunt. Atque illi quidem bonorum Angelorum comites & asseclæ, tam hîc quàm illic, cum omni pace & malorum omnium immunitate, in perpetuum beatissimo fine perfruentur, & quod omnium bonorum est supremum, semper cum Deo erunt: hi autem & pace suâ simul & diuinâ excident, tamque in hac vitâ quàm post mortem cum importunis dæmonibus versabuntur. Quocircà magno nobis studio elaborandum est, vt cum bono Deo simus, & cum Domino semper æuum exigamus, neu cum malis à iustissimo Iudice secernamur, digna meritis ex culpâ nostrâ sustinentes. Quod ego quidẽ sanè omnium maximè pertimesco, & cunctorum expers malorum inueniri exopto.

Paulus Dionysij præceptor.

Hominum iniuriorum & beneficorum tam nunc quàm in posterũ discrimen.

Humilitas S. Dionysij & sanctus timor.

Huc vsque S. Dionysij verba eò tetenderunt, vt tam sacrarum auctoritate Scripturarum, quàm solidis rationum momentis (quæ duo præcipua sunt aduersus quamlibet errorum vitiorúmve pertinaciam armamenta) hominis cæci arrogantiam debellaret: sequentia verò ad ipsius peccati grauitatem propiùs in oculis defigendam, atque ad expromendos è deuicto animo veri ac sinceri doloris gemitus spectant. Quippe exemplo longè efficacissimo (quod bonis quoque Oratoribus in more positum est) omnem commonitionem ita concludit:

Ac si tu velis, inquit, diuinum viri cuiusdam sancti visum tibi commemorabo. Neque rideas. Vera enim dicam. [k] Cùm in Cretam aliquando appulissem, [l] hospitio me sanctus Carpus excepit, vir, si quisquam alius, ob singularem mentis puritatem ad diuina visa multò aptissimus. Quippe qui sacris operari mysteriis haud priùs aggrederetur, quàm sanctâ quapiam ac propitiâ visione à Deo donatus esset. Hunc igitur aliquãdo, vt de se ipse memorabat, infidelium nonnemo mœrore affecerat, nec aliâ de causâ, quàm quòd idem infidelis certum hominem ab Ecclesiæ gremio ad impietatem abduxerat. [m] Cùm ergo ij dies, quos Hilaria vocant, agerentur, hic Carpus, quem oportuerat pro vtroque Deum benignè deprecari, & cum eius auxilio alterũ ab errore reducere, alterum bonitate superare, immò ab iis per omnem vitam commonefaciendis, quamdiu quidem pœnitentiæ tempus superesset, numquam desistere; tunc tamen, quod aliàs numquam, vehementi admodum indignatione animique amaritie percitus, quieti se dedit, ac obdormiuit quidem ita malè affectus (erat enim vespera) verùm sub mediam noctem (quo tempore solitus erat ad diuinos hymnos sponte suâ expergisci) surrexit quidem cùm somnos cepisset parum quietos atq; identidem interruptos & perturbatos, sed ad suam cum Deo collocutionem oppidò irreligiosè accessit. Nam mœrebat atque indignabatur, & periniquum esse mussitabat, homines impios, & qui vias Domini rectas peruerterent, super terrâ viuere; Deumq; interim rogitabat, vt igneo aliquo turbine vitam absque miseratione ambobus abrumperet. Post quæ verba aiebat sibi videre visum, derepentè eam domum vbi erat, agitari primùm, deinde à summo fastigio per medium diuidi: tum ante se pyram prælucidam (sub dio enim is locus esse videbatur) è cælesti regione ad se vsque deferri, ac cælum ipsum discedere & aperiri, atq; in cæli dorso Iesum innumeris humanâ specie adstantibus Angelis consistere. Atque hæc quidem supernè: infernè verò cùm despexisset, ibi terrâ ipsam vasti ac tenebrosi hiatus instar disruptam paruisse: & homines quidem illos, quibus malè imprecatus fuerat, coram se ad illius os hiatus stare visos tremebundos ac miserabiles, & præ plantarum instabilitate tantùm non præcipites, cùm intereà ex eodem hiatu serpentes obreperent, & circa nutantes istorum pedes gyros agerent, nunc implicando & degrauando & elabi connitentes retrahendo, nunc dentibus caudisque partim infestando, partim titillando, ac modis omnibus in voraginem propellendo. Aiebat insuper, viros quosdam in medio conspectos, qui in

Exemplum misericordiæ Dei rarissimũ.

Hilaria festa Matris Deûm.

Visio admirabilis.

in miseros illos vnà cum serpentibus impetum facerent, exagitarent, propellerent, percuterent: vt propiùs abesset nihil, quàm vt sic vexati in imum proruerent, partim quidem inuiti, partim etiam voluntarij, tantis scilicet malis paulatim eò adigentibus. Narrabat præterea, deorsum se respectantem eo fuisse spectaculo delectatum, superiora verò contempsisse, immò satis indignatum quòd necdum proruissent: se enim in hoc sæpiùs incubuisse, sed nihil profecisse; atque id ipsum indignationis atq; imprecationis sibi caussam extitisse. Tum verò tandem sublatis sursum oculis, & ægrè quidem, rursus cælum, vt priùs, paruisse, ac Iesum quidem eius quod gerebatur miseratione tactum, de cælesti solio exsurgere visum, atque ad

Angelorũ in salute hominum officia.

illos descendere, ac benignam manum porrigere, & vnà cum illo Angelos opem afferentes, aliunde alium præstò illis adfuisse, postremoque omnium, Carpo ipsi iam manum extendenti dixisse Iesum: *Age Carpe, feri me sodes. Nam pro saluandis hominibus denuò pati paratus sum: idq; mihi pergratum fuerit, dummodò nulli ampliùs peccent.* Hæc sunt quæ ab illo audiui, & vera esse credo. Hactenus Dionysij Epistola, quâ ipse tamquam bonus pastor velut fistulæ sono exerrantem ouiculam in ordinem reuocauit. Sed quàm benè in eâdem Epistolâ dictum illud Saluatoris nostri suâ oratione vir sanctus confirma-

Matth. 13, 52.

uit, *Omnis scriba doctus in regno cælorum* (id est, in Ecclesiâ) *similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera!*

Epistola S. Dionysij ad Demophilum vera laus.

Quàm multis enim Epistola illa & veteribus & nouis exemplis atque sententiis, ex vtroque depromptis Testamento, abundauit! & quàm appositè illud S. Carpi (fuit is quoque Pauli Apostoli discipulus, & Troade postmodum Episcopus) pulcherrimum & recentissimum exemplum, proptereaque & certissimum & vtilissimum ad extremam epistolam (vbi scilicet amoris erga Iesum aculeos relinqueret) vsurpauit!

Quantus fuerit Dionysius in sermonibus ad populũ.

Si quis porrò sit, quem desiderium teneat cognoscendi, qualis quantusq; in suis ad populum concionibus idem Areopagita fuerit, non sunt sanè alibi alia eius cognitionis quærenda vestigia: cùm ex laudatis modò litteris abundè id liceat intelligi. Qui enim vnius hominis emendandi caussâ tantum operæ studiique attulit, atque ex vniuersâ ferè Scripturâ fortissimas, eique quod agebatur opportunissimas rationes protulit; quid fecisse eum existimamus, cùm ad erudiendam, dirigendam, corrigendam multitudinem, publicè in templo perorandum fuit? Sed ô factum malè, & ingratum illud sæculum (quodcumque illud fuit) quod tanti viri dignas immortalitate cohortationes aut socordiùs excepit, aut negligentiùs conseruauit! Verùm omissis quæ habere non possumus, ad alia eius acta, quorum felix superest recordatio, gressum promoueamus.

NOTATIONES.

Exhibetur in hoc capite S. Dionysij Epistola ad Demophilum Monachum, siue, vt tunc etiam vocabant, Cultorem, vt paullò antè indicauimus. Vnde inscriptio est; Δημοφίλῳ Θεραπευτῇ, *Demophilo Cultori.*

Scripsit S. Maximus in hanc Epistolam, & Georgius Pachymeras Paraphrasin.

Ex eadem Epistolâ desumpsit non pauca sanctus Antiochus, Scriptor Græcus, Homil. 115. quæ est De mansuetudine, & Homil. 123. cuius extant Homiliæ in Bibliothecâ Græco-Latinâ SS. Patrum.

a HEBRÆORVM HISTORIÆ, &c.] Laudatur Moyses à mansuetudine, Numerorũ c. 12, 3. *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terrâ.* Et infrà v. 6. ita Dominus ad fratrem & sororem Moysis, Aaronem & Mariam: *Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo meâ fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei: & palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi?* Ex quibus clara fiunt & certa verba Dionysij, & quòd Moyses *Dei seruus* appellatus sit, & quòd aliis Prophetis familiariùs atque apertiùs ad Dei conspectum & colloquium admissus sit. Notandum tamen, Moysen non cum Deo ipso, sed cum Angelo vicem Dei referente, collocutum, vt ipsemet alibi testatur Dionysius.

b NAM QVID DAVIDEM DEI PATREM, &c.] Græcè: Τί δὲ τὸν θεοπάτορα Δαβὶδ ἐποίει θεοφιλῆ; Vocat Dauidem patrem Dei, propter Christum. Si enim Christus est Deus, & Dauid pater Christi; certè Dauid pater est Dei. Ex quo & illud colligitur: Si Dauid pater Dei vocatur propter Christum ex eius semine descendentem, multò magis Maria vocanda est mater Dei, & verè θεοτόκος propter eumdem Christum, non remotè, vti ex Dauide, sed proximè & coniunctissimè suis è sanguinibus procreatum. Respexit porrò Dionysius ad illud Pauli ad Romanos 1. qui ita de se: *Segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem.*

c NEC ENIM SINE RATIONE SANCTA SANCTORVM, &c.] Appellat *Sancta sanctorum*, locum in templo aræ maximæ proximum, vbi asseruatur Christus, qui est Sanctus sanctorum, in venerabili Eucharistiâ. Hic locus non adibatur nisi ab Episcopo, Sacerdotibus, & Diaconis seu Ministris, & erat septus quibus-

quibusdam cancellis. Proximè hos cancellos erat locus Cultorum siue Monachorum: post quos reliquus populus; ad dextram viri, ad læuam mulieres; inter has primæ Diaconissæ.

d Non ad illarum cvstodiam, &c.] Græcè: Οὐ πρὸς φυλακὴν αὐτῶν, ἀλλὰ πρὸς τάξιν καὶ ἐπίγνωσιν ἑαυτῶν. Dicuntur ergo Cultores proximi stare valuis adytorum, non quasi ianitores ad custodiendas valuas, sed propter ordinem quem ipsi in Ecclesiâ tenent ante reliquum populum, & propter cognitionem sui, vt nimirum se inferiores sacris ordinibus cognoscant, priores autem aliis. Vnde miror, Symeonem Metaphrastē in Vitâ S. Dionysij contrarium scribere. Ita enim de officio Demophili annotauit: Τάξις αὕτη παρὰ Διονυσίου καὶ λειτουργία τῷ ἀνδρὶ, τῶν τοῦ ναοῦ πύλαις ἐφεστάναι. *Ordo hic & ministerium viro illi à Dionysio fuit, templi portis præesse.* Atqui in Ecclesiâ Atheniēsi tempore Dionysij non Monachorum, sed Diaconorum hoc erat munus; aliàs & alibi fuit singulare & distinctum officium Ianitorum seu Ostiariorum in Ecclesiâ ab aliis ministeriis, vt notauimus ad Epistolas S. Ignatij Theophori. Obseruauit etiam Maximus ad hunc Dionysij locum, quod de officio Diaconorum diximus, cùm ita scripsit: Διακόνοις γὰρ ἡ φυλακὴ τῶν τῆς ἐκκλησίας πυλῶν ἀφώρισται, ὡς ἐν τῇ Ἐκκλησιαστικῇ Ἱεραρχίᾳ, ἐν τῷ περὶ τῶν Ἱερατικῶν τελειώσεων κεφαλαίῳ φησί. *Diaconis custodia portarum Ecclesiæ attributa est, vt in Ecclesiasticâ Hierarchiâ, capite De sacris consecrationibus, ait Dionysius.* Vide ibi Caput v.

e Sancta sanctorvm cvm pompa ad te efferri nec volentia coegisti.] Ita Græcè: Ἐκπομπευθῆναί σοι τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ἠνάγκασας οὐκ ἐθέλοντα. Videtur Demophilus ab altari curasse deferendam Eucharistiam domum suam, ibiq; conseruasse, aut ipsemet deportasse, ne ea indignis daretur; vti indignum putabat illum peccatorem, quamuis pœnitentem. Fauet huic interpretationi Maximus ad illa verba: Τὰ ἅγια τῶν ἁγίων συνέστειλας, *Sancta sanctorum vilipendisti.* Deinde, quòd ipse Demophilus ad Dionysium scripserit, se ea habere & conseruare.

f Qvi immolat mihi vitvlvm, qvasi qvi occidit canem.] Græcè apud Dionysium sic: Θύων μοι μόσχον, ὡς ὁ ἀποκτείνων κύνα. Quod accepit è lxx. Interpretibus, qui totidem verbis sic habent apud Procopium in textu Græco. Vnde non inutilis fuerit labor, si quis sacræ Scripturæ interpretum perantiquos examinet codices, attendatque, an non hæc sit vera & germana lxx. Interpretum lectio, reliqua autem ex Hebræo sint addita. Nam Vulgata, seu Hieronymi versio, sic habet Isaiæ cap. 66, 3. *Qui immolat bouem, quasi qui interficit virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem.* Quæ sunt obscurissima, vti & illa, quæ sub nomine lxx. leguntur in Bibliis Regiis: Ὁ δὲ ἄνομος ὁ θύων μοι μόσχον, ὡς ὁ τύπτων ἄνδρα καὶ ὁ θυσιάζων ἐκ ποιμνίου, ὡς ἀποκτείνων κύνα. *Iniquus immolans mihi vitulum, quasi percutiens virum: & sacrificans de grege, quasi occidens canem.* Sic vetus interpres lxx. Nota obiter, in Regiis deesse articulum ὁ ante vocem ἀποκτείνων, qui tamen est in omnibus antiquioribus editionibus, & apud nostrum Dionysium & Procopium. Pro ἄνομος *iniquus*, est in Dionysio ἀσεβὴς *impius*. Sensus autem Prophetæ & Dionysij est, non placere Deo sacrificium seu immolationem vituli, si indebito modo fiat, vel si ab eo cuius non sit facere: perinde enim eum facere, ac si occidat & sacrificet canem, animal scilicet immundum & impurum, & quod auersatur Dominus. Nam sicut hîc peccatum est ex parte rei oblatæ, dum offertur quod non oportet; ita illic ex parte offerentis, cùm is offert qui non debet nec potest offerre.

Propterea enim proximè præmiserat Dominus: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculū & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Qui immolat*, &c. Deinde patet ex proximè cōsequentibus: *Hæc omnia elegerunt in viis suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est*: id est, Talia elegerunt mihi facere sacrificia in impietate suâ, & scelerum abominatione; quæ priùs diluenda erant dolore ac pœnitentiâ, vt sacrificium fieret gratum & acceptabile.

g Nescio qvo pacto charissimi mei contritionem defleam.] Græcè: Οὐκ οἶδα, ὅπως κλαύσομαι τὸ σύντριμμα τοῦ ἀγαπητοῦ μου. Vbi σύντριμμα seu *contritio* vocatur peccatum, quo diabolus Demophilum quodammodò contriuit & contudit, soloque per eius superbiam, & elationem contra superiores suos, afflixit. Ita sæpè accipitur *contritio* in Prophetis & alibi. Prouerb. 16, 18. *Contritionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus.* Quæ sententia rectè quadrat in Demophilum, & in omnes qui se aduersus Superiores extollunt.

h Neqve si millies nobis Phinees et Heliam repetas.] Hinc colligi potest, Demophilum comparasse factum suum cum Phinees & Heliæ zelo: quorum ille Numerorum 25. virum Israelitem & mulierem Madianitidē scortantes aggressus, ambos in ipso peccati actu pugione perfodit: eaque de causâ à Deo laudatus, & Sacerdotij munere honoratus est, tam ipse quàm filij eius, in sempiternum. Hic autem l. 3. Regum cap. 18. Prophetas Baal quadringentos quinquaginta occidit: & lib. 4. Regum c. 1. duos Principes quinquagenarios, alterum post alterū ad se missos, cum omnibus suis quinquagenis, deuocato igne de cælo exussit. Sperabat igitur Demophilus illorum exemplo, si non mercedem, certè laudem sibi obuenturam.

i Iesv enim hæc avdienti non placvervnt discipvli, &c.] Vbi autem audiuit hæc Iesus, & à quibus? nempe in Samariâ à Iacobo & Ioanne Apostolis, Lucæ 9, 54. *Cùm vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes* (Samaritanos scilicet noluisse recipere Christum) *dixerunt: Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.*

k Cvm in Cretam aliqvando appvlissem, &c.] Exemplum hoc longè aptissimum est atque efficacissimum ad declarandam Dei optimi maximi in homines benignitatem ac misericordiam. Hinc & à plurimis post Dionysium Scriptoribus vsurpatum, & insigniter à sanctissimo illo Episcopo Francisco de Sales, libro 10. De amore Dei, cap. 15. Gallicè expressum est. Hoc porrò de eodem S. Carpo est obseruatu dignissimum, quòd qui ante cælestem illam visionem vtrumque, tam Gentilem quàm apostatam,

tam, volebat perditum; post illam ita pro vtroq; continuas ad Deum precationes fuderit, vt suâ tandem instantiâ ac perseuerantiâ & Deum ad miserationem, & illos ad Fidem perduxerit. Vide ipsius B. Carpi Acta apud Equilinum libro 9. cap. 56.

[l] HOSPITIO ME SANCTVS CARPVS EXCEPIT, &c.] Is fuit Pauli Apostoli discipulus longè sanctissimus, à quo exemplum sumi debet diligentis ad sacrificium Deo offerendum præparationis. Ita enim ille se præparabat, ita animum expurgabat, tamdiu attentis ac feruidis ante illud precationibus insistebat, donec cælesti aliquâ visione ad audendum & aggrediendum tam cæleste ac horrendum Sacrificium animaretur. Et sanè nihil est in omni mundo tam magnum, tam regium, tam diuinum, & quod tantam exigat curam, tantam postulet diligentiam & sollicitudinem, quàm illa Dei tam vicina præsentia, & tam familiaris Domini Iesu Christi contrectatio. Portatur enim manibus Sacerdotis ille ipse, qui portat orbem. Huius S. Carpi meminerunt omnia Latinorum Martyrologia, & Græcorũ Menæa ac Menologia, quamuis diebus diuersis. Latinorum enim ad XIII. Octobris, Græcorum autem ad XXV. Maij. Vetus Romanum his verbis: *Troade, Carpi, Apostoli Pauli discipuli.* De illo sic ipse Paulus in 2. ad Timotheum, cap. 4. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum & libros, maximè autem membranas.*

Fuit autem Carpus primò in Cretâ Episcopus, deinde Troade vrbe Phrygiæ, Ilio seu Troiæ euersæ proximâ. Quòd igitur modò in Cretâ Dionysium hospitio exceperit, modò Paulus Troade apud eum penulam reliquerit, ad diuersa tempora sunt referenda. Nam fuit eâ ætate inter viros Apostolicos, vt alibi sæpiùs annotaui, frequentissima locorum & regionum mutatio.

[m] CVM ERGO II DIES, QVOS HILARIA VOCANT, AGERENTVR.] Hilaria, tam dies festi, quàm sacra ipsa, sunt Cybelæ Matri Deûm (vt in Alexandro Seuero innuit Lampridius) consecrata. *Kalendis*, inquit, *Januariis, & Hilariis Matris Deûm*, &c. Quod videtur Flauius Vopiscus confirmare in Aureliano, dum sic orditur: *Hilaribus, quibus omnia festa & fieri debere scimus & dici*, &c. Quasi dicat, Cùm Hilaria Matri Deûm dicata sint, & ab eâ dij originem acceperint, æquum est omnia læta & festa in festis Matris Deûm fieri, & omnem procul mœrorem amandari. Photius etiam in Bibliothecâ suâ numero 252. percurrens scripta Damascij, ita de illo, sub mediũ: Λέγει δὲ ὁ συγγραφεὺς, ὅτι τότε τῇ Ἱεραπόλει ἐγκαθευδήσας ἐδόκουν ὄναρ ὁ Ἄττις γενέσθαι, καί μοι ἐπιτελεῖσθαι παρὰ τῆς Μητρὸς τῶν Θεῶν τὴν τῶν Ἱλαρίων καλουμένων ἑορτήν. *Dicit hic Scriptor: Tunc Hierapoli cùm indormissem, videbatur in somnis adesse Attis, & ex nomine Matris Deûm mihi imperare festum, quod Hilaria appellant.* Ita ibi. Horum Hilariorum dies in Calendario Gentilium Romanorum, VIII. Calendas Aprilis est adscriptus. De quo Macrobius lib. 1. Saturnaliorum, cap. 21. sic scribit: *Præcipuam autem Solis in his cærimoniis verti rationem, hinc etiam potest intelligi: quòd ritu eorum* καταβάσει *finitâ, simulatione que luctus peractâ, celebratur lætitiæ exordium, ad octauum Calendas Aprilis, quem diem Hilaria appellant, quo primùm tempore Sol diem longiorem nocte protendit.* Loquitur autem Macrobius de sacris quæ Phryges in honorem Cybeles & Attinis celebrabant.

Itaque verba ista, *Cùm adhuc Hilaria agerentur*, videntur insinuare, Christianum à viro Gentili tum temporis abductum fuisse ad illa profana & execranda sacra, Carpum verò id rescientem, ad impatientiam redactum, petiisse à Deo, vt vtrumque in mediis illis sacris, terrâ eos absorbente, disperderet.

S. Maximus in Epistolâ Dionysij ad Demophilũ, nonnulla habet de hisce Hilaribus; itemq; ex illo Pachymeras. Et quia in illis aliqua doctrina est, diuersaq; distinguũtur Hilaria, proferam hîc quæ habet idem Maximus, sed Latinè dumtaxat, breuitatis gratiâ. *Erãt apud idololatras*, inquit, *dies quidam, quos Hilariũm nomine vocabãt: & alij quidem priuati, vt cùm quis vxorem duxisset, aut filium ex eâ suscepisset: alij verò communes & publici, vt cùm Rex primùm inauguratus publica Hilaria præberet: nec lugubria gestare iis diebus licebat, sed spectacula & sacrificia publica quotidie fiebant, & qui in luctu alioquin erant, eum deponebant, & spectaculis intererant, & destinatos iis Hilaribus dies continuis in epulis transigebant. Erant autem & Hilaria, dies festus Romanorum proprius in honorem Matris Deorum suorum [aut potiùs dæmonum] vt ait Demophilus in libro De sacrificiis & festis diebus apud priscos.*

De pompâ iisdem Hilaribus apud Romanos fieri solitâ scribit Herodianus lib. 1. dum refert, Maternum militem, ex duce latronum affectantem imperium, cogitasse ex occasione Hilariûm occidere Commodum Imperatorem. Verba eius hæc sunt: Ἦρος ἀρχῇ ἑκάστου ἔτους ὡρισμένης ἡμέρας Μητρὶ θεῶν πομπὴν τελοῦσι Ῥωμαῖοι, &c. Breuitatis ergô Latinam tantùm Angeli Politiani interpretationẽ in medio ponã, quæ sic habet: *Veris initio quotannis, stato solemnique die, pompam Matri Deûm Romani celebrant. In eâ, quæ apud quemque sunt diuitiarum præcipua, supellexque pleraque Imperatoria, materiæ aut artis spectandæ, præferri ante Deam solent, passimque omnibus quouis modo ludendi licentiâ permissâ, sic vt personas induant quas cuique libitum, nullamque non Magistratuum quoque imaginem, prout cuiusque studium, repræsentent: sic vt non facilè à falsis veros dignoscas. Putauit hoc Maternus idoneum celãdis insidiis tempus, ratus fore, vt si personam stipatoris alicuius indueret, suosque ad eamdem similitudinem armis ornaret, ac se hastatis immiscerent, sic vt pars esse comitatus Imperatorij crederentur, nullo videlicet præcauente, repentè impetu facto Commodum obtruncarent.* Et paulò inferiùs: *Quæ autem ratio sit, cur huic Deæ tantum honorem Romani habeant, non alienũ videtur, quantum ex historiâ accepimus, cõmemorare: præsertim cùm ea res plerisque Græcorũ ignota esse videatur. Ipsum igitur simulacrum cælitus, vt aiunt, demissum, neq; ex quâ sit materiâ, neque à quo fabricatum artifice, satis constat: neque planè manibus hominum creditur factum. Hoc igitur decidisse cælitus ferũt in quemdam Phrygiæ agrum, cui nomen Pesinunti à casu eius simulacri factum putant. Ibi enim à principio comparuisse.* Vide ibi reliqua; nolo enim in his esse longior.

C A-

CAPVT IX.

Dionysij per Neronis tempora euangelicæ excursiones.

Dionysij spiritus Apostolicus.



THENIENSIS Ecclesię rebus, quemadmodum suprà memoratum est, ordinatis, eodem instinctus est spiritu Dionysius, quo sui præceptores Apostoli; nempe ad ea excurrendi loca, quæ nondum susceptâ Fide, aut certè nequedum satis firmatâ, præsentis auxilij magis indigerent. Primò igitur vicina Athenis oppida vrbesque obiit, & Christi nomen, sicubi hactenus inauditum erat circumtulit, & auditum & prædicatum fuerat, nouo præconio firmauit, roborauitque; nec vllis in eo extollendo & in spe salutis ostendendâ laboribus pepercit. Et magnus sanè in ipsâ Græciâ patebat industriæ exercendæ campus. Syria enim atque Asia, & proximæ illis regiones, vbi diutiùs Apostoli hæserant & curauerant, religionis nostræ præceptis vtcumque imbutæ erant: at verò Græcia (si Corinthum quidem exceperis, vbi à Paulo biennium exactum est) ob exigua commorationis Apostolorum spatia, leuiùs Fidei disciplinis tincta erat. [a] Nunc autem sub annum Domini sexagesimum secundum, quo impurissimus Nero sextum agebat imperij, Romam ipsam Apostolorum Princeps excolebat, [b] Paulus in Galliam demigrarat, [c] totusque (quod iam diu proposuerat) in Hispanias ferebatur: Ioannes in Asiam discesserat, alij alias extra Græciam prouincias administrabant, nonnulli etiam martyrio cursum finierant: [d] Andreas quidem è Scythiâ suâ Europæâ, quæ illi sortitò obtigerat, in Achaiam descenderat, egregiam ibi messem pro certo messurus, si plus licuisset inter mortales degere: sed Ægeæ Proconsulis malitiâ & insipientiâ sermones sanos non ferentis, atque ipsius etiam athletæ ingens Crucis desiderium, in quâ mori prægestiebat, nuper eum cælo tradiderant. Itaque Dionysius, qui suum esse iudicabat per Apostolorum vestigia gradientem inuigilare, [e] ne post eorum discessionem venirent *lupi rapaces non parcentes gregi*, néve sparsa Euangelij semina nullo irrigante citò exarescerent, cùm illam ipsam Achaiam, tum finitimas ei regiones adiit, lustrauit, confirmauit. Hinc frequens in itineribus erat, & vbicumque aliquod Ecclesiæ periculum seu à Iudæis, seu à Gentilibus, seu ab hæreticis imminere intelligebat, promptus alacerque occurrebat. Nihil enim lucro fidei, ne animam quidem suam, anteponebat. Nec minor illi diligentia celeritasque erat, sicubi amplificandæ Religionis spes aliqua ostendebatur. Mox enim rupta mora, & suorum oblitus incommodorũ, tamquam ad gratissimas animo suo delicias illò cõuolabat. Nimirum tale est verorum Dei amatorum ingenium, talis animi impetus, vbi eius, quem summè amant, agi gloriam senserint, continere se non queunt; quin alia omnia abiiciant, & in vnum pro cũctis neruos omnes intendant, quod placere dilecto suo intellexerint. Id scilicet amoris, id feruentis affectionis est testimonium. Qui amor eò fuit in Dionysio erga Christum maior, quò magis illius erga se immensam charitatem & antehac præsenserat, & perpetuò sentiebat. Nam quis diuinum aduersus homines amorem vel acutiùs penetrauit, vel impensiùs æstimauit, vel expressiùs descripsit, vel denique in se susceptum ardentiùs exprompsit, atque in alios transfudit, quàm hic vnus Areopagita Christianus? Tali ergo ardens amore, cùm propinquiores Athenis vrbes percurrisset, suisque omnia flammis incendisset, ad alia atque alia progressus [f] in Phrygiam vsque peruasit. Qua verò cumque transibat, non modò sereni cæli instar diffusâ fidei luce omnes errorum tenebras depellebat, sed etiam vnà cum vitiis animi varios corporis morbos languoresque percurabat. Hinc fiebat, vt eum non velut hominem in terris natum, sed quasi Deum aliquem de cęlo lapsum, talibus insueti miraculis, suspicerent, & illum certatim alij appeterent, alij retinerent, inuitique tam beneficum salutaremq; virum à se dimitterent. Sic apud Troadem in minore Phrygiâ, cursu tantisper represso, annos aliquot constitit, [g] & fabulosæ illius Cybeles, seu Matris Deûm, vt ipsi vocabant, superstitiosos impurosque cultores ad religiosam sinceramque vnius veri Dei venerationem traduxit. Inde autem reuersus, [h] iam inter Lacedæmonios versabatur, & rem Christianam totis viribus promouebat, cùm fama de comprehensione Pauli in vrbe Româ, & de imminenti eius nece passim peruagata, ad eum peruenit. Nunc enim Neroniana crudelitas maioribus furiis agitata, nullo discrimine in quoslibet sæuiebat; quin & matrem & præceptorem duplici prostratâ pietate iam occiderat. Dionysius igitur & patris sui, à quo vitam acceperat, & Pontificis sui, à quo initiatus & Antistes creatus fuerat, & Præceptoris sui, à quo tam multa

Quis Ecclesiæ fuerit status Neronis tempore.

S. Andreæ Apostoli martyrium.

Act. 20, 29.

Amoris in Deum vehementis efficacitas.

Dionysius in Phrygiâ vsque penetrat, ibique aliquot annos fidẽ annuntiat.

Instruit Lacedæmonios.

Dionysij ingens desiderium reuisendi Pauli.

ta & tam diuina didicerat, vltimùm videndi & alloquendi, ac, si res ferret, etiam commoriendi percupidus, expeditis, quæ in manibus erant, negotiis, festinanter Athenas repetiit: [i] Publium, qui deinceps gregi præesset, in locum suum subrogauit: [k] Romam sociis aliquot comitatus properauit. Verùm quantacumque vsus celeritate, non quiuit ante peractum eius certamen, & obtentam martyrij palmam, aduenire. Nam & necessariæ quædam per iter occasiones, quas negligere nefas erat, vel inuitum aliquantisper remoratæ sunt, & importunus bonorum omnium osor Nero, subdente ei faces nequissimo dæmone, atque ad facinus præcipitandum importuniùs propellente, iam duo totius Religionis prima capita cruce & ferro vnâ eademque die sustulerat. Quæ tum autem tristitia pium Dionysij cor pupugerit, qui mœror animum obsederit, qui fluctus lacrymarum pectus obruerint, cùm peracta se absente tam eximia duorum Ecclesię Principum certamina intellexit, quis dicat? Nec enim dignè æstimari tale damnum potest, nisi ab eo qui Petrum & Paulum viderit, audierit, familiariùs coluerit. Sperabat Dionysius ex illis Ecclesiæ columinibus multa quærere, multa discere, & super populi sui regimine, & de suscipiendis in alias, quas ipsi designassent, terras peregrinationibus extrema mandata & verba capere. Sed spes omnes, tantæ intercursu calamitatis, irritæ ceciderunt. Illi ad præmia euocati erant, ipse Dionysius & sacri eius collegæ non nisi ad graues luctus, & immaniores cum immanissimis hostibus luctas relicti, talibus amissis belli ducibus, & tam ferâ in terris dominante & sanctum Dei populum premente bestiâ, in alio ferè nullo, nisi in Domino exercituum, spes suas omnes collocare. Quid enim meliùs? quid tutius? quid fortius? Is est scilicet, qui potissimè & supremâ manu Ecclesiam regit, custodit, protegit: is est qui Pastoribus suis diu noctuque præstò est: is est qui consilia rerum agendarum iam vigilantibus suggerit, iam dormientibus per somnia & visa (quod Sanctis haud infrequens) cum futuris euentibus ostendit. Et Dionysio quidem aliâ in persecutione quid demonstrauerit, pòst dicetur ([l] habemus enim certum & clarum eius rei testimonium) nunc autem in temporibus perinde calamitosis, quin multa quoque ostenderit, quamuis hæc modò litterarum penuriâ desiderentur, nihil prorsus causæ est cur ambigamus; imò scripta eius humano captu altiora (vt alijs destituamur omnibus) liquidò clamitant. Verùm de his suus breuì erit locus, cetera huius peregrinationis persequamur. Hoc saltem inter anxiferos suos dolores consecutus est Dionysius non mediocris solatij, quòd sublatis è medio præceptoribus, viuas eorum imagines in vtriusque discipulis conspexerit, cum ijs sermones consiliaque contulerit, ab ijs multa, quæ à Magistris audire non potuit, ex visu audituque relata cognouerit. Nam Romæ quidem Titum & Lucam inuenit, antiquos Pauli comites ([m] qui & ipsum sepulturæ mandarunt) & Timotheum quoque, vt vero est simile, quem idem Apostolus, celerem certaminis sui finem prospiciens, ad se Romam accelerare iusserat; sed & Clementem, [n] quem plerique Latinorum, vt auctor Hieronymus, Petro proximum Pontificem constituunt. Nam sanè Clemens post Petrum saltem aliquamdiu Sedem primus tenuit, sed breuì pòst, siue cupidus aliò demigrandi, siue qualibet aliâ de causâ, lubens volens Lino cessit. Hinc Linus à Petro Apostolo (tacitâ ob temporis breuitatem administratione Clementis) primus in serie Pontificum numeratur. Permultum tamen idem Clemens in illo sui Episcopatus quamuis exiguo spatio, Ecclesiæ profuit. Nam & res Ecclesiæ vrbanas, parentum orbitate non parum turbatas, composuit, & eorum qui multi propter videndos Apostolos Romam confluxerant, alios aliò, Dionysium in Galliam amandauit. Quin & ipsemet, relictâ Lino Româ, & tradito simul Ecclesiæ Pontificatu, in alias orbis plagas, quò fidei necessitas inuitabat, factum sementem iuit. Verumenimuerò, quia isthæc Dionysij in Galliam amandatio non adeò tenuis gloriæ, neque fructus fuit, vt tam leuiter perstringenda sit, de illâ iustus & plenus sermo nobis in præsenti instituendus est.

Nero Imp. Petrum & Paulum eadem die interemit.

Spes in Deũ ad omnia valida.

Sanctis Episcopis nũquam non præsto est Deus.

Dionysius Romæ Apostolorum discipulos & æquales suos conuenit.

S. Paulus à Tito & Lucâ sepultus.

Clemens quomodo dicatur Petri successor.

Clementis res à Petri martyrio.

NOTATIONES.

Agitur in hoc capite de S. Dionysij excursionibus in Achaiam, Phrygiam, vicinasque regiones, ac denique de eius ad Paulum Romæ conueniendum profectione in Italiam.

[a] NVNC AVTEM SVB ANNVM DOMINI SEXAGESIMVM SECVNDVM, &c.] Hic annus apud Eusebium in Chronico, & apud alios concurrit cum Neronis sexto, cuius toto ferè tempore imperij, & aliquanto etiam ante illud S. Petrus Romanum tenebat Episcopatum; quippe secundo anno Claudij illuc profectus fuerat, eodem auctore Eusebio.

[b] PAVLVS IN GALLIAM DEMIGRARAT.] Nam profectus in Hispaniam, per Galliam transiuit,

transiuit, & Ecclesias per transennam visitauit, firmauitque; nam & Viennæ fuisse creditur, & Arelatæ, & Narbone: ac Viennæ quidem Crescentem præfecisse Episcopum, Arelatæ Trophimum, Narbone Paulum Sergium, olim Procõsulem. De Crescente & Trophimo, vide Adonem in Chronico, Ætate sexta: de Paulo Sergio, Martyrologium Romanum ad XXII. Martij.

c TOTVSQVE (QVOD IAM DIV PROPOSVERAT) IN HISPANIAS FEREBATVR.] De proposito illius itineris & retardatione exstat ipsiusmet Pauli testimonium in Epistolâ ad Romanos, cap. 15, 24. his verbis: *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero*, inquit, *spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero.* Vti ergo per Italiam trãsiens, voluit Romanis *ex parte frui*, hoc est, aliquamdiu apud illos versari, quamuis ibi esset Petrus Apostolorum coryphæus; multò magis per Galliam iter faciens in Hispaniam, voluit tempus aliquod apud Gallos ponere, vbi vsus & necessitas erat maior, præsertim inuitantibus (vt minimè dubium est) nouis Christianis.

Non est enim dubitandum, quin S. Paulus vinculis, quibus Romæ à Nerone detinebatur, exolutus in Hispaniam profectus sit. Si quis tamen dubitet, dubio eum liberabit Franciscus Biuarius quæstionis huius diligens & exactus pertractator. Videatur eius Commentarius in Lucij Dextri Chronicum, ad annum Christi LXIV. num. 4.

d ANDREAS QVIDEM E SCYTHIA SVA EVROPÆA, &c.] Acta S. Andreæ breuiter expressa sunt in Romano Breuiario, vnde ea, quæ hîc diximus, confirmantur.

e NE POST EORVM DISCESSIONEM VENIRENT LVPI RAPACES, &c.] De hoc præmonuerat Paulus, Mileti cùm esset, maiores natu Ecclesiæ, qui Epheso ad eum conuocati venerãt. Nam inter alia, *Ego scio*, inquit, *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*, &c. Neque hoc Dionysium latebat, propterea que obuiàm eiusmodi lupis pro Fidei defensione occurrebat.

f IN PHRYGIAM VSQVE PERVASIT.] Fuisse in Phrygiâ, & quidem Troade aliquamdiu substitisse, testes sunt antiqui Vitæ S. Dionysij Scriptores, Hilduinus, & alij.

g ET FABVLOSÆ ILLIVS CYBELES SEV MATRIS DEVM.] Miræ sunt de Cybele ista fabulæ. Orpheus eam appellat omnium matrem, tam Deûm quàm hominum, & quarumlibet rerum, in istis versibus:

Μῆτερ μὲν τε θεῶν, ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων.
Ἐκ σοῦ γὰρ καὶ γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Καὶ πόντος, πνοιαί τε, φιλόδρομε, ἀερόμορφε, &c.
Mater Diuorum pariter materque virorum,
Ex te terra parens frugum, cælumque profundum,
Et mare cum ventis veloci percita cursu, &c.

Hæc Cybele plurimis appellata est nominibus: quæ vide apud Natalem Comitem libro nono Mythologiæ, capite quinto. Eam porrò nihil aliud fuisse quàm Terram, & quòd omnia quæ illi à Poëtis attributa sunt, in Terram quadrent, egregiè ostendit Lucretius Carus, libro secundo De rerum naturâ, in illis versibus & deinceps.

Quare magna Deûm mater, materq; ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna.
Hanc veteres Graiûm docti cecinere Poëtæ,
Sublimem in curru biiugos agitare leones;
Aëris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem: neque posse in terrâ sistere terram.
Adiunxere feras: quia, quamuis effera proles,
Officiis debet molliri victa parentum.
Muralique caput summum cinxere coronâ,
Eximiis munita locis quia sustinet vrbes.

Vide ibidem plura, & apud Diodorum Siculum lib. 3. Bibliothecæ, & apud Macrobium libro 1. Saturnaliorum, cap. 21. & eiusdem Deæ depictum simulacrum sedentis in curru à leonibus vecto, & tenentis vnâ manu sceptrum, alterâ clauem, &c. apud Vincentium Cartarum Rhegiensem, & apud Antonium du Verdier in libro inscripto, *Les images des Dieux des anciens*, &c.

Cùm igitur Phryges terram sub nomine Cybeles vt Deam colerent, miraque superstitione cum tympanis & tibiis eius festum diem celebrarent, laborauit S. Dionysius, vt eos ab istius falsæ Deæ idololatriâ, ad verum vnius Dei cultum, per sancti Euangelij prædicationem perduceret.

h IAM INTER LACEDÆMONIOS VERSABATVR.] Occupatus erat S. Dionysius in conuertẽdis Laconibus, cùm nuntium accepit de comprehensione principum Apostolorum Petri & Pauli. Igitur magno illorum ante extremum certamen videndorum & conueniendorum desiderio citissimè Athenas reuersus, & dispositis inibi Ecclesiæ rebus, iter Romam versus suscepit. Ita testantur vetera sancti Dionysij Acta.

i PVBLIVM, QVI DEINCEPS GREGI PRÆESSET, IN LOCVM SVBROGAVIT.] De Publij post Dionysium in Atheniensi Ecclesiâ successione, testis est antiquissimus auctor, S. Dionysius Corinthiorum Episcopus, apud Eusebium, libro 4. Hist. Eccl. cap. 22.

k ROMAM SOCIIS ALIQVOT COMITATVS PROPERAVIT.] De hoc Romam aduentu post Apostolorum necem, tenente clauum Ecclesiæ S. Clemente, cuncti ferè antiquiores consentiunt Latini & Græci.

l HABEMVS ENIM CERTVM ET CLARVM EIVS REI TESTIMONIVM.] Nempe in Epistolâ ipsius Dionysij ad sanctum Ioannem Euangelistam, vbi visum suum de regressu eius ab exilio aperit.

m QVI ET IPSVM SEPVLTVRÆ MANDARVNT.] Titum & Lucam Pauli comites adfuisse eius martyrio, & præfuisse sepulturæ, colligitur ex Actis martyrij ipsius Titi apud Equilinum, lib. 7. Catal. cap. 108. vbi sic inter alia: *Post duos autem annos Titus ad Paulum Romam accessit: cum quo & fuit vsque ad interfectionem eius à Nerone, corpusque ipsius vnà cum Lucâ Euangelistâ sepeliuit.* Et ex Actis Pauli apud eumdem lib. 6. c. 23. *Corpus autem à Tito & Lucâ in ipso loco sepultum fuit.*

n QVEM PLERIQVE LATINORVM PETRO PROXIMVM PONTIFICEM STATVVNT.] Sic ferè loquitur S. Hieronymus in lib. de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, cap. 15. vbi postquam ex Eusebij sententiâ (cuius in hoc libro interpres est) Clementem in Pontificibus quartum recensuisset,

fuisset, hoc est, post Petrum, Linum & Anacletū, subiecit hæc verba: *Tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum, putent fuisse Clementem.* Dux igitur Latinorum in hac sententiâ est Tertullianus, secundi sæculi Scriptor (nec enim è Latinis est antiquior) qui in lib. de Præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. 32. vbi ab illis requirit, vt ostendant successionem suam ab Apostolis, *Edant ergo*, inquit, *origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris (qui tamen cum Apostolis perseuerauerunt) habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorū Ecclesia habens Polycarpum, ab Ioanne conlocatū refert: sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit.* Hunc sequitur Hieronymus lib. 1. Aduersus Iouinianum, ante medium. *Ad hos*, inquit, *& Clemens successor Apostoli Petri, cuius Paulus Apostolus meminit, scribit Epistolas*, &c. Et l. 14. in Isaiam, cap. 52. sub finem, citans verba ipsius Clementis ad Corinthios, de Christo humili, *De quo*, inquit, *& Clemens vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios: Sceptrum Dei Dominus Iesus Christus non venit in iactantiâ superbiæ, cùm possit omnia, sed in humilitate*, &c.

Accedit eidem sententiæ Ven. Beda, l. 2. Hist. Anglorum c. 4. vbi agens de Augustino Britanniarum Archiepiscopo, qui sibi successorem adhuc viuens ordinauit, *In quo & exemplū sequebatur*, inquit, *primi Pastoris Ecclesiæ, hoc est, beatissimi Apostolorum Principis Petri, qui fundatâ Romæ Ecclesiâ Christi, Clementem sibi adiutorem euangelizandi simul & successorem consecrasse perhibetur.*

Vide Baroniū Tomo 1. Annal. ad Christi LXIX. vbi tamen non admittendū, quòd dicit & putat, magis exactè & ex suâ sententiâ loqui Hieronymum, in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, quàm alibi. Nam constat, eum nihil aliud habuisse propositum in lib. de Scriptoribus, quàm vt Scriptores Ecclesiasticos ex Eusebio colligeret, & qui post eum fuerunt, adderet, cùm sæpè verbo tenus ex eo capita integra habeat. Vnde illic non ex suâ, sed ex Eusebij loquitur sententiâ. Neque item valet auctoritas è carminibus attributis Tertulliano, cùm satis ex ipso Tertulliano lib. 1. Contra Marcionem constet, nihil ipsum metro scripsisse contra illum: & 4. libros illos Carminum aduersus Marcionem, qui prorsus ignoti veteribus fuerunt, & recenter à Pamelio inuenti, scriptos esse ab aliquo simio Tertulliani, non à Tertulliano, vt alibi doceo fusiùs.

Accedit & Hugo de S. Victore, in mysticâ Arcæ Noë descriptione, cap. 4. *Post Petrum*, inquit, *sequitur Clemens, Anacletus, Euaristus*, &c. In eadem sententiâ est Marianus Scotus ad annum Neronis 14. pro quâ etiam citat Leonis II. Papæ Decretalem.

Antiqui etiam Vitæ S. Dionysij Scriptores indicant eum venisse ad Clementem Petri proximum successorem: sanctus Methodius, Simeon Metaphrastes, Hilduinus, & alij. Verba Methodij sunt: Ὅμως πρὸ τοῦ τὸν μακάριον Πέτρον διὰ τῆς ἐν τῇ τῶν οὐρανῶν βασιλείᾳ συνδιαγωγῆς τῷ μακαρίῳ Κλήμεντι τὴν ἐξουσίαν τῆς Ἐκκλησίας παρέθετο, λέγων· Ὥσπερ παρὰ τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ λῦσαι καὶ δῆσαι ἐμοὶ δεδώρηται ἐξουσία, οὕτω καὶ τὴν αὐτὴν ἐξουσίαν αἰωνίως δωροῦμαί σοι καὶ δίδωμι, ἵνα ὃν ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδημένος ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Verumtamen antequam beatus Petrus victoriâ martyrij vitam regni cælestis adeptus esset, beato Clementi Ecclesiæ tribuit potestatem his verbis: Quemadmodum mihi à Domino meo Iesu Christo ligandi atque soluendi potestas concessa est, sic eamdem quoque potestatem tibi in æternum tribuo atque trado, vt quemcumque in terrâ ligaueris, sit ligatus & in cælis.*

Et paulò pòst, ita de Dionysio: Εἰσελθὼν δὲ καὶ εὑρὼν τὸν μακάριον Κλήμεντα, ὡς ἀνωτέρω εἴρηται, τὴν τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας ἔχοντα ἐξουσίαν, μετὰ τῆς καθηκούσης τιμῆς εὐθέως, ὡς οἷόν τε ἦν ὑπεδέχθη, &c. *Ingressus verò Romam Dionysius, cùm inuenisset beatum Clementem, vt superiùs dictum est, tenētem Sedis Apostolicæ potestatem, ab eo statim cum honore conuenienti, vt facultas fuit, exceptus est*, &c. Vbi indicat, venisse Romam Dionysium Clemente recenter post Petri mortem Pontifice: in sequentibus autem persequitur, quomodo sit ab eodem Clemente in Galliam missus, & quibuscum sociis. Idem docet & Metaphrastes, dum scribit, paulò post reditum ab Ierosolymitano conuentu, relictis Athenis, Magistri Pauli vestigia secutum, tandem venisse Romam, & accessisse ad Clementem tunc Pontificem à Petro creatum. Ex quibus, & ex multis aliis colligitur, minùs videri probabile, quod Baronius existimauit Dionysium venisse primùm Romā annis triginta circiter post mortē S. Petri, hoc est, postquam ad Ioannem Euangelistam ab exilio reuersum accessisset. Reuersus est autem Ioannes sub Neruâ, qui cœpit regnare anno Christi 99. vt ipsemet notat Baronius. Esto igitur; iuerit illo anno Dionysius ad Ioannem, & eodem aut sequenti, hoc est, centesimo Christi, Athenas redierit, & Athenis Romam ad Clementem accesserit; nònne à morte Petri, quam statuit idem Baronius anno Christi 69. continentur vsque ad 99. Christi, quo Romam Dionysius venerit, anni triginta aut ampliùs. Hoc verò miror, scripsisse eum in anno Christi 98. ad finem, hęc verba: *Ad hæc tempora Dionysium egisse in Oriente, facilè omnes consentiunt.* Atqui vix est reperire vnum atque alterum Scriptorem Vitæ sancti Dionysij antiquiorem Baronio, qui id teneat. Multi enim scribunt mortuum Dionysium sub Domitiano, ante Neruæ tempora, de quibus loquitur ibi Baronius. Non est quidem vera illorum sententia, quantum ad tempus mortis pertinet, vt ostendimus suprà, partim è vetustis Martyrologiis, partim ex ipsis Dionysij scriptis, sed sanè vera est in eo, quòd teneant, eum à morte Apostolorum Petri & Pauli statim venisse Romam ad Clementem à Petro constitutum Episcopum: quamuis, vt diximus, non multo tunc tempore Clemens Romæ hæserit, sed relictâ Lino sede Pontificiâ, aliò demigrarit. Martyrologia autem, quæ Dionysij mortem sub Hadriano ponunt, minimè dicunt Dionysium vsque ad Neruam aut Traianum mansisse in Oriente. Iuisse quidem in Orientem, fateor & scribo, sed è Galliâ (vbi iam à temporibus Domitiani erat) non Athenis; nisi fortè per transennam (quod

(quod tamen non arbitror) ſed ex Galliâ rectò itinere properaſſe Epheſum, vt ibi Ioannem imperante iam Neruâ conueniret: inde autem per Athenas repetiiſſe Galliam. Hæc autem noſtra ſententia magis infrà diluceſcet atque firmabitur, vt Cap. proximo, in teſtimonio Equilini Epiſcopi, & rurſus in verbis Flauij Dextri, ibidem.

CAPVT X.

Dionyſij in Galliam, miſſu Clementis Pontificis, profectio: & res ibidem ab exitu Neronis vſque ad Domitianum Imper. geſtæ.

Sanctorum pia collo quia à recenti morte Apoſtolorum.



A RECENTI geminorum Apoſtolorum è terris raptu, nihil ferè aliud per dies pluſculos inter eorum ſucceſſores viros Apoſtolicos in cogitatione & ſermone mutuo fuit, quàm de illorum, vt fit, ſuorũ patrum & præceptorum virtutibus, ſiue amoris vehementiâ ad hoc vnum à ceteris omnibus abſtrahente, ſiue æmulationis ſtudio ad imitandorum benè geſtorum memoriam rapiente. Alius admirabilem Petri moderationem, alius ſanctos Pauli feruores; alius inuſitata vnius in terris prodigia, alius inauditos alterius in cælos raptus; alius ſummi Paſtoris inter Iudæos labores atque fructus, alius Doctoris Gentium inter Græcos opera & operæ pretia; alius denique atque alius, quæ vidiſſet audiuiſſetque, non ſine maximo amoris ac deſiderij ſenſu memorabat. Vnum tamen in primis fuit, quod attentiori conſideratione peropus habere viſum, nempe quo loco ſtatuque res Chriſtiana per orbem eſſet: quæ prouinciæ adiunctæ Chriſto: quinam in iis inſudarent: qui auxilia poſtularent: qui & ad quos potiſſimùm mittendi forent. Quæ cùm ſanctiſſimus Clemens, perantiquus amborum Apoſtolorum diſcipulus & cooperator, impenſiùs conſideraſſet, & hinc ampliſſimarum Galliæ atque Hiſpaniæ terrarum neceſſitatem, inde idoneorum operariorum paucitatem perpendiſſet, Dionyſij, quem multis nominibus chariſſimum habebat, virtuti & rerum multarum experientiæ confiſus, ſtatuit earum regionum curam cum illo partiri, & quod ipſe præſens vellet, ſi liceret, hoc ei tamquam alteri ſibi cum latiſſimâ regendi & gubernandi poteſtate committere. a Ad ſe igitur accerſitum perbenigneque exceptum ita ferè affatus eſt: Minimè te fugit, mi dilectiſſime frater, quanta vbique poſt copioſam Apoſtolorum ſationem meſſis albeſcat: verùm quàm multa meſſis, tam pauci operarij. Atque eos præſertim deſidero, qui eruditione & ſanctimoniâ ſic polleant, ſic ordine & auctoritate emineant, vt non tantùm vtiles ſe operas præſtent, ſed etiam, ac multò quidem magis, præeſſe ipſi operis poſſint. Ecce vicina nobis Gallia & aliæ Occidentis regiones partim Fidē ſuſcepêre, partim ad ſuſcipiendam paratæ, ſi quis fortiter ac cõſtanter in hoc Dei opus incumbat, præſentaneum expectant expoſcuntque auxilium. Ego autem, ſi quid mente aſſequi poſſum, & te illò vocari diuinitus, & alium huic tanto muneri aptiorem reperiri cenſeo neminem. Noui doctrinam tuam, noui pietatem, noui robur animi, mentiſque conſtantiam. Hîc erit, vbi vires ingenij, & induſtriæ tuæ neruos ad euertendam falſorum Deorum vanam ſuperſtitionem glorioſè explices: vbi tuum promouendæ religionis ardens ſtudium dignis Deo factis expromas: vbi denique priſtinos labores tuos & generoſas pro Chriſto pugnas pœnaſq; exoptatâ tandem laureâ corones. Noli enim deſperare, ibi te inuenturũ, quod hîc quæſiuiſti. Sed expectanda ſunt tempora, non perurgenda. Quò longius certamen, hoc palma glorioſior. Sed certamini atque palmæ vna Dei voluntas præfiniat oportet modum. Age igitur, mi collega & ſacer commilito, ad ea accingere, ad quæ te Imperator noſter inſtruxit: ad oras Occidentis in nomine Domini curſum tuum dirige, atque vt bonus Chriſti miles Domini Dei tui prælia præliare. Habebis aduerſarios plurimos, ſed tecum plures erunt, quàm contra te. Nam Angelorum forti vallabere cuſtodiâ, & noſtris ac fratrum noſtrorum precibus adiuuabere. Atque, vt ne gentis barbaricæ reformides atrocitatem, aderit tibi, vbicumq; fueris, dux noſter Ieſus, qui inimicos tuos fugabit ante te, planamque aperiet ad proſperos Euangelij curſus viā. Quare, vt idem Dominus Ieſus Chriſtus magiſtro meo Petro, & ille mihi, ſic & ego tibi ſacram ligandi atque ſoluendi poteſtatem trado, vt eâ fretus, noſtriſque & ſanctorum Apoſtolorum votis precibuſque adiutus, eò confidenter vadas quò mitteris, tuique ſorte Apoſtolatus, & Dei legatione per omnem Galliam, nullo retardante impedimento, feliciter perfungare. Tu igitur *opus fac Euangeliſtæ: miniſterium tuum imple:* atque in hoc incumbe, vt Chriſti notitia per te quaquauerſum diffuſa, à Domino in die retributionis audire merearis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam:*

Clementis Pont. ad Dionyſium oratio.

Dotes Dionyſij ad Gentilium conuerſionem.

Dionyſio ampliſſima poteſtas in Occidentis Eccleſias conceditur.

2. Tim. 4.

Matth. 25, 2.

stituam: intra in gaudium Domini tui. Hæc & eiusmodi alia cùm secundis auribus excepisset Dionysius (gaudebat enim eò se mitti à supremâ potestate, quò & suâ sponte diuino instinctus spiritu ferebatur) contractis in pauca verbis, se libenter cupideq; summi Pastoris pariturum voluntati respondit: nihil enim sibi gratius, nihil magis esse in votis, quàm eius obsequi imperiis, à cuius ore sacro & nutu diuino totus penderet. De sociis deinde comitibusque itineris actum: de quibus vt conuenit, & qui destinati erant adfuere (facilis enim est inter illos qui spiritu Dei aguntur, ad omnia superiorum mandata consensio) tum ad illos Pontifex ea verba habuit, quæ cunctorum animos tam ad iter magno animo suscipiẽdum, quàm ad eos qui instarent labores generosè pro Christo perferendos succenderent: tum verò lætos alacresque in viâ bonâ cum felici apprecatione cunctos dimisit. b Erant in sociorum numero, præter Rusticum & Eleutherium indiuisos comites, Saturninus, Marcellus, Lucianus, c Regulus, d Ion, qui & Ionas quibusdam appellatur; & qui priùs quoque in Gallia fuerat, e sed desperato digno operæ pretio excesserat, Eutropius. Nam cùm in eam plagam à Principe Apostolorum, à quo fidei mysteria edoctus fuerat, vnà cum aliis sociis missus esset, atque in Santonibus (populi sunt Aquitaniæ) non modico tẽpore, nec paruis laboribus paucissimos ad Christi partes adduxisset, nimirum, vt quidam scribunt, viros decem dumtaxat, f inde tot pertæsus molestiarum, & malè impensorum, vti existimabat, laborum, reuertit Romam. Nempe sic nos homuli solemus, eas refugimus prouincias, quas nostræ minùs respõsuras expectationi credimus: ac si post multos labores par fructus non sequatur, omnem nos lusisse operam impendiò querimur. Atqui profectò peruersè hoc cuncti agimus, quòd omnem fructum alienâ in voluntate potiùs quàm in nostrâ ponimus. Nec enim Deus optimus maximus operum successu res metitur, sed amoris affectu; nec tam quantum egerimus expendit, quàm ex quanto. Potuit Eutropius solis viris decem toto viginti annorum interuallo emendatis, plus gratię apud Deum commeritus esse & gloriæ, quàm alius viginti millibus vel vno anno vel vnâ concione correctis. Docuit igitur Clemens, quantas illis suis, vt existimabat, infructuosis laboribus animæ suæ opes comparasset, tantumque sapienti suâ oratione effecit, vt derelictam prouinciam non modò libenter repeteret, sed auidè quoque ardenterque reposceret. Hinc & Episcopum creauit, & tamquam futuri præsagus, eum mentione inductâ martyrij ad palmam animauit. Ita se Dionysio, cuius antè audiuerat nomen, & nunc virtutem plus admirabatur, itineris socium dedit. Atque, vt olim Petrus post integræ noctis dispendia, iactis in nomine Domini retibus, copiosissimâ prædâ potitus est; ita hîc (vt hoc dicere obiter occupem) susceptâ ad Pontificis mandatum expeditione quàm difficillimâ, breuissimo tempore plurimos mortales & vnà ipsam Principis Santonum filiam ad Fidem traduxit, & simul gloriosam illatæ necis lauream indeptus est. Atque hoc ob itineris societatem de Eutropio per transennam dictum sit. Nam de nobili eius martyrio, perscriptisq; ab Dionysio Actis, mihi institutum est suo loco fusiùs infrà dicere. Iam autem intermissum iter & discedentes Sanctos prosequamur. Acceptâ ergo sanctissimi Pontificis benedictione, in viam lætis ac magna spirantibus animis ingressi sunt: nihilque eâ viâ ob mutuum inter ipsos amorem & fraternam concordiam breuius est visum (multi enim cùm essent, erant sicut vir vnus & cor vnum & anima vna) nihil ob gratissimas de diuinis rebus collocutiones iucundius, nihil denique ob felicem rerum ab Apostolis eorumq; discipulis gestarum memoriam (quâ velut cibo suauissimo quotidie pascebantur) nec in præsens hilarius, nec in futurum beatius poterat exoptari? Mare igitur, quod ipsorum votis mirè obsecundabat, felici ac multis inuidendo nauigio, quod non tam venti aut vela, quàm Spiritus sancti gratia afflabat ac promouebat, ex Italiâ in Galliam citissimè simul placidissimeque transmiserunt. g Quam verò vrbem primò petiuere, aiunt fuisse Arelaten, insigne prorsus in prouinciâ Narbonensi, & omnium gentium commercijs peropportunum emporium. Hîc fuerat haud ita pridem sanctus Trophimus Pauli discipulus, remq; Christianam, primus vrbis eius Episcopus à sancto Paulo ordinatus, vt vires tulerant, fundârat ac promôrat: h sed quem posteà Mileti infirmum se reliquisse scribebat paulò ante martyrium suum Apostolus, eum iam vitâ functum fuisse, antequam sancti Româ discederent, ac propterea huc potiùs quàm vsquam aliò cursum illos direxisse, vero creditur quàm simillimum. Ab hac igitur vrbe, quod Deus benè vertat, res à Dionysio totâ Galliâ præclarè gestas, ipso labores nostros è cælesti throno respectante & adiutante, auspicabimur.

Dionysij ad verba Clementis responsio.

Dionysij ex vrbe in Galliam comites.

Prædicationis Euangelij fructus exiguus in auditoribus, magnus in labore prædicantis.

Vnde meritorum magnitudo apud Deum censeatur.

S. Eutropius ad labores Gal- *licos, vnde imprudens excesserat, reuertitur.*

Optima itineris cõdimenta.

S. Trophimus primus Arelatensis Episcopus.

2. Tim. 4, 20.

N O-

NOTATIONES.

HIc deſcribitur ſancti Dionyſij in Galliam, miſſu Clementis Pontificis, profectio.

a Ad se igitvr accersitvm, &c.] His conformia perſcripſit Hilduinus in Areopagiticis.

b Erant in sociorvm nvmero,&c.] De Ruſtico & Eleutherio Scriptores omnes, tam Græci quàm Latini, conſentiunt. De Saturnino, Marcello, & Luciano teſtis eſt Methodius in Dionyſij martyrio, cuius hæc verba: Κοινωνοὶ δὲ τοῦ ἁγίου Διονυσίου ἦσαν Σατουρνῖνος, Μάρκελλος καὶ Λουκιανός. *Socij ſancti Dionyſij erant Saturninus, Marcellus, & Lucianus.* Et paulò inferiùs: Ἀκοιτανίας δὲ τοῖς μέρεσι τὸν ἅγιον Σατουρνῖνον ἀποστείλας, αὐτὸς σὺν τῷ ἁγίῳ Λουκιανῷ καὶ τῷ ἁγίῳ Ῥουστικῷ καὶ τῷ ἁγίῳ Ἐλευθερίῳ ἐν Παρισίᾳ τῇ πόλει ἐπορεύθη. *Miſſo autem in partes Aquitaniæ Saturnino, ipſe cum ſancto Luciano & ſancto Ruſtico & ſancto Eleutherio ad vrbem Pariſios venit.* Eiuſdem Saturnini meminit ſanctus Gregorius Turonenſis libro 1. de Gloriâ martyrum, cap. 48. *Saturninus verò martyr,* inquit, *vt fertur, ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatus, in vrbem Toloſatium eſt directus.* Sic ille.

Nota, *Ab Apoſtolorum diſcipulis*, id eſt, à Clemente vel Dionyſio. Quod autem dicit directum eſſe in vrbem Toloſatium, ſiue Toloſam, optimè quadrat cum eo, quod dixit Methodius miſſū à Dionyſio in partes Aquitaniæ: nam Toloſa & Burdigala præcipuæ vrbes ſunt Aquitaniæ. His conſentiunt quæ refert Equilinus Epiſcopus lib. 9. cap. 41. his verbis, loquens de Dionyſio & ſociis: *Cùm ergo audiſſet Petrum & Paulum Romæ à Nerone in carceribus detineri, Epiſcopum ſibi ſubſtituit, & ad eos viſitandos acceſſit, eorumque paſſionibus præſens fuit. Verùm poſt aliquod tempus à B. Clemente Petri ſucceſſore in Franciam deſtinatur, & ipſi Ruſticus Presbyter & Eleutherius Diaconus ſociantur: ſancti quoque Saturninus & Marcellus Epiſcopi, & Lucianus Presbyter comites adiunguntur. Qui omnes venientes Arelatum, verbum Domini prædicare cœperunt. Tunc Dionyſius auctoritate ſummi Pontificis fretus, Marcellum in Hiſpaniam, Saturninum in Aquitaniam, & Lucianum ad Bellouacenſem pagum direxit.* Vbi aduerte, dici Dionyſium à Clemente Petri ſucceſſore in Franciam deſtinatum, & Apoſtolorum martyriis interfuiſſe; quod oſtendit, ſaltem proximè ab eorum martyrio Romæ ipſum extitiſſe. Nam ſeriùs & poſt eorum mortem aduenìſſe, ex antiquioribus habet Hilduinus, Equilino longè vetuſtior.

Ex dictis corrigendus eſt Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſtoriæ Francorum, cap. 30. vbi dicit, Saturninum ſub Decio & Grato Coſſ. fuiſſe Toloſæ Epiſcopum: vnde & in Martyrologium Romanum nouum (nam vetus nihil habet, & in Vſuardo deeſt *ſub Decio*) irrepſiſſe error videtur ad XXIX. Nouembris. Nec enim potuit idem Saturninus fuiſſe S. Petri diſcipulus, & accepiſſe ſedem Epiſcopalem Toloſæ ſub Decio: nam Decius tertio demum ſæculo imperauit & Conſul fuit. Verùm, vt notaui alibi, non tantùm in Saturnino errauit Gregorius illo loco (qui locus totus vitioſus eſt) ſed etiam in S. Trophimo Arelatenſi Epiſcopo, in Paulo Narbonenſi, & Dionyſio Areopagitâ, omnibus Pauli diſcipulis, & in ſancto Martiale Lemouicenſi, quos omnes ſcribit fuiſſe ſub Decio. At Saturninum, quo de hîc agitur, fuiſſe S. Petri diſcipulum, etiam Flauius Lucius Dexter, ſancti Hieronymi æqualis, teſtatur ad annum Chriſti 76. & plurimi alij, quos vide ad eum locum in Commentario Franciſci Biuarij, qui germana ipſius Saturnini acta MS. in Roderici Ximenij Epiſcopi Toletani bibliothecâ aſſeruari profitetur, & in his ita legi: *Bonus eſt Honeſtus Saturnini diſcipulus: melior eſt Saturninus Petri alumnus: quia optimus omnium Chriſtus Petri didaſcalus.* Sunt tamen nonnulli è recentioribus, & ij præſertim, qui ſine vllo examine morum exempla compilant, qui eos auſi ſunt corrigere, qui Saturninum primo aut ſecundo ponerent ſæculo.

c Regvlvs.] Etiam Regulum fuiſſe ſancti Dionyſij comitem, habent eius Acta apud Vincentium Bellouacenſem libro 10. cap. 27. De illo & eius Arelatenſi Epiſcopatu agemus Capite ſequenti.

d Ion qvi et Ionas qvibvsdam appellatvr.] Hic quoque vnus fuit è Dionyſij diſcipulis & comitibus, tam Athenis Romam, quàm Româ in Galliam. Quòd Athenis Romam, Acta ipſius Ionis teſtantur apud Vincentium Bellouacenſem lib. 10. Speculi hiſt. c. 23. Quòd Româ in Galliam, teſtis eſt Martyrologium Romanum ad 22. Septembris, hiſce verbis: *Apud pagum Caſtrenſium, S. Ionæ Presbyteri & martyris, qui cum S. Dionyſio profectus in Galliam, iuſſu Iuliani Præfecti verberibus cæſus gladio martyrium conſummauit.*

Vbi Nota in illis verbis, *Apud pagum Caſtrenſium*, intelligi, *celebratur dies natalis* (ſicut in ſimilibus alibi notauimus) non verò, *obiit*, aut *paſſus eſt martyrium*. Alioqui Martyrologium ſcateret mendaciis. Nec enim S. Ignatius martyr Antiochiæ mortuus eſt, nec S. Ioannes Chryſoſtomus Conſtantinopoli, ſicque de aliis; ſed ille Romæ, & hîc Comanæ in Ponto, cùm tamen de ambobus ſcribatur in Martyrologio. de vno quidem: *Antiochiæ S. Ignatij, &c.* de altero autem: *Conſtantinopoli S. Ioannis Epiſcopi, &c.*

Occiſus eſt autem Ion ſeu Ionas apud Pariſios, & caput reciſum tulit vſq; ad montem, qui in eius memoriam vocatus eſt *Mons S. Ionis*, vulgò, *le Mont S. Ion.*

Quod autem in Martyrologio eſt, *Apud pagum Caſtrenſium*, dicunt Galli, *à Chaſtres ſous Montleheri.* Franciſcus tamen Biuarius putat per ea verba ſignificari *Caſtra-Cæcilia* in Luſitaniâ, ſicque intelligendum quod Flauius Dexter notat ad annum Chriſti 86. *Caſtris-Cæciliis in Luſitaniâ prædicat ſanctus Ionas diſcipulus ſancti Dionyſij Areopagitæ, & ad Gallias poſt reuertitur.* Fateor quidem ego vtrobique prædicaſſe S. Ionem, ſed tamen verba Martyrologij magis facere pro Gallis. Aduerte etiam, ex his Dextri verbis noſtram confirmari ſententiam de Dionyſij profectione in Galliam longè ante tempora Neruæ Imp. Nam ſi Ionas

(qui cum Dionysio Athenis Romam, & Româ profectus est in Galliam) ante annum Christi 86. profectus erat è Galliâ in Lusitaniam, ibique Euangelium prædicabat; certè consequitur & Dionysium multò antè, Christi 86. venisse cum illo in Galliam: non igitur (quod volebat Baronius) sub Neruâ, siue anno Christi 99. venit demum in Galliam Dionysius.

e SED DESPERATO OPERÆ PRETIO EXCESSERAT EVTROPIVS.] Extant huius S. Eutropij Acta apud Equilinum Episcopum lib. 4. cap. 105. & quædam apud Gregorium Turonensem lib. 1. De gloriâ Martyrum, cap. 56. *Eutropius quoque martyr Santonicæ vrbis,* inquit, *à beato Clemente Episcopo fertur directus in Gallias. Ab eodem etiam Pontificalis ordinis gratiâ consecratus est: impletoque huius officij ordine, peractâ in incredulis prædicatione, insurgentibus paganis, quos auctor inuidiæ credere non permisit, illiso capite victor occubuit.* Vide ibidem de eius apparitione & agnitione martyrij, ipsomet S. Eutropio reuelante. Fuisse autem Dionysio comitem itineris, clarè huius Acta declarant: vbi inter alia sic de illo: *A B. Petro Apostolo ad Gallias prædicatum missus accessit: ingressusque ciuitatem Santonas cùm Christum prædicaret, ab infidelibus cæsus & de vrbe eiectus, sibi tugurium extra muros construxit, vbi noctibus orationi, diebus verò prædicationi insistebat. Cùm autem multo ibidem tempore commoratus fructum modicum prædicationis fecisset, eò quòd decem viros solummodò conuertisset, Romam repedans, B. Petrum Apostolum passum reperit: & à S. Clemente eius successore ordinatus Santonensis Episcopus, beatoque Dionysio sociatus, cum eodem iterùm ad Gallias adiit.* Vbi rursus obserua, Eutropium statim à morte Petri Romam aduenisse, & à S. Clemente eius successore ordinatum Episcopum, cum Dionysio Gallias adiisse; ita vt non multò pòst ab excessu Apostolorum Dionysius missus sit in Gallias, nedum triginta pòst annis, vt quidam volunt.

f INDE TOT PERTÆSVS MOLESTIARVM, &c.] Est in eius Actis, præter alias molestias, etiam verberibus fuisse affectum, atque vrbe pulsum. Sed hoc quidem parui Eutropius ducebat, si fructus saltem in multorum salute paruisset. At verò viros tantùm decem in fructibus tantorum laborum numerari, hoc intolerabile ipsi videbatur. Haud tamen rectè, vti & B. Clemens ei planum fecit, & simili in re nonnumquam sanctus Petrus Apostolus (licet aliquot pòst sæculis) S. Laurentio Britanniarum Archiepiscopo non tam verbis quàm verberibus ostendit. Nam cùm sub annum Domini sexcentesimum decimumquartum, Eadbaldi Regis Cantuariorum Fidei Christianæ aduersantis, & castimoniæ leges adeò pessumdantis, vt vxorem patris sui duceret, impios ac peruersos mores pertæsus, statuisset Britannias deserere (habito enim cum Episcopis Mellito & Iusto super eâ re colloquio, decretum fuerat communi consilio, satius esse, *vt omnes in patriam redeuntes, liberâ ibi mente Domino deseruirent, quàm inter rebelles fidei Barbaros sine fructu residerent*) apparente illi sancto Petro & grauissimis verbis deterrente, immò & grauioribus flagellis eam voluntatem puniente, discessit à proposito, nec Mellitum & Iustum, qui iam discesserant, atque in Galliam transierant, est secutus. Sed dignum est exemplum, quod integrum ipsis Venerabilis Bedæ verbis referatur. Sic igitur habet libro 2. Histor. Anglic. cap. 6. *Cùm verò Laurentius Mellitum Iustumque secuturus, ac Britanniam esset relicturus, iussit ipsâ sibi nocte in Ecclesiâ beatorum Apostolorum Petri & Pauli, de quâ frequenter iam diximus, stratum parari: in quo cùm post multas preces ac lacrymas ad Deum pro statu Ecclesiæ fusas ad quiescendum membra posuisset atque obdormisset, apparuit ei beatissimus Apostolorum princeps, & multo illum tempore secretæ noctis flagellis acrioribus afficiens, sciscitabatur Apostolicâ districtione, quare gregem, quem sibi ipse crediderat, relinqueret, vel cui Pastorum oues Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis Christi, quos mihi in indicium suæ dilectionis commendauerat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremò mortem, mortem autem crucis ab infidelibus & inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertuli? His B. Petri flagellis simul & exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox manè facto venit ad Regem, & retecto vestimento, quantis esset verberibus laceratus, ei ostendit. Qui multùm miratus, & inquirens quis tanto viro tales esset ausus plagas infligere: vt audiuit quia causâ suæ salutis Episcopus ab Apostolo Christi tanta esset tormenta plagasque passus, extimuit multùm, atque anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo, suscepit fidem Christi, & baptizatus, Ecclesiæ rebus, quantum valuit, in omnibus consulere ac fauere curauit. Misit etiam in Galliam, & reuocauit Mellitum & Iustum, eosque ad suas Ecclesias liberè instituendas redire præcepit. Qui post annum, ex quo abierant, reuersi sunt.* Hactenus Venerabilis Beda. Ex his & illud patet, vigilare etiamnum pro suâ & Christi Ecclesiâ sanctum Petrum Apostolorum coryphæum, nec in cælo eius curam negligere, pro quâ in terris sanguinem & vitam profudit.

g QVAM VERO VRBEM PRIMO SVBIVERE, AIVNT FVISSE ARELATEN.] Ita Methodius: Τούτων δὲ ὁμοῦ συνελθόντων καὶ πορευομένων, ἦλθον εἰς λιμένα Ἀειλαδιτῆς πόλεως. *Ipsi autem cùm vnà conuenissent & profecti essent, peruenerunt ad portum vrbis Arelates.* Idem scribit & Hilduinus in Vitâ S. Dionysij. Suspicor erratum esse in Ἀειλαδιτῆς, & scribendũ potiùs Ἀειλατικῆς *Arelatensis.* Vrbs ipsa Straboni libro 4. Geographiæ vocatur plurali numero Ἀρελάται. Eius verba: Πρὸς δὲ τῷ Ῥοδανῷ πόλις ἐστὶ καὶ ἐμπόριον οὐ μικρὸν Ἀρελάται. *Adiacet Rhodano oppidum emporiumque non paruum, Arelate.* Ptolemæus lib. 2. Geographiæ cap. 10. in descriptione Narbonensis Galliæ, Ἀρελᾶτον Κολόνια, inquit, *Arelatum Colonia.* Plinius libro 2. Hist. natural. cap. 4. vocat Arelaten, *Coloniam Sextanorum.* hoc est, ad quam habitandam missi sunt milites sextæ legionis. Cum quo concordat Pomponius Mela lib. 2. De situ orbis, c. v. vbi vrbes Galliæ Narbonensis præcipuas sic recenset: *Vrbium, quas habet, opulentissimæ sunt, Vasio Vocontiorum, Vienna*

Vienna Allobrogum, Auenio Cauarum, Arecomicorum Nemausus, Tolosa Tectosagum, Secundanorum Arausio, Sextanorum Arelatæ, Septimanorumq́; Blitera. Sed antestat omnes Atacinorum Decumanorumque colonia: vnde olim iis terris auxilium fuit, nunc & nomen & decus est, Martius Narbo.

Quibusdam Arelas nuncupatur. Itaque Arelas, seu Arelate, seu Arelatum, seu etiam Arelatæ plurali numero (vt Pomponius Mela & quidam Græci scribunt) insignis est & antiqua ciuitas Galliæ Narbonensis, & Romanorum colonia ad Rhodanum sita, & Massiliæ atque Auenioni finitima, Archiepiscopali sede honorata: in quâ S. Trophimus Pauli discipulus primò sedit: deinde S. Regulus, aliique in Sanctorum albo adscripti, Gallicè *Arles* etiamnum vocatur. Sed dignum hîc annotatu, quod Robertus Gaguinus lib. 9. Historiæ Francorum, tam de nomine Arelates, quàm de S. Trophimo se ab antiquioribus desumpsisse profitetur: nempe Arelaten à priscis Aram latam, teste Geruasio, dictam esse. Siquidem duæ columnæ olim erectæ inibi erant, iisque ara superposita, vbi quotannis ad Kalendas Maias frequens vndique populus pro suâ sospitate humanis hostiis litabat. Quam in rem ternos iuuenes ære publico emptos, totumque annum benè saginatos, ad eam aram certâ constitutaque die immolabant: moxque immolatorum sanguine vniuersam circumstantem turbam conspergebant. Quam sæuam impietatem S. Trophimus, Christi Paulique discipulus, istuc fidei disseminandæ causâ profectus exterminasse fertur; docuisseque, ad veram animæ corporisque incolumitatem acquirendam, non alio illos quàm Christi Sanguine esse respergendos.

Facit his fidem, quod Cæsar ipse lib. 6. de Bello Gallico, de cruentis Gallorum sacrificiis scribit: *Natio est omnis Gallorum*, inquit, *admodum dedita religionibus, atque ob eam caussam qui sunt affecti grauioribus morbis, quiq́; in præliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vouent, administrisq́; ad ea sacrificia Druidibus vtuntur: quòd pro vitâ hominis nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari arbitrantur: publiceque eius generis habent instituta sacrificia. Alij immani magnitudine simulacra habent: quorum contexta viminibus membra viuis hominibus complent: quibus succensis circumuenti flammâ exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto aut latrocinio aut in aliquâ noxâ sint comprehensi, gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur. Sed cùm eius generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.* Sic ibi. Vide & Tullium in Oratione pro M. Fonteio sub finem, & Pomponium Melam lib. 3. cap. 2.

h SED QVEM POSTEA MILETI INFIRMVM SE RELIQVISSE SCRIBEBAT, &c.] Verba sancti Pauli in posteriore ad Timotheum Epistolâ cap. 4, 20. sunt hæc: *Erastus remansit Corinthi: Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* Scribebat autem hæc Paulus paullò ante martyrium, & postquam in eâdem extremâ Epistolâ scripserat: *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus iudex, non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius. Festina ad me venire citò.*

Ex quibus colligitur, S. Paulum accepisse diuinitus, breui spatio instare sibi mortem, ac proptereà adesse sibi voluisse Timotheum, & vltima mandata accepturum, & certaminis testem futurum. Acceperat autem & Petrus tam Euangelij quàm martyrij eâdem in vrbe collega: quandoquidem in suâ quoque posteriore Epistolâ scripserit cap. 1, 13. *Iustum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo suscitare vos in commonitione, certus quòd velox est depositio tabernaculi mei: secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.* Sic ambo, quod prædixerant, simul eodem anno, mense, & die consecuti sunt.

Itaque Trophimum, quem paulò pòst subiturus martyrium scribebat se reliquisse infirmum Mileti (est autem Miletus Asiæ vrbs, Cariæ & Ioniæ finitima) probabile est tunc inibi vitam reliquisse, præsertim quòd nulla post hæc tẽpora eius mentio, & S. Regulus haud ita multò pòst creatus fuerit à Dionysio Arelatæ Episcopus.

CAPVT XI.

Dionysij in Galliam ingressi prima Arelate super fidei rebus consilia & auspicia.



FILI, inquit magnus ille Ecclesiasticus, *sine consilio nihil facias.* Quod diuinum mandatum & oraculum eò sibi diligentiùs exequendum terræ Galliæ Apostolus existimauit, quò res illa maior erat ac difficilior, quam Dei nutu suis impositam humeris modò erat aggressurus. Deorum enim ab omni retrò ætate tam pertinaciter quàm superstitiosè cultorum euersio hîc agebatur. Iesu Christi è contrario in acerbam crucem latrones inter ignominiosè sublati æterna diuinitas & noua religio feris ac barbaris gentibus proponenda, comprobanda, persuadẽda erat. Vires proinde humanas (si quidem solitariè & per se considararetur) tantæ rei molimen longè exsuperabat: sed tamen Dei optimi maximi auxiliis iunctas, nec sibi, sed illis confisas, neque illud, neque quiduis aliud exsuperare poterat. Quocircà cùm eiusmodi res esset, vt & viribus maximis & potenti subsidio indigeret, nec mediocrem insuper prudentiam industriamque exigeret, confestim vt Arelaten ventum est, actis primùm ductori ac sospitatori Deo super prosperâ nauigatione & felici appulsu gratiis, eò cogitationes suas omnes vir sapientissimus applicuit, vt de totius Galliæ statu, singulorumque populorum moribus, quæ præsenti forent instituto necessa-

Eccli. 32, 24.

Quid Dionysius Arelate gesserit.

necessaria, plenè cognosceret: tum verò de dimittendis quaquauersũ idoneis operis, habito cum suis consilio, suauiter, vt Dei suaderet gloria, disponeret. Neque verò ad hæc præstanda vrbs opportunior, aut locus commodior, quàm vbi nunc erant, quæri optaríve poterat. Quippe ad quam vrbem frequens ex omni Galliâ concursus erat, non aliorum modò, sed etiam Christianorum: à quibus disci poterat, quod scire ad rectam Ecclesiæ administrationem boni pastoris interesset. Hîc ergo aliquamdiu substitit: hîc Christianos recollegit, hîc recensuit: hîc Pauli & Trophimi fructus laborum recognouit: hîc à fratribus, præsertim à Sacerdotibus & Diaconis, quinam superstites adhuc essent in Galliâ Episcopi, & vbi suas sedes fixissent, quas animarum messes fecissent, quas potissimùm terras steriles incultasque reliquissent, perdidicit. Tum verò accitis in consilium collegis & sodalibus, auditaque super quibus deliberabatur sententiâ, denique quod optimum factu, Domino Deo (quod semper ante omnia solebat obseruare negotia) inuocato, suam vnicuique, in quâ desudaret, prouinciam designauit. [a] Saturnino Aquitaniam, Luciano Bellouacum, Sanctino Meldas, Regulo Arelaten, Eutropio Santonas, aliis alias vrbes tractúsve in solo Gallico commisit. [b] At verò Marcellum, quem & Eugenium nonnulli vocant (idem enim esse à multis creditur) Hispanis è Galliâ, vt credibile est, auxilia poscentibus, cùm priùs eum creasset Episcopum, misit in Hispaniam. Ipse autem Dionysius agrum Parisiensem, quo nihil erat eâ tempestate, quantum ad fidem pietatemque spectat, incultius atque agrestius, sibi excolendum reseruauit. Decet enim, vt in militiâ Imperatores, sic in Ecclesiâ primos Antistites, eas potissimè sibi partes assumere, quæ plus laboris ac difficultatis secum afferant: vt ne tam imperio subditos suos, quò velint, pellere, quàm exemplo ad magna atque ardua post se trahere videantur. Nimis dura enim & superba censentur imperia, cùm labores & pericula committuntur, & desunt exempla. Cauebat proinde Dionysius in eorum esse numero, qui alios duriter tractant, ipsi molliter viuunt. Nec enim hoc à Paulo præceptore didicerat, nec in vllo Apostolorum viderat, nec ipse hactenus vel per somnium cogitarat. Nam vestigia gloriæ Dei, quæ vt plurimum in periculis, in laboribus, in ærumnis, in factu arduis, in perpessu asperis illustriùs deprehenduntur, tamquam bonus Christi venaticus semper & in omnibus sagaciter indagabat, & per illa ad opimas animarum prædas cursu infatigabili properabat. Detinuit quidem illum aliquanto spatio vrbs Arelate, sed ingentem paulò longioris illîc moræ fructum Deus ostenderat. Iam Nero, monstrum potiùs hominis quàm homo, tyrannus scilicet qualem adhuc terra non tulerat, cunctis exosus inuisusque mortalibus, debitas suæ importunæ crudelitatis pœnas Deo sanctisq; Apostolis exsoluerat: nec alia quidem (quod deterrimum, & tamen iustissimũ) quam suâ manu, vt pessimo scilicet victoriæ genere, qui alios ante se omnes barbaricâ crudelitate vicerat, idem suiipsius nece seipsum vinceret. Hoc igitur monstro è viuis sublato, cùm boni omnes respirare, tum vel maximè Christiani cuncta sperare in dies meliora: quibus videlicet non minimum promouendæ sanctæ Religioni argumentum suppeditabat, quòd eius persequendæ primus auctor is fuisset, qui totus ex fœdissimâ atque spurcissimâ vitiorum omnium colluuie conflatus, nihil non, iniquissimo suadente atque impellente dæmone, hactenus fecerat. Docuerunt igitur tum Dionysius & cuncti vniuersim omnium Ecclesiarum Magistri, propterea neci datos esse Petrum & Paulum, duos Religionis nostræ multò omnium mansuetissimæ principes, quòd tyranno truculentissimo, ac teterrimis eius geniis atque dæmonibus, à quorum arbitrio & nutu nefarius ille sicarius totus pendebat, generosè fuissent aduersati; quodq; eius execrandis libidinibus atque spurcitiis veræ castimoniæ honestatē prætulissent. Ita non difficilem ad eorum aures, qui talia mirum in modum exhorrescebant, aditum cùm inuenissent, tum ad expromenda fidei nostræ documenta eò fidentiùs accedebant, quò erant cum virtute & ratione coniunctiora. Ad quod quidem palàm faciendum valebat hic noster Areopagita, cùm auctoritate magni nominis, tum præcipuè incredibili quadam cælitus inspirati sermonis gratiâ, cui & vis inerat & copia dicendi incomparabilis. Vnde bonus Arelatensium numerus sensim eum sectari, degustare verba, demirari vitam, adamare virtutes, suspicere & suscipere Euangelium, Christi facta mutis Deorum simulacris composita quantò essent anteferenda, suo silentio primùm, deinde voce & comprobatione contestari; postremò Deorum suorum potentiæ, quos impunè à Christianis contemni

Dionysius comites ac discipulos in diuersa Galliæ loca distribuit.

Episcoporũ partes in laboribus præcipuæ esse debent.

Neronis post Apostolorum cædem punitio.

Necis SS. Apostolorum Petri & Pauli causa.

Dionysij labores & fructus in vrbe Arelate.

temni & imbecillitatis sugillari viderent, paulatim diffidere: cùm verò & prodigia in nomine Iesu (qui honoris gratiâ nobis semper nominandus est) sæpenumerò facta esse, & non rarò fieri scirent, seu in abigendis dæmonibus, seu in propulsandis morbis, tum apertè Religioni manus dare, & diuinæ virtuti fasces haud inuitè submittere. Non priùs igitur generosus Christi athleta discessit Arelate, quàm & multum sub Ducis sui vexillo populum conscripsisset, & longè clarissima suæ virtutis ibidem reliquisset impressa vestigia. Erat inibi fanum quoddam, populi cultu ac veneratione in primis augustum ac celebre, [c] in quo Martis statua publicis impertiebatur honoribus: hanc statuam Dionysius, quò veram vnius Dei potentiam astrueret, solâ diuini nominis inuocatione disiecit, diffregitque; fanum verò ipsum omni hactenus sacrorum execrandorum turpitudine inquinatum, & stultissimæ superstitionis indignissimâ vanitate pollutum, cùm ritè perpurgasset, sanctissimis beatorum Apostolorum Petri & Pauli nominibus & honoribus, non inuito populo (quippe patratorum ab iis prodigiorum iam conscio & admiratore) consecrauit, ibidemque Baptisterium originalibus eluendum maculis collocauit. Nam mirificas eorum virtutes & insignia in omnes mortales beneficia (quæ partim in Euangeliorum codice, partim in eo qui Actus Apostolorum inscribitur, fusiùs repertum iri indicabat) breuiter illis exposuerat: quemadmodum Petrus scilicet, quasi quispiam vitæ mortisque dispensator, solo verbo alios quidem neci propter impia scelera tradidisset, alios autem vitæ ob eximia benefacta reddidisset. Nam Ananiam quidem & Saphiram memorabat, propterea quòd mentiti essent Spiritui sancto, ad sancti Petri vocem corruisse mortuos: Tabitham verò præclaram Ecclesiæ discipulam, à pietate in viduas commendatam, ab inferis eiusdem euocatu luci esse redditam: quin & solâ eius vmbrâ quoscumque infirmos perfectæ sanitati esse restitutos. Paulum autem è Christi persecutore discipulum nonnumquam in cælos raptum, ea inibi vidisse audiuisseque, quibus enuntiandis nulla lingua idonea, nulla par esse posset oratio: sed miraculorum insuper minimè vulgarium fulgore insigniter coruscasse. Nam & Elymam magum doctrinæ Christi resistentem, in ipso momento oculis orbasse; & aliàs infirmis longè plurimis incolumitatem, mortuis verò etiam nonnullis amissam vitam redonasse: denique ita vtrumque vixisse, vt nihil vmquam in moribus turpe aut vitiosum; ita docuisse, vt nihil in doctrinâ falsum aut perniciosum; ita postremò excessisse, vt nihil in morte abiectum aut ignominiosum deprehendi à quoquam, aut iure reprehendi posset: immò omnem vitam, doctrinam, mortem, bonorum plena exemplorum extitisse. In iis enim eluxisse in rebus agendis prudentiam, in negotiis communicandis æquitatem, in moderandis sensibus castimoniam, in affectibus refrenandis fortitudinem, in aduersis ferendis & morte sustinendâ patientiam, animique inuictam constantiam. Cum quibus si falsorum deorum vitæ conferrentur, seu Martis, seu Mercurij, seu Iouis ipsius aut Saturni, aut aliorum quorumcumque, quanta, Deus bone! inquiebat, in illis diuersitas! maior sanè quàm diei & noctis, quàm lucis & tenebrarum. Vnus enim liberos suos deuorasse, alter patrem ipsum pepulisse regno, iste alienæ coniugi stuprum intulisse, hic res alienas furto auertisse; alius alia & quidem horrenda ac prodigiosa admisisse flagitia, & iis etiam gloriatus fuisse memoratur. Et tantam nihilominùs extitisse hominum cæcitatem, vt diuinos iis honores elargirentur, quos ob sua execranda facinora æternis pœnis certissimò constaret esse damnatos. Propterea igitur Deum ipsum è cælis ad tantam cæcitatem suâ immensâ luce depellendam, & tam densas errorum tenebras doctrinæ suæ veritate dissipandas descendisse; atque hunc esse quem ipsis prædicaret, cuius principes discipulos veris laudibus efferret, quibus templa & statuæ multò iustiùs quàm Marti & Mercurio, aliisve Diis (si tamen Diis) deberentur. Talibus ferè, sed multò pluribus ac maioribus, prout Spiritus ei dabat, populi animos vir sanctus detinebat, erudiebat, Christo acquirebat. Post hæc commendatâ Regulo (cui manum simul & Episcopi munus iam imposuerat) Arelatensi Ecclesiâ, dispositisque in eâ ordinibus, & ad mutua inter se officia diligenti oratione concitatis, valedixit, datoque pacis osculo, & impertitâ benedictione, in interiorem Galliam, assumptis Rustico & Eleutherio comitibus, penetrauit. Vbi autem consederit, quid egerit, quæ studia consectatus sit, proxima enarratio demonstrabit.

Martis statua precatione Dionysij diffringitur.

Templum SS. Petro & Paulo consecratũ à S. Dionysio.

Principum Apostolorũ acta prodigiosa.

Act. 5,1.

Act. 9,36.

Act. 5,15.

2. Cor. 12,4

Act. 13,8.

Vita doctrinaq; Apostolorũ sinceritas.

Falsorum deorum refutatio.

Dei è cælo salutis nostra causâ descensus.

S. Regulo Arelatẽsis Ecclesia commendata.

NOTATIONES.

IN hoc Capite describitur Dionysij & sociorum in vrbem Arelaten appulsus, & quæ inibi gesta.

a SATVRNINO AQVITANIAM, &c.] De Saturnino & aliis in diuersa ab Dionysio dimissis, partim Capite præcedenti dictum est, partim proprio & singulari Capite infrà dicetur.

b AT VERO MARCELLVM, QVEM ET EVGENIVM NONNVLLI VOCANT.] De Marcello hoc, & idémne sit cum Eugenio Toletano, disputaui alibi.

c IN QVO MARTIS STATVA, &c.] Inter alios Deos cultum fuisse etiam à Gallis Martem, præcedenti Capite notauimus è Cæsare. De disiectâ autem & diffractâ à Dionysio eius statuâ, habetur in Actis S. Reguli apud Vincentium Bellouacensem lib. 10. Hist. cap. 27.

CAPVT XII.

Dionysij ad Parisios profectio, & ibidem religionis & Episcopatus fundatio.

Parisij antiqui qui dicti. PARISII a hac ipsâ, quâ de agimus, ætate, immò & pluribus antè sæculis celebre erat, non vrbis quidem vt nunc, sed populi in Galliâ Celticâ Senonas inter & Bellouacos siti, & Sequanam fluuium accolentis nomen. Quod quidem nomen *Cæsar li. 6. belli Gallici initio.* olim Iulius Cæsar commentariis suis illustrius fecerat, simulque eorum vrbem Lutetiam belli consilio inibi habito reddiderat clariorem: verùm longè alia claritudo pòst accessit, cùm Dionysius Areopagita omnem propè Athenarum gloriam, hoc est seipsum, huc transtulit; neque hoc sine felici rei magnæ omine, facultatis scilicet omnium liberalium artium, & Græcæ in primis facundiæ eodem aliquando (quod iam dudum factum est) transituræ. Sed illa tamen, quamuis per se ampla, præ fidei luce quam diffudit, præ Christi nomine quod importauit, præ tot insignibus victricis fidei *Dionysius ad Lutetiã Parisiorum diuino nutu accessit.* trophæis quæ totâ Galliâ erexit, exigua videri possunt & debent. b Igitur ad hunc populum & ad hanc vrbem diuino ductu accessit, eumque in vicino delegit habitationi locum, quem & sacris studiis, & piis precationibus, & diuinorum contemplationi, & opportuno ab Euangelij laboribus receptui reperire potuit quàm commodissimum. Eum esse credunt, quem Academia Parisiensis nunc insidet, illius Atheniensis, quam Plato celebrauit, & vbi Dionysius quondam philosophatus est, æmula. Hîc ergo cum duobus sociis Rustico Presbytero & Eleutherio Diacono fidissimis contubernalibus consedit: hîc sacris operatus est: hîc diuina meditatus, hîc cælestia contemplatus, c hîc libros illos incomparabiles, & nisi paucis rarisque ingeniis, inaccessos est commentatus, quos & hodierna Theologorum schola secundùm Scripturas in primâ ponit laudatque auctoritate: hîc denique, vt quondam Ioannes in deserto, concurrentes ad se omnis generis mortales fama vitæ & miraculorum excitatos docuit, abluit, & plus etiam quàm Ioannes, peccatorum suorum vinculis exuit, ac teterrimæ ereptos seruituti in libertatem filiorum Dei vindicauit. d Nam cùm virtute polleret miraculorum, & iam visum cæcis, iam auditum surdis, iam sermones mutis, iam claudis gressum reformaret, variisque prætereà morborum affectos incommodis citra vstionem, sectionem, potionum amaritudinem, sola precatione & verbi diuini inuocatione percuraret, toti genti admirationi fuit, immò & propter facta tam benefica passim apud omnes in amore & honore non vulgari. Quibus ad fidei persuasionem Deique illius cultum (cuius vocato nomine hæc patrabat) viam sternentibus, non exiguum Parisiorum numerum ad Christi castra perduxit. Sed præ aliis omnibus, quorum obscurior fama est & ignota nomina, vnus singulariter extitit, cuius non quiuit hactenus nec ætas cuncta dispergens, nec liuor semper magnis inuidens, aut obtegere nomen aut obscurare gloriam. e Lisbius enim prisca stirps & radix Montmorentianæ familiæ, qui primus è Gallicâ nobilitate salutiferis Baptismi aquis à Dionysio expiatus & Christiani nominis gloriâ creditur insignitus, viuit etiamnum & viget, vigebitq; perennibus, nec vmquam intermorituris ad omnem posteritatem litteris. Nam vt antehac, ita & deinceps, Gallorum habebitur & appellabitur Christianæ primitiæ: nec celabitur (vt nobilis erat iuxtà & locuples) tam ad commendandam ac promouendam fidem eius auctoritas, quàm ad religiosa sacella & oratoria (prout ea ferebat tempestas) vel aptanda vel conseruanda insignis benignitas ac munificentia. Ad hæc enim opera tam auctoritate quàm opibus præstò adfuisse Dionysio ex antiquis habetur monumentis. Atque hæc fortassis irarum & discordiarum coniugi occasio & seminarium

Dionysij ad Lutetiam acta compendio relata.

Eiusdem miracula. Michael Syngelus in Laudatione sancti Dionysii.

Lisbij, ex cuius stirpe Montmorentiana existit familia, insignis ad Christi fidem conuersio.

Eiusdem Lisbij pia benignitas & munificentia.

Larcia Lisbij vxor Christianis aduersa.

rium fuit: quòd scilicet Larcia (hoc erat coniugi nomen) tantarum impensarum, quibus dilapidari rem familiarem arbitrabatur, impatiens (marito enim fidem amplexo diu infidelis perstitit) virum tamquam summæ in Deos impietatis reum detulerit, præclaramque martyrij palmam, sed longo post hæc tempore, remanentibus tamen odiis, volens nolens, vt suo dicetur loco, procurarit. Nam cùm Vespasianus imperium nunc teneret, princeps admodum mitis ac humanus, nulla grauior hisce temporibus extitit in Christianos persecutio, nulla religionis hostibus, sui in bonos expromendi odij, tanta quantam voluissent opportunitas fuit. Hinc Ecclesia illo Imperatore sensim recreari, paulatim accrescere, vires sumere, ædiculas struere, liberiùs sacros cœtus habere, in Christi doctrinâ & virtutum exercitio non pœnitendos progressus in dies facere. Tum ergo & Dionysius obsecundante in primis quem modò diximus Lisbio, nonnulla variis in locis sacella, vt commoditas erat, construxit. Primum autem, vel certè inter prima illud fuisse creditur, quod omnipotenti Deo, suæ huius peregrinationis auctori atque Duci, titulo sanctæ Trinitatis dedicauit: quod deinde multis pòst sæculis in honorem sancti Benedicti, reseruatâ tamen ibidem loci venerandæ antiquitatis & sanctimoniæ gratâ memoriâ, instauratum, amplificatum, consecratum fuit. Quippe in sacello, quod sancti Nicolai nunc dicitur, & in diui Benedicti templo inclusum est, hoc legitur veteris religionis certissimum monumentum: In hoc sacello sanctus Dionysius cœpit inuocare nomen sanctæ Trinitatis. Nam ille propriè locus fuit ædificati à Dionysio sacelli. Posteà verò & alterum cultui beatæ Mariæ virginis, destructo, quod inibi colebatur, Mercurij simulacro dedicasse tradunt: quod ab indigenis ad rei memoriam nostra Domina de Campis est appellatum. Vbi & partem aliquam sanctissimi veli eiusdem Virginis, cuius ipse interfuerat exequiis, ad maiorem loci eius sanctitatem deposuit. Vnum item sancto Stephano primo post Christi ascensionem martyri; quod hodieque Templum sancti Stephani Græcorum vulgò nominatur, quòd scilicet primi eius conditores Græci essent. Alia denique aliis sanctis, quorum enumeratione, vt difficili, minusque necessariâ nunc supersedeo. Sed quemadmodum templa & sacraria, sic Sacerdotes & Ministros constituit, variaque in loca dimisit. Necessarium enim erat, vt multiplicatis gregibus pastores quoque multiplicarentur. Illos autem cùm ad omnem virtutem diligentissimè informauit, tum etiam peculiari cura iisdem commendauit, vt ea quàm exactissimè callerent & curarent, quæ sui essent circa res sacras officij & ministerij. Nec immeritò. Quid enim in omni mundo est, quod parem curam ac sollicitudinem requirat, quàm ea seruitia & obsequia, quæ non hominem mortalem, sed Deum ipsum & cælos tangunt? Nam si pro personarum dignitate atque fastigio verum est honorem ac venerationem crescere, quàm exquisiti diuinæ adorationis ritus ac cærimoniæ, & quanta honoris ac reuerentiæ incrementa ad supremæ illius atque infinitæ maiestatis cultum adhibenda sunt? Dionysius igitur tanti reuerentissimus culminis, præclaram omnino, si quis alius, hac in re nauauit operam. Cùm enim Apostoli (in quorum præcipuè humeros tamquam primorum Dei Legatorum, & nouæ legis principalium præconum id incumbebat oneris) instituta à Magistro sacramenta & sacrificia certis ritibus ac cærimoniis, maioris venerationis ergô, diuinitus instruxissent, ordinatisque ab se Episcopis non tam voce aut scripto, quàm vsu & exemplo tradidissent, visum est viris Apostolicis post illorum è vita migrationem è bono communi fore (quod & Spiritus ipsis suggerebat) vt præcipua religionis Christianæ mysteria, eorumque ratio & intelligentia sic litteris mandarentur, vt & cum nouis Pontificibus ac Sacerdotibus (quorum iam passim per omnes terras numerus excrescebat) facilè communicarentur, & simul caueretur, ne quæ occulta esse oporteret, temerè ad homines profanos & indignos emanarent. Quemadmodum enim ad religionis sanctæque disciplinæ consensionem atque vnitatem plurimum istis commodarent: ita his propter ignorantiæ tenebras mentisque imbecillitatem haud parum officerent. Quare hoc in negotio primus omnium, quod quidem sciatur, sanctus Hierotheus Dionysij magister laborauit: sed ita laborauit, vt eius scripta ob difficultatem & obscuritatem sublimioribus dumtaxat ingeniis subseruirent. Vnde cùm ea Dionysius ad Timotheum vrbis Ephesi Episcopum transmisisset, is ita probauit, vt mediocribus ingeniis aliquanto clariora requireret. Quin & ipsummet Dionysium ad hunc suscipiendum

Ecclesia Vespasiani Imp. temporibus in pace efflorescit.

Sacella in Parisiis à Dionysio consecrata.

S. Trinitatis.

B. Mariæ Virginis sacellum.

Templum S. Stephani Græcorum.

Methodius in Dionysij martyrio.

Nihil parè curam requirit atque diuina Ecclesiæ seruitia.

Ritus & cærimoniæ sacrificiorũ ac sacramentorum ab Apostolis instituta, à viris Apostolicis probata litteris perennarunt.

Quinam Sacramentorum ritus litteris primi mãdauerint.

S. Hierothei scripta intellectu difficiliora quàm Dionysij.

dum laborem non semel, sed sæpiùs hortatus est, non quasi ipse Timotheus, vtpote veteranus Pauli Apostoli discipulus, iis magnoperè indigeret, sed vt nuper creatis aut deinceps creandis ab se Episcopis in directionem atq; subsidium exhiberet: vnumque essent illa scripta Dionysij velut rituum omnium ac cærimoniarum conforme magisterium. Et sanè ita per Orientem & vniuersam Græciam, quæ in libris suis circa ordines conferendos idem perscripsit Dionysius, inualuerunt perennaruntque, vt eorum vsus apud illos hodieque perseueret. Sed de libris in præsentiâ hoc tantùm dicam, quod satis liquet (nam omnium recensionem, quorum quidem nunc sit memoria, pòst inferemus.) nobiles illos libros, alterum de Cælesti, alterum de Ecclesiasticâ hierarchiâ, cùm sint è postremis ab eo editis operibus, in Galliâ esse scriptos, in Galliâ auctos & retractatos. Hîc enim à duorum Apostolorum glorioso excessu (ex quo tempore ad scribendum ab eorum discipulis maximè est stimulatus) sedem ac domicilium tenuit. Quamuis & exemplo magistrorum ad visendas & firmandas remotiores Ecclesias, in alia terrarum nonnumquam excurrerit. [g] Nam & in Hispaniam è Galliâ profectum fuisse Hispani ipsi affirmant. Quod eo quoque fit probabilius: quòd qui ab orbis exorsi capite in vicinas Gallias sub illa Apostolorum tempora proficiscebantur, soliti essent satis euulgato inibi Euangelio, inde in Hispaniam eiusdem dilatandi gratiâ conuolare. Plurima enim in Hispanorum historiis eiusmodi profectionum exempla consignantur. [h] Nempe hoc de sancto Martiale Lemouicensium Episcopo, [i] hoc de sancto Saturnino Tolosanorum, hoc de sancto Ione seu Ionâ Presbytero Castrensium, hoc de sancto Mancio Catalaunensium Antistite, hoc de pluribus aliis in Galliâ Episcopis, & Apostolorum discipulis memoriæ prodiderunt. Neque enim vt regnorum aut prouinciarum, sic fidei & religionis limites erant: sed dispersorum toto orbe Christianorum velut vna prouincia, vnum regnum, vna natio, immò velut vna domus & vna familia tota Christi Ecclesia erat: tamq; facilis tum è prouinciâ in prouinciam, quàm nunc ex vrbe in vrbem, & ferè dixerim è domo in domum, transitus patebat & receptus. Nulla tum inter Christianos ob locorum interualla animorum disiunctio, nulla ob linguarum diuersitatem charitatis diuulsio, nulla denique inter fratres (Italos enim, Gallos, Germanos, Hispanos, Græcos, & quoscumque alios totius vniuersi populos vna continebat & conglutinabat germanitas) nulla, inquam, inter fratres plusquam fraterno amore se complectentes, nisi solius virtutis & pietatis, & diuini honoris parebat æmulatio. At si fortè tempestas aliqua persecutionis ingruebat, ea magis inter illos sese, non secùs atque aquam frigoris asperitas, constringebat. Iuit igitur in Hispaniam Dionysius, & suorum, quos antehac illo præmiserat, discipulorum labores & fructus præsens inspexit, cognouit, promouit. Est enim dictu incredibile, quantum Fidei rebus afferat pondus, sanctorum virorum, præsertim doctrinâ & auctoritate præstantium, vel audita tantùm oratio, vel conspecta solùm præsentia. Hinc tantus olim populis ardor inerat vel videndi & audiendi Apostolos, vel iis è vitâ profectis, ipsorum saltem discipulos velut viuas eorum imagines cognoscendi. Ea causa fuit, cur Episcopi Apostolorum successores perrarò in vnâ sede ita hæserint, quin ad alias atque alias prouincias, seu ipsarum inuitatu, seu suâ voluntate crebrò peregrinati sint. Itaque & Clemens ipse, Petri successor & discipulus, relictâ ad tempus Româ, varias in partes, non minùs quàm Magister suus abiit: & circa hæc ipsa tempora vsque ad Domitiani sceptra, & impios aduersus Ecclesiam motus, generosi Christi athletæ liberè & confidenter, quocumque Spiritus Dei agebat, non modò ad multiplicandas Ecclesias, sed etiam ad eas confirmandas, & statutis ac legibus ordinandas, & sacro concordiæ vinculo (quod maximè tunc erat necessarium) colligandas contendebant. Sic ergo & Dionysius nec Athenis, nec Galliis, nec Germaniâ contentus, in Hispanias quoque penetrauit, & temporum vsus opportunitate, ea quæ Iacobus, quæ Petrus, quæ Paulus, quæ alij Apostolorum plantauerant, irrigatum iuit. De tempore quidem profectionis etsi non omnino liqueat, de profectione tamen ipsâ satis liquet. Quæ autem in Gallias reuersus infesto iuxtà & infausto Domitiani egerit dominatu, hinc iam ordiemur.

Cærimoniæ à Dionysio perscriptæ, apud Græcos magnâ ex parte perseuerãt.

Libri Dionysij de Cælesti Hierarchiâ & de Ecclesiasticâ, scripti sunt in Galliâ.

Dionysius in Hispaniam pro fidei rebus est profectus.

Christianorum charitas & concordia.

Profectio Dionysij in Hispaniã.

Desideriũ videndorum Apostolorũ.

NOTATIONES.

AGitur hoc Capite de profectione ad Parisios, & de Episcopatus ibidem fundatione.

a PARISII HAC IPSA, QVA DE AGIMVS ÆTATE, &c.] Parisios, vt regionis nomen; Lutetiam verò, vt eius regionis caput, vsurpauit Cæsar lib. 6. De bello Gallico, sub initium, vbi sic de se ipse scribit: *Concilio Galliæ primo vere, vt instituerat, indicto, cùm reliqui præter Senones, Carnutes, Treuirosque venissent, initium belli ac defectionis hoc esse arbitratus, vt omnia postponere videretur, concilium Lutetiam Parisiorum transfert. Confines erant hi Senonibus, ciuitatemque patrum memoriâ coniunxerant: sed ab hoc consilio abfuisse existimabantur.* Sic ibi.

b IGITVR AD HVNC POP. ET AD HANC VRBEM DIVINO DVCTV ACCESSIT.] De hoc accessu ex diuino nutu seu monito, attestantes habemus Simeonem Metaphrasten in Vitâ Dionysij, qui ἄνωθεν αὐτῷ κεχρηματισμένον *superne oraculum ei redditum* scribit. Ita priùs Athenis Romam venerat οὐρανίῳ καὶ θείῳ θελήματι, ὡς ὑπὸ Θεοῦ ἠγαπημένος, ὁδηγούμενος, vt scribit Methodius, *cælesti & diuinâ voluntate, tamquam dilectus à Deo, per iter deductus.*

c HIC LIBROS ILLOS INCOMPARABILES, &c.] Libros, qui nunc exstant, de Diuinis nominibus, de Cælesti hierarchiâ, de Ecclesiasticâ hierarchiâ, &c. probabilissimum est scriptos à Dionysio Parisiis, post Apostolorum mortem, cùm iam ipse inter Pauli discipulos præcipuâ scientiâ emineret. Constat enim posteriùs esse scriptos (quod etiam infrà probabitur) quàm eos, qui perierunt.

d NAM CVM VIRTVTE POLLERET MIRACVLORVM, &c.] De S. Dionysij potestate miraculorum testantur antiqui vitæ Scriptores, tam Græci quàm Latini. Dabo Græcorum testimonia, omissis Latinorum, quæ magis in promptu. Itaque Michaël Syngelus scribit, Dionysium expulisse colendorum simulacrorum insaniam, hisce tribus machinis, τῷ τε τῆς ἀληθείας κηρύγματι, καὶ τῷ τῆς διδασκαλίας διαυγάσματι, καὶ τοῖς τῶν θαυμάτων τερατουργήμασιν, *præconio veritatis, doctrinæ splendore, miraculorum prodigiis.* Deinde subiungit continenter aliquas curationes vi diuinâ ab eo factas. Ὀφθαλμοὶ γὰρ τυφλῶν ἀνέβλεπον, καὶ ὦτα κωφῶν ἠνοίγοντο, καὶ γλῶσσαι μογιλάλων ἐτρανοῦντο, καὶ βάσεις χωλῶν συνεσφίγγοντο, καὶ ποικίλων νοσημάτων ἀσθενοῦντες ἠλευθεροῦντο τῇ τοῦ παντοδυνάμου Σωτῆρος ἐπικλήσει διὰ τοῦ θαυμασιωτάτου θεράποντος αὐτοῦ παραδοξοποιοῦντος, καὶ τοὺς ἐν σκότει τῆς ἀγνοίας καθημένους προσκαλουμένου πρὸς τὸ φῶς τῆς γνώσεως καὶ σωτηρίας. *Oculi enim cæcorum intuebantur, & surdorum aures aperiebantur, & mutorum linguæ soluebantur, & claudorum incessus restringebantur, & variis debilitati morbis, inuocato Saluatoris omnipotentis auxilio, per admirabilissimum eius seruum miracula patrantem, & sedentes in ignorantiæ tenebris, ad lucem cognitionis aduocantem liberabantur.* Ita Syngelus. Quid Methodius? Hæc nimirum inter alia: Καὶ τοσαύτας δι' αὐτοῦ κατηξίωσε γενέσθαι τὰς δυνάμεις, ὅτι τῶν πολεμίων ἐθνῶν τὰς καρδίας οὐκ ἔλαττον τῶν εὐαγγελιζομένων ἀνέδειξεν. *Et tantas per eum dignatus est Dominus patrare virtutes, vt nonminùs Gentium hostilium corda, quàm Christianorum permoueret.* Metaphrastes autem: Οὐ διδαχῆς μόνον ῥήμασιν, ἀλλὰ καὶ σημείων ἔργοις ἀποστολῆς ἔργον εἰργάζετο. *Non doctrinæ solùm verbis, sed & operibus signorum munus exequebatur Apostolatus.*

e LISBIVS ENIM PRISCA STIRPS, &c.] De Lisbij conuersione ad Fidem Christi, nullum potest certius esse testimonium, quàm Visbij filij eius conscriptio, è quâ desumpsit Hilduinus ea quæ de illius conuersione familiæ perscripsit. Hanc autem esse radicem Montmorentianæ domus, tota testis est illius posteritas, ad quam solet de principiis ac stemmatibus cuiusque familiæ semper remitti cognitio. Accedunt verò & tituli, & insignia, & elogia, & gentis Francorum ex antiquo perennis consensus, vt viro æquo nihil desiderari ampliùs possit.

f NONNVLLA VARIIS IN LOCIS SACELLA, &c.] De his testes sunt Syngelus & Methodius suprà laudati. Prioris verba, postquam de sancti viri miraculis egit, sunt hæc: Ἐπὶ τούτοις γὰρ τῶν πιστῶν πλῆθος ηὐξάνετο· καὶ ναοὶ τῷ Θεῷ κατὰ Γαλλίαν καὶ Γερμανίαν τὴν μεγίστην ἐπαρχίαν ἠγείροντο, &c. *Propter hæc enim miracula fidelium multitudo crescebat, & templa Deo per Galliam & Germaniam, prouinciam maximam, excitabantur.*

Posterioris autem ista: Τοῦτον οὖν τὸν τόπον ὁ Θεοῦ δοῦλος περιοδεύσας, καὶ τῷ στερεῷ τῆς πίστεως ὁπλισάμενος, Θεῷ τῷ παντοδυνάμῳ πανταχοῦ βοηθοῦντι καὶ συνοδεύοντι αὐτῷ, Ἐκκλησίαν ἐκεῖσε κατὰ τὴν δύναμιν αὐτοῦ, καθ' ὅτι νέος ἀκμὴν προσήλυθος ὑπῆρχε καὶ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ εἰς τιμὴν ἀνέστησε. *Hunc igitur Dei seruus, cùm peragrasset locum fidei robore armatus, Deo omnipotenti sibi vbique auxiliari & comiti, templum illic vt facultas ferebat (quippe nouus ibi admodum aduena erat) & Domino nostro Iesu Christo, honoris gratiâ ædificauit.*

His porrò consentiunt Antiquitates Parisienses, & prisci Rituales libri, in quibus hæc rhythmicè:

Hic constructo Christi templo,
Verbo docet & exemplo,
Coruscat miraculis, &c.

De aliis templis & sacellis videndus est Demochares, libro De diuino Missæ sacrificio, capite 18. in Catalogo Episcoporum Parisiensium.

g NAM ET IN HISPANIAM E GALLIA PROFECTVM FVISSE HISPANI IPSI AFFIRMANT.] Flauius Dexter ad annum Christi 110. & Romæ 861. *Haud multò pòst S. Dionysius Areopagita Hispanias inuisit, vt legatus à B. Clemente totius Occidentis Ordinatus.* Cōsentit Franciscus Biuarius in Commentario ad eumdem annum, probatq; ex S. Methodio, qui scribit Dionysium Euangelij semina dispersisse πᾶσι τοῖς Ἑσπερίοις μέρεσι, *cunctis partibus Hesperiis.* Hispani autem censentur in Hesperiis, vt rectè ibidem probatur.

Sed cauendum, ne putetur Dionysius illo anno Christi 110. aut paulò pòst fuisse à Clemente ordinatus Occidentis legatus. Nam multis antè annis obiisse Clementem, constat. Sed tantùm existimandus est Dexter adferre causam cur iuerit in Hispaniam, quòd scilicet iam olim ordinatus fuisset à Clemente totius Occidentis legatus. Ego autem iuisse in Hispaniam censeo longè priùs quàm velit Dexter, nempe tempo-

ribus Vespasiani, pace post Neronem Ecclesiis redditâ. Regnauit enim Vespasianus annos fermè decem: ita vt extremis eius annis iam satis ordinatâ Parisiensi Ecclesiâ inuiserit Dionysius Hispanias, & eâdem operâ discipulum Marcellum.

Accedit Gothici Breuiarij Toletani auctoritas, in quo hymnus exstat Dionysij & Eugenij profectionem continens, illius in Hispaniam è Galliâ, huius in Galliam ex Hispaniâ. Incipit sic: *Sancti Eugenij digna memoria.* Vbi inter alia de Dionysio, quem vocat alumnum Græciæ, & de Eugenio, quem appellat Doctorem Hispaniæ, sic habet:

Alumnus Græciæ visit Hispaniam:
Doctor Hispaniæ reuisit Galliam:
Docti præsentiam Doctoris Galliæ,
Fideli captans pectore.

h NEMPE HOC DE SANCTO MARTIALE LEMOVICENSIVM EPISCOPO.] Flauius Dexter ad annum Christi 52. Romæ 805. *Martialis,* inquit, *Lemouicensium, Cadurcorum, & Tolosatium Apostolus Hispanias adijt, & prædicando Fideles inuisit.* Vide ibidem Biuarium.

i HOC DE SANCTO SATVRNINO TOLOSANORVM, &c.] Dexter ad annum Christi 112. *Sanctus Saturninus Episcopus Tolosanus secundò Toletum inuisit.* De primo autem aduentu vide Biuarium in Commentario Dextri, ad annum 76.

k HOC DE S. MANCIO CATALAVNENSIVM.] Ita de illo Dexter, ad annum Christi 90. *S. Mancius, ciuis Romanus, Christi discipulus, primus Eborensium in Lusitaniâ Pontifex, qui in Galliâ priùs prædicauerat, floret: & post multos labores migrat martyr, anno 106.* Vide ibi Commentarium doctum Biuarij. De S. Ione dictum est in superioribus.

l EA QVÆ IACOBVS, QVÆ PETRVS, QVÆ PAVLVS, &c.] Hos omnes fuisse in Hispaniâ, Dexter, & Metaphrastes, & alij quàm plurimi pro certo ponunt. De omnibus vide Commentarium Francisci Biuarij ad Dextrum, anno Christi 50. & alibi. De Iacobo, vt extra dubium, dicere omitto. De Petro ad citatum iam annum ita Dexter: *Petrus, vt Christi vicarius, Hispanias adit: imagines Antiochiâ delatas affert,* &c. De imaginibus si consulas ibi Biuarium, tibi faciet satis. De Paulo in Hispaniam profectò patet è suprà dictis, & ex eodem Biuario, qui benè & fusè refellit alia sentientes. Iam certè post Dextri editionem nullo modo dubitari debet. Quem Dextrum si doctus ac diligens Baronius nactus esset, haud dubiè multa aliter, quàm sensit, sensisset & docuisset. Verùm si *dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam,* multò magis menses & anni, quibus assiduè procedentibus, alia atque alia in nouam lucem eruuntur antiqua monumenta.

CAPVT XIII.

Dionysij per tempora Domitiani Imper. curæ & labores, & prophetiæ spiritus.

ERISSIMVM est quidem sanè, quod peritissimi viæ cælestis doctores ac magistri tradunt, eò quemque seruorum Dei & crebriùs & copiosiùs diuina participare beneficia, quò & gratior sit de susceptis, & impensorum aduersus collatorem officiorum atque obsequiorum profusior. Cuius enim nec imminui bonorum copia propter immensitatem, nec exhauriri liberalitas propter infinitam benignitatem potest, idem se in mutui amoris certamine vinci à seruo Dominus nequaquam sinit. Cùm ergo Dionysius depluentium in se donorum memor, tam illa quàm semetipsum in eorum auctorem totum refunderet, velut perfectum quemdam reciprocantis beneuolentiæ circulum, licet impar, gratissimus tamen, cum Deo contexebat. Noua enim cùm reciperet beneficia, noua referebat officia: & dum hæc referret, nouisque propter hoc ipsum à Deo gratiis cumularetur, his ille denuò incitatus, quò plus recipiebat, eò plus reddebat; quoque plus reddebat, eò plus recipiebat, vt non esset nec dandi numerus, nec finis remunerandi. Ita quippe & magni Apostoli crescebant, qui nec esse vacuam in se gratiam Dei sinebant, & alios quoque, vt ne in vacuum eam reciperent, hortabantur. Ita Apostolorum discipuli (& hic in primis Dionysius) in dies proficiebant, semper cursui suo addentes, semper laborem labori, industriam industriæ, obsequia obsequiis aggerantes. Hinc à rebus cunctis inferioribus digressi, atque ad Deum & diuina sublimè erecti, miris implebantur omnigenæ sapientiæ fulgoribus, quibus & se & mundana omnia penitus cognoscerent atque despicerent: & Bonum ipsum, verè omne bonum in ipsius Boni radio conspicerent, & vniuersis terræ rebus vti perpusillis & nullo pretio dignis, immensum quantùm anteferrent. Quemadmodum enim ij, qui ex altissimis turribus & aëriis speculis, ac præsertim monti cuipiam editissimo superstructis, homines quamuis procerissimos & giganteâ mole spectandos, infernè obambulantes conspicantur, ipsi eos velut exiles vermiculos aut perexigui corporis formiculas videre sibi videntur, vixque vident: ita qui mente & cogitatione in alta atque abdita Dei mysteria

Modus crescendi in virtutibus facilis & expeditus.

2. Cor. 6, 1.

E diuinorũ contemplatione nascitur terrenorum contemptus.

mysteria per multiplices profundæ contemplationis gradus cõscenderunt, ij tam magna, tam excelsa, tam incomprehensa inibi speculantur, & demirantur, vt deflexis infernè orbibus, humana omnia, imò absolutè omnia, puncti instar breuissimi esse videant, si tamen videant. Nam vt qui diu in lucidissimo Sole ambulauit, dum in vmbracula primùm ingreditur, præ oculorum caligine nihil videt: sic magnis viris cum Deo suo familiariter versantibus vsu venit, vt toti diuinis mysteriis intenti & perfusi, terrena nec videant nec curent. Ab infimis enim rebus, quoad eius fieri potest, se subducunt, semperque ea minimi faciunt, quæ vulgus hominum, quia maiora non nôrit, permagno æstimat. Dionysius porrò, vt qui abundanti supernæ lucis copiâ perfusus omnia ista prorsus vana nihilque esse intelligeret, proindeque se ab illis penitus segregans, illa quæ verè sunt, & magna sunt, totâ animi contentione persequeretur, ad Deum assiduè aspirabat, ascendebat, adhærebat, a totusq; quodammodò Dei effectus (quod apprime ad diuina percipienda necessarium scriptis suis edocuit) ea quæ paucis nosse datum est, videbat, audiebat, imbibebat, atque ad alios quaquà poterat verborum grandiloquentiâ (nolebat enim res tantas verbis vulgo obuiis deterere) efferebat. Quippe nimis profanum & irreligiosum esse ducebat, res à communi & vulgari hoc statu tam semotas, tam diuersas communibus ac vulgaribus enuntiare vocibus: atque adeò ad honorem & æstimationem Dei rerumque diuinarum hoc spectare iudicabat, si verbis quàm posset magnificentissimis ea quæ omnem transscendunt magnitudinem, quadamtenus repræsentaret. Hinc voces nouas, & suâ compositione eximium quiddam atque omni creato fastigio altius atque augustius designãtes, infinitis atque incomparabilibus Dei perfectionibus explicãdis efformauit. b Quas homines quidam leues, & audaculi, partim ignoratione, partim meleuolentiâ, deteriorem in partem interpretati, maluerunt stili & eloquentiæ affectationi benè prudenterque dicta attribuere, quàm dignitati rerum atque maiestati assignare; quodque est deterius, Auctoris potiùs cauillari verba & calumniari sermonem, quàm & dicendi genus admirari, & dicentis reuereri pietatem. Ast ego quidẽ prorsus è contrario, illa ipsa ab eodem Spiritu verba suggesta esse certò scio & credo, à quo & res ostensas non dubito. c Neque enim antè ad scribendum aggredi vir sanctus audebat aut solebat, quàm se feruenti precatione, velut cælesti quadam catenâ, ab humo subleuasset, Deoq; iunxisset. Denique tam familiares illi erant Dei sermones & oracula, vt sacris quidem in negotiis nihil grande, nihil mediocre, sine diuino viso aut cælesti responso susciperet. Multos in Diaconorum, in Sacerdotum, in Episcoporum ordinem cooptauit, sed vnum absque Dei sententiâ neminem. d Quippe qui & omnibus hoc faciendum Præsulibus disertè edocuit, & complurium conglobatione exemplorum euidenter comprobauit. Ex ipsius quoque institutione, si quis obscurus ac difficilis Scripturæ locus occurrebat, cuius in exoluendo nodo Ministri laborarent, illi Presbyteros adibant, Presbyteri ipsum, ipse autem (nisi si Apostoli in promptu essent) intima templi ingressus, Deum ipsum consulebat, & quæcumque is vellet, illo ipso per Angelos inspirante condiscebat. Quemadmodum enim in cælesti, sic & in Ecclesiæ principatu ordo est addiscendi, ordo est & docẽdi: quodque in cælo Seraphini, hoc in Ecclesiâ sunt Episcopi: & sicut ab illis primis inferiores Spiritus, sic ab his subiecti ordines difficilium hauriunt disciplinam. Qui autem in terrâ sunt supremi, hi à cælo sumunt quod ignorant; vt & qui in cælo summi, à Deo ipso, vt primo fonte, nullius interuentu, cognitionem accipiunt. Quæ igitur Dionysius maximè ardua didicit & docuit, hæc quidem aliquam partem è sacris Litteris, nonnullam item è Pauli atque Hierothei magisterio, sed tamen multò maximam atque præcipuam, non ab hominibus, sed à Deo & Angelis, precando, meditando, contemplando percepit. Nam si tanta est Dei Opt. Max. in homines benignitas ac beneuolentia, vt contractâ cum illis (tametsi cum imparibus) amicitiâ, eos consiliorum suorum facere participes, & arcana pandere etiam priuatis non dedignetur; quanta primis militiæ suæ ducibus, quanta Dionysio inter duces strenuissimo ac laboriosissimo, & ob mentis eximiam puritatẽ longè carissimo, siue luce inter ardentissimas preces, siue nocte per obiecta visa inter quietem ostendit? Si enim Deus Sol est lucidissimus, & Dionysij anima speculum nitidissimum, & ille quidem ad dispergẽdos radios semper compositus, & hæc ad recipiendum semper disposita, quidni perpetuò & ille illustraret & hæc illustraretur? Neque sanè vt in hoc aëre, sic in mente, obuelantium interuenit nubium frequentia. Est enim mens iusti à terrâ & vicino terris

Lib. de Diuinis nominibus, cap. 7.

Causa grandiloquentiæ in Dionysio.

Dionysiani stili reprehensores cuiusmodi homines sint.

Nihil Deo inconsulto aggreditur Dionysius.

Cap 5. de Eccles. Hierarchiâ.

Hierarchiæ Ecclesiasticæ cum Cælesti conformitas.

Dionysius diuina à Deo edoctus.

Animi puritas ad suscipiendas illustrationes necessaria.

terris aëre, & nubibus hunc aërem contristantibus eleuatior, vnoque ictu & momento ad Deum, cùm voluerit, se penetrat. Dionysius autem tantis vrebatur diuini amoris incendiis, vt illis in alta sublatus (nescit enim ille ignis in inferioribus detineri) semper cũ Deo esset, semper beatâ eius aurâ & sancto diuinoq; Spiritu afflaretur. Quod tum accidebat potissimè, cùm exortis in mundo turbinibus ([e] qui imperante Domitiano sæuissimi extiterũt) Dei Ecclesiam grauior torqueret necessitas. Cùm enim vir Dei intolerabilem illius Imperatoris superbiam summâ impietate coniunctam videret ([f] quippe non Dominus solùm, sed etiam Deus appellari, & diuinos sibi tribui honores tyrannus ille volebat & iubebat) cumque insuper quales & quanti motus aduersus Ecclesiam à tam arroganti & tempestuoso mundi huius velut maris gubernatore aut archipiratâ potiùs exsurrecturi essent, perspicaci mentis acie præuideret, tum ipse, vt verè pius & pro grege suo magis nunc quàm aliàs vmquam peruigilans, vni vero Deo se stringere, arctiùs eum complecti, ardẽtiùs exorare, crebriùs & instantiùs consilia & oracula tam arctis in rebus exposcere: ita vt cùm alia multa de suorum statu, tum etiam de procul remotis, Deo illa sibi manifestante præcognouerit, quæ & multâ eum consolatione afficerent, & præsentiũ temporum mœrorem non modò spe futurorum bonorum certissimâ permultùm imminuerent, sed etiam præualentibus gaudiis prorsus abstergerent. Nam cùm excitatâ in pios Dei cultores ab impio tyranno tempestate vnicus iam è toto Apostolorum choro superstes in terris esset dilectus ille Iesu discipulus, cuius in vno capite salus consistebat plurimorũ, quem tamen ipsum immanis tyrãnus dæmonum furiis agitatus, iam morte, iam exilio sublatum è medio cupiebat ([g] nam modò in feruentis olei dolium immisit, modò in exilium, postquam illæsus è dolio exîsset, relegauit) Dionysius de tanti Apostoli & hisce præsertim temporibus tam necessarij salute & incolumitate plurimùm sollicitus, continuis pro illo precationibus diu noctuque insistebat: quin & illius magni Patriarchæ instar cum Deo colluctans, vim quodammodò, si ita loqui licet, pro noto & amico faciebat, vti eius curam gereret, murumque aduersus insurgentes & incursantes bestias opponeret. Quid multa? Deus alioqui inuictus se vinci passus est, & quem fecerat Apostolum, fecit & Euangelistam: sed antequam faceret, consilij sui Dionysium participem esse voluit. Quemadmodum enim olim Abrahamo *in ipso feruore diei* Deus apparuit, ita Dionysio in cælestis ardore charitatis pro Ecclesiâ æstuanti adfuit, & quæ circa exulantem in Patmo Apostolum gesturus esset, aliquantò antè indicauit: nimirum vitam eius & incolumitatem ad nouos pro Ecclesiâ labores sibi cordi fore: adeoque propediem futurum, vt ab exilio exolutus in sua reuerteretur, & reuersus Euangelium conscriberet: sed Euangelium, [h] quo & noui recentium errorum satores confunderentur, & sua Christo æterna diuinitas vindicaretur. Hac igitur abditorum reuelatione tam amicâ, tam certâ, tam salutari mirificè recreatus Dionysius, quamuis alia celare oracula ex submissionis studio semper adamasset, hoc tamen vnum, quod in amici honorem & consolationem adeò vergeret, nec celare voluit, nec potuit. Nam ad illum his ipsis sæuientis Domitiani temporibus in insulâ, ad quam deportatus fuerat, degentem litteras dedit: quibus litteris ea, quæ de ipso cælitus didicerat, lætus patefecit. Quas ipsas litteras, cùm ad manus habeam, haud bonum factum, si reticuero. Harum proinde exemplum hîc subijciam.

Dionysius in Ecclesiæ persecutionibus clarius à Deo illustratur.

Domitiani Imp. intoleranda superbia.

De S. Ioanne Euangelistâ qua præcognouit Dionysius.

Genes. 32, 24.

Genes. 18, 1

Euangeliũ S. Ioannis scribendum prædicitur.

NOTATIONES.

Complectitur hoc Caput, quæ Domitiani temporibus egerit, passus sit, prædixerit Dionysius.

[a] TOTVSQVE QVODAMMODO DEI EFFECTVS, &c.] Docet Dionysius libro de Diuinis nominibus, c. 7. ad percipiendas animo res diuinas tãtâ nobis opus esse cum Deo coniunctione, vt à nobis ipsis quodam modo digressi, non tam nostri simus quàm Dei: talem proinde illum fuisse necessariò fatendum est; quippe qui cælestia & diuina præcellentiori modo secundùm Apostolos, quàm fortè quisquã alius mente perceperit. Verba eius sunt: Κατὰ ταύτην οὖν τὰ θεῖα νοητέον, οὐ καθ' ἡμᾶς, ἀλλ' ὅλους ἑαυτοὺς ὅλων ἑαυτῶν ἐξισταμένους καὶ ὅλους Θεοῦ γιγνομένους. Κρεῖττον γὰρ εἶναι Θεοῦ καὶ μὴ ἑαυτῶν. Οὕτω γὰρ ἔσται τὰ θεῖα δοτὰ τοῖς μετὰ Θεοῦ γινομένοις. *Hac igitur nostri cum Deo coniunctione, & non ingenio nostro diuina intelligenda sunt, ita vt nos toti extra nos totos simus, & toti Dei simus. Melius est enim, vt Dei simus, quàm nostri ipsorum. Sic enim nobis diuina tradentur, si cum Deo fuerimus.*

[b] QVAS HOMINES QVIDAM LEVES, ET AVDACVLI, &c.] Minimè vereor leues & audaculos vocare eos, qui Dionysium ob voces nouas & grandes, quibus ad res maximas explicandas vsus est, non timuerunt reprehendere, & stilum eius, quasi à spiritu Apostolico alienum, denotare. Hi autem maximam partem sunt hæretici, quorum vnum ex antesignanis refutaui. Vide, si placet, infrà Quæstione 11. quæ tota est de Scriptis S. Dionysij.

Meritò

Meritò sanè leues appellandi sunt, qui leuibus de causis contra SS. Patres mouentur, aut moueri se sinunt: audaculi etiam, ne grauius quid dicatur, qui aduersus maiores sups iudicia temerè arripiunt, eorumque dicta & facta impudentium more canum allatrant. Hinc rectè Franciscus Suarez, magnum sacræ Theologiæ columen, & sui sæculi rarum decus, rectè monuit in suo ad librum De Angelis Prooemio, vitandam esse eorum audaciam; qui libros Dionysij, quos habemus, negarunt esse Dionysij Areopagitæ scripta.

c NEQVE ENIM ANTE AD SCRIBENDVM AGGREDI, &c.] Hæc abundè confirmantur ex Capite toto, De eius in scriptis pietate, superiùs posito, vbi & illustres ipsius, de vi sanctarum precationum, nos ad superna tollentium, similitudines apposui. Vide Caput XXII. Vitæ ipsius.

d QVIPPE QVI ET OMNIBVS HOC FACIENDVM PRÆSVLIBVS.] Hanc doctrinam egregiè à sancto Dionysio tractatam reperies in libro de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, cap. 5. & à nobis alibi Latinè & clarè expositam.

e QVI IMPERANTE DOMITIANO SÆVISSIMI EXTITERVNT.] De acerbissimâ Domitiani persecutione attigi vbi scripsi de Imagine primi sæculi. Vide præterea Eusebium libro 3. Histor. Eccles. cap. 13. & 14. & 15. & Tertullianum in Apologetico cap. 5. De illius crudelitate Suetonius, *Erat autem*, inquit, *non solùm magnæ, sed & callidæ inopinatæque sæuitiæ*.

f QVIPPE NON DOMINVS SOLVM, SED ETIAM DEVS APPELLARI.] De hac Domitiani arrogantiâ atque superbiâ, quâ Deus & Dominus appellari voluit, ita Suetonius c. 13. *Pari arrogātiâ cùm Procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: Dominus & Deus noster sic fieri iubet. Vnde institutum posthac, vt ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit, ac ponderis certi.* Sextus Aurelius Victor Schotti sic de eodē: *Dehinc atrox cædibus, bonorū supplicia agere cœpit: ac more Caligulæ, Dominum sese, Deumque dici coëgit.* Vide etiam Dionem lib. 67. vbi scribit, Iuuenium Celsum coniurationis reum, frequēti adoratione, & Domini Deiq; appellatione, suam necem prorogasse, postremoque astu euasisse.

g NAM MODO IN FERVENTIS OLEI DOLIVM, &c.] Testis est Martyrologium Rom. ad VI. Maij, cuius hæc sunt verba: *Romæ S. Ioannis ante portam Latinam, qui ab Ephesio iussu Domitiani vinctus Romam perductus, & iudicante Senatu ante eamdem portam in olei feruentis dolium missus, purior & vegetior inde exijt, quàm intrauit.*

De quo & Tertullianus lib. de Præscriptionibus aduersus hæreticos, c. 36. *Habes Romam*, inquit, *vnde nobis quoque auctoritas præstò est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinā Apostoli cum sanguine profuderunt: vbi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes, posteaquàm in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.*

Paria Tertulliano refert Hieronymus pluribus locis. Vide lib. 1. in Iouinianum, & Comment. in Matthæum, cap. 20.

h QVO ET NOVI RECENTIVM ERRORVM SATORES CONFVNDERENTVR.] Nimirum Ebion & Cerinthus, qui in Asiâ & Syriâ zizania seminabant, & Christi diuinitatem denegabant. *Nouissimus omnium scripsit Euangelium* (inquit Hieronymus in Scriptoribus Ecclesiasticis) *rogatus ab Asiæ Episcopis, aduersus Cerinthum, aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse.* Eamdem causam scripti à S. Ioanne Euangelij multò antè aperuerat sanctus Irenæus libro 3. Aduersus hæreses, cap. 11. vnde ferè alij omnes desumpserunt. *Hanc Fidem*, inquit, *annuntians Ioannes Domini discipulus, volens per Euangelij annuntiationem auferre eum, qui à Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem, & multò priùs ab his, qui dicuntur Nicolaitæ*, &c.

CAPVT XIV.

Dionysij ad Ioannem Apostolum in Patmo exulem litteræ: & nonnulla de sanctis reuelationibus.

DIONYSIVS IOANNI APOSTOLO.



SALVTO[a] *sanctam animam tuam, ô dilecte. Est enim istud mihi erga te præ multis proprium & familiare.* [b] *Salue, inquam, ô verè dilecte, & ei quidem valdè dilecte, qui re verâ & amabilis & desiderabilis & diligendus est.* [c] *Ecquid mirum, si & Christus vera dicit, & iniqui homines eius discipulos ex vrbibus eiiciunt, ea sibi, quæ ipsos decent, retinentes, & à viris sanctis, improbi cùm sint, sese disiungentes atque abscedentes? Nam sanè ea quæ videntur, eorum quæ non videntur claræ sunt imagines. Neque enim Deus venturis sæculis, iustæ illius, quæ tum ab ipso fiet, separationis auctor causáve erit: sed ij, qui seipsos à Deo prorsus separauerint, quemadmodum & alteros in hoc ipso tēpore cum Deo esse & versari cernimus. Nam vt veritatis sunt amatores, terrenarum rerum affectione se exuunt, atque in omni simul cūctorum malorū vacuitate & libertate, simul in diuino bonorum omnium amore pacem ac sanctimoniam diligunt. Quin & à præsenti hac vitâ initium futuræ faciunt, dum scilicet medios inter homines tenorem obseruantes Angelicum, ab omni sunt perturbatione liberi, & Deorum appellatione ac bonitate aliisq; perfruuntur bonis. Nam ego quidem numquam ita sim amens,* [d] *vt te quidquam in hoc tempore pati existimē: quippe qui corporis mala,* [e] *hoc vno tantùm quòd ea discernas, sentire te credā. Eos verò qui te iniuriâ afficiunt,* [f] *seq. Euangelij Solem exterminaturos haud rectè opinantur, meritò redarguens, opto sanè vt ab iis quæ aduersus seipsos patrant desistentes, ad bonum conuertantur,*

Ioannis Apostoli laudes.

Iudicij extremi æquitas.

Piorū Christianorum in præsenti & futuro beata sors.

Ioannes Apostolus Sol Euangelij.

tur, teq; ad se attrahentes luminis participes fiant. g *Nam nos quidem, quidquid demum aduersi acciderit, clarissimo Ioannis radio priuare non poterit, nunc quidē tui memoriā & veræ Theologiæ tuæ renouatione fruituros, paulò pòst autem (dicam enim, etsi audax dictu est) tibi ipsi intimè copulandos. Quippe dignus sum cui fides habeatur, cùm ea quæ & tibi præcognita sunt, à Deo didicerim, & nunc referam; te scilicet istā Patmensi custodiā liberatum iri, atque in terram Asiam postliminiò rediturum, & boni Dei imitationes ibidem editurum, posterisq; traditurum.*

Prædicit Dionysius se Ioannem ab exilio conuenturum.

Hactenus Dionysij litteræ, eæque vaticinādi gratiā & amoris spiritu plenæ. Nam quæcumque in illis prædixit, breuî posteà, vti prædixit, euenêre. Ioannes enim, *Discipulus ille quem diligebat Iesus*, Domitiano propter nimiam superbiam & immanitatem imperio & vitā pulso, actisq; eius à Senatu rescissis, in Asiam dominante Neruā saluus incolumisque rediit. Vbi & Euangelium suum, quod ad Christi imitationē inducit, propptereaque *boni Dei imitatio* est à Dionysio appellatum, iam circiter nonagenarius exarauit. Quis hic porrò Dei nostri benignitatē (ad eum enim bona omnia tamquam ad fontem remittēda sunt) quis hîc, inquam, eius in seruos suos benignitatem satis demirari possit? Quippe qui illis semper & vbique præstò est, cum illis familiariter loquitur, illis secreta consiliorum aperit; illis, siqua interrogant, si consulunt, si de futuris sciscitantur, promptè, & plura interdum quàm sciscitentur, respondet: quin & vota precesq; non rarò anteuenit, & occulta mysteriorum, quæ verecundioribus scrutari esset religio, velut amoris excessum testari volens, reuelat ac detegit. Nam & ipsi Dionysio quanta non solùm de hominibus, sed etiam de Angelis, sed etiā de seipso reuelauit! Nihil enim ferè eius scripta omnia, nisi Spiritum illum diuina & abscondita inspirantem & reuelantem spirant. Atque adeò in hoc Ecclesiæ calamitoso statu, non modò Ioannem (de quo magis quàm de se erat sollicitus) ab exilio reuocandū, sed etiam ipsum Domitiani furoribus eximendum, & se eiusdem dilecti Apostoli conspectu fruiturum, diuino suggerente Spiritu præcognouit. Erant quidem illo sæculo Dei reuelationes non modò Ecclesiæ Præsidibus, sed priuatis quoque non paucis (qui vulgo tamen virtute præcellerent) familiares: verùm vtroque ex genere haud sanè multis, quos cum Dionysio ausis componere. Nam vt Ioannem, tamquam præcellentem Apostolum è numero eximamus, ecquos mihi ex illā ætate, præter Titum fortè, & Timotheum, & Hierotheū, & Carpum Pauli discipulos, aut præter Ignatium, Polycarpum, & Papiam, Petri Ioannisque auditores, aliosque Apostolorum sectatores quàm paucissimos, ecquos, inquam, præter illos inuenias, quos aliquo modo cum Dionysio conferre possis? Et tamen ipsi Titus & Timotheus (vt è duobus coniectura sit de aliis) recepti è cælo luminis palmam eidem videntur Dionysio detulisse. h Nam & illum sæpenumerò super rebus difficilioribus cōsuluêre, & implicatiores sacrarum Scripturarum nodos ab eo postulauere exsolui. Ne verò quispiam imprudenter, ne dicam impiè, existimet magnum illum iustitiæ Solem illis tantùm primis sæculis, & super excelsos dumtaxat illos montes, copiosi sui luminis iaculatum esse radios, & abditorum mysteriorum reserasse arcana; nunc autem velut senectā ætate parciorem effectum, nec splendores vllos emittere, & reuelationum dona in sinu abscondita retinere: is pro certo & explorato habeat immutabilem esse Deum, ac proinde omnibus ætatibus peræquè benignum & liberalem, nūquam à suorum profusione donorū, vbi quidem vasa repererit idonea (& verò semper aliqua reperit) destitisse, aut destiturum esse. Atque vtinam quidē, quàm promptæ sunt Dei manus ad profundendū, tam paratæ sint hominum mentes ad excipiendum! Neque enim à Deo, qui naturā suā semper idem est, semper diues, semper bonus, semper largus, sed ab homine, qui nec egestatē suam nouit, nec veras opes quærit, immemor Dei, ignarus sui, ab ipso inquam homine, non à Deo istorum cōmunicationis bonorum raritas & mentis penuria proficiscitur. Licet enim tibi, licet alteri paria Dionysio recipere, si paria Dionysio feceris: ita nimirū, vt hæc habeas quæ & Dionysius: primò quidem tui magnam cognitionem, & despicientiam, vt alios tibi præferas, te nemini: deinde mentem non à grauioribus tantùm flagitiis, sed à minimis quoque noxiis, quoad assequi Deo iuuante valeas, maximè puram ac liberam: tum verò cunctas animi affectiones æquabili rectæ rationis arbitrio egregiè domitas atque subiectas; nempe vt terrena omnia, & quæcumque sub pedibus, velut quodam debitæ contemptionis præsagio, te habere vides, non pluris, quàm ipsa verè sint, facias: tantoque minùs corpori quàm animæ tribuas, quantò minùs seruo ancillæque deberi scis, quàm aut hero aut dominæ: vt prima proinde & maxima

Quoto ætatis anno S. Ioannes scripserit Euangeliū.

Dei cum Sanctis mira familiaritas & benignitas.

Reuelationes quibus potissimùm fieri solita.

Dionysius ad reuelationes diuinas eximiè aptus.

Vnde quibusdam temporibus diuinarum reuelationū raritas.

Quibus gradibus ad summā sanctitatem conscendatur.

Corpore quomodo vtendum.

xima pascendæ mentis cura sit, postrema corporis: neu de cibo potionéve (multò autem minùs de deliciis, quæ solius esse debent animæ) nisi admodum moderatè, & tantúmodò vt corpus sustineatur, parque sit sustinendis laboribus, cogites. Prætereà laudes, honores, dignitates, diuitias, famæ celebritatem, magni nominis gloriam, aliaque vulgo hominum magna (etsi spectātibus Deum perparua sint) non modò non appetas, sed etiam internæ pacis respectu, & æternæ gloriæ studio fortiter reiicias. Post hæc autem id cures, id viriliter studeas, in id toto, quod aiunt, pectore incumbas, tota vt cogitatio tua in Dei agnitione & in eius infinitarum æstimatione perfectionum defixa sit, tota vt memoria in beneficiorum & factorum eius admirabilium gratâ recordatione inhæreat: denique vt voluntas & affectus & desiderium, & quidquid est fidelis animæ, in vnico Deo & vnicè dilecto continuè, quoad eius fieri potest, immoretur: ita vt (quod idem noster commendabat Dionysius) Dei totus sis, & à te totus excedas. Quòd si etiam, eiusdem sancti Pontificis exemplo, susceptis pro Deo laboribus delectêre, eosque vltrò appetas, & ante quietem & otium ponas, quodque omnium est maximum, pro Christo pati, & quælibet acerbissima sustinere, supplicia omniū voluptatum & deliciarum loco habeas; tum verò longè præstantioribus bonis affluet ac dilatabitur cor tuum, & non modò diuinarum vbertate reuelationum, sed aliorum quoque insimul eximiorum donorum abundantiâ, vt amicus ab amico, vt familiaris à familiari, confertim cumulabere. Qui enim Sanctorum induerit mores, & diuinos imbiberit amores, idem haud dubiè & dona consequetur Sanctorum, & pari cum illis gloriæ ornamento coronabitur. Iuisse verò Dionysium per hosce omnes gradus, & illâ omnino viâ ad supremum istud sanctitatis quam adeptus est, & illustrationis quâ perfusus est, fastigium tetendisse ac peruenisse, multò clarissimum ferunt iuxtà & certissimum, tam aliorum quàm ipsiusmet scripta, iudicium & testimonium. De aliis autem claris viris, qui per eosdem calles suis quisque in ætatibus, vsque ad hanc ipsam quam decurrimus, eódem quò Dionysius fastigij conscenderunt (quorum nos quidem nōnullos in consequentibus adferemus, sed plurimos aliis Scriptoribus relinquemus) memorare huius non est instituti. Iam enim ad alia Dionysij decora cursum intendimus.

Animæ vires quò intenuenda.

Quibusnā præcipuè obtingant cælestes Sanctorum deliciæ.

NOTATIONES.

PRofertur in hoc Capite Epistola S. Dionysij ad Ioannem Apostolum in Patmo exulem. In hanc scripserunt S. Maximus & Georgius Pachymeras, tametsi hic totidem ferè verbis quot ille nō tam scripsit, quàm exscripsit. Hanc Epistolam sic laudat Maximus: Ἡ μὲν ἐπιστολὴ ἀξία τῆς ἀρχαιότητος ἐκείνης τῆς ἱερᾶς καὶ τοῦ μαθητοῦ, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, τὸ χαίρειν ἀπαγγέλλουσα. *Hæc quidem Epistola digna est sanctâ illâ antiquitate, & discipuli, quem diligebat Iesus, gratiam annuntiat.*

a SALVTO SANCTAM ANIMAM TVAM, O DILECTE.] Salutat Ioannem nomine ἠγαπημένου, *dilecti*, vt refricet ei memoriam dilectionis eius, quâ illum Christus prosequebatur, & quâ ipse sic delectabatur, vt se vocaret *discipulum, quem diligebat Iesus*, ἀντονομαστικῶς, Ioannis 21,7. *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est.*

b SALVE, INQVAM, O VERE DILECTE, ET EI QVIDEM VALDE DILECTE, &c.] Salutabat priùs, vt dilectum sibi, vel vt absolutè dilectum: nunc repetit salutationem, & addit, *verè dilectum*. Quia is verè est dilectus, qui Christo dilectus est, Christo verè amabili & verè amanti, & largiter amoris dona cum amatis & dilectis communicanti.

c ECQVID MIRVM, SI ET CHRISTVS VERA DICIT, ET INIQVI EIVS DISCIPVLOS VRBIBVS EIICIVNT.] Ibi Dionysius ex vehementi in Ioannem amoris affectu, & simul ex eius dolore exilij, aduersus impios, qui sanctum eiecerunt, iustâ indignatione exurgit, & cum intelligenti breuissimè loquitur, maximeque Atticè, *Ecquid mirum*, inquit, *si & Christus vera dicit*, cùm dicit: *Eritis odio omnibus propter nomen meum*, & cùm prædicit Apostolos suos persecutionem passuros. Et quid etiam mirum, si iniqui eius discipulos ex vrbibus eiiciant, cùm iniqui iniquos retineant, & se à sanctis minimè sancti disiungant? iniqui enim iniquis quidem digni, sed sanctis indigni sunt. Et verò nunc quasi in imagine ostendunt, quid pòst futurum sit, & quomodo à bonis in extremo iudicio separandi sint, idque suâ culpâ, vti & nunc.

d VT TE QVIDQVAM IN HOC TEMPORE PATI EXISTIMEM.] Quemadmodum ipse Dionysius exilia, pœnas, tormenta, & quæuis dura pro Christo tolerata in bonis ponebat; & pro voluptate habebat, ita vt se pati non existimaret, sed beneficio affici: ita & de Ioanne, ac multò etiam magis, arbitrabatur. Quippe qui vnus ex iis erat, qui *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Act.5,41.

e HOC VNO TANTVM QVOD EA DISCERNAS, SENTIRE TE CREDAM.] Nihil aliud hîc vult dicere Dionysius, nisi sanctum Ioannem Apostolum non aliter sentire exilium suum, quàm quòd discernere possit aliam esse habitationem in Patmo insulâ, vbi exulabat; quàm in vrbe Epheso, vbi domicilium statuerat: alioqui vtrobique ipsi benè esse, vtramque vel pro patriâ, vel pro exilio ducere: pro patriâ, si hominū loquamur more, quibus vsurpatur illud, *Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor*; pro

pro exilio autem, si Sanctorum exemplo de his sentiamus, qui omnem hanc terram, exilium; patriam vnicam, cælum appellabant. Potest etiam dici Dionysius ad immersionem Ioannis in olei feruentis dolium respicere, in quo nihil passus doloris, nihil expertus læsionis, nihil sensit nocumenti, tantùm discernere potuit se in dolium ardens missum esse, & inde eductum incolumem & illæsum.

f SEQVE EVANGELII SOLEM EXTERMINATVROS.] Vocat Ioannem, Euangelij Solem, primò propter claritatem in eius prædicatione & comprobatione: secundò ex spiritu prophetico, quo præsciuit eum scripturum nouum Euangelium, per quod inter alios Euangelistas, vt Sol quidam, emineret, & tenebras, quæ de Christi erant diuinitate; simulque nonnullorum mysteriorum in aliis Euangelistis caliginem suâ luce dissiparet.

g NAM NOS QVIDEM, QVIDQVID DEMVM ADVERSI ACCIDERIT, &c.] Lansselius noster: *neque si contrarium votis acciderit*, Græcè: οὐδὲ τἐναντίον. quod vtramque admittit significationẽ, vti & Latinæ voces *contraria, aduersa*, quæ etiam pro *calamitatibus & rebus aduersis* vsurpantur. Existimo autem sensum Dionysij esse, nullâ ipsum re, quamuis aduersâ, impeditum iri, quò minùs & memoriâ Ioannis, & diuinorum eius verborum nunc fruatur, & pòst etiam præsentiâ fruiturus sit.

Notandum autem, nullas ærumnas, nullas calamitates esse contrarias votis S. Dionysij, quãdoquidem vt verus Christi imitator illas appetat quàm maximè: sed benè, si non frueretur aspectu dilectissimi sui Ioannis, tunc votis aliquid contrarium accideret; nam vnicè id exoptabat.

h NAM ET ILLVM SÆPENVMERO SVPER REBVS DIFFICILIORIBVS CONSVLVERE.] Titum & Timotheum & alios primores sanctos cõsuluisse sanctum Dionysium super sacræ Scripturæ locis difficilioribus, aut de aliis rebus diuinis, liquet ex ipsis Dionysij ad illos libris & Epistolis. Hinc benè de illo Syngelus: Οὐ γὰρ Ἀθηναίων ἦν ποιμὴν καὶ διδάσκαλος μόνον, ἀλλὰ καὶ διδάσκαλος διδασκάλων, καὶ ποιμὴν ποιμένων, καὶ διαιτητὴς, καὶ θεσμοθέτης. *Neque Atheniensium modò pastor & magister fuit, sed etiam magister magistrorum, & pastor pastorum, & arbiter, & legislator.* Vide ibi plura.

CAPVT XV.

Dionysij ab extremis Domitiani temporibus vsque ad Traianum res gestæ.

Persecutionis Domitiani Imp. acerbitas.



EIVS sæuitiæ atque immanitatis, quam Domitianus, [a] supremis præsertim imperij sui annis, aduersus Christianos exprompsit, pars orbis nulla exors fuit. Vbique cædes, vbique exilia, vbique cruciatus, illo alterum Neronem repræsentante, auditi. [b] Exterminatus ab illo Apostolus, occisi Pontifices, vexati Episcopi, melior ac nobilior Ecclesiæ portio variis modis exagitata, nullibi tutò subsistere in suo permissa est. Igitur & in Galliâ atque Germaniâ, vbi Dionysius curabat, satis turbarum fuit: [c] nec dubium, quin multa per eam tempestatem tam in se, quàm in membris suis, hoc est, in progenitis ab sese filiis, grauia passus sit. Vt enim parentes in charissimorum liberorum dolore & cruciatu plus sæpenumerò dolent & cruciantur, quàm si in se eadem ipsi experiantur: sic amantissimi subditorum suorum Episcopi grauiùs vel mediocres in ipsis plagas, quàm atrociora in semetipsis tormenta persentiscunt. Noluit porrò arcana Dei prouidentia suum Galliæ Apostolum in hoc aduerso turbine vitâ eripi, sed alia in tempora reseruatum, huc illuc ad iuniores animandos athletas, & ad necessaria debilibus suppeditanda auxilia, discurrere. Itaque locis omnibus aderat, & vbi præsentius periculum docente ac dirigente intus Spiritu aduertebat, illuc aduenturos Christi hostes omni diligentiâ præuertebat: ibi laborabat, ibi sanctum populum cunctis fidei armis ante certamen præmuniebat. Idem verò & alij eius collegæ Episcopi pro suis quisque viribus sedulò ac indefessè præstabant. Quorum vnus quidem annis iam grauis, sed meritis grauior ([d] is est beatus Eutropius Petri Apostoli discipulus, de quo & suprà breuis mentio) egregium in his temporibus certamen decertauit. Nam post multos in Santonibus (populi sunt Galliæ Aquitanicæ) Fidei causâ exantlatos labores, & laborum ingentia dilatatis Ecclesiæ terminis operæ pretia, tandem premente diaboli inuidiâ, & populi tumultu concitato, lapidibus primò appetitus, dein fustibus immaniter cæsus, postremoque securi ad caput illisâ percussus, plenam in cælos palmam intulit. Eius autem spectata in pietatis conflictu animi fortitudo & eximia victoria, cùm Christianos omnes mirificè exhilarauit, tum præcipuè socium eius ac comitem Dionysium hisce turbidis in rebus adeò recreauit, vti & ad gaudium cum aliis communicandum, & ad gloriam ipsius martyris euulgandam, [e] Acta eius martyrij Græcè conscripserit. Quæ quòd Clementi Pontifici fore multò gratissima certò sciret (is enim dum in Galliam eum mitteret, martyrem futurum præsagierat) [f] ad illum Romæ tum residentem & præsidentem misit, adiectis vnà litteris, quibus postulabat, vt eorum exemplum in Græciam, ac præcipuè Athenas ad cognatos

Diuino cõsilio euasit Dionysius Domitiani persecutionem.

S. Eutropij nobile martyrium.

S. Dionysius Acta Eutropij Mart. Græcè conscripsit.

&

& consanguineos suos, aliosque fideles transmitteret. Nempe gloriosam generosi pugilis pugnam & victoriam non solùm magno illis gaudio fore, sed efficaci etiam ad paria audenda incitamento, vir longè sapientissimus sentiebat. [g] Hinc etiam à primis Ecclesiæ initiis inualuit illa & adhuc perennauit consuetudo, illustria Martyrum acta perscribendi, atque ad exteras prouincias fraternæ instinctu charitatis, & studio similis profectus circumquaque dimittendi. Vtinam autem hæc, de quibus loquitur, Acta nunc extarent! Siue enim propter Dionysij sacrum laborem, siue propter Eutropij egregias laudes, quàm nunc meritò deploranda est istorum Actorum iactura, tam è contrario iuuaret & stimularet salutaris eorumdem lectio atq; notitia. Sed his relictis, quæ habere non possumus, ad respiciendam gratioris cæli serenitatem, quam disiecto & distracto huius tempestatis commotore Domitiano, suæ Ecclesiæ reddidit verus & solus Dominus, verus & solus Deus (quàm enim falsò hæc nomina Deus & Dominus vsurpauerit tyrannus ille, [h] opera docuerunt, exitus indicauit) cum stilo animum aduertamus. Domitiano igitur successit Nerua, hoc est, superbo moderatus, immani perhumanus; successit autem, vt morbo sanitas, vt nocti dies, vt lux tenebris. Nam tùm demum illuxisse Ecclesiæ clarum iubar visum est, [i] cùm Nerua Imp. obductam mundo caliginem suæ splendore clementiæ dissipauit. Exire tum Christiani è latibulis, reuerti ab exilio confessores, sua recuperare proscripti, ad solitos cœtus remeare, & conuenire fideles per metum antehac distracti. Tum & Ioannes ipse, prima nunc Ecclesiæ claritudo, & verè filius tonitrui, [k] accepto diuinitus & dictato pòst fulgura & tonitrua Euangelio, velut alter Moyses è monte, in quem cum Deo tractaturus ascenderat, descendit, relictaque, quam habitatione suâ beauerat, insulâ, repetens Ephesum suis se reddidit, totiesque desideratum, toties expetitum iam denique Euangelium euulgauit. Nec mora: differtur per omnia piorum ora lætus rumor: sed Dionysius ante omnes eodem nunc audire factum, quo futurum prius audiuerat, oraculo: nec celare id suam plebem, sed prædicare, sed ad gratias Deo agendas excitare. Prorsus igitur alia iam erat Ecclesiæ facies, quàm paulò antè conspecta fuerat; læta, hilaris, explicata, amoris & fiduciæ plena, in hymnis & canticis spiritualibus Deo deuota, procedens quotidie & crescens, siue suis ipsius incrementis, siue accessionibus alienis. Semper enim Ecclesia persecutione, sicut vitis putatione, lætiùs prouenit, latiùs proficit. Hoc in profectu nouos Sacerdotes, nouos Episcopos vigil ac sedulus Pastor crescentibus Ecclesiis ordinauit. [l] Ex quibus Sanctinum ad Carnutes tantisper in fide roborandos misit, indeque aliquanto pòst tempore Meldensium Ecclesiæ præfecit. Ipse autem ad visendum Ioannem totus animo ferri: eaque re compositis celeriter Galliæ rebus, & commendatâ fideli populo erga constitutos ab se ministros, tantillo suæ absentiæ spatio, pristinâ & constanti obedientiâ, ipse ad iter (quod tum Christiani omnes piis votis, nos deuoto stilo iam prosequemur) se accinxit.

Acta Martyrum ad extraneas prouincias mitti solita.

Domitiani exitium & persecutionis exitus.

Ioannis Euangelium Ephesi euulgatur.

Ecclesia persecutione sicut vitis resectione proficit.

S. Sanctinus Carnutibus & Meldensibus fidem annuntiat.

NOTATIONES.

PErstringuntur hîc S. Dionysij Acta temporibus Domitiani Imperatoris, Christianorum persecutoris immanissimi.

[a] SVPREMIS PRÆSERTIM IMPERII SVI ANNIS.] Quamuis ab initio ferè imperij crudelis Domitianus fuerit, cum annis tamen & vsu sæuitiæ ad extremum vsque tempus profecit: si tamen hoc est proficere, magis magisque in homines sæuiendo, toti generi officere. Persecutionis autem in Christianos initium annotatur Eusebio, Hieronymo, & aliis, anno imperij eius decimoquarto. Tametsi nec in eo defuerint ante hoc tempus etiam in Christianos velut præludia quædam immanitatis, *qui per annos quindecim*, inquit Paulus Orosius, *ad hoc paulatim per omnes scelerum gradus creuit, vt confirmatissimam toto orbe Christi Ecclesiam, datis vbique crudelissimæ persecutionis edictis, conuellere auderet.* Et infrà: *Idemq; efferatus superbiâ, quâ se Deum coli vellet, persecutionem in Christianos agi secundus à Nerone imperauit. Quo tempore etiam beatissimus Ioannes Apostolus in Patmum insulam relegatus fuit.*

Nec verò tantùm è sacris Scriptoribus notissima est Domitiani in Christianos feritas, sed etiam è profanis multò certissima. Sic enim Dio lib. 67. Hist. Rom. Κἀν τῷ αὐτῷ ἔτει ἄλλους τε πολλοὺς, καὶ τὸν Φλάβιον Κλήμεντα ὑπατεύοντα, καίπερ ἀνεψιὸν ὄντα, καὶ γυναῖκα αὐτὴν συγγενῆ ἑαυτοῦ Φλαβίαν Δομιτίλλαν ἔχοντα, κατέσφαξεν ὁ Δομιτιανός. Ἐπηνέχθη δὲ ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος, ὑφ᾽ ἧς καὶ ἄλλοι ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν. Καὶ οἱ μὲν ἀπέθανον, οἱ δὲ τῶν γοῦν οὐσιῶν ἐστερήθησαν· ἡ δὲ Δομιτίλλα ὑπερωρίσθη μόνον εἰς Πανδατέρειαν. *Et eodem anno Domitianus cùm alios multos, tum etiam Flauium Clementem Consulatu fungentem, tametsi patruelem, & habentem vxorem Flauiam Domitillam eius cognatam, interemit. Obiectum verò ambobus crimen impietatis, propter quam & alij multi in errores Iudæorum delapsi condemnati sunt; quorum pars quidem occisi, pars facultatibus suis expoliati: Domitilla verò tantùm in Pandatariam est relegata.*

Vbi nota ἔγκλημα ἀθεότητος, *crimen impietatis*

tis vocari *religionem Christianam*, tamquam respuentem Deorum cultum. Per *delapsos* item *in mores Judæorum*, nullos alios intelligi, quàm *Christianos*, qui quòd desertis idolis vnum colerent Deum, perinde ac Iudæi, idcircò dicebantur in eorum mores decidisse.

De hac Flauia Domitilla & aliis eiusdem nominis, vide Baronium in Martyrologij Notis ad diem VII. Maij.

b Exterminatvs ab illo Apostolvs, &c.] Ioannes enim Apostolus, vt paulò antè indicatum est, ab eo relegatus est in insulam Patmon, idque postquam in ardentis olei dolium immersus fuisset. Illo etiam Imperatore martyrium subiisse creditur Cletus Pont. siue Anacletus: nam omnes SS. Patres vnum faciunt, non duos. Ex Episcopis exilium passus est in Syriâ S. Ignatius, mortem in Galliâ S. Eutropius, de quo infrà statim dicetur, & de quo nonnihil etiam suprà notatum est.

c Nec dvbivm, qvin mvlta per eam tempestatem.] Passum esse Dionysium non pauca Domitiani temporibus, non obscurè indicat Syngelus in Vitâ S. Dionysij, sub finem, his verbis: Τοὺς δ' ἂν μετέπειτα χειμῶνας, οὓς ἡ Δομετιανοῦ μανία κατὰ τῶν πιστῶν ἐπήγαγεν, ἀνδρείως ὑπομείνας, καὶ δόκιμος ἐν πᾶσι φανείς, διαβόητον ἀπηνέγκατο κλέος. *Reliquas verò subsecutas tempestates, quas contra fideles Domitiani inuexit insania, cùm viriliter pertulisset, probatusque in omnibus apparuisset, celeberrimam gloriam reportauit.*

d Is est beatvs Evtropivs S. Petri Apostoli discipvlvs.] De Eutropio misso in Galliam à Clemente notauimus suprà Capite x. ex ipso Gregorio Turonensi. Vide autem fusiora S. Eutropij Acta apud Vincentium Bellouacensem lib. 10. Speculi historiarum, cap. 19. & apud S. Antoninum Parte 1. Histor. tit. 6. cap. 28. §. 2. & apud Petrum Equilinum in Catalogo Sanctorum, lib. 4. cap. 105. & apud Eysengrinum Centenario 1. Parte 5. dist. 3. De illo sic Martyrologium Romanum ad diem xxx. Aprilis: *Apud Santonas beati Eutropij Episcopi & Martyris, quem S. Clemens Pontificalis ordinis gratiâ consecratum direxit in Galliam, peractaque diu prædicatione, ob Christi testimonium colliso capite victor occubuit.* In Martyrologio autem Petri Galesinij quædam continentur magis particularia: sic enim ad eamdem diem, siue pridie Calendas Maij, annotatum habet: *Apud Santonas, S. Eutropij Episcopi & Martyris. Hic Persa, parentum Regum filius, beati Dionysij Areopagitæ discipulus & comes, à S. Clemente Pontifice Episcopus Santonensium consecratus, septem & viginti annos eo munere functus, excitatâ infidelium persecutione, colliso capite victor coronatur.*

Vbi in eo, quòd dicit, Eutropium munere functum Episcopali septem & viginti annos, optimè concordat cum eo, quod suprà docuimus, missum esse eum cum Dionysio in Galliam à Clemente statim à Petri martyrio, siue anno Christi septuagesimo. Vnde si numerentur viginti septem anni, iustè peruenietur ad decimumquartum Domitiani, cui anno adscribitur secunda persecutio, in quâ omnes occisum sanctum Eutropium consentiunt. Annotatur autem mors S. Petri non tantùm ab Eusebio, sed etiam à Baronio ad annũ Christi sexagesimumnonum, & Neronis decimumquartum. Itaque anno sequenti, siue septuagesimo Christi, peruenit Eutropius in Episcopatum suum Santonensem, perseuerauitq; ad persecutionem Domitiani inchoatam anno eius imperij decimoquarto, qui iuxta Eusebium est Christi nonagesimus sextus, iuxta Baronium autem nonagesimus septimus. Scribit porrò Galesinius in suis ad Martyrologium Annotationibus de Eutropij anno martyrij his verbis: *Martyrio coronatus dicitur anno Christi nonagesimosexto, Imp. Domitiano.*

Itaque ex his colligitur, non posse verum esse, quod sensit Baronius, Dionysium venisse Romam in Galliam demum post mortem Domitiani: quandoquidem S Eutropius, Dionysij in eo itinere comes, ipso viuente Domitiano affectus fuerit martyrio, & quidem post viginti sex aut viginti septem annos in Episcopatu Santonensi, ad quem cum Dionysio profectus fuerat, exactos. Vellem autem, vt nonnulli qui Vitas Sanctorum scripserunt post tempora Baronij, proposuissent sibi potiùs historias ipsi diligenter examinare, quàm cæcorum more, cuiuslibet alterius ductum sequi.

e Acta eivs martyrii Græce conscripserit.] Scripsisse B. Dionysium Acta martyrij S. Eutropij, siue, vt vocant, passionem, liquet ex aliis eiusdem Eutropij gestis, è quibus se hæc accepisse profitetur Vincentius Bellouacensis, lib. 10. Speculi histor. cap. 18. *Hic B. Dionysius*, inquit, *B. Eutropij consocius, ac Parisiorum Præsul, passionem eius litteris Græcis scripsit, & parentibus suis in Græciâ, qui iam credebant, per manum beati Papæ Clementis misit.* Nota Gallicismum, *parentibus suis*, id est, *consanguineis*. Sic enim Galli consanguineos vocant *les parents*. Dicitur Callistus II. Pontifex Acta illa Græcè scripta reperisse Constantinopoli in schola Græcorum, in codice quodam multorum Martyrum Acta continente, atque è Græco in Latinum vertisse. Adiuncta erat illis S. Eutropij Actis epistola S. Dionysij, hac ferè formâ: *Clementi Pontifici Dionysius. S. Eutropius, quem mecum in has oras ad prædicandum Christi nomen misistis, martyrij coronam per manus Gentilium apud vrbem Santonas ex causâ fidei accepit. Quocirca te humiliter exoro, vt martyrij eius codicem consanguineis & notis & amicis meis fidelibus, qui in Græciâ sunt, ac præcipuè Athenis, mittere quàm citissimè ne graueris. Quò & ceteri, qui mecum vnà nouæ regenerationis lauacro à Paulo sunt abluti, cùm acceperint gloriosum Martyrem pro Christi fide crudelem mortem oppetiisse, de toleratis pro Christi amore aduersis angustisque rebus gaudeant.*

f Ad illvm Romæ tvm residentem et præsidentem misit.] Cesserat (vt alibi suprà dictum est) Pontificatu, quem proximè à Petro acceperat, & aliquantisper tenuerat, beatus Clemens, sed Lino & Anacleto vitâ functis, clauum Ecclesiæ, regnante iam Domitiano, in manus receperat. Litteras igitur ad eum iam Romæ præsidentem sub annum Domini nonagesimumseptimum, Domitiani decimumquartum, vnà cum S. Eutropij martyrio misit.

g Hinc

g Hinc etiam a primis Ecclesiæ initiis,&c.] Antiquissimam fuisse in Ecclesiâ cõsuetudinem scribendi Acta Martyrum, & cum aliis Ecclesiis communicandi, planum fit è litteris ab Ecclesiâ Smyrnensi de martyrio S. Polycarpi exactè scriptis, & ad alias Ecclesias transmissis (quas intueri integras licet apud Eusebium lib.4. Hist. Eccles. cap.15.) & è litteris Ecclesiæ Viennensis & Lugdunensis ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ, apud Eusebium lib.5. Histor. cap.1. Comprehendi illas in aliis Vitis, priores quidem in Vitâ S. Polycarpi, posteriores verò in S. Irenæi.

h Opera docvervnt, exitvs indicavit.] Indignum enim fuisse non modò Domini & Dei nominibus Domitianum, sed etiam nomine hominis, facta eius inhumana, & exitus miserrimus, vitâ tamen dignissimus, comprobarunt. Nam factâ in ipsum coniuratione, vitâ, quâ indignus erat, confosso inguine, multoque insuper vulnere, expulsus est.

i Cvm Nerva Imp. obdvctam mvndo caliginem, &c.] Hic tranquillitatem imperio, hic serenitatem Ecclesiæ, hic clementiæ suæ asylum cunctis exhibuit. Hic denique *primo edicto suo*, inquit Paulus Orosius, *cunctos exules reuocauit. Vnde & Ioannes Apostolus hac generali indulgentiâ liberatus, Ephesum rediit.*

k Accepto divinitvs et dictato post fvlgvra et tonitrva Evangelio.] Ita vetus Historia Ecclesiastica (vnde S. Hieronymus & Metaphrastes nonnulla desumpsere) contestatur. Vbi autem Euangelium à Deo acceperit dictaueritque, Auctores diuersa sentiunt. Quidam in Patmo, vbi & Apocalypsin scripsit; alij Ephesi in Asiâ scripsisse arbitrantur. Ego prioribus adstipulor. Neque enim illi antiquissimi Patres (quos pro suâ sententiâ citant ij qui dissentiunt) Irenæus scilicet, Athanasius, & Eusebius, suis verbis aliud indicant, quàm Ephesi publicasse. Nam sanè Irenæus, & Irenæi verba laudans Eusebius, ille quidem lib. 3. Aduersus hæreses, cap.1. hic autem lib. 5. Histor. Eccles. c.8. sic de Ioanne: Ἔπειτα Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσὼν, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ Εὐαγγέλιον ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων. *Posteà & Ioannes discipulus Domini, qui & supra pectus eius recubuit, ipse quoque edidit Euangelium Ephesi in Asiâ commorans.* Idem Irenæus eodem lib. 3. cap. 11. scribit, Ioannem volentem redarguere errores Cerinthi & Nicolaitarum, inchoauisse sic Euangelium: *In principio erat Verbum*, &c. S. Athanasius verò in Synopsi sacræ Scripturæ hæc habet: Τὸ δὲ κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγέλιον ὑπηγορεύθη τε ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Ἀποστόλου καὶ ἠγαπημένου, ὄντος ἐξορίστου ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ, καὶ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ ἐξεδόθη ἐν Ἐφέσῳ διὰ Γαΐου τοῦ ἀγαπητοῦ. Ῥωμαίοις γράφων φησί· Ἀσπάζεται ὑμᾶς ὁ Γάϊος ὁ ξένος μου, καὶ ὅλης τῆς Ἐκκλησίας. Quæ sic vulgatus interpres reddidit: *Euangelium verò secundùm Ioannem & dictatum est ab Ioanne Apostolo & dilecto, cùm exulasset in Patmo insulâ, & posteà ab eodem Ephesi editum per Caium dilectum & Apostolorum hospitem. De quo & Paulus Romanis scribens dicit: Salutat vos Caius hospes meus & tota Ecclesia.* Corrige *& totius Ecclesiæ*, vt habent Græca. Nam isti Caio omnes Christiani, vt eius facultas ferebat, grati hospites erant.

Nota porrò, illud ἐξέδωκε *edidit* Irenæi, & τὸ ἐξεδόθη *editum est* Athanasij, si capiantur, vt vulgò passimque apud Auctores solent, non significare *composuit* aut *scripsit*, sed *edidit*, *euulgauit*, *in lucem emisit*, iam antè scilicet composita. Hinc scripta, quæ apud auctorem vel amicum adhuc latent, & detinentur, aut etiam quæ illo fortè demortuo, apud vnum aut alterum conseruantur, vocari solent recepto more ἀνέκδοτα, *inedita*.

Itaque sunt diuersa, βιβλίον γράφειν, & βιβλίον ἐκδιδόναι, *librum scribere*, & *librum edere*. Plutarchus in Theseo vtrumque sic iungebat: Γράψας τὸν λόγον ἐξέδωκε. *Scriptam orationem edidit*, hoc est, *euulgauit*, *publicauit*. Discrimen hoc etiam Tullius ipse in Latinis ostendit, cùm scriptam & compositam à se orationem ad Atticum mittens ita scribit lib. 15. Epistolâ 15. *Orationem tibi misi. Eius custodiendæ & proferendæ arbitrium tuum. Sed quando illum diem, cùm tu edendam putes!* Et lib. 13. ad eumdem, Epistolâ 21. *Dic mihi, placétne primùm edere iniussu meo? hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is qui Platonis libros solitus est diuulgare.*

Ad rem vt redeam, Metaphrastæ narratio de Ioannis Euangelio, itemque Prochori eiusdem Ioannis discipuli (licet in quibusdam aliis non recipiatur) hîc tamen rationi admodum consentanea, minimeque à vero remota mihi videtur, vti neque Baronio.

l Ex qvibvs Sanctinvm ad Carnvtes, &c.] Hincmarus, Rhemensis Archiepiscopus, in epistolâ ad Carolum Caluum Imperatorem, ita de ordinatione & missione B. Sanctini à sancto Dionysio Carnutum: *Destinatis quoque sociis per diuersas ciuitates, ad dolos diaboli destruendos, & populos Domino acquirendos, Sanctinum ordinauit Episcopum, & Carnutum illuminare eos, qui in tenebris erant, inspirante Domino, misit: vbi eum per aliquid temporis immorari disposuit. Posteà verò Meldensium ciuitati Pastorem & Episcopum esse constituit, eiusque suffragio Antoninum, qui iunior ad distinctionem senioris Antonini prænominabatur, adhibuit.*

Vide etiam sanctum Antoninum, Archiepiscopum Florentinum, Parte 1. Histor. titul. 6. cap. 28. §. 1. & Petrum Equilinum in Catalogo, lib. 8. cap. 108. Dicit Baronius in Notis ad Martyrologium, XXII. Septembris, extare vetus manuscriptum de Actis sancti Sanctini; vtinam prodeat! De eodem Sanctino ita Martyrologium Romanum dictâ die: *Apud ciuitatem Meldensem, beati Sanctini Episcopi, discipuli sancti Dionysij Areopagitæ, qui eiusdem ciuitatis Episcopus ab eo consecratus, primus illic Euangelium prædicauit.*

CAPVT XVI.

Dionysij in Asiam ad S. Ioannem Apostolum profectio, & inde reditus in Galliam.

Sanctis qui spiritu Dei aguntur, cuncta vertunt in bonum.

VT proprium est Sanctorum, in omnibus quæ dicant & faciant, Spiritu sancto agi, nec quidquam ferè Domino inconsulto aggredi; ita in suscipiendis peregrinationibus, præsertim longioribus, tota eorum mens, si vmquam aliàs, à Deo pendet, ad Deum dirigitur, in Deo conquiescit. Ex quo etiam vsu venit, vt comitante eos Angelo, &, si qua intercurrant, impedimenta submouente, cuncta in bonum & illis & fratribus vertant: sintque illis sua quamuis longa itinera nihil aliud, nisi continua quædam impressæ sanctitatis vestigia. Id in Apostolis, id in Apostolorum discipulis, & in hoc maximè Dionysio certum esse constitit. Hinc quocumque & ille & illi ibant, quocumque appellebant, à loci incolis tamquam Angeli Domini, vt verè erant, recipiebantur, & omni genere obsequij, feruente in Christianis charitate, fouebantur. Neque id profectò mirum. Plus enim erat quod sancti illi hospites secum adferebant, quàm quod tectis excepti recipiebant. Quidnam autem? doctrinam vitæ, scientiam Sanctorum, exempla probitatis, specula honestatis, regulam morum, quin subinde etiam (quæ viduæ hospiti Propheta Helias rependisse scribitur) procurata miraculo subsidia & victus & vitæ. [a] Quo enim modo Propheta ille & pugillum farinæ auxit, & olei pusillum multiplicauit, & filium insuper viduæ vitâ redonauit: ita Christi germani discipuli, & legis nouæ sancti Antistites iuxta Domini sui præceptum, ad quamcumq; ciuitatem accedebant, quamcumque domum in..abant, [b] pacem ciuitati, pacem domui, sed pacem bonorum omnium conciliatricem, dabant: atque etiam vnà, cùm res quidem, Deique honos postularet, infirmos curabant, mortuos suscitabant. Talium enim potentes prodigiorum erant. Quorum nec expertem fuisse Dionysium, alibi expressum est. [c] Iuit igitur vir sanctus ex Galliâ in Asiam, nec itineris longitudinem, nec ætatis veritus grauitatem ([d] erat enim haud minùs nonaginta annos natus) iuit, inquam, illâ ætate è Galliâ in Asiam, spargens vbique per domos, per ciuitates deuoto fidei præconio suarum semina gratiarum: gaudebantque homines extremis Apostolorum temporibus nouam Ecclesiæ columnam agnoscere, nouum religionis firmamentum intueri; & quem à Magistris hauserat spiritum, quadamtenus & per transennam saltem degustare. Detinere enim properantem non poterant, sed (quod secundum in votis erat) comitari abeuntem plurimi properabant. Sciebant enim, quàm non modò suauis, sed etiam salutaris virorum sanctorum sit comitatus, atque eorum præsertim, qui Apostolorum amicitiâ & familiaritate dignati, præclaris eorum dictis & factis fecundum pectus in sitientes piorum aures, apertosque animæ sinus valeant expromere. Ephesum verò vrbem, vrbem ex nomine suo verè desiderabilem vt venit Dionysius, & dilectum illum Iesu discipulum, Magistrum autem suum longè dilectissimum vt inuenit & conuenit, tanta ambos derepentè mutuo è conspectu incessit lætitia, tam arcta è familiari collocutione orta est necessitudo, & animarum inter sese conglutinatio, vt quadam reciprocatione sancti amoris alter in alterum transisse totus videretur. Hîc agnoscebat aquila illa Euangelica germanum pullum, liquidos Solis radios irreflexâ mentis acie intuentem, adeoque ardorum cælestium in humano corpore, Angeli instar, patientem. Agnoscebat, & amabat, & fouebat, & in sublimium reuelationum gyros nequaquam inassuetum educebat & circumducebat. Hic verò amoris iuxtà & venerationis plenus, illum vt Apostolum Dei, vt Solem mundi, vt coronam Ecclesiæ, vt Prophetam sæculorum, vt Regis assessorem, vt Reginæ filium & custodem & heredem totâ animi deuotione suspiciebat, colebat, assectabatur, numquam videndi, numquam audiendi, numquam admirandi satur. Plusculis igitur hebdomadis, vel mensibus potiùs, vnà cùm fuissent, deque processu Euangelij in his atque illis mundi partibus, nec non de erroribus modò enatis, & eorum ducibus Christi diuinitatem aliaq; fidei mysteria impugnantibus, collocuti essent, tum illum Ioannes Euangelio suo adhuc recenti, & planè musteo (quod nimirum ipse Spiritus sancti musto plenus iam modò eructauerat) donatum, & suâ benedictione munitum, in Occidentis plagas, vnde venerat, & vbi pretiosa eum palma exspectabat, renauigare hortatus est. Hic autem, tametsi ab illo velut vnico mundi miraculo auelli per se graue esset, tamen diuinæ cedens voluntati, & honorem Christi præ suis commodis ponens, iter est aggressus. Quo in itinere, & ad

Hospitalitatis in sanctos quanta commoda.

3. Reg. 17.

Quote ætatis anno Dionysius in Asiam abierit.

Dionysius Ioannem magistrum Ephesi conuenit.

Ioannis Euangelistæ laudes.

Remittitur Dionysius à Ioanne in Occidentem.

ad sua regressu, multò etiam magis, quàm dum ad Apostolum tenderet, à populis & vrbibus occurrebatur, deducebatur, detinebatur. Tum & Atheniensem reuisisse Ecclesiam, finitimasque illi vrbes olim sibi excultas (quippe aut illò, aut certè non procul viâ ferebat) incredibili illarum Ecclesiarum gaudio adiisse, & inibi aliquamdiu commoratum esse, ipsa persuadet Patris in liberos charitas. Deus bone! qui tum ad ciuem suum, ad doctorem, ad pastorem, ad patrem mortalium concursus, videre, tangere, amplecti, dissuauiari hunc Angelum Dei contendentium! Quoties eius expetiti congressus! quoties postulatæ exhortationes! quibus tamen habendis nulla ædes, nullus sacer locus ob sancti populi affluxum satis amplus capáxve erat. Verba porrò ipsius, partim referentis, quæ cùm alibi, tum maximè in Galliâ fundatæ essent Ecclesiæ, qui eam vineam viri illustres coluissent, colerentque: quàm præclara illic nuperâ in persecutione extitissent martyrum certamina: partim memorantis, quæ in Asiâ præsens vidisset, quæ ab aliis audisset, de discipulo potissimè il-

Ioan.13,23 lo, *quem diligebat Iesus*, & quem nunc totus orbis Christianus vnicè & singulariter deamaret, & pro cuius vitâ & incolumitate vota quotidie faceret, verba, inquam, ipsius hæc & talia publicè annuntiantis, velut cælestia quædam oracula cupidissimis excepta auribus, in profunda mentis dimittebantur, vt ad posteros redundarent. Id autem præcipuè Dionysius spectabat, vt auditores suos ad eorum quos prædicabat, & quorum pulchras ac verè aureas de fide, de pietate, de aliis virtutibus sententias inter dicendum subinde ingerebat, reuerentiam & amorem & imitationem stimularet. Minimè enim eos audiendos esse dicebat & ingeminabat, qui diuersa ab illis magnis viris sentirent, qui suam Christo diuinitatem impiè ac sacrilegè ereptum irent, qui aliâ quàm Apostolorũ semitâ graderentur ([e] Ebionẽ scilicet ac Cerinthũ & similes denotabat) contra quos habere se luculentum Ioannis Apostoli & nouissimi Euangelistæ, hodieque superstitis testimonium, ostendebat, qui primò Euangelij sui incursu illos petat, ac velut intorto è supernis nubibus, cum fulgure & tonitru, fulmine subuertat, dicens:

Ioan.1,1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & alia quæ ibi cõsequenter aduersus illos faciunt, & diuinam Christi naturam planissimè adstruunt. Ita visitatis & in fide confirmatis Græciæ Ecclesiis, Italiam versus cursum direxit, Romamq; tandem multa per viam eluctatus amicorum retinacula (quocumque enim appellebat, vincula charitatis & iura hospitij illum quàm arctissimè constringebant) ad Clementem Papam, veterem amicum & collegam, venit: vbi diutiùs consistere & immorari non charitas modò suasit, sed auctoritas quoque suprema, & tractandarum rerum necessitas adegit. Intereà huius moræ quædam res se obtulit, quæ inhabitantem in Dionysio vera vaticinandi spiritum commoueret. [f] Adolescentem quemdam Romanum, Taurinum nomine, Tarquinij & Eutychiæ filium, matris rogatu (quæ clàm infideli marito Christiana erat) sacris vndis abluerat B. Clemens: quem cùm Dionysio commendaret erudiendum, vnaque piæ matris de filio somnium referret (erat autem somnium ritè coniectantibus futuræ index sanctitatis, nempe lilium odoriferum è parturientis vtero prodire visum) coniectis Dionysius in adolescentem oculis, in hanc subitò erupit vocem: *O fili, multa pro Christo tibi debentur certamina.* Nec vana fuit vaticinatio. Obtentâ à Clemente discedendi facultate, duxit illum, sanctæ eius matris victus precibus (quæ prudenter filio à patre infideli metuebat) secum in Galliam, accuratè instruxit, instructum sacris ministeriis adhibuit; denique prospiciens, immò iam multò antè certò præscius, quanta pro Christi nomine esset perpessurus, Episcopi munere, vt pòst dicetur, honorauit. Reuersus igitur in Galliam Dionysius, quò iam diu expectabatur & desiderabatur, dici non potest quantis sinceri amoris & verorum gaudiorum significationibus passim exceptus sit. Reducem enim & saluum & velut renouatâ iuuentute viuidum atque alacrem ex longo itinere, videbant pastorem illum suum & ducem, cui alium, si illo orbarentur, vix erat vt auderent sperare similem. Credibile est autem primò Arelaten (quò ex Italiâ breuis est traiectus) nauem appulisse, hocque ingressu oppidanos primi illius sui ingressus fecisse memores, quò vnà cum sociis à Clemente missus illuc appulerat, ipsisque Episcopum dederat: nunc autem cum nouo beati Ioannis venire Euangelio longè diuinissimo, cuius sit exemplum ipsis relicturus omni thesauro pretiosius. Quo illi audito, mirum quantum exultare & triumphare gaudio, tam de sanctissimi Apostoli memoriâ, de quo non pauca Dionysius memorabat, quàm de tanto eius dono & monumen-

Vaticinandi spiritus in S. Dionysio.

S. Taurini initiatio & educatio.

Visi nocturni explicatio.

Dionysij in Galliam regressus.

to, cuius origo prorsus diuina & cælestis existeret. Cùm autem iusto illic tempore partim ad pernoscendum Ecclesiæ statum, partim ad danda eis mandata, & communicandos animi sui sensus, restitisset, tum ad alias pari modo, & simili gratulationum, gaudiorum, hilaritatum mutuâ profusione, Parisios vsque contendit. Quid ibi autem fecerit, nunc exequendum.

NOTATIONES.

HOc Capite iter sancti Dionysij in Asiam ad Ioannem Apostolum, & inde in Galliam ad suos reuersio comprehenditur.

a QVO ENIM MODO PROPHETA ILLE ET PVGILLVM FARINÆ AVXIT, &c.] Elias hospitio exceptus, famis tempore, à viduâ Sarephtanâ, eius farinæ pugillum, qui solus restabat in hydriâ, & pauxillum olei, quod supererat in lecytho, sic auxit, vt quotidie vescentibus in tempus longum non deficeret, quoad scilicet in terrâ illâ fames cessaret. Quin & filium eius mortuum ad vitam reuocauit. Vide lib. 3. Regum, cap. 17.

b PACEM CIVITATI, PACEM DOMVI, &c.] Præcepit Dominus Apostolis Lucæ 10, 5. vt pacem ciuitati, pacem domui, in quamcumque intrarent, precarentur. *In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui: & si fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur.* Et infrà: *Et in quamcumque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, & curate infirmos qui in illâ sunt.*

c IVIT IGITVR VIR SANCTVS EX GALLIA IN ASIAM, &c.] Quin sanctus Dionysius ad B. Ioannem ab exilio reuersum in Asiam profectus sit, nullus dubitat, nec dubitare potest, eorum quidem, qui illa scripta Dionysij, quæ eius extant nomine, vera & germana ipsius scripta esse confitentur. Quippe qui in Epistolâ ad ipsummet Ioannem, sibi cælitus prædictum hoc iter, & hanc cum Ioanne mutuam collocutionem apertè perscripserit. Sed de loco vnde in Asiam profectus sit, nonnulla est controuersia. Nam Baronius existimauit Dionysium Athenis, vbi creatus fuerat à Paulo Episcopus, vsque ad Neruam mansisse, ac proinde Athenis quoque ad Ioannem in Asiam concessisse. Verùm sæpè & pluribus locis hactenus ostendimus ex Actis multorum Sanctorum, longè antehac in Galliam venisse, ac proinde ex Galliâ, vbi iam sub Domitiano erat (præcessit autem ille Neruam) ad Ioannem profectum esse. Quin & multi vel mortem sub Domitiano in Galliâ passum esse, vel grauia multa tolerasse Dionysium, auctores sunt. Qui saltem in hoc à nobis sunt, quòd Dionysius in Galliâ iam fuerit sub Domitiano. Adde, Baronium nonnulla recipere Acta martyrij sociorum sancti Dionysij, quæ illos venisse cum ipso in Galliam, & imperante Domitiano in Galliâ occubuisse tradunt. Pro Baronio autem faciunt Acta S. Reguli apud Vincentium & Metaphrastem: sed in aliorum Sanctorum Actis, & speciatim in ipsius S. Dionysij, multò plura pro nobis faciunt, sicut dispersè compluribus in locis ostendimus.

d ERAT ENIM HAVD MINVS NONAGINTA ANNOS NATVS.] Iuit enim in Asiam extremo Neruæ imperio, cùm esset Christi nonagesimus nonus, ac consequenter Dionysij nonagesimus, quippe iunioris Christo annis nouem. Nemini porrò incredibile videri debet, quòd tam serâ & præcipiti ætate iter tantum susceperit, cùm & alios reperire liceat non paucos, qui pari, aut etiam grandiori ætate, iisdem aut minoribus de causis, talia confecerint itinera. De sancti Polycarpi ex Asiâ in vrbem Romam extremo æuo suo profectione, atque inde in Asiam reditu, scripsimus in eius Vitâ. Nec multò minor natu, quàm vterque illorum, fuit sanctus Marcellus cùm ex Hispaniæ vmbilico in Galliam visendi Areopagitæ præceptoris sui gratiâ se contulit. Sanctus Epiphanius Constantiæ in Cypro Episcopus, sub annum vitæ suæ centesimum decimum quartum, è Cypro Constantinopolim ad causam S. Ioannis Chrysostomi dispiciendam, accersente Theophilo Alexandrino eiusdem Chrysostomi aduersario, contendit. Quin & multis pòst sæculis (quorum tamen processu solet hominum vita non solùm breuioribus arctari terminis, sed etiam viribus fieri debilior) anno scilicet Christi millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, Burchardus de Sarken; cùm octogenarius ad Episcopatum Lubicensem prouectus esset, ac primo anno propter æs alienum ab antecessore suo contractum, laboris plurimum sustineret, studio parcendi impensis in Franciam abiit: deinde anno Episcopatus sui vigesimo secundo, id est, ætatis centesimo tertio, pro tuendo Ecclesiæ suæ iure super molis aquatilibus (quod Lubicenses maximoperè impugnabant) Romam petiit, ibique, vt scribit Albertus Crantzius, per annos quatuor constitit, pro Ecclesiâ suâ viriliter decertans; gloriosè tum, licet sumptuosè & laboriosè, triumphauit in causâ. Iam ergo erat centum septem annorum, cùm patriam repetiit: vbi & alios tredecim superstes fuit, vsque ad annum scilicet ætatis centesimum vigesimum. Vide Crantzium in suâ Metropoli lib. 8. cap. 37. Atque vt in hanc grandæuorum societatem nonnullos quoque alios Episcopos aduocemus, ecce S. Simeon propinquus Saluatoris, & Iacobi Apostoli in Sede Ierosolymitanâ successor, centum viginti annos natus crucis supplicium fortiter pertulit. Ecce S. Narcissus eiusdem Sedis Antistes, centum sedecim transgressus est. Ecce S. Dorotheus Tyri Presbyter, anno ætatis centesimo septimo martyrium pro Christo pertulit. Ecce & alter Dorotheus Constantinopolitanus Patriarcha centum vndeuiginti annos exegit. Ecce S. Remigius, insignis Rhemorum Præsul, annos sui Episcopatus numerauit, auctore S. Gregorio Turonensi, integros septuaginta, vel etiam ampliùs: ætatis verò, eiusdem testimonio, centum viginti.

De S. Simeone habemus S. Hegesippi auctoritatem apud Eusebium lib. 3. Hist. Eccles. c. 26. De S. Narcisso B. Alexandri Ierosolymorum Episcopi, apud eumdem Eusebium lib. 6. c. 11.

De

De S.Dorotheo Tyrio testes sunt Martyrologium Romanum, & Menæum Græcorum, ad diem v.Iunij. De altero autem Dorotheo Socrates lib.7. Hist. Eccles. cap.6. Et de S.Remigio Gregorius Turonensis, lib. De gloriâ Confessorum, cap.79. & cap.87.

e EBIONEM SCILICET AC CERINTHVM ET SIMILES DENOTABAT, &c.] Contra hos enim scripsisse S.Ioannem Euangelium, communis est opinio. Notaui alibi, aut indicaui potiùs locum Irenæi, vbi id docet, nempe lib.3. Aduersus hæreses, cap.11. Hieronymus in lib. De illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap.9. in Ioanne, ita de illo: *Nouissimus omnium scripsit Euangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis, aduersus Cerinthum aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse.* Idem habet Epiphanius Hæresi 51.c.12. vbi scribit, Ioannem per Euangelium suum quodammodo exclamasse: Ποῖ πλανᾶσθε; ποῖ τρέπεσθε; Ποῖ πλανᾶσθε Κήρινθε καὶ Ἐβίων, καὶ οἱ ἄλλοι; *Quò erratis? quò vos conuertitis? Quò erratis Cerinthe & Ebion, & ceteri?* Irrepsit in Petauij editionem erratum, vt poneretur *Marcio* pro *Ebion.*

f ADOLESCENTEM QVEMDAM ROMANVM, TAVRINVM NOMINE, &c.] S.Taurini Acta vsq; à primâ eius infantiâ, breuiter recitantur à Vincentio Bellouacensi, lib.10. cap.33. cuius capitis extrema ista verba: *Iam enim ordinauerat in ciuitate Cameracâ germanum eius Gaugericum,* vt prorsus adulterina & supposititia procul amādanda sunt; cùm nec in antiquissimis exemplaribus reperiantur, nec apud S.Antoninum, nec vsquam apud alios (quod quidem, factâ diligenti inquisitione, sciâ) vlla extent vestigia, quòd scilicet Gaugericus fuerit S.Taurini, qui secundo vixit sæculo, germanus. Nam Gaugericus minimùm quatuor sæculis posterior est S.Taurino. Adde, S.Taurinum Romæ natum & educatum temporibus Domitiani Imperatoris & Clementis Pontificis, vt habent eius Acta; Gaugericum verò in prouinciâ Belgicâ & ditione Lutzemburgensi, nempe in villâ Euosio, quam nunc Iuodium & Gallicè *Yuois* vocamus. Et huius rei antiquum & luculentum testem habemus Baldericum Nouiomensem Episcopum in Historiâ Cameracensis & Atrebatensis Ecclesiæ, lib.3.c.37. *Hinc autem,* inquit, *Imperator egressus* [Henricus scilicet è palatio Aquisgrano] *ad Euosium villam scilicet pulcherrimam, quam beati videlicet Gaugerici natiuitas illustrat, cum primoribus quidem suorum Palatinorum intendit.* Et paulò inferiùs: *Sapienter quippe disposito, vt in eo loco, vbi beatissimum Gaugericum nouerat, eius gaudiosam festiuitatem, quæ 3.Idib. Augusti est, celebrare veniret.* Accidêre hæc anno Domini 1023. iuxta Sigeberti Chronicon. Deinde hæc verba extrema huius capitis, nullam prorsus habent cum prioribus connexionem. Quæ enim, amabò, est in his connexio? *Ei, vt cognouit* [Dionysius] *cum hoste rapido se habere conflictum, Taurinum eumdem Ebroicæ ciuitatis ordinauit Episcopum. Iam enim ordinauerat in ciuitate Cameracâ germanum eius Gaugericum.* Egregia verò causa! præclara ratio! Ordinauerat Gaugericum Cameraci, ergo ordinauit Taurinum Ebroicæ. Tollatur proinde ineptum illud assumentum ab extremo illo capite. Quod fecissent profectò, qui nouam Operum Vincentij editionem nuper hîc Duaci ediderunt, si locum attendissent atque examinassent.

Sic de Taurino Romanum Martyrologium ad 11.diem Augusti: *Apud Ebroicenses in Galliâ, S.Taurini Episcopi, qui à B.Clemente Papâ illius ciuitatis Episcopus ordinatus, Euangelij prædicatione Christianam fidem propagauit, ac multis pro eâ susceptis laboribus, miraculorum gloriâ conspicuus obdormiuit in Domino.*

Petrus Galesinius autem in suo Martyrologio, ad eamdem diem, ex ipsis Ecclesiæ Ebroicensis tabulis sic habet: *Apud Ebroicenses in Galliâ, S.Taurini Episcopi. Is Dionysij Areopagitæ discipulus à B.Clemente Pontifice maximo in Galliam missus, illiusque ciuitatis Episcopus consecratus, veræ in Christo religionis doctor, post multa, quæ Euangelij disseminandi causâ fortiter pertulit, cruciamenta, demum miraculorum, pieque gestarum rerum, ac fidei propagatæ laude clarus, obdormiuit in Domino.*

Notandum porrò, non aliter dici posse consecratum Episcopum à Clemente, quàm approbando electionem & consecrationem. Nam cùm Taurinus à Clemente in Galliam cum Dionysio dimissus est, admodum adolescens, & pænè puer erat, vt ex Actis liquet, minimeque sacro ministerio idoneus, sed multis annis à Dionysio in Galliâ eruditus, tum demum ab eodem est ordinatus. Demochares in Catalogo Pontificum eius Ecclesiæ, scribit, à Clemente Pontifice maximo, anno Christi nonagesimo quarto missum; sed non dicit illo anno consecratum Episcopum, quod tamquam ex illo malè notauit Eysengrenius, Centenario 1. Parte 1. dist.3. Meliùs ex ipsis Actis Vincentius suprà citatus, *Qui beatus Dionysius,* inquit, *cùm à B.Clemente in Gallias mitteretur, secum filiolum suum Taurinum, precibus matris victus adduxit, & eum cum omni diligentiâ spirituali nutriuit.* Agit autem de secundâ missione, quæ fuit post reditum ex Asiâ. Nam prima missio, vt suprà dictum est, fuit non multò post martyrium Apostolorum Petri & Pauli, antequam Clemens retentâ aliquantisper, quam à Petro acceperat, Sede Romanâ, eam pacis causâ cessisset Lino, vti è S.Epiphanio colligi potest.

Meliùs etiam S.Antoninus Archiepiscopus Florentinus, Parte 1. Hist.tit.6. cap.28. §.4. *Taurinus,* inquit, *ex Christianâ matre & patre gentili natus, à Clemente Papâ baptizatus, & Dionysij spiritualis filius, ab eo in Galliam ductus, Ebroicensis ciuitatis tandem Præsul efficitur.* Mater vocabatur Eutychia, pater Tarquinius: illa Christiana & religionis amantissima, hic autem Gentilis & Christianorum acerbissimus persecutor fuit. *Qui, vt sæuissimus lupus,* inquiunt Acta, *persequebatur Christianos, nesciens vxorem suam esse Dei famulam.*

CAPVT XVII.

Dionysij ad Parisios reuersi extrema studia atque ad fidei certamen præparatio.

Parisiorum erga Dionysium affectus.



QVEMADMODVM amittendi Dionysij, quamdiu is in itineribus fuit, maior Parisios quàm quoslibet tenuerat metus; ita eius recepti longè copiosior quàm vllos alios lætitia & triumphus incessit: atque eò sanè solidior, quòd illum maximo iam natu (a annum enim nonagesimum ætatis excesserat) amplior certiorque spes erat perpetuò apud se deinceps retinendi. Nuntiatum igitur de propinquo eius aduentu cùm esset, probissimi quique certatim & densis agminibus illi occurrere, amplexari, reditum congratulari, gestu & verbis, totaque vultus hilaritate extraordinariæ voluptatis sensum testificari. Ad cœtus verò in ædem sacram vt ingressus est, verbaq; ad concionem habuit, Deus immortalis! quantum modò ex eius veneratione, in confertissimâ licet turbâ, silentium! quantæ modò ex dictorum admiratione & approbatione acclamationes! quanti etiam ex inundanti dilatatæ mentis gaudio fluctus lacrymarum! Percurrente enim illo benignissimi Domini erga se toto itinere beneficia: recensente etiam quos viros sanctos & hîc & illic viderit, conuenerit, suspexerit: Ioannem in primis Apostolum ad stuporem mundi in mundo relictum: cuius secum nouissima scripta, Euangelium deportasset, b Euangelium scriptionis tempore quidem postremum, sed mysteriorum altitudine & nobilitate facilè primum: in quo & nonnulla ab aliis Euangelij scriptoribus omissa, diuino agitante Spiritu suppleuerit, & quædam breuiùs concisiusque exarata, pleniùs distinctiusque expresserit: talia, inquam, recensente Dionysio, & quæ idem Ioannes in Patmo egisset, quæ nunc Ephesi ageret, quàm diuinis virtutibus polleret, quæ signa & prodigia morbidis curandis, mortuis suscitandis in dies patraret, referente, atque ad amplexandam eius doctrinam, & imitandos mores sanctissimos incitante, mirabiles conciebantur animorum motus: nihilque esse apparebat, quod hactenus in Christi scholâ fecerant, præ eo quod in posterum (tantus virtutum ardor omnes incenderat) facturi videbantur. Nequit enim dici quantam vim ad commouendas mentes habeant, viuorum adhuc & superstitum velut spirantia exempla, digno ex ore in tempore prolata. *Mala aurea*, inquiebat ille Sapiens, *in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*. Hoc nunc Dionysius agebat: cuius verba præterquam quòd in tempore suo dicebantur, etiam erant eiusmodi, vt non tam malis aureis in lectis argenteis, quàm facibus igneis è cæli incendiis conferenda essent. Quamuis tamen id quoque illi frequenter accideret, vt ardorem inflammati pectoris expromptâ verba haud exæquarent. Nam & in priuato scribens non rarò id patiebatur. Sed iam ad alia. In Traiani nunc versamur temporibus. c Nam Neruæ imperium breue admodum, nec sesquianno par, totum in peregrinatione, quam depinximus, consumptum est. A quâ peregrinatione studium Dionysio fuit, quod reliquum esset supremæ ætatis, tamquam vltimum vitæ actum excellenter peragere. Hoc igitur in duobus posuit: vno quidem, vt se hostiam puram & immaculatam & acceptissimam Deo præpararet: altero autem, vt toti Ecclesiæ, quoad facultas ferret, non in præsens tantùm, sed etiam in futurum profutura relinqueret. Is enim est magnarum animarum scopus, ea viuidorum ingeniorum est cura, nequaquam angustis huius fugacis æui terminis laborum suorum fructus coarctare, sed ad omnia pòst sæcula, si fieri possit, longissimè propagare. Quocircà cùm libros antehac nonnullos (vt est à nobis alibi indicatum) conscripsisset, quorum aliquos ordine (quem sacris in rebus diuinisque mysteriis, si alibi vspiam, obseruari peræquum est) firmando stabiliendoque longè vtilissimos Timotheo dedicasset, visum est ei iam seni cùm illos, tum alios ad limam & amussim reuocare, locisque ex nupero Ioannis Euangelio desumptis exornare simul & roborare. Vt enim auctorem ipsum, sic eius scripta incredibile quanti faciebat. Cordi autem in primis fuit recèns fundatas seu à se, seu ab Apostolis in Galliâ & viciniore Germaniâ Ecclesias sedulò visitare; quantus in singulis populus verâ religione imbutus esset, quantus etiam restaret imbuendus, obseruare: num qui inter illos falsi fratres aut errorum clandestini prosatores existerent, cautè explorare: diuina Officia in festis conuentibus, si decenti ritu & consentaneis cærimoniis celebrarentur, perspicaci oculo contemplari: cum ipsis item Pastoribus & Ministris priuatim crebrò agere: rei benè gerendæ & subditorum sibi deuinciendorum præcepta tradere: à fide quoque extraneos illi-

Ioannis Euangeliū altitudine mysteriorū alius nobilius.

Viuorum exempla, magni ad virtutem stimuli.

Prou. 25, 11.

Quæ Dionysius egerit Traiani Imp. temporibus.

Libros suos Dionysius retractatiores edit.

Sollicitudo Ecclesiarū visitandarum & in fide firmādarum.

illiciendi atque ad Christi legem traducendi rationes condocere: ante omnia autem mutuæ illos charitatis, & concordiæ res paruas exaugentis, & diuisas coagmentantis, impendiò cōmonere. Populus verò, seu ad aras facientem sanctum senem spectaret, seu habētem verba ad concionem audiret, mirè affici animo, nec verbis solùm, sed aspectu ipso capi; nec dubitare, quin à tali profecta sanctitate sibi pro oraculis recipienda, sibi omni studio exequenda essent. Adeò in venerandâ canitie spectatæ innocentis vitæ sanctimonia, pertrahendis quoquò velit mortalium animis plurimum potest! Sic visitabat vir ille diuinus commissas sibi prouincias, sic formabat, sic firmabat, sic ad virtutem animabat, sic omnis armaturæ genere ad se suosque tuendos, ad alienos amore, labore, constantia peruincendos obarmabat. Atque hæc magna & prima eius erga Fratres occupatio fuit. Altera in responsis, cùm multi vndique eum consulerent, quæstiones proponerent, de statu Ecclesiarum renuntiarent, dandis ac referendis. Exstant eius aliquot Epistolæ, quibus testatam hanc occupationem habemus: vtinam omnes! Plura enim in his speculis eius doctrinæ atque prudentiæ exempla intueremur. Sed in tantis quæ illum vrgebant & premebant externis occupationibus, semper secum, semper cum Deo, semper totus Dei erat. Neminē enim nisi illum in cunctis quæritabat, nullius nisi illius honorem & amorem venabatur. O si hoc etiam iis qui idem munus gerunt, accideret vniuersis! Quàm benè cum omni Ecclesiâ ageretur! vbi tunc lupis, vbi vulpibus esset locus? certè nec illi oues deuorarent, nec hæ vineam deuastarent. Adesset enim omni loco suis pastoribus, suis custodibus ille bonus Pastor, & vigil custos, qui & illos sub ouinâ pelle delitescentes detegeret, & has per cuniculos subrepentes ad lucem extractas demonstraret. Est enim profectò dictu incredibile, quantum sancti Episcopi à Sole suo Iesu Christo recipiant luminis, & quàm pauca, quæ ad ipsos & ad gregem suum spectent, eos lateant. Aliàs multa Dionysius de se & suis: [d] nunc & de appetente extremo certamine, & vicinâ gloriosæ mortis victoriâ edocetur. Itaque cognito breuî adesse tempus, quo pertingendum esset ad metam, per omnia terræ Galliæ loca circumfert acutæ mentis aciem, ac si quid vspiam desideretur, affulgente de cælo lumine studiosiùs inspicit: & ecce quasi Ebroica supplices tenderet

Sanctorum verba, quasi oracula.

Dionysium nulla quāuis graues & multa occupationes à Deo abstrahūt.

Vincent. Bellouac. l. 10. c. 33.

Dionysius de vicinâ morte diuinitus præmonetur.

manus ([e] est autem Ebroica Galliæ Celticæ antiqua ciuitas) & Pontificem postularet, diuino motus spiritu Taurinum illi Pontificem dedit, virum sanè illis temporibus, eique regioni [f] aduersus dæmones & magos prorsus necessarium. Cuius diuinam electionem nec ipse dissimulauit malus. Nam cùm nouus Præsul suscepto per manus impositionem sacro ministerio, ad concreditam sibi vrbem proficisceretur, ecce iste versipellis suam hîc rem agi cernens, & ad veteres suas artes confugiens, conatur aliquoties eius iter, quod sibi perquam noxium præsentiebat, intercludere. Iam enim informis vrsi speciem indutus, iam leonis rugientis terrorem imitatus, iam ferocientis bubali impetum prætentans, in virum Dei tamquam membratim discerpturus incurrit. Sperabat scilicet hisce multiformibus terriculis accessu vrbis prohibere: verùm sanctus Antistes talium fraudum haud ignarus, in Domini verbo, & ope Dionysij confidens, omnes elusit & irrisit artes, &, *O miser*, inquit, *qui conditoris tui desertâ similitudine, mutis te assimilas bestiis, ecquid tibi post hæc melius? an nouo iam aliquo demulceris gaudio?* cui ille, nescio quid rancidum infrendens: *Ecquod mihi possit esse gaudium*, inquit, *quando tu cum Deo tuo huc veneris meum subuersurus dominatum? sed faxo equidem, vt qui te huc transmisit, breuî intereat: tecumq́ solo deinceps singulariter dimicem.* Vix dixerat, nec vsquam fuit. Nimirum coactus est, vt sæpè aliàs, mendacij pater, & de Dionysio & de Taurino eius discipulo edicere veritatem. Propterea scilicet atrocissimum illi bellum renuntiabat, quòd eum cunctis Christi athletis præsentissimam ferre opem, seque omnibus sensim expelli prouinciis, & simulacra cum fanis & delubris passim prosterni, ludibrioque haberi cerneret.

Voluit porrò Dionysius, quod & fecisse Paulum meminerat, aliquos è discipulis suis habere testes martyrij, qui acta ipsius ad Dei honorem & fratrum vtilitatem conscriberent. [g] Cui rei Sanctinum & Antoninum è Carnutibus euocauit. Sed quòd ipsorum scriptos de magistri rebus commentarios in præsentiâ non habeamus, cogimur aliunde ea, quibus coniunctim deficimur, hinc inde variis ex Ecclesiarum tabulis labore haud paruo disiunctim quærere. Sed non in tenui labor, is præsertim qui prælustrem trium inuictorum pugilum pugnam vnâ in arenâ spectandam exhibebit.

S. Taurinus creatur à Dionysio Episcopus Ebroicensis.

Dæmon ad terrendum Taurinum eiusq́ iter & labores impediēdos, varias formas induit.

Dæmon cogitur de SS. Dionysio & Taurino edicere veritatem.

Dionysius Sanctinū & Antoninū suo interesse voluit martyrio, idq́ litteris prodere.

NOTATIONES.

DEscribitur hîc S. Dionysij reditus ex Asiâ & Italiâ Parisios.

a ANNVM ENIM NONAGESIMVM ÆTATIS EXCESSERAT.] Colligitur hæc Dionysij ætas hoc pacto: Cùm Parisios à profectione Asianâ rediit, erat annus Traiani Imperatoris primus. Nam totum Neruæ tempus (quod non integer sesquiannus fuit) in illâ peregrinatione consumptum est, præsertim cùm non statim initio imperij Neruæ profectus sit, sed tantùm postquam audiuit reuocatos à Neruâ exules, & Ioannem in Asiam reuertisse: iam autem primus annus Traiani est Christi Domini centesimus: Dionysius autem annos nouem dumtaxat iunior Christi ætate fuit, vt suprà probatum est Cap. I. Notationum. Itaque nonagesimum excesserat, cùm Christi fuit centesimus.

b EVANGELIVM SCRIPTIONIS QVIDEM TEMPORE, &c.] In confessò est apud omnes, Ioannem Apostolum postremo loco inter Euangelistas scripsisse, altiùs tamen quàm alios, aquilæ instar (quæ proinde aquila appingi solet illius imagini) in prædicandâ Christi diuinitate subuolasse. Vide multa de eius Euangelio & Euangelij prærogatiuis, apud nostrum Ioannem Seruium in Apparatu Euangelico, c. 75.

c NAM NERVÆ IMPERIVM BREVE ADMODVM, NEC SESQVIANNO PAR, &c.] Sunt enim, qui tredecim menses dumtaxat, diesque aliquot ei tribuant. Alij, qui annum & menses quatuor, pauloque ampliùs, sed nemo, quem legerim, sesquiannum integrum.

d NVNC ET DE APPETENTE EXTREMO CERTAMINE, &c.] Præmonitum fuisse Dionysium de instanti martyrio, continent etiam Acta sancti Taurini, apud Vincentium Bellouacensem libro decimo, cap. 33. in illis verbis: *Et vt cognouit cum hoste rapido se habere conflictum, Taurinum eiusdem Ebroicæ ciuitatis ordinauit Episcopum*, id est, postquam intellexit instare sibi extremum conflictum, festinauit Ebroicensibus dare Episcopum. Sic Apostoli Petrus & Paulus, sic & alij diuinitus sui exitus nuntium acceperunt, & successores declararunt. Nec tacuit diabolus, sed quas parabat Dionysio insidias, ex irâ & indignatione aperuit, cùm scilicet venienti Ebroicas Taurino, cuius timebat Fidem, dixit: *Illum equidem, qui huc te transmisit, citò faciam interire, vt tecum ineam singulare certamen*. Nempe incitauit idem dæmon cultores suos, vt in Dionysium, tamquam impium & Deorum contemptorem insurgerent, & neci darent. Quod & factum est.

e EST AVTEM EBROICA GALLIÆ CELTICÆ ANTIQVA CIVITAS, &c.] Populi vocantur Iulio Cæsari, libro 3. De bello Gallico, Eburonicenses, idiomate Gallico *Les païs d'Eureux*. Sunt autem in Gallia Celticâ, Aulercis, Lexobiis, Vnellisque finitimi. Ciuitas primò *Eburonicæ*, deinde *Ebroicæ* & *Ebroica* est dicta, quibusdam quoque *Eburonicum*. Vide Robertum Cenalem libro secundo De re Gallicâ, Perioche 4.

f ADVERSVS DÆMONES ET MAGOS PRORSVS NECESSARIVM.] Quæ aduersus illos gesserit sanctus Taurinus, vide apud Vincentium libro antè nominato, capite trigesimo quarto, & Petrum Equilinum libro septimo, capite quinquagesimo.

g CVI REI SANTINVM ET ANTONINVM A CARNVTIBVS EVOCAVIT.] Ex eorum Actis id collegit Vincentius libro decimo, capite vigesimo secundo, sed quod factum dicit sub Domitiano, id sub Hadriano accidisse, alibi probatum est. Nam sub Hadriano instare sibi martyrij tempus intellexit: sub eodem illos suos discipulos euocauit: sub eodem mortem pro Fide oppetiit. Quòd non tantùm è vetustissimis Martyrologiis, sed etiam è plurimorum Sanctorum Actis (vt dispersè alibi notauimus) colligitur.

Quòd si in aliis quibusdam rebus sit nonnulla diuersitas, hæc ad meliorem partem, & eam, cui Scripta ipsius S. Dionysij & ratio ipsa fauent, accommodanda est. Nam si tempora ipsa nonnumquam rebus aduersentur, æquum est è duobus ea potiùs reprobari, in quibus errare sit procliuius: ac proinde relictis temporibus, quæ in errores maximè sunt lubrica, res ipsas gestas, quæ animo & memoriæ fixiùs inhærent, sartas tectas conseruari. Itaque S. Dionysius imminentem præsentiens mortem, illos suos discipulos à Carnutibus, (vbi vineam Domini excolebant) accersiuit, totumque martyrij sui certamen diligenter obseruare, atque ad Pontificem Romanum, & inde in Græciam ad Athenienses partim deportare, partim curare nuntiandum iussit: vt ipsi & de feliciter confecto huius vitæ cursu gratias Deo agerent, & erga Dei cultum religionemque bono fortique animo essent.

De Carnutibus, quorum hîc mentio, ita Cæsar libro 6. De bello Gallico, agens de Druidibus; *Hi certo anni tempore*, inquit, *in finibus Carnutum (quæ regio totius Galliæ media habetur) considunt in loco consecrato. Huc omnes vndique, qui controuersias habent, conueniunt, eorumque decretis iudiciisque parent*. De ijsdem ita Raimundus Marlianus, in Indice populorum: *Carnutes*, inquit, *populi inter Celtas Andegauensibus Turonibusq; finitimi, ac Oceano proximi. Erant in clientelâ Rhemorum. Regio eorum totius Galliæ media: à quâ tamen extra regnum Francorum biduo iter expedito patet.*

Sed quomodo, inquiet aliquis, ea regio est totius Galliæ media, si Oceano proxima? Media igitur est, non omni dimensione, quasi ex omnibus vndique Galliæ finibus tantumdem ad illam sit spatij, sed media secundùm longitudinem dumtaxat. Vrbs ipsa Carnutum, siue Carnotum, vulgò *Chartres* (Ptolemæo Αὔτρικον *Autricum* appellatur) ciuitas est Episcopalis, *media inter Lutetiam Parisiorum (à quâ in Occidentem ad 20. m. p. Gallica recedit) & Vindocinum*, inquit Philippus Ferrarius in suâ ad Martyrologium Romanum Topographiâ: apud quem etiam reperies qui præcipuè Sancti ibidem colantur.

CAPVT XVIII.

Dionysij sociorumque comprehensio, & Lisbij nobilis viri eorum fautoris martyrium.

Michaël Syngelus in Encomio sancti Dionysij.

ECCLESIÆ [a] rebus (labente in dies magis magisque superstitione) læto iam passu procedentibus, tanti impatiens successus ille hominum & virtutum iuratus hostis diabolus præcipuos inuidiæ suæ ministros ac satellites (quales ferè id temporis plerique omnes erant prouinciarum Præfecti ac Præsides) cùm in Christianos communiter vniuersos, tum præcipuè in celeberrimum eâ tempestate Dionysium Areopagitam furore & feritate obarmauit. Horum igitur iussu perquisitus ad necem vir sanctus, & cælo iam maturus, in vrbe Lutetiâ, vbi post multos laboriosæ sementis annos copiosam exuberantis Fidei messem legebat, [b] in ipso Euangelij præconio comprehensus est. Quippe iam fortis & indefessus athleta cursum consummarat, fidem seruarat, tempusque tandem aduenerat, quo ad repositam sibi suisq; laboribus coronam conuolaret. [c] Sæpè alioquin illum Druides (hi erant Galliæ prisci flamines & sacrificuli) [d] ad necem & carnificinam perquisiuerant: sæpè quasi iam iam capturi in eum eminus conspectũ stipati turbis incurrerant: sed capiendi potestatẽ, distante adhuc horâ, Dei manus retardarat. Cùm enim nonnumquam ab eo proximè abessent, & tantùm non manibus prædam tenerẽt, eam Dominus seruo suo gratiam oris affundebat, id lumen oculis, eam voci atque sermoni virtutem immittebat, vt magis ipsos caperet, quàm ab ipsis caperetur: adeò vt qui ad mortem rapturi venerant, ipsi in admirationem & stuporem rapti consisterent, manusque ad Fidem inuitanti vltrò darent; aut certè siue ab ipso, siue ab Angelo ipsius custode conterriti, fugam capesserent. Quæ quidem cunctos Euangelij præcones, & pro Christo Dei legatione fungentes, sed eos præsertim, qui in terris longinquis, aut barbaris in nationibus peregrinantur, plurimùm permouere, atque ad spem suam in Domino, cui se curæ esse nôrint, omni depulso metu firmiter collocandam, meritò incitare atque inflammare debeant. Comprehensus igitur ad extremum est Dionysius; sed vt bonis certaminibus auream imponeret coronidem, atque vt de hostibus simul semelque omnibus, & de ipsâ insuper morte mortuus triumpharet.

S. Dionysius in ipso Euangelij præconio comprehenditur.

Druides Galliæ flamines Dionysio sæpius insidiati.

Iidem vi diuina impediti.

Atque vt qui laborum & periculorum indiuulsi hactenus comites ei adhæserant, extremi quoque certaminis & præparatorum ab æterno præmiorum simul consortes forent, vnà cum illo Rusticus & Eleutherius (quorum illum Sacerdotem, hunc Diaconum consecrârat) simul capti, simul vincti, simul ducti sunt. [e] Insignis autem Dionysij alacritas animique fortitudo ad tribunal & ad mortem, quasi ad epulum gradientis, iunctâ dicendi & religionem propalàm confitendi egregiâ libertate atque fiduciâ, litteris est mandata tam Græcis quàm Latinis. Oblatus enim Præfecto, & de genere, de patriâ, de studiis interrogatus, pro cunctis vnum (illa enim alia nihili, hoc vnum maximi reputabat) [f] se Christi seruum esse respondit. Quærenti rursus, [g] essétne ille, qui populos à Deorum immortalium cultu auerteret, qui arte magicâ hominum animos fascinaret, qui inuictis Imperatoribus contumaciter se opponeret; ipse infracto constantique animo, se impietatis euersorem, simulacrorum destructorem, dæmonum supplantatorem, ingenuè intrepideq; confessus est. Flagitanti denique, ecqua esset sua religio, qui cultus, quæ professio; ipse, vnaque bini socij, trium instar puerorum mediis in flammis inambulantium, spiritu & gratiâ pleni [h] clarissimam Fidei suæ professionem vno ore ediderunt. Quâ ille auditâ: *A vobis igitur*, inquit, *nostrorum Imperatorum atque Principum iussa & mandata contemnuntur? à vobis inuiolatorum Deorum honos & potestas despicitur atque violatur? Atqui ego, quanti ista vobis statura sit superbia atque contumacia, faxo breuî vt experiamini.* Hæc cùm diceret, [i] ecce Larcia matrona, Lisbij, de quo suprà diximus, coniux, cui multæ pridem cum marito religionis causâ disputationes & altercationes intercesserant, arreptâ huius temporis occasione, furoris & irarum quas dæmon succenderat plena, ad Præfectum properè adit, & vtrumque grauiter incusat, maritũ & Dionysium, hunc magiæ, illum impietatis: nempe maritũ suum magicis illusum artibus maximos quosque Deos minimi facere, vnum præ illis nescio quem furciferum plurimi æstimare; hunc continenter in ore habere, hunc venerari, huic preces & vota offerre; nullis quæ ad eius honorem faciant impensis parcere, quinetiã ad Deos immortales deserendos, quorum nec vnum in laribus reliquerit, assiduè se cohortari, & vnam sibi dies noctesq; cantilenã occinere, *Debes fieri Christiana*, hoc est, vt ego quidem interpretor, in-

Rusticus & Eleutherius vnà cum Dionysio comprehensi.

Michaël Syngelus in Encomio.

Dionysij ad mortem alacritas & dicendi fiducia.

Larcia matrona Dionysium magiæ accusat, & Lisbium maritum impietatis in Deos insimulat.

Lisbij ardens in Christum pietas.

inquiebat, maga & sacrilega. Quæ cùm ita sint, per omnes Deos etiam atq; etiam se rogare, vti marito, quam possint, medelam citissimè adferant; de sortilego autem illo & venefico, vt meritus ipsis videbitur, ita statuant: se enim in tãto vitę & religionis dissidio quietum trahere spiritum nequaquam posse. Quibus illi auditis, tam in hanc improbã impiè misericordes, quàm in istos longè probissimos immisericorditer impij, bono eam animo esse iubent; daturos se actutum operam, vti & maritus ad mentem redeat, & magus ille suis dignas artibus & malis dolis pœnas luat. Nimirum sperabant se facili negotio rem cum Lisbio trãsacturos. Quo factum est, vt cùm contrà quàm sperauerant, prorsus eueniret (mox enim tribunali adfuit, & pro Fide & Christo rupis instar immotus stetit) nullisque eum nec argumentis, nec minis, nec blanditiis mouere de sententiâ possent, imò & cæcitatis in Deorum & religionis æstimatione ab eo redargui se sentirent, nec ferrent, subtilibusque subinde inspiratarum è cęlo rationum aculeis se ad viuum pungi non sustinerent; sic, inquam, factum est, vt sui nimis impotentes, mortis in eum præcipitarint sententiam; dumque vitam putant eripere, immortalem ei gloriam præpararint. Breuî siquidem posteà pro Christiani nominis propugnatione, capitis supplicio affectus, æternã martyrij lauream, plaudentibus è cælo Angelis, est consecutus. Ita magistros suos & doctores nimis quàm felici sorte discipulus antecessit: & ita antecessit, vt suæ in ipsos Deo acceptissimæ hospitalitatis eximiæq; charitatis (quâ ipsos primùm in Parisiense territorium ingressos excepit, iuuit, protexit) triplex à Deo benignissimo præmium receperit. Quorum primum quidem & maximum fuit, illa, quam diximus, nobilissimi martyrij laurea: secundum verò, Larciæ vxoris, pro quâ tot ad Deum preces viuus fuderat, ad eamdem fidẽ, eamdemque palmam, vt infrà ostendetur, vocatio: tertium denique, totius posteritatis suæ, hoc est, domus Montmorencianæ (quæ istorum Martyrum vera est & germana soboles) perennis in Christianâ Fide constantia, ac tot quidem in reuolutionibus rerum & honorum inconcussa prosperitas. Nam domi iuxtà & militiæ, in sacro peræquè & populari statu, nec sine clarâ *litterarum* luce, & testatã *sapientiæ* laude, illa etiamnum viget claretque familia: & quidem secundis Christianorum votis & apprecationibus æternùm videtur claritura. Cùm enim Lisbius cõmuni & inueterato

Lisbij à Dionysio ad fidem conuersi constantia.

Eiusdem martyriũ.

Hospitalitatis merces.

Montmorenciana domus origo & prosperitas à S. Lisbio martyre.

totius gentis consensu, illius habitus sit hactenus, & nunc habeatur familiæ caput, indeque profluxerit, vt Baro Montmorencianus passim *Primus Baro Christianus Franciæ* appelletur, hinc ea inualuit consuetudo, vt quocumque in exercitu quispiam imperet Montmorencianorũ, his illi acclametur ominis longè faustissimi vocibus: *Auxilietur Deus primo Christiano.* Quod indigenæ suâ linguâ vulgò sic efferunt: *Dieu aide au premier Chrestien.* Quâ in re & pius acclamantum in Fidem Christianam affectus recognoscitur, & in præliis tota victoriæ fiducia in Dei solius auxilio reponitur. Ad cuius auxilij promptam impetrationem dum *primi Christiani* memoria renouatur, ipse sancti Dionysij in agro Parisiaco primitiæ, & velut opima de incredulitate spolia, appositè commemorantur. Nempe ista est grati animi, & beneficiorum diuinitus olim acceptorum maximè memoris, non minùs pia quàm læta significatio. Succinctæ enim illius & succulentæ acclamationis hæc ferè est vis & sententia: *Domine Deus exercituum, qui oblatas à Dionysio Gallicanæ nobilitatis primitias in Lisbio accepisti, eidemq; contra Fidei hostes illustrem martyrij palmam contulisti, eiusdem nunc piæ, fideli, minimeq; degeneri propagini aduersus impios sanctæ Religionis impugnatores fortiter opitulare.* Hoc, inquam, breuicula illa acclamatio significat, hoc petit, hoc impetrat. Quia verò eadem Lisbiana seu Montmorenciana domus, vti puram ab initio suscepit Fidem, ita deinceps integram inuiolatamque, nec vllo permistam hæreseos aut erroris cuiuslibet inquinamento, hactenus conseruauit conseruatque, idcircò in suis insignibus gentilitiis tam aptè, quàm iure, breuissimum illud vnius vocis inclusit elogium, ἀπλανῶς, *absque errore*; & Græcâ quidem, vt opinor, voce, quòd qui primus ex eâ stirpe erroris abegit nebulas (beatus scilicet Dionysius) Græcus esset. Benedictus autem Deus, cuius *misericordia à progenie in progenies timentibus eum.* Sed terni athletæ nostri, viso hoc fautoris & hospitis sui spectaculo, quidnam? Nempe tantum abfuêre vt vel præ metu animis caderent, vel mœrore aliquo (quemadmodum sibi fortasse hostes persuaserant) percellerentur; vt potiùs exultantis animi motus, & interni vim gaudij nec capere possent, nec celare. Quod enim maius & amico & hospiti & fratri, imò & sibi optarent ac vellent bonum, quàm tali pugnatâ pro Christo pugnâ transire ad regnum? Neque tam tardi, opinor, & bardi

Grati animi pia indicia.

Elogij Mõtmorencianorum origo.

Lucæ 1,50

bardi erant ipsi iniquitatis satellites, quin ex fronte eorum & vultu latentes animos & se extrinsecùs prodentia optatissimæ mortis vota peruiderent. Hinc etiam ipsi magis excruciari, & ad nouas excogitâdas carnificinas in tempus aliud cum minis & detestationibus athletas differre, atque in tetrum carcerem mittere. Sed quo profectu, iam considerabitur.

NOTATIONES.

NArratur in hoc Capite sancti Dionysij & sociorum comprehensio, & Lisbij martyrium.

a ECCLESIÆ REBVS (LABENTE IN DIES MAGIS MAGISQVE SVPERSTITIONE, &c.] De Ecclesiæ prospero successu & diaboli inuidiâ, vide Syngelum in Encomio S. Dionysij, sub finem, & Metaphrasten in Vitâ.

b IN IPSO EVANGELII PRÆCONIO COMPREHENSVS EST.] Id sic annotat Metaphrastes: Καὶ τῷ μακαρίῳ ἀθρόον ἐπιπεσόντες συνάμα, δεσμοῦσι τοῖς μετ' αὐτοῦ τὴν θείαν ἀνὰ στόμα διδαχὴν ἐπιφέροντα. *Et in beatum subitò irruentes, simul cum sociis vinciunt adhuc diuinam doctrinam ore expromentem.*

c SÆPE ALIOQVIN ILLVM DRVIDES, &c.] Nulli vmquam Gentilium Christianis infestiores fuerunt, quàm ipsorum flamines & sacerdotes; quippe quorum honos & lucrum per veram religionem deperiret. Quare etiam Druides Dionysio & sociis easdem ob causas fuêre multò infestissimi.

Locus de Druidibus (vt qui, & cuius auctoritatis fuerint, pleniùs intelligatur) à Cæsare, l. 6. De bello Gallico depromêdus est. Sic ibi habet: In *omni Galliâ, eorum hominum, qui aliquo sunt numero & honore, genera sunt duo.* Tum quibusdam interiectis subdit: *Sed de his duobus generibus, alterum est Druidum, alterum est Equitum. Illi rebus diuinis intersunt: sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentum numerus disciplinæ causâ concurrit: magnoque hi sunt apud eos in honore. Nam ferè de omnibus controuersiis publicis priuatisq; constituunt; &, si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hereditate, si de finibus controuersia est, iidem decernût, præmia pœnasque constituunt. Si quis aut priuatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est grauissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorû ac sceleratorum habentur: iis omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt, nequid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus ius redditur, neque honos vllus cômunicatur. His autem omnibus Druidibus præest vnus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, siquis ex reliquis excellit dignitate, succedit: aut, si sunt plures pares, suffragio Druidum allegitur. Nonnumquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum (quæ regio totus Galliæ media habetur) considunt in loco consecrato. Huc omnes vndique, qui controuersias habent, conueniunt, eorumque decretis iudiciisque parent. Disciplina in Britanniâ reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. Et nunc qui diligentiùs eam rem cognoscere volunt, plerumque illò discendi causâ proficiscuntur. Druides à bello abesse consueuerunt: neque tributa vnà cum reliquis pendunt. Militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis & suâ sponte multi in disciplinam conueniunt, & à parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur.*

Itaq; annos nonnulli vicenos in disciplinâ permanent: neque fas esse existimant ea litteris mandare: cùm in reliquis ferè rebus publicis, priuatisque rationibus, Græcis litteris vtantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur: quòd neque in vulgum disciplinam efferri velint; neque eos qui discunt, litteris confisos, minùs memoriæ studere: quòd ferè plerisque accidit, vt præsidio litterarum, diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios: atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto. Multa præterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum naturâ, de Deorum immortalium vi ac potestate, disputant, & iuuentuti tradunt.

Hactenus Cæsar de Druidibus. Vnde nobis ratiocinari ex vero licet, quo loco Christianis & quantâ in auctoritate esse debeant veri Ecclesiæ Sacerdotes; & quibus donari immunitatibus, & quanti eorum æstimari excommunicationes & interdicta & decreta oporteat. Si enim tanti vitrum, vt aiunt, quanti margaritum?

Illorum meminit etiam Aristoteles in Magico, apud Diogenem Laërtium de Vitâ Philosophorum, initio. Illorum & Marcus Tullius strictim mentionem facit libro primo, De diuinatione, post medium, vbi illos physiologiæ, & rationis diuinandi ac prædicendi gnaros fuisse declarat. *Siquidem & in Galliâ Druides sunt,* inquit, *è quibus ipse Diuitiacum Heduum, hospitem tuum, laudatoremque cognoui, qui & naturæ rationem, quam physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebatur, & partim auguriis, partim coniecturâ, quæ essent futura, dicebat.* Ita Tullius.

Paulò fusiùs Pomponius Mela, lib. 3. De situ orbis, cap. 2. vbi post alia de gentis moribus, *Habent tamen,* inquit, *& facundiam suam, magistrosque sapientiæ Druidas. Hi terræ mundique magnitudinem & formam, motus cæli & siderum, ac quid dii velint, scire profitentur. Docent multa nobilissimos gentis clàm & diu, vicenis annis in specu aut in abditis saltibus. Vnum ex iis, quæ præcipiunt, in vulgus effluxit, videlicet (vt forêt ad bella meliores) æternas esse animas, vitamque alteram ad Manes. Itaque cum mortuis cremât ac defodiunt apta viuentibus. Olim negotiorum ratio etiam & exactio crediti differebatur ad inferos, erantque qui se in rogos suorum, velut vnà victuri, libenter mitterent.* Sic ille. De iisdem verò Druidibus iuuat Ammiani Marcellini lib. 15. Historiæ breuem adiungere memoriam. Describens ergo Galliam, eiusque partes acterminos, sic inter alia, *Per hæc,* inquit, *loca*

loca hominibus paulatim excultis viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos & Eubages, & Druidas. Et Bardi quidem fortia virorum illustrium facta, heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitabant. Eubages verò scrutantes summa, sublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ ingeniis celsiores, vt auctoritas Pythagoræ decreuit, sodalitiis adscripti consortiis, quæstionibus occultarũ rerum, altarumque erecti sunt, & despectantes humana, pronuntiarunt animas immortales. Ita ille. Verùm cùm è Strabone strictim ista attigisse Ammianus videatur, bonum iudico ipsum audiri Strabonem. Igitur libro 4. Geographiæ, sic de illis: Παρ᾽ ἅπασι δ᾽ ὡς ἐπίπαν τρία φῦλα τῶν τιμωμένων διαφερόντως ἐστί· Βάρδοι τε, καὶ Εὐβάγεις καὶ Δρυΐδαι. Βάρδοι μὲν, ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί· Εὐβάγεις δὲ ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολόγοι· Δρυΐδαι πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. Δικαιότατοι δὲ νομίζονται, καὶ διὰ τοῦτο πιστεύονται τάς τε ἰδιωτικὰς κρίσεις, καὶ τὰς κοινάς. Ὥστε καὶ πολέμους διῄτων πρότερον, καὶ παρατάττεσθαι μέλλοντας ἔπαυον. Τάς τε φονικὰς δίκας μάλιστα τούτοις ἐπετέτραπτο δικάζειν. Ὅταν τε φορὰ τούτων ᾖ, φορὰν καὶ τῆς χώρας νομίζουσιν ὑπάρχειν. Ἀφθάρτους δὲ λέγουσι καὶ οὗτοι καὶ ἄλλοι τὰς ψυχὰς, καὶ τὸν κόσμον· ἐπικρατήσειν δέ ποτε καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ. *Apud omnes verò, vt plurimum, tria sunt genera eorum qui eximiè honorantur, Bardi, & Eubages, & Druidæ. Bardi quidem, hymnorum & poëmatum sunt compositores: Eubages autem sacrifici, & Physiologi: Druidæ verò præter Physiologiam, moralem tractant Philosophiam. Et hi quidem iustissimi reputantur; ideoque & priuata & publica illis cõmittuntur iudicia. Quin & bella olim decernebãt, & bellaturos inhibebant: iisdemque causæ capitales præcipuè credebantur. Imò & illorum numerus si sit magnus, agrorum quoq; magnam expectant vbertatem. Immortales verò & ipsi & alij dicunt esse animas, & mundum: dominatura autem aliquando ignem, & aquam.*

Sic ibi legendum Græcè Stabonẽ, & Latinè vertendũ, planè existimo. Nam alioqui Græcè in editione Basileensi, anni 1549. legebatur: Βάρδοι τε καὶ Οὐάτεις καὶ Δρυΐδαι, & Latinè reddebatur, *Bardi, & Vates, & Druidæ.* Atqui nomen *Vates* nihil nec Græci nec Gallici idiomatis antiqui sonat: quemadmodum alteræ duæ, sed ex Latinâ *Vates* formata est. Vnde existimo, temporibus Ammiani Marcellini (in cuius variis editionibus semper *Eubages* reperi, & numquam *Vates*) lectum fuisse in Strabone Εὐβάγεις, *Eubages*, aut certè Εὐαγεῖς, quod sonat pios & sanctos. Ait enim idem Strabo, illos fuisse ἱεροποιοὺς, *sacrificos*. Hoc autem, si vllorum, maximè profectò & vnicè piorum & sanctorum est munus. A me quidem stat Stephanus Forcatulus, libro 1. De Gallorum imperio, vbi sic de iisdem Eubagibus: *Ceterùm Eubages plerumque mediocribus fortunis, & natalibus non ita splendidis educti profitebantur sapientiam & sanctimoniam. Unde & ipsis nomen subducta littera. Nam* Εὐαγὴς *sanctum ac pium significat.* Sic ibi.

Accedit, quòd apud Lucanum l. 1. Pharsaliæ, iidem sunt Bardi, qui Vates. Sic enim ibi de illis & de Druidibus coniunctim scribit:

Vos quoque, qui fortes animas belloq; peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis æuum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.
Et vos barbaricos ritus, moremque sinistrum
Sacrorum, Druidæ positis repetistis ab armis.
Solis nosse Deos, & cæli numina vobis,
Aut solis nescire datum: nemora alta remotis
Incolitis lucis: vobis auctoribus vmbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt: tegit idem spiritus artus
Orbe alio: longæ (canitis si cognita) vitæ
Mors media est: certè populi, quos despicit
Arctos,
Felices errore suo! quos ille timorum
Maximus haud vrget leti metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Martis, & ignauum est rediture parcere
vitæ.

Quòd si in barbaris & fidei rudibus spes immortalitatis tantum potuit; quid mirum, si & in Christianis, & præcipuè in Martyribus longè plus potuit, qui positis in medio tormentis, illam Poëtæ illius postremam vereque auream sententiam taciti clamabant, & generoso fine præstabant,

——— *Ignauum est rediture parcere vitæ?*

Et rediturae quidem multò meliori, quàm abierit. Siquidem misera & caduca abiit, beata & sempiterna reditura est.

Quòd autẽ isti veteres Bardi plus nimio simplices aliis gentibus haberentur, hinc factum est, vt *Bardus* pro simplici & stolido vsurpatum sit, non aliis solùm, sed & M. Tullio, qui hæc in lib. De fato: *Quid? Socratem nónne legimus quẽadmodum notarit Zopyrus Physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidũ esse Socratem dixit & bardum, quòd iugula concaua nõ haberet, obstructas eas partes & obturatas esse dicebat. Addidit etiã, mulierosum: in quo dicitur Alcibiades cachinnum sustulisse.* Itaq; Eubages, qui fuisse dicuntur physiologi, similes fuerunt isti Zopyro, quem *Physiognomonem* appellat ibi Tullius: cuius etiam Græcæ vocis subiunxit significationẽ. Nota etiam Ammianum, id quod est apud Strabonem de iisdem Eubagibus ἱεροποιοὶ, *sacrifici*, legisse ἠερόφοιτοι, *aëripetæ*, quandoquidem verterit, *scrutantes summa*, nec vllam fecerit sacrificandi mentionem.

Sed quærat hîc fortè aliquis, quonam pacto dici possint Gallorum Druides S. Dionysiũ esse persecuti, cùm ex longo iam tempore essent ab Imperatoribus è Galliâ relegati? Nam de Claudio scribit Suetonius inter alia: *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantùm ciuibus sub Augusto interdictam, penitus aboleuit.* Deinde sunt, qui excisâ siluâ, in quâ docere consueuerant, totâ eiectos Galliâ, migrasse in Germaniam scribant: consedisse autem apud Herbipolim, isti vulgati versus diuulgant:

Herbipolis Druidum quondã celeberrima sedes,
Francigenæ eximios quos coluere viros.
Herbipolis Bacchi & Cereris pulcherrima mater,
Et Mœni decus & filia pulchra senis.

Vnde igitur his temporibus in Galliâ?

Respondeo, idem ferè dicendum de Druidibus, quod de Magis, sæpè scilicet pulsos, sæpè damnatos, semper tamen fuisse. Secundò, quos aliqui Imperatorum damnabant, alios non modò tolerasse, sed etiam in pretio habuisse, ac de futuris eos consuluisse. Fuerunt enim quidam Impe-

Imperatorum Magis & Hariolis, & aliis huiuſmodi vaticinatoribus mirè addicti, & quæ ſibi ſucceſſura eſſent, quos ſucceſſores habituri, quouis modo cognoſcendi longè cupidiſſimi. Hi Magos, hi Druidas, hi Haruſpices tolerarunt, fouerunt, auxerunt.

d AD NECEM ET CARNIFICINAM PERQVISIVERANT.] Hilduinus in Areopagiticis, *Et cùm ſæpiſſimè*, inquit, *ab idolorum Pontificibus contra eũ ſeditio exitaretur in populis, ita vt plebes innumeræ etiam de vicinis regionibus, cum armis & bellico apparatu, propter fideles, qui iam per illum in Chriſtum crediderant, ad perdendum illum gregatim, vbi ipſum eſſe audiebant, concurrerent; mox vt illum cernere poterant, tanta & ita ineffabiliter in eo lux cæleſtis gratiæ radiabat, vt aut omni feritate vnà cum armis depoſitâ ſe illi proſternerent, aut qui compuncti Spiritus ſancti dono ad credendum non erant, pauore nimio ſoluerentur, & territi à præſentiâ eius aufugerent, miroque modo inermi viro non valebat plebs armata reſiſtere*, &c. Methodius in Martyrio: Θαυμάζω δὲ πῶς ἀόπλοις ἀνδράσιν οὐκ ἠδύνατο πλῆθος ἔνοπλον ἀντιστῆναι. *Miror autem quomodo viris inermibus non poſſet armata multitudo reſiſtere.* Ita Methodius. Cuius admiratio ipſa mihi eſt admirabilis, cùm id minimè nouum ſit, vt trepident improbi coram Sanctis, partim incutiente illis metum & artus concutiente (nullâ etiam ex causâ) Deo optimo maximo, partim eos viſis quibuſdam forinſecus territante, vt olim Attilam *flagellum Dei* cognominatum, coram Leone I. Pontifice. Vidit enim alium quemdam ſacerdotali habitu Leoni adſtantem, & mortem ſtricto gladio minitantem, niſi Leoni obtemperaret. Atque, vt alios omittam complures, quibus ſimilia diuerſis in ætatibus contigêre, an non hiſce noſtris ferè temporibus apud Indos Orientales, in orâ Piſcariâ barbari illi, qui ad necem Andreæ Fernando Societatis Ieſu Sacerdoti (quâ primùm die is eorum tranſiret municipium) inferendam conſpirauerant, iidem eiuſdem aduentu atque præſentiâ ſic expauefacti ſunt, vt hac illac, nullo perſequente, diffugerent, atque in latebras, quaſi iam iam capiendi, ſeſe abderent? Quid quòd Iulius Mancinellus hac noſtrâ memoriâ feros atque immanes Turcas ſui & Chriſtiani ſanguinis ſitibundos, cùm proximè adeſſent, ne verbulo quidem prolato, ſed præſentiâ ſolâ atque cõſpectu ita percellebat permouebatque, vt exutâ luporum immanitate, tamquam agni innocui coram illo mites ac perhumani comparerẽt? Nempe Chriſtus Dominus dux noſter, & vitæ mortiſque arbiter, vt ſuimet ſeruandi aut inimicis tradendi liberrimam habuit poteſtatem, (quâ poteſtate & quando voluit, & quomodo voluit, vſus eſt) ita varias nobiſque incognitas, tam ſuos ex mediâ morte eripiendi, quàm hoſtes deterrendi, vias & rationes ſemper quidem nouit, vſurpat autem cùm placet. Hoc verò noſtræ ſit modeſtiæ, totum huius rei arbitrium liberter ei relinquere, atque in ipſo confidere.

e INSIGNIS AVTEM DIONYSII ALACRITAS.] Hanc Dionyſij ad martyrium tendentis alacritatem eius Vitæ Scriptores litteris prodiderunt. Symeon quidem Metaphraſtes his verbis: Εἴσεισιν οὖν ὁ γενναῖος ἅμα Ῥουστικῷ καὶ Ἐλευθερίῳ ἀτρόμῳ διανοίᾳ καὶ πεπαρρησιασμένῃ ψυχῇ, ὥσπερ εἰς ἑορτὴν, οὐκ εἰς ἀγῶνα καλούμενος. *Incedit igitur hic generoſus vnà cum Ruſtico & Eleutherio intrepidâ mẽte, & animo confidenti, tamquam ad feſtum, non ad certamen vocatus.* Michaël autem Syngelus ſic illum & ſocios inter alia prolocutos ſcribit: Καὶ σπεύδοντες ἐπὶ τὴν τοιαύτην σφαγὴν ἄγαν ἀγαλλόμεθα, ὡς ἀσφαλῶς πιστεύοντες αὖθις ἀναστήσεσθαι τῆς κρείττονος καὶ μακαριωτέρας καὶ διαιωνιζούσης τευξόμενοι λήξεως, καὶ τοῖς ἀκηράτοις στεφθησόμενοι στέμμασι. *Atque ad hanc properantes necem valdè exultamus: vt qui nos reſurrecturos, & melioris, ac beatioris, ſempiternæque hereditatis potituros, atque immortalibus redimiendos coronis certò credamus.* O ſi ſpes illa (quæ in aliis quoque martyribus appetendi votis omnibus martyrij præcipua cauſa extitit) in cunctis mortalium viueret vigeretque animis! quod ferrum? quæ fera? quæ flamma timeretur?

f SE CHRISTI SERVVM ESSE RESPONDIT.] Vide Symeonem Metaphraſten in Vitâ, vbi eum ſcribit omiſſo genere, patriâ, ſtudiis reſpondiſſe, Χριστοῦ δοῦλος εἶναι ὁμολογῶ. *Chriſti ſeruus eſſe profiteor.*

g ESSETNE ILLE, QVI POPVLOS A DEORVM IMMORTALIVM.] Idem omnes ferè Scriptores Vitæ, Latini & Græci, referunt: quos malo, ſi quis auctoritatis egeat, requiri, quàm diutiùs citandis eorum verbis immorari.

h CLARISSIMAM FIDEI SVÆ PROFESSIONEM VNO ORE EDIDERVNT.] Hanc profeſſionẽ cùm apud alios, tum apud Methodium in Dionyſij martyrio reperies.

i ECCE LARCIA MATRONA.] Quæ hîc dicuntur, exſcripſerat octingentis abhinc annis Hilduinus Abbas ex vetuſtiſſimis Actis ſancti Dionyſij manuſcriptis.

CAPVT XIX.

Dionyſij & ſociorum eius incluſio, diuerberatio, dilaceratio, martyrium.

LONGE alia, vt hîc eſt intueri, in facinoroſorum iudiciis eſt ratio, quàm in cauſis Martyrum. Ibi & iudices tranquilli ſunt, & rei tremunt: hîc autem & quæſitores perturbantur, & Martyres, in quos inquiritur, ſecuri ſunt. Quippe iſtos ſuorum conſcientia ſcelerum exagitat, & quas meruerunt pœnas, identidem ſibi obuerſari oculis putant: hi verò nullius culpæ cõſcij, & ſuorum benefactorum memores, ſpe certâ præmiorum vel mediis in tormentis recreantur. Hoc in tribus hiſce regni æterni candidatis plus ipsâ luce dilucet. Nam cùm in iudiciis Præfecti ipſi inſtar tempeſtuoſi maris, hinc inde variis irarum & furoris perturbationibus contra inſontes agitentur; hi, tamquam res aliena agatur, non ſua; nihil iudicio, nihil minis, nihil propoſitis ob oculos tormentis commouentur.

Cõſcientiæ vis prorſus alia in martyribus quàm in facinoroſis.

Martyrum immota conſtantia.

uentur. Adiudicat illos Præfectus diræ verberationi; illi gratias Deo agunt: trahit, raptat, vexat carnifex; nihil resistunt: cruciat, clamat, fodicat tortor; ne gemunt quidem. Et sanè pulchrum hîc erat & dignum, in quod cælites omnes, & Deus ipse oculos intenderet, spectaculum. a Hîc enim stabat senex centum decem eoq; amplius annos natus, canicie venerabili, modestiâ, grauitate, mansuetudine singulari: illic fero & truci aspectu lictores; istic virgæ, secures, catastæ, fidiculæ, eculei, alia crudelitatis instrumenta: quæritur inter hæc, quid habeat senex animi, Christúmne abnegando iussis parêre Imperatoris, & ista euadere terribilia, an Imperatori obluctando cũctas subire, quas in oculis habeat, tormentorum acerbitates, & dura intolerandaque omnia experiri. Nihil moræ vir sanctus in re minimè dubiâ facit. *Stat*, inquit, *hæc omnia & maiora pro Christo pati. Tantùm illo fruar, & omnia in me tormenta veniant.* Iam igitur videre erat istos iam pridé humani sanguinis sitientes tigridum more in senem irruere, immaniter propulsare, vestes diloricare, nudum in medio statuere, virgis omni ex parte concidere, & senile ac effetum corpus nullo respectu dilacerare: illum autem inter diros immanium verberũ crepitus, nihil aliud, nisi Dei Opt. Max. laudes quanto maximo affectu celebrare, nisi commilitones ad paria cæli beneficia cohortari. *Laudẽ Domini*, inquiebat, *loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto eius: quoniam stigmata paßionis Christi perferre dignus habitus sum pro cõfeßione eius in corpore meo, quæ gloria est vestra, ô viri fideles, & dilectißimi fratres. Quocircà nec vos hæc mea tormenta terreant, sed animent potiùs, atque ad eadem pro nomine Iesu Christi perferenda inflamment.* Sic igitur & vnicus, & senex, & nudus, & inermis, tortores multos, & iuuenes, & validos, & armatos generosè superauit, nec enectam propè verberibus senectam non modò de animi proposito deturbare, sed nec minimùm quatefacere Fidei baculo innixam, ter terni inuicem succedentes potuêre barbari lictores. At socios fortè vicerunt? Nihil minùs. Atrocissimâ quidem verberatione & membrorum plurimo sanguine perfusorum cruentatione institerunt vt vincerent, aut verbum saltem vnum fracti aut debilitati elicerent animi, sed idem & tantumdem à filiis, quantum à patre elicuerunt: nempe Fidei hortatus pro gemitu, Dei laudes pro suspiriis: at verò sibi ipsis pro expectatione confusionem, pro victoriâ ignominiam. Denique tamquam rebus illâ die desperatis, retrudi iubent Sanctos in carcere, vt ibi grauissimo catenarum pondere degrauati, & loci ipsius squallore ac pædore perdomiti, ad secundum Fidei conflictum imbecilliores redderentur. Nempe ignorabant homines impij & inhumani, quò plura Christiani pro Domino patiantur, hoc maiora ab illo subsidia impetrare: neque sciebant, eos afflictis corporibus erectos & constantes gerere animos, tantoque ad ea quæ restent sustinenda alacriores, quantò ea quæ priùs sustinuerant, essent acerbiora. Nam & huius rei fecêre ipsimet experimentum, cùm aliâ die productum sanctum Antistitem, & de sententiâ, quam teneret, interrogatum, maiore etiam quàm antehac fiduciâ respondentem audiuerunt: cùm & extendi in catastam, direque tam illum quàm socios excruciari iussos, rupium instar stare immotos conspexerunt. Tum enim omnes, vti priùs, & verbis gaudium testari, & Deo gratias agere. Quid igitur tandem? Profertur ferrea crates in medium, ignis copiosus subiicitur, torus flammis excandescit; deiicitur in eum vir sanctus, non enim deponitur: strident nidentque vstulata membra, sed spiritus semper sibi præsens & renidens, illud Domino suo dulcisonum in mediis ignibus fundit melos: *Ignitum eloquium tuum Domine vehementer: & seruus tuus dilexit illud.* Deinde & precatur: *Domine Deus, qui dixisti: Cùm ambulaueris in igne, non comburêris; & flamma non ardebit in te: quemadmodum mihi priùs periculosiorem dedisti cupiditatis ignem ope tuâ euincere, da & nunc hasce flammas ad tui nominis gloriam superare.* Quid multa? Adfuit precanti Deus, & votis annuit. Nec flammas tantùm fecit vt vinceret, sed & ferocissimarum bestiarum, quibus proiectus est, rabiem, & ingentia clibani incendia, & membrorum in cruce suffixiones: quæ omnia partim inuictâ patientiâ sustinuit, partim salutari Signo profligauit, partim prece & Fidei prædicatione sibi substerni, & suæ subseruire gloriæ iussit. Nam precanti, & Crucis signum rugientibus atque in se incurrentibus bestiis obiectanti, ipsæ, quamuis immanes & efferatæ, coram eo quasi cicures & mansuetæ prociderunt. Coniectum etiam in flagrantissimos æstuantis clibani ardores, fusæ ad Deum precationes omni auro puriorem ac splendidiorem eduxerunt. In crucem denique sublatum, cùm ex eâ velut è suggestu concionatorem ageret, popu-

Dionysij centum & decem annos nati aduersus tormenta magnanimitas.

Psal. 144, 21.

Sociorum S. Dionysij fortitudo.

Sustinent carceris ærumnas, iisq; redduntur fortiores.

Noua Dionysio adhibentur tormenta.

Psal. 118, 2

Isaiæ 43, 2.

Vincit ignẽ, bestias, crucem.

E cruce tãquam è suggestu cõcionatur.

populumque circumfusum diuinis cohortationibus aliorsum, quàm quæsitores vellent, pertraheret, è ligno eum refigere, qui affixerant, maluerunt, quàm doctoris sapienter incantantis audire sermones: & pædore potiùs carceris illū enecare, quàm tot suppliciorum victorem gloriosum exhibere. Quo tamen in carcere (is tunc *Glaucini* carcer vocabatur: nunc autem Sacellum est ipsius S. Dionysij, vulgò *S. Denis de la Chartre* appellatum) nec diuina defuit gloria: & Dionysij excellens apud Deum gratia prçclarè emicuit. Cùm enim in eumdem carcerem non modò bini eius socij, sed aliorum quoque fratrum bonus numerus cum illo vnà inclusi essent, ipse omnes ad generosè ac fortiter decertandum cohortatus, ibidem ad maius illis indendum robur sacris operari, & cunctos pane illo, sanctorum corda diuinitus confortante, reficere constituit. Ecce verò illi raro quodam amoris ac pietatis sensu (Angelum potiùs crederes quàm hominem) sacrificanti, atque ad sumendam & cum aliis communicandam immortalitatis escam se accingenti, immensa quædam lux è cælo affulget, in quâ Christus Dominus multâ circumcinctus Angelorum catervâ, omnibus, qui tali viso se dignos præstiterunt, intuentibus, se aris immiscet, & acceptam è sacrâ mensâ [c] hostiam diuino Pontifici suâ manu offert, dicitque: [d] *Accipe hoc chare meus, quòd mox complebo tibi vnà cum Patre meo, qui mecum est maxima merces tua, & his, qui audierint te, salus in regno meo. Nunc facies fortiter, & memoria tua erit in laude. Dilectio & benignitas quam habes, pro quibuscumque petieris, impetrabit*. Dictu porrò incredibile est, quàm subitò cæcus ille atque obscurus carcer in prælustrem Regiam, immò in locum deliciarum, omniumque cæli voluptatum inclusis verterit. Sentire mox cuncti insolitum mentis gaudium: & cupidinem ardoremq; mortis in se omnes quàm flagrantissimum experiri: robur quoque & fortitudinem seu in membris, seu in animis secum ipsi demirari: denique cognoscere & fateri, vbi Deus præsens sit, ibi robur esse, ibi vires, ibi animos, ibi vitam, ibi delicias, ibi gloriam, ibi gaudium, ibi cælum. Quibus omnibus (heu dolor!) quàm miseri sunt, qui ab illo voluntarij secedentes miserrimè se priuant! quantò (Deus bone!) feliciores illi & sapientiores, qui aliis omnibus desputis ac despectis, illa sola quærunt, illis solis student, ad illa sola per ignem, per aquam, per eculeos, per omnia tormenta currunt, quæ regnum perennemque gloriam pariunt. Aderat iam noui iudicij, noui certaminis tempus: educuntur martyres è custodiâ: sistuntur tribunali: denuò interrogantur: mentémne tandem vexatio illis reduxerit, an in suâ etiamnum damnabili persistant amentiâ; velintne Diis immolare immortalibus, & viuere, an verò vitam suauem & honestâ cum morte acerbissimâ atque turpissimâ commutare. Ast illi multò etiam quàm antè animosiùs, Deos execrari: & dicere, non se vitam postulare quæ inferat mortem, sed mortem flagitare quæ afferat vitam. Vitam ipsam esse Iesum Christum: Deos autem, quos stulti & cæci colant, deteriores esse morte: illum ad gloriam & immortalitatem ducere, hos ad miseriam & intoleranda inferorum supplicia deuoluere. Quibus auditis exacerbatus supra modum Fescenninus, supremam tandem de eorū obtruncatione profert sententiam. Itaque post repetitam singulorum dirissimam diuerberationem, illos ex vrbe ad vicinum Mercurij collem abreptos immanissimi tortores per viam sanè quàm inhumaniter vexant, tandemque spei plenos, & gratias Deo agentes, sæpè optatâ, sæpè expetitâ pro Christo morte, resectis hebetatâ securi capitibus (sic ad acerbiores cruciatus mandatum fuerat) transmittunt ad vitam. Sed de tempore, de loco, de quibusdam aliis vel martyrio coniunctis, vel cum martyrum gloriâ consecutis paulò ampliùs est differendum. Ad hoc igitur intendamus.

Acta martyrij apud Hilduinū.

Dionysio in carcere sacrificanti apparuit Iesus Christus, eiq; sacram Hostiam præbuit.

Precationū S. Dionysij efficacia.

Dei benigna præsentia quid secum afferat.

Postrema interrogatio Martyrum.

Responsio SS. Martyrum generosa.

SS. Martyrum condemnatio & obtruncatio.

NOTATIONES.

Complectitur istud Caput S. Dionysij & sociorum eius in carcere inclusionem, diuerberationem, & alios ad mortem vsque cruciatus. Grçci Scriptores generatim tantùm quæ ad supplicia attinent, perstrinxerunt: sed Latini, apud quos hi sancti Martyres tormenta passi sunt, quòd ea velut domestici haberent notiora, pluribus & singulatim sunt persecuti: præsertim Hilduinus Abbas, accuratissimus vetustorum Actorum explorator, qui fusiùs ac distinctiùs, quàm quiuis alius, ea conscripsit. Quæ autem inibi diuersa suppliciorum genera referuntur, compendio innuit Martyrologium Romanum ad diem IX. Nouembris illâ clausulâ: *Tandem à Præfecto Fescennino, post grauissima tormentorum genera, vnà cum sociis gladio animaduersus, martyrium compleuit.*

a HIC ENIM STABAT SENEX CENTVM DECEM EOQVE AMPLIVS ANNOS NATVS.] Nam ad Hadriani primum (quo imperante eum occisum probauimus) erat Christi annus iuxta Eusebium & antiquos centesimus decimus nonus, (iuxta Baronium vigesimus) ac consequenter Dionysij (qui nouem ferè annis Christo iunior erat)

erat) centesimus decimus. Malo enim, & id melius est, Eusebium in Chronologiâ, & omnes sanctos Patres illius sectatores sequi, quàm quemuis alium ab illis discedentem. Non tamen ex eo, quòd imperante Hadriano occisum Dionysium dicam, accipi velim restrictè primo eius anno occisum, cùm satis probabile sit, tertio aut quarto eius anno id accidisse, atque ita centum tredecim annos natum obiisse (quod ex quibusdam Syngeli locis, quæ Capite sequenti proferemus, videtur posse colligi) aut etiam aliquantò seriùs. Quod addo propter Flauium Dextrum, & Franciscum Biuarium, quorum ille satis innuit, Dionysium vixisse annos centum viginti circiter; hic autem id disertè asseuerat. Hic enim Commentario 2. ad annum Christi sexagesimum sextum super Dextri Chronico, *Ita S. Dionysius Areopagita*, inquit, *annum agens centesimum vigesimum occisus est, vt ad annum centesimum trigesimum Domini monstrabimus*. Monstrare autem, vel eius rei mentionem ibi facere, oblitus est. Dexter verò ad annum Christi centesimum trigesimum, & Romę octingentesimum octogesimum primum, hæc scribit: *Sanctus M. Marcellus Eugenius Toletanorum Episcopus, S. Clementis Legatus, ad Gallias profectus, causâ communicandorum cum Dionysio grauium negotiorum, Tolosæ prædicat, & eius vrbis Episcopus creatur post necem S. Saturnini eius vrbis Episcopi & martyris. Inde profectus, sciens martyrium S. Dionysij condiscipuli sui, id ille celebrat elegantissimo carmine, & prope Lutetiam à satellitibus Traiani Hadriani, cui ipse charus fuit, pro fidei patrocinio iugulatur.*

Ex his igitur annotatis è regione anni centesimi trigesimi, collegit Biuarius, quod suprà dixit, Dionysium eodem anno Christi centesimo trigesimo obiisse, ac proinde Dionysij fuisse centesimum vigesimum. Videtur enim innuere Biuarius, illo anno passum esse Dionysium, cùm dicit: *Inde profectus, sciens martyrium S. Dionysij condiscipuli sui*, &c. quasi nimirum in ipso itinere intellexerit recèns occisum Dionysium. Quia tamen non raro idem Dexter multa ad vnum annum conglobat, quæ diuersis accidère, ita vt non semper facile sit conijcere quid potissimùm illo anno factum velit, hinc locus hic (quo tamen nititur Biuarius) in iis quæ attingunt beatum Dionysium, non omnino certus est, quia non propter Dionysium allatus est, sed propter S. Marcellum. Sic ad annum Christi ducentesimum vigesimum (vti & in Quæstionibus infrà notauimus) hæc habet: *Titus, cognomento Iustus, Episcopus factus, secutus primò S. Paulum, mox Eugenium, prædicat in Carpetaniâ, vbi eius memoria magnitudoque miraculorum celebratur*, &c. Ex his omnibus nihil ad citatum annum ducentesimum vigesimum attinet, nisi posterius membrum, *Vbi eius memoria magnitudoque miraculorum celebratur*. Legerat nimirum Dexter, illo anno celebrem fuisse in Carpetaniâ memoriam miraculorum beatissimi Titi. Quod dum in Chronico suo annotat, bonum iudicauit simul, qualis fuerit Titus, annotare, licet illa vno antè sæculo accidissent. Ita etiam de Marcello Eugenio, quod dicit, *Clementis legatus*, non ita capiendum est, quasi illo anno centesimo trigesimo factus sit à Clemente legatus, cùm Clemens ferè triginta antè annis obiisset; sed solùm quòd veterem Marcelli dignitatem designare voluerit, sicut & Titi.

c HOSTIAM DIVINO PONTIFICI MANV SVA OFFERT, &c.] Christum Dominum Dionysio apparuisse in carcere, & sacrificanti acceptam ex altari hostiam suâ obtulisse manu, Acta vetera continent, & antiquissimi rituales libri, è quibus hi confecti sunt rhythmi, quos nobis Antonius Demochares suppeditauit:

Seniore celebrante
Missam, turbâ circumstante,
Christus adest comitante
Cælesti frequentiâ.
Specu clausum carcerali
Consolatur, & vitali
Pane cibat, immortali
Coronandum gloriâ.

Qui Demochares etiam addit: *Locus hic carceris, ob huius perpetuam memoriam, in Ecclesiam conuersus est, quæ hodie* S. Dionysij à carcere *dicitur & conspicitur.*

Magnum hoc porrò & singulare prorsus beneficium, tantam fuisse Christi Domini in seruũ benignitatem, vt se illi in carcere formâ corporali videndum exhiberet: neque hoc tantùm, sed etiam, vt nullâ vrgente tantæ dignationis necessitate, sui sacrosancti Corporis & Sanguinis Sacramentum (quod nullis ante illud tempus, nisi Apostolis & Discipulis eum fecisse legimus) suâ ipsius manu porrigeret. Decebat tamen, vt qui vitam verè egerat Apostolicam, hocce etiam priuilegio frueretur verè Apostolico. Scio equidem, aliis quoque pòst sæculis nonnullos à Christo Domino simili propè affectos honore & beneficio. Nam habent Acta Ambianensis Ecclesiæ, S. Firminum illius populi Episcopum, cùm ædem supra Firmini martyris sibi cognominis sepulchrum in honorem beatissimæ Virginis construxisset, ibique in die Paschatis festo sacra faceret, Christi Domini dexteram sibi sanctissima mysteria porrigentem conspexisse. De beatâ item Coletâ, Virgine ardentissimæ in Iesum charitatis, refert eius Vitæ auctor Stephanus Iuliacus, cap. 43. cùm sanctissimo refici Sacramento percupisset, & ex sacrificantis obliuione consecrata hostia non fuisset, ipsum Dominum Iesum suis manibus pretiosissimum Corpus suum ei obtulisse. Vir item venerabilis Iacobus de Vitriaco loquens de claris Leodiensibus feminis, in Prologo ad Vitam S. Mariæ Oegniacensis (erat enim Leodij tum Archidiaconus, posteà autem Episcopus, primò Aconensis, deinde Tusculanus, postremò S.R.E. Cardinalis) ad Fulconem Episcopum Tolosanum ita scribit inter alia: *Noui ego quamdam in iis sanctis feminis, cui, cùm ingenti veri illius agni carnes edendi desiderio teneretur, ipse agnus se impertiit, non ferens diutiùs illam languere; atque ex eâ refectione illa conualuit.* Plura in sacris Historiis, aut Sanctorum Vitis eiusmodi liceat reperire exempla: sed tam augustum, & tantâ cum luce, & cum tam numeroso tamque aspectabili Angelorum comitatu, quàm B. Dionysio, hactenus nullum.

Verùm, ne id excidat, ille idem lapis sacer, super

ſuper quem in carcere S. Dionyſius rem diuinam faciebat, tráſlatus fuiſſe dicitur ad Cœnobium S. Petri Bronienſis in Leodienſi ſitum ditione. De quo ita Ægidius Aureæ vallis, apud Anſelmum, De geſtis Stephani Epiſcopi Leodienſis, cap. 40. *Nam reliquiæ S. Leodegarij Epiſcopi & Martyris, & lapis ſuper quem B. Dionyſius ſacrum myſterium celebrauit in carcere, cùm Dominus Ieſus apparuit eidem dans illi Sacramenta, in dicto Cœnobio dicuntur eſſe tranſlatæ.* Sic ibi.

d ACCIPE HOC CHARE MEVS, &c.] Verba hęc Chriſti ad Dionyſium prolata etiam apud Hilduinum Abbatem reperies. Neque diſſimilia apud Dionyſium Rickelium lib. 4. De nouiſſimis, art. 59. ſub medium: *Denique*, inquit, *diuino & magno Dionyſio Chriſtus in carcere apparens, ſuumque corpus tradens, Accipe, ait, hoc chare meus, quoniam merces tua apud me magna eſt valdè.*

CAPVT XX.

Martyrij tempus, locus, & alia his adiuncta, viſu audituque mirabilia.

Quo Imperatore martyrium obierit S. Dionyſius, variæ ſunt ſententiæ.

DE tempore & Imperatore, quo B. Dionyſius terris exceſſit, non eſt omnium, aut potiùs non fuit, vna eademque ſententia. Nam ad Hadrianum Imperatorem pleroſque omnes nunc inclinare, aut certè inclinaturos equidem credo & ſpero. Fuerunt igitur hactenus, iique non pauci,[a] qui imperante Domitiano; [b] fuerunt & nonnulli, qui Traiano, fuerunt & tertij qui Hadriano Traiani ſucceſſore Dionyſium obtentâ palmâ emigraſſe dicerent & confirmarent: inde ſcilicet natâ diuerſitate, quòd primis à Chriſto temporibus Acta Martyrum memoriâ magis quàm ſcripto continerentur: quoniam Chriſtianis per illas perſecutionum procellas potiùs vacabat fortiter rem gerere, quàm geſtam eleganter conſcribere. Quo factum eſt, vt cùm memoria multò ſit factorum retinentior, quàm nominum, in obliuionem nomina iuerint, facta ad hoc æui perennarint. Longè pòſt autem cùm etiam ſcriptis mandari cœpta ſunt Acta, fuit Hiſtoricis tanto pòſt interuallo ad temporum notas & ad Imperatorum nomina coniecturis adnitendum. Quæ cùm ſint ex ingeniorum varietate variis variæ; hinc quidam, vt ad res Dionyſij ventum eſt, conſideratâ hinc tormentorum, quæ paſſus eſt, acerbitate, illinc eius ætate, quam ad Domitianum perueniſſe nullus dubitaret, idcircò martyrij tempus ad Domitiani tempora retulerunt. Alij verò coniectis in alia oculis, & Dionyſij ipſius peregrinationes & ſcripta diligentiùs rimati, repererunt ſaltem ad Traiani eum tempora perueniſſe. Tertij denique, cùm ipſius martyris veteres memorias, tum alia priſcorũ de illo antiquiſſima perſcrutati monumenta, fidis veſtigiis etiam vltrà progreſſi ſunt, & Dionyſium egiſſe obiiſſeque vitam Hadriano Imperatore deprehenderunt, poſteriſq; tradiderunt. [c] Ita veterrimi concinnator Martyrologij, [d] ita venerabilis Beda, ita Ado Viennenſis Epiſcopus, ita ſecundùm illos & alij fecerunt, & nos fecimus. Nam & Ariſtidem, eximium illum ſecundi ſæculi Scriptorem, ipſum Dionyſij martyrium Hadriani conſignaſſe temporibus, iam olim compertum eſt. Quare, vt rem concludamus, Anno Chriſti circiter 121. Hadriano Imp. [e] Feſcennino Præfecto, victis in iuſto fidei certamine hoſtibus, egregiâ martyrij laureâ donatus eſt Dionyſius Areopagita, Athenarum Epiſcopus, Galliarum Apoſtolus, totius Occidentis Legatus, vtriuſque Hierarchiæ, Cæleſtis & Eccleſiaſticæ, ac Diuinorum nominum deſcriptor & interpres eximius, Theologorum ſecundùm Apoſtolos & Euangeliſtas dux & anteſignanus: qui ætatem vixit (vti & magnorum virorum illo æuo complures) longá iuxtà & ſanctam: [f] nempe annos ampliùs centum decem. Quam etiam ætatem eodem ipſo ſæculo tranſcendit B. Simeon Ieroſolymorum Epiſcopus, & Chriſti cognatus: quem centum ipſos viginti annos exegiſſe, & glorioſam in tam grandi æuo martyrij coronam reportaſſe, certum eſt: vt proinde quod de Dionyſio affertur, haud ita mirum videri debeat; cùm de iſto id quod minùs probabile videri poterat, nullo dubitante teneatur. Hoc de tempore; nunc de loco, nobilitatis enim ei facta acceſſio exigit ſtilum. Locus igitur, vbi tres illi generoſi athletæ victoriam & gloriam adepti ſunt, colliculus fuit vrbi Pariſienſi imminens, olim Mercurij (g quoniam illic Mercurius honore præcipuo coleretur) ab indigenis ita vocitatus: ſed conſequentibus temporibus, propterea quòd horum atque aliorum item Martyrum multo ſanguine reſperſus & quaſi conſecratus fuerit, *Mons Martyrum*, & linguâ patriâ *Montmartre* vulgò eſt appellatus: hodieque ad perpetuam inclytorum Martyrum memoriam ea perſeuerat appellatio. Quo in loco (res ſanè noua, & vt olim viſu, ſic & nunc dictu admiranda) [h] Dionyſij martyris truncus, licet exanguis & vitæ expers, tamen ſe erexit, & reciſum ab humeris caput (ſic eſt antiqua traditio, & ſic complures litteris prodidere) in manus ſuas, perinde ac ſi viueret, trophæi inſtar accepit, atq; ad duo circi-

Origo varietatis ſententiarum de tempore mortis S. Dionyſij.

Vetus Martyrolog. ad 3. Octobr.

Quot annos vixerit S. Dionyſius.

Locus vbi Dionyſius & ſocij mortem oppetierunt.

Mons Martyrum.

Dionyſius obtruncatus geſtat in manibus caput.

circiter Gallica milliaria, duce Angelo, & choris cælestibus cum admirabili concentu comitantibus, & hymnum, modò *Gloria tibi Domine*, modò *Alleluia* resonantibus, tam diu deportauit, donec ad locum vbi nunc situs est, & sui nominis vrbem & cœnobium habet, peruenit; atque in nobilis matronæ fundo ([i] Catulla ei nomen fuit) quasi se illi daret, requieuit. Diffugêre extemplò infideles tanto territi prodigio, & ne fors sibi fraudi tanta artis magicæ, vt vocitabant, efficacia existeret, permultùm formidare: Christiani verò, & quos melior agebat spiritus (inter quos & Larcia Lisbij vxor fuit) diuinam admirari & celebrare virtutem atque potentiam. Vnde multi antehac à religione alieniores, manus Christo dedêre, princepsque inter illos iam dicta Larcia propalàm se Christianam professa, ideoque comprehensa & enecta, effuso in vicem Baptismi sanguine, numero sanctorum martyrum est aggregata. Sacrum verò Dionysij depositum Catulla eiusdem martyris discipula diligenter custodiuit; nec eo solo contenta, studuit etiam duorum commilitonum Rustici & Eleutherij sacra corpora, quæ impij satellites in Sequanam proiicere deliberauerant, vel prece, vel pretio, vel etiam astu obtinere. [k] Nam satellites mensâ exceptos largè hilariterq; haberi iussit, dato interim certis fratribus mandato, vt istis compotatione occupatis, eadem corpora clandestinò subrepta in tuto absconderent. Quod ab illis impigrè quidem factum; sed cùm remotâ mensâ, remota etiam cadauera nimis in hoc vno sobrij satellites animaduertissent, eaque tumultuosiùs identidem reposcerent, adeoque nisi actutùm redderentur, minas intentarent, fuit vt modò elusa vigilantia poculis, sic nunc iracundia pecuniis elidenda. Ergo aurum obiecit, & pretiosiora quouis auro sacra pignora retinuit. Ita Christiani tam sanctarum exuuiarum compotes facti, eas deinceps, vt præcipuum ac singulare in duris aduersisque rebus perfugium habuerunt. Digressis enim barbaris, rebusque iam satis saluis, eadem sacra cimelia ad tertiam Octobris (vt Græci Scriptores annotarunt) ab eadem Catullâ commodo in loco sunt deposita, miraculis ibidem tamquam è fonte iugiter scaturiente affatim manantibus. Ipse etiam Catullæ ager, seu laudatus sepulturæ Martyrum locus, [l] in feminæ honorem Catulliacus posteris est dictus, presertim postquam ædicula beatis Martyribus ibidem loci constructa, frequenti populo celebrari cœpit. Hanc ædiculam primitus dedicasse memoratur S. Regulus Arelatensis Episcopus, tali occasione: [m] illi die quadam in vrbe suâ sacris operanti, atque ad ea sacri Canonis verba, vbi Sanctorum vitâ functorum fit memoria, progresso, excidit præter morem & intentionem, vt aliis recitatis nominibus adiiceret: *Et beatis Martyribus tuis Dionysio, Rustico, & Eleutherio:* cuius extemporalis nec voluntarij additamenti admiratione tactus, cùm penderet aliquantisper animi, ecce illi visum nouum & insolens: ternæ oculis obuersantur columbæ cruci altaris insidentes, quæ trium illorum Martyrum nomina in pectoribus sanguine inscripta præferebant, DIONYSII, RVSTICI, ELEVTHERII: quas fixo parumper obtutu contemplatus, demum ternos illos athletas, sancto suggerente Spiritu, palmam assecutos martyrij (nec enim aliunde id acceperat, & recens res erat) retexto ænigmate intellexit. Tum verò incitari animus ad petendum Parisios, ibique super Martyrum certamine atque exitu magis particulatim cognoscendum: perque opportunè tum euenit, vt non procul Lutetiâ cùm abesset, in ipsam Catullam inciderit, & si quid de nece hominum nuper occisorum inaudisset, interrogauerit. Illa enim Christianum, vti erat, ex modestiâ & habitu & sermone suspicata, petiit Christianúsne esset? illoque, quod verum erat, confitente: *Num etiam*, inquit, *ex amicis & familiaribus es Dionysij & sociorum eius Rustici & Eleutherij?* tum ille obortis ad eorum nomina lacrymis, *Planè*, inquit, *ex illis sum, & esse glorior.* [n] Tum igitur ipsâ quoque illorum se discipulam aperiente, mutuæ congratulationes, amica colloquia, perbenigna hospitalitas; denique non posse satiari, nec ille, nec illa, de Dionysij rebus: illo, quæ prioribus temporibus alibi fecerat, referente; hac autem, quæ proximâ persecutionis procellâ tulerat, memorante. Qui etiam inter alia de die martyrij & de tempore visionis inter se conferentes, in vnam eamdemque lucem vtraque incidisse compererunt. Postquam autem, quæcumque Regulo in votis erant, bona femina indicasset & commonstrasset, tum etiam atque etiam ipsum rogauit, vti longiorem apud se morâ faceret; se enim, quamuis à B. Dionysio nonnullam accepisset rerum sacrarum agnitionem, primaque fidei rudimenta quadamtenus attigisset, tamen præcipuorum mysteriorum rudem ignaramque adhuc esse, quorum magnopere desideraret ipso magistro ampliorem notitiam.

Larcia nobilis matronæ conuersio.

Catulla matronæ in obtinendis Martyrum corporibus studium & industria.

Sacrarum Reliquiarũ cultus.

Prima S. Dionysio adicula à S. Regulo Arelatensi Episcopo dedicata.

Visum sancto Regulo inter sacra mysteria obiectum.

Acta sancti Reguli apud Vincentiũ Bellouac. l. 10. cap. 28.

Catulla partim à S. Dionysio, partim à S. Regulo instructa.

notitiam. Cui vir ſanctus, vt beneficium beneficio repenſaret, eius inſtruendæ gratiâ dies aliquot inibi eſt commoratus: quo etiam tempore conſtructam ab eâ ædiculam, materie quidem & ſpatio humilem atque exiguam, ſed repoſitis in eâ tantorum Martyrum pignoribus nobilem in primis atque auguſtam, eorumdem Sanctorum honori, vt antè attigimus, conſecrauit. Atque hæc prima omnium S. Dionyſio & ſociis ſacratarum ædium fuit. Poſteris verò temporibus alia quoque ad beatiſſimi Dionyſij memoriam in eodem Pariſienſi tractu condita ſunt ſacraria, locorum ſcilicet vbi concluſus, vbi tortus, vbi obtruncatus fuit, æterna monumenta, quorum primo nomen datum eſt, *S. Dionyſij de Carcere*, vulgò, *S. Denis de la Chartre*. Secundo, *S. Dionyſij de Paſsione*, vernaculè autem, *S. Denis du Pas*. Tertio, *Sacellum Martyrum*, Gallicè, *la Chapelle des Martyrs*. Et duo quidem priora in vrbe ipsâ Lutetiâ, poſtremum autem in conſpectu vrbis, ſiue in *monte Martyrum* (de quo ſuprà dictum eſt) viſitur. Et hæc quidem antiquiſſima; de aliis autem recentioribus & magnificentioribus pòſt dicetur: nam quædam alia, quæ hoc Dionyſij ſæculo contigêre, ac præſertim eius diſcipulorum labores & fructus, nonnullæque ipſius Martyris poſt mortem apparitiones, præuertendæ ſunt.

Aedicula in honorem Dionyſij complures apud Pariſios exſtructa.

La Chapelle des Martyrs.

Vide infrà Cap. XXV. & ſeqq.

NOTATIONES.

TRactantur hoc Capite nonnullæ martyrij circumſtantiæ: quarum prima eſt tempus, ſiue Imperator, ſub quo paſſus eſt S. Dionyſius. Nam tenent quidam, ſub Domitiano, alij ſub Traiano, alij ſub Hadriano eſſe paſſum.

a QVI IMPERANTE DOMITIANO.] Hilduinus, Methodius, Metaphraſtes, & quidam alij adſcribunt martyrium Dionyſij Domitiano Imperat. Quod ſtare nonnullo modo poteſt, ne ex ipſorum quidem, ſi modò ſibi in aliis conſtent, ſententiâ. Nam ſi admittant, vti admittunt, epiſtolam illam, quæ ad S. Ioannem Apoſtolum in Patmo exulantem miſſa eſt, germanam eſſe Dionyſij, & ſpiritu prophetico ſcriptâ, in quâ dicit propediem eum ab exilio reuerſurum, & cum illo vnâ ſe communicaturum (quod fieri non potuit, niſi mortuo Domitiano, & Neruâ aut Traiano imperante) nullo ſanè modo dici poteſt mortuus eſſe Dionyſius ſub Domitiano. Erroris porrò cauſam dedere antiqua Sanctorum ſcripta, quæ olim ſine certis temporum aut Impp. notis (vt hodieque plurima) poſteritati tradita ſunt. Poſteriores autem, rebus haud ſatis exactè diſpectis, probabiles, vt exiſtimabant, ſecuti coniecturas, Imperatorum nomina & perſecutiones adiecerunt, & interdum hallucinati ſunt.

b FVERVNT ET NONNVLLI, QVI TRAIANO.] Ad Traiani tempora retulerunt Dionyſij martyrium, è Græcis quidem, Michael Syngelus & Suidas, è Latinis autem quædam Martyrologia, & nominatim quod iuſſu Gregorij XIII. editum fuit. Quod ita habet, ſeptimo Idus Octobris: *Lutetiæ Pariſiorum, natalis ſanctorũ martyrum Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi, Ruſtici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi: ex quibus Dionyſius ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit in Chriſtum, atque ab eo baptizatus, primus Athenienſium Epiſcopus eſt ordinatus: deinde Romam veniens, à B. Clemente Romano Pontifice in Gallias prædicandi gratiâ directus eſt: & ad præfatam vrbem deueniens, cùm ibi per aliquot annos commiſſum ſibi opus fideliter proſequeretur, tandem à Præfecto Feſcennino, ſub Traiano Imperatore poſt grauiſſima tormentorum genera, vnà cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.*

Syngeli verba ſic habent: Ὅθεν ἡ ὑπόπτερος φήμη πανταχόσε θέουσα τὴν πανεύφημον αὐτοῦ προσηγορίαν ταῖς τοῦ Τραϊανοῦ τραχυτάταις ἀκοαῖς ἐνήχησε, &c. *Vnde velox fama quocumque diſcurrens clariſſimum eius nomen* [Dionyſij ſcilicet] *aſperrimis Traiani auribus inſonuit, &c.*

Suidæ autem ſunt hæc: Ὁ τοίνυν θεοφάντωρ Διονύσιος ἤδη που μακρὸν ἐλάσας χρόνον, καὶ πλήρης ἡμερῶν γεγονὼς τῶν τοῦ πνεύματος, μαρτυρίῳ τῷ ὑπὲρ Χριστοῦ τελειοῦται ἐπὶ Τραϊανοῦ Καίσαρος, ὅτε καὶ ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος τὸν τῆς ἀθανασίας διήθλησεν ἀγῶνα. *Igitur Dei interpres Dionyſius valdè prouectâ iam ætate, & ſpiritualium dierum plenus, martyrio pro Chriſto conſummatur ſub Traiano Cæſare, quando & Deifer Ignatius certamen immortalitatis decertauit.* Obiiſſe tamen ſub Hadriano, probabilius eſt. Et præter argumenta Baronij, allata anno Chriſti centeſimo nono è variis Martyrologiis, & præſertim Adonis & Bedæ, bina adfero noua: vnum è vetere Rom. Martyrologio, quod Baronius diu optatum reperire non potuit; poſt eius verò mortem reperit & edidit noſter Heribertus Roſſweydus: alterum è Fl. Lucio Dextro, cuius Chronicon poſt eiuſdem Baronij obitum, abhinc tantùm biennio prodiit.

Itaque illud vetus Romanum Martyrolog. ad v. Nonas Octobr. ſic habet: *Athenis, Dionyſij Areopagitæ ſub Hadriano diuerſis tormentis paſſi.* Vbi ad τὸ *Athenis*, ſubauditur, *celebratur memoria*, ſeu *dies natalis*, vt ſuprà docui, & euidenter oſtendo Quæſt. 11. aduerſus illos, qui exiſtimabant τὸ *Athenis* connectendum eſſe cum *paſſi*. Vnde & mihi in hoc dederunt manus qui antè aduerſabantur. Flauius Dexter autem in Chronico ad annum Chriſti 130. Romæ verò 881. vbi tempora perſequitur Hadriani Imp. ſcribit S. Marcellum Toletanorum Epiſcopum ex Hiſpaniâ in Gallias ad Dionyſium eſſe profectum, atque antequam Pariſios perueniret, de eius martyrio intellexiſſe, atque illud carmine elegantiſſimo celebraſſe. Vnde colligit Franciſcus Biuarius, Dionyſium nõ tantùm Hadriano Imp. martyrium obiiſſe, ſed etiam 120 annos vixiſſe. Nos prius illud tamquam certum admittimus, alterum autem non admittimus; eò quòd Dexter in ſuo Chronico (vt ſuperiori quoque Capite indicauimus) non reſtrictè per ſingulos annos procedat, ſed iam duos, iam plures intermittat, reſq; interdum non hoc illóve anno, ſed *ſub hæc tempora*, aut *per idem* tempus,

tempus, accidisse scribat, vt ex eius textu liquet, & fatetur Biuarius. Sic enim ab anno Christi 76. mediis omissis, ad 86. transit: & ab anno Christi 112. transit similiter ad 115. propterea, inquam, alterum de annis 120. Dionysij haud admittimus tamquam certum.

c ITA VETERRIMI CONCINNATOR MARTYROLOGII.] Illius nempe, quod vulgò *vetus Romanum Martyrologium* appellatur, cuius verba paulò antè sunt producta.

d ITA VENERABILIS BEDA.] In suo enim Martyrologio ad 3. Octobris sic habet: *Natale S. Dionysij Areopagitæ, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo, & primus Athenis ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus, & sub Hadriano Principe post clarissimam confessionem fidei, post grauissima tormentorum genera glorioso martyrio coronatur.*

Post quæ verba adduntur hæc in Adonis Martyrologio, eadem die: *Vt Aristides Atheniensis, vir fide sapientiaque mirabilis, testis est in eo opere, quod de Christianâ religione composuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, & inter antiquorum monumenta clarissimum tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant.*

Et his quidem simillima nunc leguntur in vetere Romano. Nec refert, quòd rursum die 9. eiusdem mensis, quasi de alio, eius martyrium coniungant cum SS. Rustico & Eleutherio. Nam quo id modo acciderit, explicui infrà Quæst. 11.

e FESCENNINO PRÆFECTO.] De hoc Præfecto consentiunt Martyrologia, Romanum, Venerabilis Bedæ, Vsuardi, Adonis, & aliorum ad diem 9. Octobris. E quibus Beda & Ado addunt *Sisinnio. A Præfecto*, inquiunt, *Fescennino Sisinnio.*

Recensetur autem Sisinnius in Chronico Alexandrino inter Consules, imperante Hadriano, Olympiade CCXXVIII. Indict. XV. anno Hadriani 27. ita vt valdè sit probabile, vnum eumdemque esse (præsertim tam concordi tempore) istum Sisinnium Cos. & nostrum Fescenninum.

Accedit de Fescennino aliud è Romano Martyrologio ad diem 11. Octobris indicium; quòd scilicet S. Nicasium & socios in pago Vilcassimo sub Præside Fescennino passos esse dicat. Atqui iste Nicasius, de quo hîc sermo, primus fuit Rothomagensium Episcopus, qui & à Clemente Pontifice in Gallias missus prædicatur. Vide Democharem in Catalogo Episcoporum Rothomagensium, lib. de Diuino Missæ sacrificio, cap. 20. & Notationes Baronij in Roman. Martyrologium ad dictam diem. Quare si tempora Fescennini cum temporibus S. Nicasij Rothomagensium Apostoli congruunt, & Nicasius ætate Clementis Papæ vixit, & ab eo in Gallias missus est, nihil propius fidei apparet, quàm vtrumque, tam Dionysium quàm Nicasium, eadem tempestate & eodem Imp. & eodem Præfecto martyrium obiisse: præsertim cùm de alio eiusdem nominis Prefecto aut Præside posterioribus sæculis (quæ satis diligenter indagauimus) omnino nihil sonent, neque Martyrologia, neque sacræ Historiæ.

Adde Francisci Feuardentij, viri egregiè docti, auctoritatem, qui de primis Apostolorum discipulis in varias Galliarum partes distributis, ad lib. 1. S. Irenæi Lugdunensis Episcopi, cap. 3. Notat. 3. strictim eius meminit: vbi aliis multis recensitis, ad extremum hos adiicit: *Superioribus quoque*, inquit, *B. Clemens adiunxerat Nicasium, Taurinum & Exuperium: quos Rothomagenses, Ebroicenses & Baiocenses, vt Apostolos & pastores magnâ alacritate receperunt.*

* Ad Exuperium porrò quod attinet (nam de aliis iam est dictum, partim hîc, partim superiùs) Robertus Cenalis, Episcopus Arboricensis, lib. 2. de Re Gallicâ, Perioche 4. dum describit agrum Belocassinum (sic vocat, quem alij *Vilcassinum* aut *Velocassinum* appellant, cuius præcipua ciuitas est Baiocæ) vndecim recenset eiusdem ciuitatis Episcopos numero Sanctorum adscriptos, quâ in recensione sic incipit: *Exuperius totius regionis Apostolus, D. Clementis discipulus.* Et paulò inferiùs de eius ætate ita subdit: *Apostolico functus est officio D. Exuperius anno à partâ salute quarto ac nonagesimo, collegâ vsus D. Reuerentio.*

Ne quis verò Nicasij nostri ætatem calumnietur, atque ad posteriora tempora detrudi velit; propterea quòd aliquem Nicasium circa persecutionem Wandalicam pro fide percussum legat, nouerit illum non Rothomagensem, sed Rhemensem fuisse Episcopum, & trecentis propè annis nostro posteriorem. Nam nostri à S. Clemente in Gallias missi, etiam Chronologia Archiepiscoporum Rothomagensium, opus Ioannis Dadræi postumum commeminit, vbi & isti allegantur Vitalis de illo versus:

Antistes Rothomæ datus à Clemente, Nicasi,
Si non sedisti, caput at legando stetisti.

Quibus indicatur, non peruenisse ipsum ad sedem suam Episcopalem, sed in itinere interemptum caput eis reliquisse, ac per illud quasi per principem corporis sui partem Rothomagi constitisse.

f NEMPE ANNOS AMPLIVS CENTVM DECEM.] Consequitur hæc ætas ex eo, quòd suprà probatum sit obiisse Dionysium imperante Hadriano, cuius initia imperij inciderunt in annum Christi 119. ex recensione Eusebij, ac consequenter Dionysij 110. & aliquantò amplius. Nec enim Christus Dominus totis nouem annis Dionysium antecessit: siquidem anno Christi 33. erat Dionysius annorum 25.

Multum porrò huic sententiæ de tam longæuâ aut etiam longiore Dionysij ætate fauent Michael Syngelus & Nicephorus Callistus: hic quidem lib. 2. Historiæ Eccles. cap. 20. dum scribit, multos annos eum fuisse in Occidente, & εἰς βαθὺ γῆρας, *ad profundam senectutem* peruenisse. Profunda autem senectus ea vocatur, ad quam à paucissimis peruenitur, quæ & extrema appellari solet, propterea quòd qui in profundo est, non habeat quò vlteriùs tendat. Michael Syngelus verò ita in extremo Dionysij Encomio inter alia: Οὕτως ὁ τῶν θείων ἀγώνων ἐμπειρότατος πρεσβύτης, καὶ βαθὺ καὶ πῖον εἰσεληλακὼς γῆρας πρὸς τὴν ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ μακαριωτάτην προπηδήσας σφαγὴν, &c. *Sic ille diuinorum certaminum experientissimus senex, atque ad profundam & meritis fecundam progressus senectutem, ad beatissimam pro Christo mortem prosiliens*, &c.

Sed

Sed idem clariùs & expressiùs, cùm dicit Dionysium septuaginta annos in cursu Apostolico seu Euangelij prædicatione posuisse. Quibus si addideris annos 40. ante ipsius ad Christum conuersionem (tot enim minimùm fuerunt) inuenies totius ætatis annos centum decem.

Quare obseruandum est, Baronium Tomo II. Annalium, anno Christi 109. errore lapsum in reprehensione Syngeli, dum existimauit illum numerare tantummodò 70. annos ætatis S. Dionysij. Nam hoc minimè facit Syngelus; minimè gentium. Quomodo enim id faceret, qui eum ad extrema persecutionis Traiani peruenisse scribat? Verùm omissis ætatis annis, de annis tantùm agit in Christianâ vitâ & cursu Apostolico, vt ipse vocat, transactis.

Quod, vt magis constet, probabitur ex ipsius Syngeli verbis, duobus in locis. Prior locus in Dionysij Encomio est talis: Ὁ μακάριος τοίνυν καὶ τρὶς τοῦτο καὶ πολλάκις Διονύσιος ἐπὶ ἑβδομηκονταετῆ χρόνον, διὰ μυρίων ὀνειδισμῶν καὶ πειρασμῶν καὶ πολέμων, καὶ κινδύνων, ὑπὸ τῶν ὁμοφύλων, καί ποτε ὁμοθρήσκων, καὶ τῶν συντρόφων φιλοσόφων, μᾶλλον δὲ ἀσόφων, διεληλυθώς, &c. *Beatus igitur, & terq; quaterque beatus Dionysius ad septuaginta annos per mille opprobria & tentationes & bella & pericula, tam à suis popularibus & eiusdem aliquando religionis, & simul educatis Philosophis, aut insipientibus potiùs, transgressus*, &c. Quæ verba de annis ętatis accepit Baronius, cùm id verba non sonent, sed magis contrarium innuant, nempe tempus, quod in Christi seruitio multa inter opprobria, pericula, aduersa transegit. Quod ex verbis paulò pòst subsequentibus liquidò confirmatur, vbi dicit Dionysium peregisse duplum S. Pauli cursum. Sic enim habet: Καὶ δραμὼν δρόμον διπλασίονα, τοῦ ὃν Παῦλος ὁ πολύαθλος καὶ οὐρανοδρόμος δεδράμηκεν. *Et qui duplum eius cursum percurrit, quem Paulus multorum expertus certaminũ, & ad cælos vsque prouectus, cucurrit.* Atqui S. Ioannes Chrysostomus in Homiliâ de Principibus Apostolorum Petro & Paulo scribit, cursum & certamen S. Pauli fuisse 35. annorum: cui si & alios 35. addideris, iustè 70. efficies, hoc est, duplum cursum Dionysij: tot enim illi annos laborum tribuit Syngelus, vt iam videbitur. Alter locus igitur in eodem Encomio, sub finē, est eiusmodi: Τίς οὖν τὸν ἐν ἔτεσιν ἑβδομήκοντα τὴν ἀποστολικὴν ὁδεύσαντα τρίβον, καὶ σωτῆρα Χριστὸν κηρύξαντα, &c. ἀξίως θαυμάσειεν; *Quis igitur eum, qui annos septuaginta viam triuerit Apostolicam, & Saluatorem Christum prædicarit, dignè admiretur?* Quem locum si Baronius attendisset, simulque de duplo cursu accuratiùs perpendisset, numquam, opinor, dixisset videri sibi hallucinatum Michaelem Syngelum, immò eum auidè pro suâ sententiâ arripuisset (cùm ad eam plurimum faciat) vti & illum arripuit, quo scripsit Syngelus Dionysium ad extrema Traiani tempora peruenisse, siue, vt alibi est in Græco, πρὸς τῷ τοῦ διώκτου τυραννίδος πέρατι, *ad finem persecutionis tyrannicæ*. Durauit autem & post ipsum Traianum incitata persecutio, nec successor Hadrianus initio imperij vel extinxit, vel repressit, sed redaccendit potiùs & laxauit. Assentior enim Baronio hæc de illo scribenti: *Tantum abest vt persecutionem in Christianos iam à Traiano excitatam Romæ compesceret, vt acriùs atq; acerbiùs instaurarit.* Et infrà: *Hadrianus igitur ipso in Imperium ingressu, etsi erga omnes Romano subiectos Imperio optimum Principem, tamen in Christianos exhibuit se Phalaridem.*

Vnde conciliari duæ sententiæ de tempore martyrij sic possunt, vt & sub Hadriano cæsus dicatur S. Dionysius, & in persecutione Traiani, nēpe à Traiano inchoata, ab Hadriano promota.

g QVONIAM ILLIC MERCVRIVS HONORE PRÆCIPVO COLERETVR.] Ita cultum fuisse Gallis Mercurium, auctor est ipse Iulius Cæsar, lib. 6. de Bello Gallico, his verbis. *Deûm*, inquit, *maximè Mercurium colunt. Huius sunt plurima simulacra: hunc omnium inuentorem artiũ ferunt: hunc viarum atq; itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc, Apollinem, & Martem, & Iouem, & Mineruam.* Ita Cæsar. Vbi nota, *Deûm maximè*, id est, è Diis maximè Mercurium colunt. Esse enim casus gignendi, indicat vetus interpres Græcus, qui ita legit & vertit: Πάντων δὲ τῶν θεῶν τὸν Ἑρμῆν πλεῖστόν τι σέβουσι. *Ex omnibus Diis maximè colunt Mercurium.* De Mercurio est etiam illa Tertulliani auctoritas, in Scorpiaco, aduersus Gnosticos, cap. 7. *Sed enim*, inquit, *Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victimâ placari apud sæculum liquuit.* Nota *liquuit* præteritum esse à *liquet*. id est, *constitit*. Mentio item huius nefarij cultus extat apud Minutium Felicem in Octauio, sub initium. *Inde adeò*, inquit, *per vniuersa imperia, prouincias, oppida, videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere municipes, vt Eleusinios Cererem, Phrygas Magnam Matrem, Epidaurios Æsculapium, Chaldæos Belum, Astarten Syros, Dianam Tauricos, Gallos Mercurium, vniuersa Romanos.*

De Martis autem cultu testatur vetera Sanctorum Acta, è quibus hæc desumpsit Vincentius Bellouacensis in Speculo hist. lib. 10. c. 27. dum ita de S. Dionysio & sociis scribit: *Hi sancti viri à B. Clemente directi, Apostolicâ benedictione roborati, & Spiritus sancti amore succensi, Dominici ruris fideles agricolæ, barbaricis pectoribus verbum Dei inserente, Arelatensium venerunt ad vrbem, tantamque gratiam sanctis suis largitus est Dominus, vt eorum prædicationi plebs Arelatensis nullo modo resisteret, sed Euãgelium Christi deuotis suscipiens mentibus, conditorem omnium fideliter adoraret. Erat enim ibi maxima venerationis templum, in quo Martis statua ab omnibus colebatur. Quam B. Dionysius nullo hominum labore, sed diuini nominis inuocatione confregit, & eliminatis soliti cultus spurcitiis, ad regenerãdum populum Dei, baptisterium ibi fieri præcepit: ipsum verò templum sub veneratione BB. Apostolorum Petri & Pauli, Ecclesiam consecrauit.* De Heso & Theutate, Diis itidem Gallorum, eorumque cultu, vide Lilium Giraldum in Historiâ Deorum, syntagmate 17. sub finem.

h DIONYSII MARTYRIS TRVNCVS, &c.] Symeon Metaphrastes: Ἔφερεν οὖν τὴν κεφαλὴν καθάπερ τι τρόπαιον ἐπὶ τῶν χειρῶν, &c. *Ferebat igitur caput in manibus, quasi trophæum aliquod.* Idem refert Methodius: Καὶ γὰρ τῇ μακαρίᾳ χειρὶ ἑαυτοῦ τὴν κεφαλὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ὑπὸ τῶν ἀνόμων τῷ ξίφει ἀποτμηθεῖσαν ἔλαβε, &c. *Etenim beatâ manu*

nu caput suum à corpore ab hominibus nefariis gladio præcisum accepit. Vide apud eosdem plura, & fusè apud Hilduinum.

Eadem de re ita Hugo à S. Victore lib. 4. De vanitate mundi, sub finem, *Dionysius Areopagita*, inquit, *accepto mandato Galliam penetrauit, & pugnans, vt vinceret, præualuit stabilire leges in terrâ. Ipse enim, vt ostenderet viam vitæ, propter testimonium veritatis, verbum sanguine consecrauit: & ne mors vitam hereditaret, in mortuis vitæ signum faciens, caput manibus baiulauit occisus*. Ita ille.

Nec silenda est hoc in loco Cælij Rhodigini de eodem miraculo pietas insignis & fides. Is lib. 3. Lectionum antiquarum, eius ita meminit: *Scribunt & Christianæ veritatis assertores celeberrimi, Dionysium Areopagitam martyrio coronatum, posteaquam resectum illi caput est, aliquamdiu progressum, suum sibi caput baiulantem. Scio, ridebunt hoc Philosophi tamquam parum constanti veritate dictum, nos autem Christi Saluatoris infinitæ potentiæ id adscriptum volumus verissimè ac sincerissimè*. Ita ille.

Feruntur & alij Martyres non pauci sua eodem modo capita tulisse, atque inter primos sub ipso Nerone affectus martyrio S. Vrsicinus medicus: cuius sanctum cadauer sese humo erexisse, caputque ambabus manibus apprehensum, ad locum, vbi sepulturæ mandandum erat, detulisse, à plerisque (vt scribit Hieronymus Rubeus lib. 1. De gestis Rauennatum) memoriæ proditum est. Aliqui etiam addunt ex eius collo tres palmæ ramos enatos. De S. Ione Dionysij discipulo notaui Capite XXI. Vitæ. De S. Lamberto agricolâ Cæsaraugustæ in Hispaniâ martyrium passo, testatur Flauius Lucius Dexter ad annum Christi 300. Romæ verò 1051. vbi de Cæsaraugustæ agens Martyribus, *Item*, inquit, *ibidem S. Lambertus, qui succisum caput manibus importans, Angelo duce sanctorum Martyrum numero sociatus*. Sic ibi. Fuit is Lambertus homo agricola, seruus cuiusdam infidelis, à quo accusatus, & fidei causâ in ipso agro, vbi boues agebat arantes, capite plexus, illud manibus suis exceptum detulit vsque ad ceterorum Martyrum sepulchra, illicque illum Psalmi versiculum pronuntiauit: *Exultabunt sancti in gloriâ*, cui succinentes alij Martyres subiunxerunt: *Lætabuntur in cubilibus suis*. Vide Vasæum in Chronico, & Florem sanctorum Hispaniæ.

De S. Eliphio martyre sub Iuliano Apostatâ sic scribit Rupertus Tuitiensis, in eius Vitâ, c. XII. *Martyris quippe corpus erexit se per virtutem Christi, & ambabus amplexum manibus caput suum, per vnum milliare, comitantibus vtiq; Angelis, & Christum collaudantibus, deportauit. Deinde subiit in montem ipsum, & ibi lapidem colore album, situ planum inueniens, sedit super eum; protinusq; duritia lapidis officiosè cessit pio martyri. Etenim, quasi cera benè mollis, insidenti gremium aperiens, concauum subsellium præbuit, secuturis memorabile sæculis. Vnde hactenus mons ille, mons dicitur S. Eliphij*. Ita Rupertus.

De S. Oriculo martyrium passo in persecutione Wandalicâ, qui abscissum caput in fonte lauit, atque ad sepulchrum, quod sibi parauerat, detulit, videndus est Flodoardus lib. 1. Historiæ Rhemensis cap. 8.

De Seuerino Boëtio, illustri Scriptore, ita Iulianus Martianus in eius Vitâ: *Ticini incolæ semper à maioribus traditum constanter asseuerant, Seuerinum, cùm regius spiculator lethale vulnus intulisset, vtraque manu diuulsum caput sustinuisse, interrogatumque à quonam se percussum existimaret, Ab impiis, respondisse: atque ita cùm in vicinum templum venisset, & flexis genibus ante altare sacra percepisset, paulò pòst expirasse. Extinctus diuinos honores à nostris cōsecutus est: quòd pro Catholicis contra perfidiam Arij mortem sustinuerit*. Sic ille. Occisus est autem à Theodorico Rege Ariano ad annū Domini 526. Visitur Ticini in æde S. Augustini, carcer eius & sepulchrum. Nota per *diuinos honores* intelligi sacros & religiosos, quales Martyribus exhibentur, non autem quales Deo. De S. Lauriano Hispalensi Archiepiscopo, sic inter alia scribit Lucius Marineus Siculus, lib. 5. de Rebus Hispaniæ, ante medium: *Mox autem ab eodem Angelo monitus vt in Hispaniam rediret, quia pro fide Christi martyrium pati eum oporteret, reuertens, in itinere à Totilæ Regis satellitibus capite obtruncatur. Quod quidem caput abscissum manibus suis accepit. Quòd cùm satellites vidissent, metu perterriti ad Christi fidem conuersi, & Baptismatis oleo peruncti, caput Lauriani flentes Hispalim detulerunt. Et cùm Regi omnia, quæ viderant, retulissent, Rex quoque Christi nomen assumpsit, & huius Sancti & aliorum templa ædificari præcepit*. Ita ibi. De eodem S. Lauriano agit Ioannes Vasæus in Chronico ad annum Domini 544. quo ista euenisse creduntur.

De S. Proculo Bononiensi Sigonius lib. 1. Hist. Bononiensis. De S. Iustino, puero nouenni, sub Impp. Diocletiano & Maximiano, Venerabilis Beda Tomo 3. & ex eo Surius Tomo 5. Vitarum SS. idem miraculum tradiderunt. Adde his S. Theocnistum & socios martyres, S. Iustinianum monachum, S. Decumanum eremitam, S. Ofitham virginem & mart. & alios. De quibus quidem Martyribus, ac præsertim de S. Dionysio & sociis, liceat mihi aurea illa B. Ioannis Chrysostomi verba vsurpare, & Francorū pietatem pari cohortatione excitare: *Sæpè*, inquam, *eos inuisamus: tumulos adornemus, magnaq; fide Reliquias eorum contingamus: vt inde benedictionem aliquam assequamur. Etenim sicut milites vulnera in præliis sibi inflicta Regi monstrantes fidenter loquuntur, ita & illi in manibus abscecta capita gestantes, & in medium adferentes, quæcumque voluerint, à Rege cælorum impetrare possunt*. Ita Chrysostomus Homiliâ de sanctis Martyribus Iuuentino & Maximo, sub finem.

i CATVLLA EI NOMEN FVIT, &c.] Huius Catullæ meminerunt tam Græci quàm Latini Scriptores Vitæ S. Dionysij. Illi Κατούλλαν vocant. Eius memoriam in Menæo quoque reperies.

k NAM SATELLITES MENSA EXCEPTOS, &c.] Scribit S. Ioannes Chrysostomus pari stratagemate vsum patrem sanctarum Bernices & Prosdoces martyrum, Hom. 51. ad Popul. Antiochenum. Is enim, quò filiabus suis faciliorem martyrij cursum efficeret, militibus qui eas custodiebant, prandium apposuit, vinum affatim propinauit. Ita dum illi epulantur & inebriantur, virgines duæ adiuuante matre in proximum fluuium se demerserunt, & breui martyrio iniurias

vimque

vimque satellitum tutâ castitate redemerunt. Laudat illas integrâ Oratione S. Chrysostomus, & ex Hierapoli vrbe Phrygiæ, vbi hæc facta sunt, ad verè sacram vrbem, hoc est, ad cælum emigrasse tradit.

l IN FEMINÆ HONOREM CATVLLIACVS.] Meminit huius vici Aimoïnus libro 4. Historiæ Francorum, c.17. vbi agens de Rege Dagoberto, *In vicum*, inquit, *cui Catulliacus vocabulum est, cursu defertur. In hoc viculo ædicula erat, quæ corpora martyrum Dionysij ac sociorum eius tegebat.*

m ILLI DIE QVADAM.] Refertur hoc visum in Actis S. Reguli Arelatensis Episcopi, apud Vincentium Bellouacensem libro 10. cap.28. & apud Petrum Equilinum lib.4. cap.15. & lib.9. cap.41. in Actis SS. Dionysij & sociorum, & apud alios.

n TVM IGITVR IPSA QVOQVE ILLORVM SE DISCIPVLAM APERIENTE.] Id apud Vincentium Bellouacensem innuitur in Actis S. Reguli, lib.10. Historialis speculi c.21. vbi de eadem beatâ Catullâ dicitur: *Fuerat enim à B. Dionysio signo Crucis præsignata.* Fidelis quoque fuisse indicatur apud S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum, 1. parte, tit.6. capitulo 28. *Quædam autem nobilis matrona fidelis*, inquit, *timens ne corpora Sanctorum in flumen vicinum iactarentur ab occisoribus Sanctorum*, &c. Apud Hilduinum verò in Areopagiticis traditur nondum fuisse baptizata. *Nam nobilis quædam materfamilias*, inquit, *Catulla nomine, quæ licet Paganorum adhuc erroribus, necessitate potiùs quàm voluntate teneretur addicta, conuerti tamē ad fidem Christi per exempla Martyrum, atque ad Baptismi gratiam se peruenire desiderare, & mente demonstrabat & opere, Dei misericordiâ inspirata, mactæ virtutis consilium appetiuit: atque ad conuiuium venire postulat sanctorum corporum perditores.*

Verisimile est, eamdem Catullam fuisse tantùm catechumenam in S. Dionysij & sociorum martyrio, siue primis dumtaxat fidei rudimentis citra Baptismum imbutam, illo autem à S. Regulo in hac apud ipsum commoratione illustratam.

CAPVT XXI.

Discipulorum S. Dionysij labores & fructus, nonnullæque eiusdem martyris salutiferæ post mortem apparitiones.

Discipuli coronæ magistrorum.



VT filij parentibus, sic discipuli magistris honori, laudi, gloriæ, & instar pulchræ & suaueolentis coronæ existunt. Tales fuêre Dionysio (vt omittamus Rusticum & Eleutherium, primas illius coronæ rosas) illi insignes Ecclesiarum duces S. Ion (quem a modò Ionam, modò Ionium inuenimus appellatum) Sanctinus, Antoninus, Taurinus, Regulus, Eugenius, complures alij: sed nominare singulos longum, præcipuos non omisisse necessarium. Hi ergo à discessu Patris verè patrios gerere animos, & pro se vnusquisque sollicitus esse, vt paternarum virtutum additâ hereditate, suam quisque vineam sanctâ quadam æmulatione, quàm posset excultissimam Dei gratiâ & suo labore redderet. Ion quidē Presbyter, qui primò Athenis Romam cum Dionysio, deinde Româ in Galliam cum eodem transierat, sacerdotij sui partes & viuente & vitâ functo Præceptore examussim impleuit, semenque Euangelij præsertim b in agro Castresio cum persuaui virtutum suarum odore, & temperantis animi fragrantiâ dispersit: quippe aquâ solâ & herbis solitus vitam sustinere, & per tempus quidem quadragenarij ieiunij bis dumtaxat quothebdomadis cibum sumere. Is admiratus magistri fortitudinem, & magno eius imitandi studio succensus, in paria se iecit certamina, primisque Gentilium sub Christi iugum ductis, inscenso martyrij curru triumphauit. Cōprehensus enim haud procul Lutetiâ, & Fidei titulo interemptus magistri trophæū triumphumque etiam in eo repræsentauit, quòd resectum à ceruicibus caput palmis excepit, atque ad montem vnâ ferè leucâ distantem, vbi & sepultus est, deportauit. Loco accessit honos, vt Mons S. Ionis diceretur. Huius diem natalem adscribunt Martyrologia decimo Kalendas Octobris tali elogio: *Apud pagum Castrensium, sancti Ionis Presbyteri & martyris: qui cum S. Dionysio profectus in Galliam, iussu Iuliani Præfecti verberibus cæsus, gladio martyrium consummauit.*

Ionis Presbyteri laudes.

Abstinētia singularis exemplum.

S. Ion recisum à ceruicibus caput manibus portauit.

Martyrol. Rom. 22. Sept.

Iungamus S. Ioni B. Sanctinum Meldensem Episcopum, quandoquidem in iisdem Ecclesiæ tabulis eadem coniunctus die reperitur, hisce verbis: c *Apud ciuitatem Meldensem*, d *beati Sanctini Episcopi, discipuli S. Dionysij Areopagitæ, qui eiusdem ciuitatis Episcopus ab eo consecratus primus illic Euangelium prædicauit.* Is est, qui Dionysij magistri sui certamen vnà cum Antonino spectauit, descripsit, ad Pontificem detulit: tandemque ad suos reuersus, & vitâ & miraculis clarus, relicto successore Antonino, post multa animarum lucra feliciter emigrauit. Quem & ipse Antoninus iisdem virtutum vestigiis, & pari successu & exitu ad cælum est consecutus.

S. Sanctini Meldensis Episcopi laudes.

Martyrol. Rom. ibid.

S. Antonini Episcopi Meldensis honores.

Iam verò Taurinus Ebroicensis Episcopus, de quo suprà nonnihil memoraui, post sancti Patris è terrâ excessum tantò impensiùs in omnem partem intendere, quò Ecclesia, tanto Parente orba, maiorem à successoribus curam exigebat. Is edendorum ad inducendam firmandamque

Cap. XVI. *S. Taurini Ebroicensis Episcopi res gesta.*

que Fidem, prodigiorum facultate prædi-tus fuit planè admirabili. e Nam vnâ eademque die præter alia, etiam mutis hominibus quatuor loquendi vsum, & cæcis octo videndi vim conciliauit, & vitam vni reddidit. Aliàs verò sacrificulis Dianam colentibus depulsum à simulacro dæmonem turpissimum cum ingenti ipsorum horrore & detestatione conspicuum præbuit. Denique multum populi quà cohortationibus, quà curationibus, quà miraculis Deo cùm acquisiuisset, ad eum victor transiit.

Eiusdem miracula.

De Regulo autem, cuius nonnulla superiùs mentio facta est, quid eius dignū virtutibus dici potest? eodē enim quo dux suus spiritu semper ambulauit, semper laborauit, semper ad extremū vsq; aduersus impietatem decertauit: nec sine ducis ipsius quamuis emeriti, quamuis in cælo triumphantis præsenti ope & interuentu. Nam cùm ab excessu Dionysij, Siluanectum (vrbs est Lutetiam inter & Nouiomum) Fidei propagandæ causâ profectus esset, multaque tam per iter, quàm in vrbe ipsâ, pro vnius Dei cultu asserendo, miracula patraret, simulacra destrueret, dæmones expelleret, mortales multos Christo lucrifaceret: ipsi fanorum ac delubrorum Pontifices nimiâ irâ succensi, Quintilianum eius vrbis Præfectum adierunt: virum sanctum impietatis atque sacrilegij insimularunt: pœnas cum sanguine popoſcerunt: nec ille mori recusauit: iam surrexerat, iamque ibat (nouus enim dolor, dimissis à Regulo è carcere suopte motu Christianis, Præfecti animum vehementiùs inflammarat) nisi coniux Christiana, & olim ab ipso Dionysio noxis abluta, mariti impetum prudentiâ suâ retardasset: atque etiam nisi Dionysius meditatam discipulo pœnam non auertisset modò, sed in honorem quoque & in gaudium conuertisset. Dum enim Præfectus de sanctissimi Præsulis nece, sollicitâ secum mente pertractat, benignissimus autem Deus solitâ pietate de serui sui salute disponit, ecce Dionysius nocte intempestâ, cum duobus sociis palmæ consortibus, per visum Præfecto se obiicere, & sic affari: *Quintiliane, Dominus Iesus Christus, cuius nos seruos professione fideli fatemur, huc salutis tuæ causâ nos misit, vt relicto dæmonum cultu, ad eum conuertaris, & postpositâ tyrannide, Christianæ Religionis cultor deinceps existas. Igitur primo manè fratrem nostrum inquire Regulum, à quo noxarum veniam postulans, quidquid iusserit, nihil reluctans facito.* Ille autem expergefactus narrare vxori

S. Reguli Acta.

Motus in S. Regulum ab idolorū sacrificulis concitatus.

S. Dionysij post mortē apparitio.

somnium atque visum, & imagines eorum qui apparuerant, ab ætate, formâ, lineamentis exactè depingere: Tum illa, *Noueris, inquit, dilecte mi, hos qui tibi locuti sunt, non alios esse quàm beatum Dionysium, eiusq; socios, qui ad Lutetiam à Præfecto Fescēnino obtruncati palmam obtinuerunt martyrij. Quocircà benè & ex salute tuâ facies, si quēadmodum ab ijsdem Sanctis diuinitus es commonitus, sanctum adeas Pontificem, & quidquid ipse iusserit, facias: ne, si secùs faxis, iram omnipotentis Dei Christianorum incurras.* Ne multa. Paruit ille coniugis & Sanctorum monitis, atque ad virum Dei, mandata accepturus, & legem Christi vnà cum omni familiâ amplexurus, se contulit. Tum verò Pontifex tam ipsum Præfectum, quàm totam ferè ciuitatem ad sua sacra confluere intuitus, miris incedere lætitiis, & palàm Christi laudes ex toto corde resonare. Ita nimirum viri sancti etiam hinc ad æterna translati nostra curant: ita Ecclesiæ inuigilant, ita gentilium saluti student, ita honorem Dei amplificant. Eximium igitur quidem sanè & germanum Dionysij discipulum fuisse hunc Regulum prorsus necesse est, cuius pia studia magister suus sic cordi habuerit, sic ex alto inspexerit. Et quàm vicina, Deus bone, nobis sunt sanctorum auxilia! sed illorum potissimè, qui Patres nostri ac Pōtifices in terris extiterunt; si tamen eorum insistentes vestigiis, & vt germani filij, eorum mandatis obsequentes simus, & deuotâ prece amicam opem imploremus. A Regulo ad Eugenium mox veniam, si vnicum dumtaxat de illo priùs addidero; quemadmodum scilicet Regulus eò virtutis dignitatisque peruenerit, vt Fidei Dux, & Rex sacrorum, & quidem talis tantusq; euaderet. Nempe primo in adolescentiæ flore B. Ioannem Apostolum audiuit, suspexit, secutus est: cuius cælesti ac mellifluo delibutus eloquio, nobilis & diues cùm esset, omnia post Christi paupertatem & Euangelicam doctrinam posuit. Athenas dehinc profectus Dionysio adhæsit, quem & primò Romam, & deinde in Galliam, vt antè memini, est comitatus, & quod multò amplius est, in moribus atque laboribus proximè imitatus.

Quintilianus Siluanecti vrbis Præfectus ab vxore Christianâ interpretationem visi nocturni edocetur, & ad Christi fidem conuertitur.

S. Regulus fuit Ioannis Apostoli auditor.

f Nunc de Eugenio, & vt verè nomen sonat, *Nobili*, non tam illâ nobilitate quam de caducâ hominis stirpe stultus suspicit mundus, quàm illâ verâ & solidâ, quam de manu Domini sapiens suscipit Christianus. Hic igitur cùm in Dionysij comitatu atque disciplinâ vim ingenij magnorum capacis ostendisset, præclareque facer-

S. Eugenij Episcopi Toletani laudes.

sacerdotij sui munus explêsset, ab eo denique in Episcoporum ordinem cooptatus, atque in Hispaniam ablegatus est: vbi sic rem gessit, sic Ecclesiæ Toletanæ habenas rexit, vt nobilissimæ illius prouinciæ ad Christianam legem accessio illi potissimè, tamquam primo atque omnium sanctissimo Pontifici, accepta meritò referenda sit. Qui post innumeram rudis populi multitudinem sanctâ Religione imbutam, [g] reuisendi aliquando magistri, & sermones cum eo conferendi desiderio captus, in Galliam transiit: sed, heu dolor! vbi spiritus voluptatem ex amici affatu sperabat non mediocrem, ibi ex eiusdem deproperato interitu incredibilem hausit animo dolorem. Nam priusquam Parisios attigisset, occisum intellexit. Itaque & mortuum luxit vt patrem, [h] & pro Fide occisum laudauit vt victorem. Neque verò iter aut inhibuit aut reflexit; sed vel inuisendi sepulchri amans, vel paris sortiendæ sortis cupidus, Lutetiam versus iter prosecutus est: neque amplius quatuor milliaribus iam distabat, cùm & ipse interceptus à Fidei hostibus, & interfectus est. Cadauer in lacum Marcosium proiecerunt. Ibi diutissimè, imò, vt Auctores non pauci tradiderunt, [i] annos circiter ducentos immersum delituit. Neque tamen vel Dei prouidentia in custodiendo, vel Dionysij cura in reuelando desiderata est: & tanti temporis latebræ corporis probauêre dignitatẽ. Nam saluum & incolume duobus pòst sæculis non vsitato repertum est miraculo. Sic autem repertũ vulgata fert fides: Hercoldus vir nobilis & locuples, Constantini Magni, vt aiunt, temporibus, domum & agros propter lacum illum habebat: cùm autem ex oculis grauiter laboraret, ecce illi S. Dionysius per noctem in venerandi formâ senis se offerre, ac læto hilarique vultu ita compellare: *Hercolde frater, surge ex morbo sanus, & ad vicinum adi lacum, condiscipuli nostri Eugenij corpus illic require, ac honestè sepeli. Nam illius gratiâ & meritis magna huic populo collaturus est Deus beneficia.* His auditis expergefactus Hercoldus, & sanum se cernens ac demirans, nimio gaudio exultat tam de diuino viso, quàm de curato visu. Nec mora est, quin continuò lacum petat, corpus educat, sepulturâ donet. Verùm id omnibus meritò perquam mirum & verè Dei opus apparere, tam integrum illud, tam recens reperiri, atque si illo die & non ducẽtis antè annis fuisset neci datum. In fundo autem suo cùm perhonorificè sepelisset, posteaq; sepulcro superædificatũ martyris honori sacrarium fuisset, ingentia ibi miracula, & exinde concursus admirabiles facti. Sacrum igitur corpus terra Gallia, vt pretiosorũ huiusmodi pignorum cultrix studiosissima, & multis sæculis & ingenti curâ retinuit: sic tamen, vt nonnullam reliquiarum portionem viri pientissimi exorarint, potentissimi impetrarint. [k] Decimo enim circiter ab ortu Christi sæculo, hoc est, octingentis eoque amplius pòst annis, quàm idem beatus Eugenius martyrij laureâ decoratus fuerat, sanctus Gerardus Abbas Broniensis nonnullas eius Reliquias (cuius in honorem Oratorium quondam monachus extruxerat) à S. Dionysij cœnobitis, qui illas in suo monasterio Parisiis asseruabant, precariò obtinuit. Quo etiam tempore præclara eiusdem martyris Acta in Concilio Leodiensi recognita, & publicè deinceps quotannis legi iussa: imò ipse [l] qui ei Concilio præerat Stephanus Leodiensis Episcopus, vir sanctissimus hæc in eiusdem Eugenij honorem addidit. *Decreto*, inquit, *Pontificio statuitur, & hæc sancta Synodus ei subscribens assentit, vt per totam, in quâ S. Martyr quiescet, decaniam, solemnitas eius instar Dominicæ diei celebretur, & Ecclesia Broniensis ab omni opsonio Leodiensi Episcopo ex debito persoluendo deinceps immunis sit.* Edictum quoque proposuit idẽ Episcopus, vt transeuntibus in Leodiensem & Namurcẽsem terram eiusdem S. Eugenij Reliquiis, denso ac frequenti agmine obuiàm iretur, & in præparatum ipsis locum magno cum gaudio inferrentur. Nam S. Gerardus Parisiis delatas, Cuuinij, quod eiusdem diœcesis oppidum est Lotharingię finitimum, tantisper deposuerat, rogatumq; interim Antistitem Stephanum venerat, num ei placeret, vti publicus S. Eugenij Reliquiis honos haberetur? Cui ille, vt iucundo erat ac perspicaci ingenio, audito nomine Eugenij, *Prorsus*, inquit, *ita faciendũ, & magno Eugenio cum magno euge obuiandũ est.* Itaque sic factũ. [m] Annis verò post hanc trãslationem ampliùs ducẽtis, hoc est, Christi circiter millesimo centesimo quinquagesimo sexto, cùm Ludouicus VII. Rex Galliæ Toleti esset, mentioque S. Eugenij incidisset, ab eo impetrata est, quamuis ægrè, pars aliqua eius Reliquiarum, nempe brachium dextrũ. Quibus Reliquiis, cùm ab Abbate sancti Dionysij, Regis Ludouici Legato, Toletum deferrentur, ipse Alphonsus Castellæ Rex, Imperator nuncupatus, cum filiis Regibus, & Proceribus, & sacris Ordinibus, & magnâ confluentium mortalium turbâ, ritu Supplicationis pro-

Eiusdem in Galliam profectio & martyriũ.

Corpus S. Eugenij ducentis post mortẽ annis integrum.

S. Dionysius apparet Hercoldo, & eum sanat.

S. Eugenij honorifica sepultura, & ad sepulcrum miracula.

S. Gerardus Abbas Broniensis obtinet aliquas sancti Eugenij Reliquias.

S. Eugenij Acta in Concilio Leodiensi recognita.

Stephani Episcopi Leodiensis decretum, de honorãdis S. Eugenij Toletani Reliquiis.

Cuuinij, oppido Diœcesis Leodiensis, deponuntur S. Eugenij Reliquiæ.

Reliquiarũ S. Eugenij translatio.

Ioannes Mariana l. 4. de Rebus Hispaniæ, c. 4.

processit in occursum, succollantibusque ipso & duobus filiis Regibus, theca ipsa in ædem maximam insigni pompâ & solemnitate illata est, anno salutis, vt dixi, millesimo centesimo quinquagesimo sexto, pridie Idus Februarij. [n] Nec verò cessauit Hispana pietas, donec cetera Patroni sui ossa, quæ in Galliis residua erant, obtineret, atque in Ecclesiam Toletanam, quam ille idem primus pastor instituerat fundaratque, velut in propriam possessionem ex Gallorũ concessione transferret. Quare Philippus II. Hispaniarum Rex legationem pro iis impetrandis ad Carolum IX. Galliæ Regem misit, tandemq; anno salutis quingentesimo sexagesimo quinto supra millesimum, hoc est, annis post iam dictam dextri brachij translationem quadringentis nouem, impetrauit. Tum igitur honos eidem Eugenio tantus ab Hispaniâ, & ab eius Rege potissimùm est habitus, quantus haberi ab homine mortali possit. Quippe præter aliam translationis pompam & apparatum incomparabilem, Rex ipse Catholicus incredibili succensus pietate, oneri subire, & humeros feretro supponere, atque in pristinam Toletanam sedem, tanto pòst interuallo velut reducem Episcopum sanctissimum & martyrem gloriosissimum reuehere, pro magno honore & voluptate habuit. Quo in facto palàm sanè toti mundo fecit, quàm altè Christiana & auita pietas cordi regio & tantorum potenti honorum & regnorum insideret. Huius porrò Martyris sacra solemnisq; memoria decimoseptimo Kalẽdas Decembris Romano adscripta Martyrologio sic legitur: *Natalis sancti Eugenij Episcopi Toletani & Martyris, B. Dionysij Areopagitæ discipuli, qui in territorio Parisiensi consummato martyrij cursu, beatæ passionis coronam percepit à Domino. Cuius corpus Toletum posteà fuit translatum.* Fusiorem huius postremæ translationis descriptionem, arcuumque item triumphalium tunc erectorum, vide apud Guilielmum Eysengreineum Centen. 1. Parte 1. distinct. 4. De Hispanis Pontificibus. Hactenus de B. Dionysij eximiis aliquot discipulis: nunc ad aliquas virtutes in diuinis ipsius scriptis prælucentes attendamus.

Philippus Secundus Hispaniarum Rex à Carolo Nono, Rege Galliæ, reliqua corporis S. Eugenij impetrat.

Eiusdem Philippi in Reliquiarum cultu pietas.

Translationis corporis sancti Eugenij Toletum attestatio.

NOTATIONES.

Recensentur hoc Capite præcipui discipulorum S. Dionysij.

a Modo Ionam, &c.] Ionas vocatur in Martyrologio Romano 22. Sept. & in Flauij Dextri Chronico ad annum Christi 86. & alibi. Ionius autem à Vincentio Bellouacensi lib. 10. cap. 23. & à S. Antonino in 1. Parte titul. 6. cap. 18. §. 2. & quibusdam in Martyrologiis ad diem 5. Augusti. Verùm à Francis & olim & nunc, cum monte eiusdem nominis Ion appellatur, quo modo & à Petro Equilino lib. Catalogi Sanctorũ 8. c. 106. & à D. Boucherio Doctore Sorbonico, in Epistolâ de Dionysij gemino Episcopatu, & germanis eius libris ad Petrum Lanssellium datâ.

b In Agro Castresio.] Galli suâ linguâ vocant *Chastres sous Montlehery*. Castresium vocat etiam Equilinus loco citato. Aliqui *Castrensium*. sed tum est genitiuus plur. Franciscus Biuarius existimat agrum Castresium, siue pagũ Castrensium, idem esse quod *Castra Cæcilia* in Lusitaniâ. Vide illum in Cõmentario ad Dextri Chronicon anno Christi 86. numero 12. & anno 130. num. 4. De Ione seu Ionâ egimus etiam suprà ad Cap. x.

c Apud civitatem Meldensem.] Nomen ciuitatis est Meldæ, Gallicè *Meaulx*. Est ciuitas Episcopalis, media inter Lutetiam Parisiorum (à quâ distat decem millibus passuum) & Castrum Theodorici. Multos habuit sanctos Episcopos, quorum primus fuit B. Sanctinus, de quo hîc agitur: secundus S. Antoninus Sanctini comes & successor: qui ambo coluntur ad diem 22. Septembris. Alios vide apud Philippum Ferrarium in nouâ Topographiâ.

d Beati Sanctini Episcopi.] De illo egi suprà ad Cap. xv. & xvii. Eum autem scripsisse martyrium S. Dionysij magistri sui, est in ipsius Sanctini Actis apud Vincentium Bellouacẽsem, lib. 10. Speculi historialis, cap. 22. Sed in tempore consuetus error (vt sæpè diximus, & alibi causam erroris attulimus) in eo corrigendus est, quòd Domitiano attribuat quæ sunt Hadriani. Probauimus enim S. Dionysium imperante Hadriano affectum esse martyrio.

e Nam vna eademqve die.] Habent sancti Taurini Acta apud Vincentium Bellouac. libro 10. cap. 34. illum suscitasse Eufrasiam Lucij filiam, eademque ipsâ die ab eo baptizatos centum viginti homines, octo cæcos illuminatos, quatuor mutos sanatos, aliasque virtutes non modicas esse patratas.

f Nvnc de Evgenio, &c.] Aliqua de illo tetigimus Quæst. iii. infrà, vbi disputauimus, idémne sit Eugenius & Marcellus; & dato eumdem esse, an etiam ille Eugenius sit Timotheus ille, ad quem Dionysius Areopagita libros suos misit, & cui eosdem dedicauit. Vide ibi.

g Revisendi aliqvando magistri, &c.] Venisse Eugenium in Galliam ex Hispaniâ, reuisendi Dionysij & cum eo conferendi gratiâ, habemus auctoritatem Gothici Breuiarij, quam vide suprà Cap. xii. Vide & Ioannem Marianã lib. 4. de Rebus Hispaniæ, cap. 4. vbi inter alia: *Studio Dionysium inuisendi*, inquit, *in interiorem Galliam penetrauit, cùm à Sisinnij Præfecti satellitibus comprehensus in vestigio est occisus. Corpus in Marcasium lacum conjectum. Galliâ demum Christi sacris populariter imbutâ, Hercoldus vir primarius diuino monitu in Diolum pagum lacui vicinum delatum, templo eius nomine dicato coluit.* Vide etiam L. Marineum Siculum lib. 5. de Rebus Hispaniæ.

h Et

h Et pro Fide occisvm lavdavit, vt victorem.] Testis est Flauius Dexter ad Christi annum 130. S.Dionysij martyrium ab Eugenio celebratum *elegantissimo* (sic enim ait) *carmine.* Hilduinus quoque Abbas in Epistolâ ad Ludouicum Pium semper Augustum, testatur, S.Eugeniũ Toletanum scripsisse Hymnum de beato Dionysio. *Nec mirari*, inquit, *quis poterit, cùm Hymnum S. Eugenij Toletani de B.Dionysio habeamus, & vicinorum sapientium scriptis exceptis paucis videamur carere.*

Istum Hymnum depromptum è sacro Dionysiani cœnobij armario hîc proferimus. Sic igitur habet:

Cæli ciues applaudite
Mundi iucundo lumini,
Quo illustratur cælitus
Huius diei gratia.
Præcelsa fides Martyris,
Sacrique vita Antistitis,
Dionysij nobilis
Hodie palmam suscepit.
Areopago Ecclesia
Regis sumpsit diadema
Cælestis, gemmam fulgidam
Dionysium Sophistam.
Paulo docente, speculum
Habet fides fidelium,
Et spiculum Gentilitas,
Quem antè murum nouerat.
Miro clarescens dogmate
Illuminauit Græciam:
Et inclytus hinc Pontifex
Vrbem Romanam adijt.
Clemente Romæ Præsule
Iubente, venit Galliam:
Cui iubar solis splendidi
Illuxit signis, famine.
Tandem repulso dæmone,
Constructo sacro opere,
Pœnis affectus maximis
Cæsâ ceruice cælum adit.
Aue Pater scandens polum:
Aue pie, visens solum:
Annua festi munera
Tuâ sacrans præsentiâ.
Offer Sacerdos optime
Gemitus nostros & preces:
Firma fidem Martyr Dei,
Moresque nostros corrige.
Ope guberna fragiles,
In mundi huius Pelago,
Atque exutos corpore
Pie benignus suscipe.
Quò sine fine gloriam
Deo Patri cum Filio,
Vnà cum sancto Spiritu
Tecum canamus perpetim. Amen.

Scripsit autem Eugenius Hymnum illum, audito in itinere martyrij nuntio, priusquam aduenisset ad sepulchri locum. Nam in ipsâ viâ occisus est, & quidem à Præfecto Sisinnio, vt paulò superiùs innuit Mariana, hoc est, ab eodem à quo S.Dionysius; quippe non multo interuallo alter post alterum.

L. Marineus Siculus loco suprà citato, *Qui postquam visitauit magistrum Dionysium*, inquit, *cùm iter esset ingressus, à Gentilibus deprehensus, & ex fidei confessione quis esset cognitus, gladio aperiente viam, quâ magister suus illuc iam præcesserat, cælum coronatus ingreditur.*

i Annos circiter dvcentos immersvm delitvit.] Ita scripserunt Vasæus in Chronico ad annum Domini 97. Thomas de Trugillo Tom.2.Thesauri, ad 15. Nouembris; & Franciscus Biuarius in Commentario ad Dextrum, anno Christi 130. & alij. Verba Thomæ sunt: *Ibi ergo mansit per ducentos annos, donec tandem tempore Constantini Imper. facta fuit reuelatio Christiano cuidam Equiti, qui vocabatur Hercoldus*, &c. Biuarij autem: *Quomodo in Gallias tendens martyrij lauream adeptus, ac in lacum Marcasium iniectus, & inde reuelatione Hercoldo nobili viro à sancto Dionysio facta, præclaro signo sanitatis miraculosè ipsi impertitæ, post ducentos aquei latibuli annos recèns eductus, digno honore habitus fuerit*, &c. Quibus accedere videtur iam antè laudatus Mariana, dum indicat corpus repertum esse, *Galliâ demum Christi sacris populariter imbutâ.* Hoc autem factum esse non videtur ante tempora Cõstantini. Hic enim primus fecit, vt toti populi ad Christum concurrerent, & populariter Christi sacris imbuerentur. Huic etiam sententiæ fauet Gothicum Toletanum Breuiarium in Hymno de sancto Eugenio, vbi hæc de eius martyrio, & corporis in illo lacu demersione, & perduratione, & reuelatione:

Patrem desiderat, votum prosequitur:
Iam propè venerat, hostis irascitur:
Sanctus vir rapitur, quem ensis temerat,
Caput vellens à corpore.

In lacu proximo corpus submittitur,
Custodi optimo pignus committitur,
Recens, vt mittitur, manet longissimo
Sub vndâ corpus tempore.

Hercoldus patitur, quem Dei visio
Ex hoc alloquitur in Dionysio:
Salutis pretio Sanctus redimitur
Digno locandus decore.

k Decimo enim circiter, ab ortv Christi, sæcvlo.] Agitur hîc de nonnullarum sancti Eugenij Reliquiarum translatione ad Broniense monasterium in diœcesi Leodiensi situm. Cuius translationis mentio non tantùm in Vitâ sancti Gerardi Abbatis Broniensis, sed etiam apud Ægidium à Leodio, Aureæ-vallis Religioso, reperitur. Vide Gesta Pontificum Tungrensium seu Leodiensium Tomo 1. vbi Anselmum res Stephani Episcopi persequitur. Illic igitur Ægidius in suis ad Anselmus Additamentis ita de Gerardo Abbate scribit: *Per prædictum etiam Gerardum, corpus sancti Eugenij Tolosanæ vrbis Episcopi & Martyris in Episcopatum Leodiensem translatum est. Qui beatus Eugenius discipulus Apostolorum fuit, & à B. Dionysio ordinatus Toletanæ vrbis Episcopus. Passus est martyrium sub Fescennino Præside, decimo septimo Kalendas Decembris, sub quo & B.Dionysius passus est.* Fuit hæc prima translatio, quam etiam agnoscunt Molanus, & Baronius in suis Annotationibus ad Martyrologia, ad 15. Nouemb. & Ioannes Mariana lib. 10. De Rebus Hispaniæ, cap.20.

[l] Qui ei Concilio praeerat Stephanus Leodiensis Episcopus.] Hic fuit in Episcoporum Leodiensium serie trigesimus nonus, initq; Pontificatum anno Christi 903. hoc est, initio sæculi decimi. Ad quem annum ita Sigebertus in Chronico: *Francone Leodiensium Episcopo mortuo, Stephanus Episcopus subrogatur, vir sanctitate & scientiâ clarus, qui vitam & passionem S. Lamberti martyris ad Herimannũ Archiepiscopum vrbanius edidit. Cantum quoq; nocturnum de eodem martyre, cantumque de sanctâ Trinitate, & de inuentione Stephani Protomartyris, dulci & regulari modulatione composuit.*

De miraculo S. Eugenij in curatione eiusdem Stephani Episcopi, vide Ægidium loco suprà citato.

Notandum porrò in hac translatione, licet ab Ægidio dicatur corpus translatum, minimè intelligendum esse de toto corpore, sed tantùm de portione aliquâ corporis. Est enim hæc frequẽtissima (cùm de sanctis agitur Reliquiis) synecdoche partis pro toto. Vnde etiam error ille & certamen non raró nascitur, quo plures vrbes se alicuius Sancti corpus habere depugnant, cùm singulæ partem tantùm habeant.

[m] Annis vero post hanc translationem amplius ducentis.] Hæc est secunda trãslatio Reliquiarum S. Eugenij, quæ facta est anno Domini 1156. tempore Ludouici VII. Regis Galliæ, cùm Alphonsus Castellæ Rex brachiũ dextrum S. Eugenij ab illo obtinuit. Hanc secũdam translationem Molanus & Baronius in suis ad Martyrologia Notationibus, seu obliuione seu ignoratione prætererierunt, & quæ tertia fuit, secundam fecerunt, vt mox videbitur.

Huius autem, quam nos secundam ponimus, pleriq; omnes rerum Hispaniȩ Scriptores, mentionem in Alphonso, aut in Eugenij Vitâ fecerũt. Breuissimè Ioannes Mariana l. 4. De Rebus Hispaniæ, c. 4. his verbis: *Rege Castellæ Alphonso, qui Imperator est nuncupatus, eius brachium primùm Toletum relatũ est, Ludouico VII. Galliæ Rege concedente in soceri Regis gratiam, & Raymundi Toletani Præsulis. Nam quo is tempore Eugenio III. Rom. Pontifice ad Rhemensem Episcoporum conuentũ festinabat, ex itinere rem omnem de Hispanorum memoriâ obliteratã præsens explorauerat.* Fusiùs autem lib. 11. c. 3. Eamdem secundam translationem descripserunt Hispanicè in Vitâ S. Eugenij, Alphonsus de Villegas in Flore Sanctorum, & Petrus Ribadeneira in Vitis extrauagantibus. Vide etiam copiosè apud Thomam de Trugillo in Thesauro concionatorum, Tomo 2.

[n] Nec vero cessavit Hispana pietas, &c.] Hîc describitur tertia translatio earumdem sanctarũ Reliquiarum B. Eugenij, siue totius reliqui corporis, quantum quidem Lutetiæ tunc erat. Facta est autem rogatu Philippi II. Regis Hispaniarum, Cap. xxi. Huius translationis multò nobilissimæ omnes propè Scriptores meminerunt, & Hispani, & externi. Ex Hispanis quidem nominatim illi omnes quos modò laudaui, & alij quàm plurimi: ex aliis Molanus & Baronius locis priùs hîc citatis, in eo solo hallucinati, quòd secundam, vt dixi, appellauerint pro tertiâ.

CAPVT XXII.

Virtutes nonnullæ S. Dionysij ex eiusdem Scriptis delectæ, & primò Pietas.



Cvm aliarum S. Dionysij virtutum ipse Areopagus, tum verò Christianarum S. Paulus & S. Clemens testes quàm locupletissimi extiterunt. Siquidẽ illum nec Areopagus in suum consilium, nec hi Ecclesiæ Proceres ad munus Apostolicum, nisi omnibus florentem virtutibus adlegissent. Sed earũ virtutum quædam in suscepto vitæ genere, quædam in immortalibus eius scriptis illustriùs emicuerunt. Nam, vt alia missa faciã, quòd Episcopatu Atheniensi, quem ab Apostolis acceperat, spontè dimisso, multis in spargendâ Euangelij semente peragratis regionibus in Italiã peruenerit: quòd ex Italiâ in Galliã, hoc est, in terram eo quidem tempore satis incultam ac barbaram voluntarius abscesserit: quòd denique plurima ac diuersissima supplicia, non infracto tantùm animo, sed etiam læto pertulerit, atq; ad eadem pari virtute perferenda, alios animarit: has, inquam, virtutes verè heroicas ipsa vitæ series continet. Sed sunt etiam aliæ nonnullæ, quæ ex eiusdem scriptis, velut quidam è viridanti prato suaueolentes flores carptim delecti, aliquem piis animis odorẽ spargant, eæq; tres numero præcipuè, quas magnopere expediat omnibus, qui se ad scribendos libros conferunt, non minùs imprimi intus animis, quàm foras scriptis exprimi. Sunt autem hæ: pietas, modestia, mansuetudo. Pietas quidẽ in Deo & Sanctis, ad opem in scribendo præstandam inuocandis: modestia autem, in nullius scriptis, veterum præsertim & maiorum, contemnendis, sed eorum dignitate & auctoritate augendâ potiùs & tuendâ, quàm spernendâ aut eleuandâ: mansuetudo denique, non in scriptis modò, sed in actis quoq; omnibus, tam suis exhibendis, quàm alienis ferendis aut refellendis. Hȩ virtutes in B. Dionysij monumentis, si in cuiuspiam alterius, sanè quàm excellenter eluxerunt. Et spectetur in primis Pietas. *Pietas autem ad omnia vtilis est*, inquit Paulus. 1. Tim. 4, 8

Pietas quidem in omnibus, qui nunc exstant, eius libris, velut votiuæ quædam primitiæ, in ipso statim initio, & quasi primo limine sese offert. Nam cùm præter eius Epistolas, virtutem hanc egregiè redolentes, libri sint quatuor, vnus *de Cælesti Hierarchiâ*, alter *de Ecclesiasticâ Hierarchiâ*, tertius *de Diuinis nominibus*, quartus *de Mysticâ Theo-*

Theologiâ; in horum singulorum principiis prima in Deum pietas cunctis legentibus fronte religiosissimâ occurrit. Primum enim illorum à S. Iacobi verbis & Iesu inuocatione sic orditur: *Omne datum optimū, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminū. Quin & ipsa illuminationis à patre profluentis vniuersa processio benignâ in nos largitione emanās, rursus tamquam vis quædam copulatiua excitando dilatat, & ad Patris ipsius colligentis vnitatē, & Deificam simplicitatem cōuertit. Quoniam ex ipso, & in ipso sunt omnia, vt sacra loquuntur Eloquia. Quare inuocato Iesu*, inquit, *qui est lux Patris, lux existens, lux vera, quæ illuminat omnem hominē venientem in hunc mundum: per quem nobis ad Patrem, lucis auctorem, aditus patuit, ad sanctissimarum Scripturarum traditas à Patribus illustrationes, quoad eius fieri potest, suspiciamus: & quas nobis cælestium mentium hierarchias signis quibusdam subobscuris expresserunt, pro viribus speculemur.* Ita ibi. Iam autem Capite I I. eiusdem libri, antequam aggrediatur ad dicendum quid sit Hierarchiâ, *Sit autem*, inquit, *huius sermonis dux atque director Christus, si fas mihi est dicere, meus, qui totius expositionis hierarchicæ perfectissimus est inspirator.*

Iac. 1, 17.

Secundo item libro, qui est de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, sub primi Capitis initium ita prætendit pietatem: *Nunc autem hierarchiam nostram, eiusq; principium & naturam ita pro virili meâ exprimere conabor, si Iesum, qui omnium hierarchiarum est initium atque perfectio, antè inuocauero.* Et Cap. I I I. eiusdem libri, cùm de venerabilis Eucharistiæ Sacramento agit, ita ipsum sibi propitium exposcit, *Sed ô tu*, inquit, *diuinissimum atque sacrosanctum Sacramentum, circumiecta tibi symbolicè ænigmatum velamenta detegens, perspicuè nobis ostenditor, & mentis nostræ oculos singulari & inopertâ luce perfundito.* Iam libro I I I. qui est de Diuinis nominibus, Cap. I. ita scribit: *Mihi autē det Deus*, inquit, *vt diuinitatis, quæ nec appellari, nec nominari potest, beneficas variasq; appellationes pro eius dignitate laudibus efferam, neque ab ore meo verbum veritatis auferat.* Sed Capite I I I. eiusdem libri non modò pietatem suā satis aliàs testatam, sed vim quoque piarum precationum, tribus egregiis explicat similitudinibus, quibus hîc Lectorem æquum est munerari. Sic igitur habet. *Ac primam*, inquit, *si videtur, & perfectam & omnium Dei progressionum interpretem appellationem, inuocatâ Trinitate, quæ boni fons est, & bonum exuperat, & quæ suam omnem optimam prouidentiam exponit, consideremus. Precationibus enim ad eam, vt boni principiū, deduci primùm debemus; cumq; propiùs ad illam accesserimus, tum ex ipso dona longè optima, quæ penes eam sita sunt, edoceri. Nam ipsa quidem omnibus præsens est, non tamen illi præsentia sunt omnia; sed cùm puris precibus, & mente imperturbatâ, & animo ad diuinam coniunctionem apto illam inuocamus, tum demum illi præsentes sumus. Nec enim ita in loco est, vt ab illo absit, aut ex aliis ad alia commigret. Quin si eam in rebus omnibus esse dixerimus, tamen minus dixerimus, quàm eius postulet infinitas, quæ omnia & excedit & comprehendit. Itaque nos ipsos ad sublimiores diuinorum benignorumq; radiorum obtutus per preces extendamus. Quemadmodum enim si perillustrem catenam è cæli fastigio dependentem, atque huc vsque pertingentem, alternis semper manibus apprehendamus, attrahere quidem illam videbimur, re autem verâ non eam attrahemus, cùm suprà simul & infrà existat, sed nos potiùs ipsos ad altiores coruscantium radiorum fulgores sursum attollemus. Aut quemadmodum si nauigium aliquod ingressi, rudentes è saxo quopiam ad nos vsque protēsos auxilij causâ teneamus, non saxū ad nos, sed nos potiùs ac nauim ipsam ad saxum adducemus. Aut denique, quemadmodum si quis stans in naui saxum maritimū aspellat, nihil sanè contra fixum atq; immobile saxum proficiet, sed se ipse potiùs ab eo disiunget, tantoq; magis ab illo repellet, quantò illud magis dispulerit. Quare priusquam aliquid aut agamus, aut dicamus, præsertim quod ad Deum spectet, nobis à precibus ordiendum est, non quò vim illam vbique simul & nullibi præsentem attrahamus, sed quò Dei memoriâ & inuocatione nos ipsos ei tradamus, & copulemus.* Ita nimirum vir ille multò sapientissimus, nobis ad Deum & ad cælestia viam parari, ita ab humo ad cælum, velut quibusdam catenulis animos erigi ac subleuari docuit. Denique initio libri de Mysticâ Theologiâ, eadē pietas velut in primis foribus ita se obiicit. *O Trinitas*, inquit, *essentiâ, diuinitate, bonitate superior, diuinæ Christianorum sapientiæ dux, dirige nos ad ignotissimum & lucidissimum atque excellentissimum mysticorum Eloquiorum culmen, vbi simplicia & absoluta & immutabilia Theologiæ mysteria latent adoperta, præfulgente quadam silentij occulta sacra docentis caligine, quæ quidem vbi maximè videtur obscura, ibi supra modum lucem profert exuberantem, & in eo quod omnino tangi & videri non potest, longè pulcherrimis splendoribus mentes nec oculatas mirifi-*

V. Eucharistiæ tamquam viuæ & videntis inuocatio.

Precationum vis mirifica.

Egregiæ similitudines vim precationum ostendentes.

SS. Trinitatis inuocatio.

cè complet. Ita ille. Quam ad precationem ita Marsilius Ficinus, vir in Philosophiâ magnus, & æuo suo facilè princeps: *Dionysius Areopagita*, inquit, *Platonicæ disciplinæ culmen, & Christianæ Theologiæ columen, quærens diuinum lumen, non tam intelligentiâ perscrutatur, quàm ardẽte voluntatis affectu & oratione petit. Quippe cùm à Paulo mundi sole didicerit, Platone etiam confirmante, ipsum vniuersi principium esse intellectu quantumlibet excelso superius: non igitur conatu quodam intelligentiæ comparari, sed in animum amore prorsus Deo deditum accendi Deum, atque ibidem in ardore lucere*. Hæc Marsilius. Nunc, quia verum est Pietati in Deum sociari & adhærere Modestiam, in hanc tantisper oculos deflectamus.

Marsilius Ficinus Comment. in Dionysium cap. 3. de Diuinis nom.

CAPVT XXIII.

Dionysij Modestia seu animi submissio.

Modestiæ laus.



ALTERA quæ in Dionysij scriptis grato aspectu & quasi verecũdo ore collucet, propter eaque omnibus meritò adamanda & semper in sinu habenda Scriptoribus, est Modestia, velut fida Pietatis socia, & intima contubernalis. Quæ modestia in æstimatione ingenij atque iudicij (quod ferè in hominibus solet esse superbissimum) non minùs quàm ceteris in rebus à magno Areopagitâ peramanter stricteque cõplexa est. Quod cùm ex aliis locis, tum verò è tribus potissimè, vno de Cælesti Hierarchiâ, altero de Ecclesiasticâ, tertio de Diuinis nominibus colligi licet. Nam in primo quidem horum librorum, postquam super eâ quæstione, *Cur Isaias Propheta purgatus dicatur à Seraphim*, suam exposuisset sententiam, ingenuè fassus est eam se ab alio didicisse, & libenter quidem, si melior afferatur, mutaturũ esse. Sic enim scribit: *Atque hoc quidem ille me docuit: tibi autem trado. Tuæ erit sapientiæ atque eruditionis, aut alteram causarum allatarum omni dubio exsoluere, & alteri vt æquam & rationi consentaneam, & veram fortassis, anteponere; aut tecum aliquid quod propius sit veritati excogitare, aut ab alio addiscere, Deo scilicet sermonem suppeditante, & Angelis deferentibus, atque ita nobis, qui Angelorum studiosi sumus, clariorẽ, si fieri possit, & chariorem patefacere contemplationem*. Ita ille S. Timotheo. Deinde eiusdem libri postremum Caput ita pulchro fine concludit: *Hæc mihi de sacris figuris dicta sunto: quæ ab exactâ quidem earum interpretatione procul absunt; ad hoc tamen, vt arbitror, iuuant, vt ne nimis abiectè figuratis imaginibus adhærescamus. Quòd si obijcias, non omnium Angelicarum virtutum, aut operationum, aut imaginum fecisse nos mentionẽ; tibi equidem prorsus, quemadmodũ res habet, respondebo: nempe nos scientiæ illius supramundanæ rudes esse, atque alio potiùs ad ea perdiscenda doctore atque interprete indigere: tum etiam, illa quæ priùs expositis similia sunt, eamdemq; vim habent, nos sponte prætermisisse, tam in dicendo modum aucupantes, quàm res reconditas, & ingenio nostro maiores silentio venerantes*. Secũdum verò librum, qui est de Cælesti Hierarchiâ, haud minùs specioso exitu terminauit. Sic enim dixit: *Ista, fili, tam multa & tam præclara, & singularia hierarchiæ nostræ spectacula videre mihi datum est: aliis autem perspicacioribus mẽtibus non hæc modò, sed etiam multò clariora & diuiniora fortè perspecta sunt: tibiq; ipsi, vt opinor, illustriores atque diuiniores pulchritudines ad sublimiorẽ radium iam dictis gradibus contendenti collucebunt. Quare cõmunica tu quoq; mecum, ô dilecte, perfectiorem lucem, & præstantiores atque vniformiores, quascumq; contueri poteris pulchritudines, oculis meis cõmonstra. Nam per hæc, quæ modò à me dicta sunt, insitas tibi ignis diuini scintillas excitatum iri confido*. Iam autẽ libro de Diuinis nominibus hanc verè auream imposuit coronidem: *Hæc nos diuina nomina in vnũ congesta, quatenus assequi datum est, explicuimus, non modò impares accuratæ illorum expositioni (quod & Angeli ex vero dicant) nec iis etiam, quas Angeli tribuunt, laudibus inferiores (cùm & postremis nostri cedant Theologi) neque item Theologis ipsis, eorúmve auditoribus & assectatoribus conferendi; sed eorum quoque, qui nostri sunt ordinis, postremi & infimi. Quare si rectè quidem habeant, quæ à me dicta sunt, & pro loco nostro & ordine, interpretationis diuinorum nominum sententiã assecuti sumus, id bonorum omnium auctori acceptum referatur, qui primò quidem dicendi, deinde & benè dicendi tribuit facultatem. Quòd si eorum nominum, quæ eamdem vim habent, aliquod prætermissum est, id eadem viâ & ratione subaudiendum erit. Sin minùs rectè minusq; perfectè hæc à nobis tractata sunt, aut si etiã à veritate vel omnino vel ex parte aberrauimus, tuæ fuerit humanitatis corrigere non sponte ignorantem, & addiscendi cupidum edocere: atq; etiam haud satis per se valenti opem ferre, & ægrotare nolenti medicinam facere; & alia quidem à te ipso, alia verò ab aliis inuenta, sed omnia ab ipso Bono percepta in nos transfundere. Neq; te pigeat hominẽ amicum afficere beneficio: cùm & nos videas*

Quanti fecerit Dionysius sanctũ Timotheum.

Dionysius Timotheũ vocat filiũ ob ætatem; alioqui rerum diuinarum scientiã sibi parem facit aut superiorem.

Diuinis nominibus plenè explicandis impares etiã Angeli.

S. Timotheũ quanti fecerit Dionysius.

videas nullam nobis traditarum sacrarum institutionum intra nos continuisse, sed eas tecum & cum ceteris sacris hominibus incorruptas communicasse, vti & deinceps communicaturi sumus, prout quidem & nos ad dicendũ, & pares alij fuerint ad audiendum: nec iniqui circa traditionem erimus, nisi si vel ad intelligendum vel ad eloquendum fuerimus tardiores. Sed hæc quidem, vt Deo gratum, ita se habeant, & dicantur: & hic sit diuinorum nominum quæ mente percipiuntur finis: nunc ad Theologiam symbolicam Deo ducente transibimus. Ita librum illum beato fine conclusit Dionysius. Cuius modestia & animi submissio non ex his tantùm, sed ex aliis compluribus locis, quorum aliqua alibi tetigimus, cognosci potest. Verumtamen ea quæ coniunctam habent ipsius erga præceptores suos insignem reuerentiam atque laudem, tacita præterire quî possum? Nam optimi sanè animi & nobilissimæ indolis signum est clarissimum, vt minorum erga maiores, sic discipulorum aduersus præceptores suos honor & reuerentia. Quæ in S. Dionysio tam illustribus notis emicuerunt, quàm in vllo alio antehac fortassis nemine. Siquidem magistrorum suorum vix vmquam, ac ne vix quidem in scriptis suis, nisi cum gratissimâ debiti honoris præfatione, & sui præ illis magnâ submissione atque despicientiâ commeminit. Nam Hierothei quidẽ vnius è magistris suis verba è Theologicis institutionibus, ad firmandam eius auctoritate propositam à se doctrinam, non sine eximiâ eiusdem laude ac veneratione aliquoties profert in medium. Cùm enim admirandam Domini Iesu in vtero virgineo efformationem nec sermone vllo exprimi, nec vllâ mente concipi, ne Angelicâ quidem & Seraphicâ, docuisset, tum de eadem Christi humanâ generatione atque miraculis hæc cum magistri honore subiecit. *Hæc autem*, inquit, *& alibi à nobis compluribus in locis demonstrata sunt, & ab inclyto præceptore nostro in suis Theologicis institutionibus perquam eximiè celebrata: siue illa à sacris Theologis acceperit, siue ex accuratâ Scripturarum perscrutatione multa in eis exercitatione vsuq; diuturno perspexerit, siue ex aliquâ diuiniore inspiratione edoctus fuerit, non studio solùm, sed etiam experimento diuina assecutus, atque ex quadam naturæ conuenientiâ atque consensione, si ita loqui fas est, ad mysticam, & quæ non docetur, sed suscipitur, coniunctionem atque fidem perfectè prouectus. Atque vt multas & beatas optimæ illius mentis speculationes in paucissimis ostendam, hæc de Iesu in collectis à se institutionibus ait: Omnium causa est & complementum Iesu diuinitas*, &c. Ita Dionysius libro de Diuinis nominibus, cap. II. Iam autem eiusdem libri Capite III. vbi de celeberrimo illo Apostolorum, aliorumq; Pontificum apud sanctissimam Deiparam conuentu agit, quàm eumdem magistrum suum extollit! quàm se deprimit! Eius verba S. Timotheum Ephesi Episcopum alloquentis hæc sunt. *Apud ipsos*, inquit, *Deo afflatos Pontifices nostros, cùm & nos, vt nosti, & ille* (Hierotheus scilicet) *ac plerique è nostris sanctis fratribus ad contemplationem corporis illius, quod vitæ principium extitit, Deumq; suscepit, conuenissemus (aderat autem & Iacobus frater Domini, & Petrus supremum ac maximè venerandum Theologorum columen) cumq; eo conspecto placuisset, vt potentissimam diuinæ imbecillitatis bonitatem Pontifices omnes pro suo quisq; ingenio collaudarent, tum ille, vt scis* (Hierotheus) *aliis omnibus sacrorum magistris secundùm Apostolos præcellebat, totus excedens, totus se deferens, atque adeò quamdam eorum, quæ prædicabantur, communionem in se experiens, ab omnibus, qui videbant & audiebant, qui noscebant vel ignorabant, sacro numine correptus, & laudator diuinus iudicabatur. Sed quid ego tibi ea, quæ de diuinis rebus ibi dicta sunt, commemorem? Nisi enim meimet ipsius planè oblitus sum, scio me quoque abs te istorum diuinorum hymnorum partes aliquas audiuisse. Adeò tibi cordi est diuina haud leuiter persequi. Verùm vt mystica illa, & sicut in vulgus non efferenda, & tamquam tibi perspecta prætermittamus, quotiescumque nostra cum multis communicare, & quàm plurimos ad doctrinam sacram adduci oportuit, ille plerisque sanctis doctoribus, & vsu temporis, & mentis puritate, & demonstrationum certitudine, & ceteris sanctæ eloquentiæ facultatibus haud paruo interuallo antestabat: ita vt aduersus tam magnum solem nostros figere obtutus ausi numquam fuerimus. Ita enim nobis conscij sumus, ita sentimus non posse nos, nec diuina, quæ mente percipienda sunt, satis intelligere, nec quæ super Dei cognitione exprimenda sunt, dignè effari: sed cùm procul ab eo absimus, id etiam accedit, quòd ista diuinorum virorum ad veritatem Theologicam spectante scientiâ deficimur, atque eò prorsus ex magno metu & reuerentiâ deuenimus, vt nihil omnino de sacrâ Philosophiâ nec audiremus, nec diceremus, nisi insedisset animo, non esse diuinarum rerum quantulamcumque cognitionẽ negligendam. Quod quidem nobis persuadent non modò naturales mentium appetitiones,*

S. Dionysij erga suos præceptores reuerentia.

Verbi incarnatio ineffabilis.

S. Hierothei laudes.

Cœtus Apostolorũ & virorum Apostolicorum ad Virginis Deiparæ excessum & exequias.

S. Hierotheus insignis Euangelij præco.

Idem soli comparatur.

Rerum diuinarum qualiscumque cognitio non negligẽda.

titiones, quæ tantam, quantam capere possunt, rerum sublimium contemplationem studiosè semper affectant, sed ipsa quoque diuinarum legum optima institutio, quæ ea quidem, quæ supra nos sunt, tamquam meritum & captum excedentia, vetat curiosiùs inuestigare: omnia verò, quæ permissa & concessa sunt, iubet attentè condiscere, & benignè cum aliis communicare. His igitur & nos inducti, atque ad diuinorum, quatenus assequi licet, inuentionem, nec labori parcentes, nec inertiæ concedentes, immò nec eos qui nostris altiora contemplari non valent, absq; subsidio relinquere sustinentes, animum ad scribendum appulimus, nihil quidem noui inducere ausi, sed minutioribus dumtaxat, & particularibus quibusdã instructionibus, ea quæ compendiosè à nostro verè Hierotheo dicta sunt, distincturi atque explanaturi. Hactenus verba Dionysij de se tam tenuiter atque submissè, quàm de præceptore Hierotheo reuerenter ac honorificè dicta. De quo rursus Capite IV. eiusdem libri sic ait: *Hæc etiam præclarus ille noster sacrorum moderator* (Hierotheus) *in hymnis amatoriis diuinè exposuit. Quorum hîc meminisse, & nostro De amore tractatui velut sacrum quoddam caput annectere, haud erit alienum.* Annectit deinde illud Caput, quod ad ipsiusmet Hierothei Vitam differo. Adeò vir ille sanctus, quantum præceptoribus & rerum diuinarum magistris deberetur honoris & obseruantiæ, non intelligebat modò, sed etiam absque omni inuidiâ præ se gratissimo animo ferebat, posterisq; tradebat. Quin etiam neque eamdem, quam suus Doctor Hierotheus, materiam antè ausus est pertractare, quàm clarum fecisset, id se bonâ eius veniâ, immò suasu atque iussu facere: nec tam quæ ille ardua atq; difficilia perscripsisset maioribus animis & perfectis sẽsibus accommoda, quàm quæ idem tamquam minora omisisset ab aliis explicanda, & tardioribus ingeniis exponenda, sese alieno rogatu scriptis mandare professus esset. In quibus tam propter exemplum iuuentutis, quæ olim suos magistros his tracta vestigiis venerabitur, quàm quia S. Dionysij perillustris, & omnibus æmulanda Scriptoribus tam sua extenuantis, quàm aliena extollentis elucet modestia, animiq; submissio, non pigebit aliquantisper in monstrandâ tantæ virtutis pulchritudine immorari. Hęc igitur sunt magni Areopagitæ verba: *Sed aliquis requiret fortasse, quid sit, quamobrem postquam venerãdus præceptor noster Hierotheus Theologicas institutiones perexcellenter collegerit, nos iam, quasi illæ minùs sufficerent, nouas alias, & præsertim hanc Theologiam cõscripserimus. Atqui si ille quidem omnia, quæ ad Theologiam pertinent, ex ordine commentari voluisset, ac totius Theologiæ summam breuissimis explicationibus persequi, eò vęsaniæ aut temeritatis numquã prorupissemus, vt nos illo arbitraremur vel perspicaciùs res Theologicas esse assecuturos vel diuiniùs: neq; item animũ induxissemus in iisdem labore superuacaneo repetendis operam nostram ludere: quid dicam & præceptorem & amicum, ex cuius præcipuè sermonibus secundùm diuinum Paulum instituti sumus, iniuriâ afficere, & præstantissimam eius contemplandi scientiam & expositionem suffurari? Sed cùm is diuina grauiter explanans, compendiosas nobis & multa breuiter complectẽtes definitiones exposuerit, simulq; mandauerit, vt & nos pro virili, & quicumque nostri similes rudiorum sunt animarum magistri, apto sermone breues illas & singulares mentis illius perspicacissimæ sententias explicaremus, tuq; ipse nos, ô Timothee, ad idem præstandum sæpenumerò exhortatus sis, & nobis eius librum tamquam sublimiorem remiseris: hinc & nos illum vt perfectorum atque exercitatorum ingeniorum magistrum, iis qui supra vulgus sapiunt, secernimus, eiusq; scripta velut altera scripta diuina, & Apostolicis proxima reputamus: nostri autem similibus pro nostro & ipsorum captu res diuinas exponemus. Si enim perfectorum est solidus cibus; alios eo pascere quantæ perfectionis est? Rectè igitur hoc quoque à nobis dictum est, claram illam & per se oculatam spiritualium Eloquiorum contemplationem & succinctam eorum doctrinam exercitatoris indigere facultatis, sermonum autem qui eò deducant scientiam atque disciplinam, inferioribus sacrorum mysteriorum magistris iuxtà & discipulis conuenire. Quamquam & illud quoque à nobis perquam diligenter est obseruatum, vt quæ diuinus ille præceptor planâ expositione distinxisset, nullo modo attingeremus, nec iis quæ ipse dilucidasset, denuò repetendis actum ageremus.* Hactenus Dionysij Areopagitæ, viri in maximâ & sublimissimâ scientiâ longè modestissimi verba planè aurea, quæ cunctis sacræ Theologiæ Doctoribus, sed & quibuslibet aliis quarumcumque artium Magistris, sed tamen illis potissimè, vt eiusdem studij corriualibus, cùm Christianæ submissionis, tum debitæ maioribus, & præsertim magistris suis, reuerentiæ exemplo esse debeant. Verùm de modestiâ satis: nunc germana eius mansuetudo inspici cupit.

Causæ quibus ad scribendum inductus sit Dionysius.

Reuerentiæ in magistros exemplum in sancto Dionysio expressum.

S. Hierothei scripta diuinis proxima.

C A-

CAPVT XXIV.

Dionysij mansuetudo, & mansuetudinis commendatio.


SANCTI Dionysij modestiæ comes mansuetudo iungatur. Quibus scilicet vt geminis germanisq; sororibus, cùm scripta eius cetera, tum Epistolæ præsertim insignes sunt, tresque potissimùm, vna ad Polycarpum Smyrnæ Pontificem, altera ad Demophilum monachum, tertia ad Sopatrum Sacerdotem. In quarum primâ leniter admodum & mansuetè coniectum in se Apollophanis graue conuitium retorquet: secundam verò totam ferè in eximiâ mansuetudinis laude consumit. In tertiâ quàm suauiter cum probis viris alia quàm nos sentientibus agendum sit, ipsius suæ Epistolæ exemplo docet; est enim illa grauiter iuxtà & perhumaniter scripta. Eam hîc integram, cùm sit breuissima, subiicio.

S. Dionysij Epistolæ, in quibus potissimùm elucet eius mansuetudo.

DIONYSIVS SOPATRO SACERDOTI S.

NOli existimare in hoc esse victoriam, sancte Sopater, si alterius formam religionis, aut opinionem, quæ tibi bona non videatur, possis reprehendere. Neque enim, si illam iudicatò redargueris, ideò statim res Sopatri benè habebunt. Fieri enim potest, vt inter multa falsa & apparentia, veritas quæ vnica est & abdita, teq; & alios lateat. Quoniam sanè non, si quid rubrum non sit, continuò est album: nec si equus non sit, confestim est homo. Verùm, si me audias, ita facies: abstinebis quidem à dicendo in alios; pro veritate autem sic dices, vt quæ dixeris, nequaquam refelli possint.

Ita Dionysius. Cui hoc proprium fuit, vt sua conaretur solidè comprobare, aliena non magnopere curaret (nisi si multùm religioni officerent) refutare. Ostensa enim certò & liquidò veritas omnem contrariam falsitatem suo marte supplantat. Quod idem ipse in Epistolâ ad S. Polycarpum egregiè docet, atque exemplo veri ac regij numismatis confirmat: quo in medium posito, adulterina omnia mox deprehenduntur. Rectè tamen obseruauit Maximus S. Dionysij interpres, non simpliciter ab Auctore nostro refutationes aliarum opinionum reprobari (cùm & ipse Elymæ magi sententiam refutet in libro de Diuinis nominibus) sed tum dumtaxat, cùm præter institutum aliena operosiùs refellantur, quàm propria confirmentur.

S. Maximi mart. obseruatio ad Epistolam S. Dionysij.

Epistolam ad S. Polycarpum suo loco ante positam de superato per mansuetudinem conuitio, non existimaui hîc reponendam, sed in memoriam solùm esse reuocandam. Verùm eamdem mansuetudinem in laudatâ superiùs ad Demophilum Epistolâ, vti meminisse Lector potest, adeò exactè, fusè, feruideque partim exemplis, partim sententiis vir sanctissimus & mansuetissimus exaggerauit, vt inde satis signi sit, quàm eadem virtus illi chara & intimis insita medullis fuerit. Vbi inter alia exemplum illud de S. Carpo, Christi mansuetudinem per visum nocturnum edocto, vt longè pulcherrimum, atque ad eliciendam in peccatores lenitatem efficacissimum, cunctis curam animarum gerentibus necessariò legendum est. Quocircà totum vnà cum suâ Epistolâ in superioribus est positum. Illuc ergo, quos ea res tangit, ablego. Nam ad Reges Christianissimos (in quorum auxilia & hunc & olim currere solitus est S. Dionysius) cùm in præsenti auocer, moram non traho.

CAPVT XXV.

Sancti Dionysij in Christianissimos Francorum Reges beneficia.


PROXIMVM virtutibus locum meritò sibi prodigia vindicant, & ea præsertim quæ animis iuxtà & corporibus profuere. Quorum quia Christianissimi Francorum Reges præcipuè compotes fuerunt, ab iis auspicatò capiendum videtur initium. Primus igitur in hunc ordinem veniet Dagobertus Clotharij filius, quando hunc ei locum tam series temporis, quàm percepti à sancto Dionysio beneficij magnitudo addicit: quippe qui & patris iram adolescens, & Dei vindictam terris excedens, huius sanctissimi Martyris opportuno interuentu euaserit. Quæ quo pacto acciderint, breuiter enarrabo.

a Rex Clotharius Dagoberti parens, charum in paucis, & cui res fidenter committeret, certum hominem habebat, nomine Sadragesillum: hunc & filio moderatorem & Aquitaniæ gubernatorem præfecerat. Sed eumdem Dagobertus, vt seueriorem, & minùs sui reuerentem, odio tacito & vindictæ auido persequebatur. Patre igitur Clothario per venationum studia ab se longiùs seiuncto, commodam sui vlciscendi occasionem nactus, Sadragesillum inuitat, adhibetq; mensæ: post mensam in eum manus iniici, vestes detrahi, flagris

Aimoinus l. 4. de Gestis Francorum.

flagris cædi, barbam amputari mandat. Cuius tam audacis facti exinde conscius & citò pœnitens (ita scilicet est animus iuuenum, vt cæcus & præceps ad audendum, sic celer & facilis ad retractandum) patris iram & conspectum exhorrebat, nec sine causâ. Nam reuersus pater, & illatam homini amico tam atrocem iniuriam oculis suis conspicatus, grauiter admodum & iniquo animo ferre; immò & ingentibus minis tanti auctorem facinoris filium ad pœnam deposcere: hic autem nusquam tutus, latebras vbique quærere, & præ nimio metu loca idemtidem commutare, donec tandem in vicum Catulliacum, & in sacram ibidem ædiculâ, S. Dionysij & sociorum corporibus illic asseruatis nobilem, tamquam in asylum, confugit. Ibi enim ceruum contra insequentes molossos & venatores, quos occultus nexus aditu arcuerat, salutem quondam inuenisse meminerat. Hìc ergo mœstus ac lugens cùm iaceret, tam animo deiectus, quàm oppressus somno, ecce illi per visum vir ore venerando obiici, hortarique, vt posito metu, bono sit animo: istoc enim illum periculo, atque etiam maiori quàm hoc esset, olim defuncturum: immò & Francorum regno quondam potiturum, si tamen eorum, qui hîc siti essent, monumenta sese ornaturum promitteret. Promisit: moxq; vt dictis & promissis certa constaret fides, cælestem opem sensit. Nam eos qui à patre missi venerant, cùm vno circiter milliari ab æde illâ abstarēt, ne vltrà progredi possent, vis diuina inhibuit. Qui proinde subitaneo territi prodigio iter reflectunt, & quid monstri sibi accidisset, Regi renuntiant. Quibus ille recusans fidem, & inertiæ potiùs atque infidelitati, quàm certo prodigio factum attribuēs, alios eòdem submittit: sed illi quoque in pari interuallo accessu prohibiti, idem quod nuntij priores, referunt. Quibus perinde increpitis, &, tamquam Principi filio obsecundantibus, acerbè reiectis, abit ipsemet stomacho plenus, velut filium à sepulchris Martyrum suis manibus abstracturus: verùm vbi se nihilo minùs quàm satellites ibidem loci, quadam vi clandestinâ ab appropinquando distineri animaduertit, cælesti tandem potentiâ, & Martyrum virtute recognitâ, dat manus, reditque cum filio in gratiam, & receptâ progrediendi facultate, ædiculam ingressus, gloriosos Martyres supplex adueneratur, & sibi propitios facit. Filius autem Dagobertus accepti memor beneficij, magno deinceps honore & horrore eum locum, & Sanctos loci præsides, potissimeque Dionysium, coluit. Quo tamen in cultu haud sanè id probauerim, quòd illud sapientissimè dictum, *Ne quid nimis*, aut nòn satis attenderit, aut parum curauerit. Siquidem nimiâ exornandæ S. Dionysij Basilicæ, quam ipse exædificauerat, cupidine, omnia ferè Galliarum templa præcipuis expoliasse ornamentis fertur, adeoque ædis S. Hilarij Pictauiensis Episcopi valuas ex ære fusili fabrefactas, in D. Dionysij haud veritus est transportare: non reputans scilicet animo, quàm ea pietas vel ingrata Sanctis, vel inuisa Deo foret, quæ vnius Diuorum ornamenta ex alterius conflaret exuuiis. Neque verò Cælites ipsi de tam impiâ & irreligiosâ (si fas est sic appellare) pietate & religione atrum ferre calculum distulerunt. Nam earum valuarum alteram, dum per Oceanum in Sequanam, & per hunc Parisios versus deueheretur, profundo fluminis alueo numquam adhuc repertam demerserunt. Sed & hoc & alia Dagoberti peccata cùm eius seriò pœnitentis Regiæ eleēmosynæ, & pia opera, tum etiam sanctorum Martyrum, & in primis Dionysij cultus & veneratio, teste certâ reuelatione absterserunt. Narrat enim Aimoinus, & narrationi subscribunt rerum Gallicarum Scriptores vniuersi, Ansoaldum illustrem virum, eumdemque Pictauiensis Ecclesiæ protectorem, cùm peragratis Siciliæ oris in Galliam postliminiò renauigaret, ad quamdam breuem insulam appulisse: illic viri cuiusdam sanctissimi solitariè degentis, Ioannis nomine, congressu & confabulatione vsum; atque inter alios de animæ salute sermones interrogatum ab eo fuisse, num Regem Dagobertum nosset. Qui cùm nosse respondisset; illum rursus sciscitatum, quæ vita, qui mores hominis extitissent. Quibus ex ordine commemoratis, demum subiecisse senem illum solitarium, quæ super eiusdem Regis statu per visum accepisset: nempe sibi vigiliis ac ieiuniis, atque etiam ipso senij grauamine in somnum depresso, virum quemdam venerandâ canicie spectabilem adstitisse, monuisseque, vti properè surgeret, ac pro Dagoberti Regis animâ, quæ eadem ipsâ horâ corpus deseruisset, preces ad Deum funderet: quod impigrè exequenti subitò apparuisse in ipso pelago, nec à se procul, terribiles visu formas, teterrimos scilicet ac truculento vultu dæmones, qui vinctum Regem Dagobertum per vasta maris spatia vexantes, plagisque lancinantes, ad antra ignea pertraherent; ipsum verò Regem diris distentum cruciatibus,

S. Dionysius Dagoberto apparet, & regnaturū prædicit.

Rex Clotharius agnoscit prodigium, & redit cum filio Dagoberto in gratiam.

S. Hilarij Pictauiensis Episcopi sacra ædes.

Aimoinus lib. 4. c. 34. de Gestis Francorū.

Ioannis solitarij de Dagoberto Rege visio.

ciatibus, inter verbera vexationesque, certorum Sanctorum efflagitasse subsidia: atque tum aperto derepente cælo, viros quosdam nitore admirabili, inter crebra fulmina multo cum fragore ruentia descendere visos; qui ab eo interrogati quinam essent, eos se esse responderunt, quos Dagobertus in suppetias aduocasset, Dionysium scilicet & Mauritium martyres, & cùm his S Martinum Confessorem. Hos ergo vidisse se referebat, ereptam dæmonibus animam ad cælos cum hoc epinicio deducentes: *Beatus, quem elegisti & assumpsisti Domine, inhabitabit in atriis tuis.* Hæc solitarius ille ætate & sanctitate venerabilis à se visa Ansoaldo narrauit, Ansoaldus S. Audoëno, Audoënus & Aimoinus posteritati. E quibus duo videntur ad vitam benè beateq; degendam elici posse vtilia documenta: quæ omnibus quidem mortalibus, sed potissimè Regibus cordi esse debent. Vnum, vt peccata sua, quibus ob curarum molem eos contaminari necesse est, maturè ac sollicitè profusis in egenos largitionibus redimant: alterum, vt nonnullos è Sanctorum numero, quos peculiari cultu & veneratione in vitâ prosequantur, & quorum ope in exitu securiores sint, sibi patronos adsciscant. [b] Quod vtrumq; Dagobertus ille magno animæ suæ bono mille ferè antè annis præstitit. Nam præter S. Dionysij templum, quod vniuersis, quæ Gallia tum habuit, magnificentius extruxit, hoc præterea effecit immortali memoriâ dignissimum, quòd subiugatis circumquaque vicinis nationibus, & pace toto regno firmatâ, cùm se alius, vt solet, luxui otioque dedidisset, ipse nuntio his remisso, animum ad pietatem, & cogitationes suas ad regnum aliud verè regnum pulchris meritis comparandum, seriò adiecerit. Siquidem in vnum coactis Galliæ Proceribus, eam super vitæ suæ mutatione habuit orationem, quam frequentissimus ille Pontificum cœtus ingenti plausu excepit: Se nimirum, consideratâ hinc mortalitate corporum, inde immortalitate animorum, in hanc deinceps, cuius præcipua sit habenda ratio, redemptis præteritæ vitæ flagitiis, penitus & ex animo velle intendere, proindeq; testamentum condere decreuisse, in quo omnes regni sui celebriores Basilicas certis copiis & prædiis locupletaret. Quod ille quidem non dixit magnificentiùs, quàm præstitit liberaliùs. Nam & apud ipsum Aimoinum, & apud alios rerum Gallicarum Scriptores, non orationem modò Regis, [c] sed & testamentum ipsum piis instructum donationibus inuenias.

Sanctorum in suppetias inuocatio.

Psal. 64, 5.

Regum antemortem pia officia.

Dagoberti Regis pietas.

Eiusdem in sacra & religiosa loca liberalitas ac munificentia.

Neque verò solùm Dagoberto, sed & aliis eum consecutis Francorum Regibus idem ille regni Apostolus in vtrisque tam terrenis quàm cælestibus bonis commodauit. [d] Extat enim egregia Ludouici Pij Imperatoris, eiusdemque Francorum Regis, ad Hilduinum Abbatem Epistola, in quâ è maioribus suis complures recenset, quibus incredibili bono fuit, piam B. Dionysij coluisse memoriam. *Qui dum sacras eius exuuias* (ita loquitur Imperator) *in terris ob amorem & honorem Domini nostri Iesu Christi, opibus quibus poterant, honorauerunt, per eius preces dignissimas honoris priuilegio potiri & in terrenis & in cælestibus meruerunt: vt videlicet vnus è priscis Francorum Regibus Dagobertus, qui eumdem pretiosissimum Christi Martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali est vitâ sublimatus, & per eius adiutorium, sicut diuina ac celebris ostensio perhibet, à pœnis est liberatus, inq; vitâ perenni desiderabiliter constitutus.* Ita de Dagoberto Rege Ludouicus Pius laudatæ superiùs reuelationi conformiter memorauit. Qui ibidem deinceps eiusdem Dionysij, primò in proauum suum Carolum, deinde in Pipinum, posteà in patrem suum Carolum Magnum, & postremò in semetipsum merita & beneficia gratissimo animo persequitur. *Proauus*, inquit, *noster Carolus, Princeps Francorum inclytus, per orationes ipsius excellentissimi Martyris indeptum se fuisse gratulatus est apicem Principatus.* Denique, quò breuis sim, eadem propè de auo, de patre, de se ipse prædicat: nempe S. Dionysij meritis regni coronam ipsis datam, seruatam, restitutam. Neque verò in hos magis, quàm in posteros Reges, eiusdem Martyris se prodidit beneficentia. Nempe pares pietate paria solent beneficia comitari.

Ludouici Pij Francorum Regis verba.

S. Dionysij in Reges Francorum beneficia.

Itaque Robertus, qui ad regni potentiam non modò pietatem, sed & doctrinam quoque, eamque Rege pio dignissimam adiunxit, cùm suæ magnam partem felicitatis S. Dionysio adscriberet, in eius honorem & grati signum animi cœnobitis Dionysianis agros non paucos, & præclara latifundia insigni liberalitate condonauit, his vsus verbis: *Probauimus ergo*, inquit, *operæpretium esse (vt diligentiùs obsequiis diuinis vacarent, & nostram ac totius regni salutem Deo commendarent) qualemcumque largitionis nostræ opem conferre fratribus è Monasterio specialis patroni nostri macarij Dionysij: cuius protectionum*

Roberti Regis Francorũ prosperitas à Deo & Dionysio.

num alis euecti, & quàm plurima iam pericula superauimus, & ad hæc regni fastigia nos ascendisse confidimus. Dein recenset Rex liberalissimus iuxtà & pientissimus villas decem, quas illis totas concedit, aliaque insuper non pauca. Post quæ subiungit: *Hac itaque regiæ largitionis nostræ indulgentiâ cupimus sanctorum martyrũ Dionysij, Rustici, & Eleutherij, quibus olim omnem spei nostræ fiduciam commisimus, patrocinia promereri, quatenus hostibus nostris & victrices dextras inferre, & cum triumpho victoriæ, inuicta, annuente Deo, exinde de eorum subiectione vexilla referre.* Hæc ille. Itaque semper inuictus fuit: semper omnium quæcumque attentauit compos & victor: semper etiam pius. Hinc & multas ædes sacras variis in locis exstruxit: apud Siluanectum, sancto Regulo B. Dionysij socio vnam: Aureliæ, diuo Aniano aliam: Stampis, beatissimæ Virgini tertiam: Augustoduni, duas: apud Possiacum, rursus eidem Virgini alteram. Anno demum regni sui trigesimo quarto, & salutis nostræ circiter millesimo trigesimo tertio, sanctè obiit, atque in Æde S. Dionysij tumulum, in cælo regnum aliud acquisiuit.

Eiusdem Regis in S. Dionysij cœnobium insignis liberalitas.

Templa à Roberto Rege variis locis excitata.

De Henrico autem I. eius filio quid dicam? An à patris germanâ pietate desciuit, aut ab auito Dionysij cultu vel latum vnguem degenerauit? Nempe qui propter Ratisponensium de corpore S. Dionysij dissensionem, cùm illud in cœnobio Dionysiano detegi iussisset, inibiq; repertum, & quidem mirâ odoris fragrantiâ diuinitus refertum cognouisset, confestim extraordinariâ instinctus pietate, Parisiis ad S. Dionysij vrbem, eadem ipsâ die (hoc est, nonâ Iunij, quæ exinde quotannis festa est) ad visendum atq; venerandum idem corpus, nudis pedibus, Rex tantus & tam potens, ad duo circiter milliaria properauit, & regalia munera sacræ eius aræ deuotus imposuit.

Henrici I. Francorum Regis deuotio erga S. Dionysium.

Detectionis reliquiarum S. Dionysij dies festa.

[e] Denique & Philippus Augustus, & eius filius Ludouicus S. Ludouici pater, [f] & ipse S. Ludouicus (vt tres sint instar omnium) præsentissimam Patroni sui opem non semel, sed sæpiùs experti sunt. Nam anno quidem Domini millesimo centesimo nonagesimo primo, ægrotantibus vno eodemque tempore, & vno eodemq; morbo, sed locis maximè dissitis, Philippo Rege & Ludouico filio, hoc in Franciâ, illo in transmarinis regionibus, vbi aduersus Turcas pro Terrâ sanctâ militabat, inuocatâ S. Dionysij & sociorum ope, atque insuper institutâ ab eius cœnobij Religiosis ad vrbem vsq; Parisios solemni supplicantium Processione, ambobus è periculosissimo dysenteriæ morbo incolumitas est restituta. Quâ quidem in re mirabilis sanè Dei opt. max. largitas constitit: qui pro solo filio deprecantibus (nihil dum enim de patris inualetudine inaudierant) non tantùm pro filio, sed etiam pro patre propitius fuit, ambosque eadem horâ persanauit. Quæ duplicata sanitas incredibile dictu quanta deinceps Reip. Christianæ commoda importarit. Fuerunt enim illi duo Reges non modò Ecclesiæ fortissimi propugnatores, sed etiam hæreticorum, ac præsertim Albigensium, impugnatores acerrimi, nec sine magnâ opinione sanctitatis. Neque desunt qui Philippo ipsi vitâ functo occurrisse Dionysium, atque se illi ad cælos ducem ac comitem prębuisse, diuinâ certum ostensione asseuerent. Quod suis celebrare versibus minimè prætermisit Guilielmus Brito, qui in libris Philippiados hæc de illo cecinit inter alia:

Rigordus l. de Gestis Philippi Augusti.

Philippi Regis Frãcorum & Ludouici filij incolumitas, SS. Martyribus accepta relata est.

——— ——— Spiritus aulâ
Fulget in Angelicâ, ductore receptus eódem:
Idq; Patri Patrum Dionysius ipse sequenti
Nocte reuelauit: ne quis regnare Philippum
Cum Christo dubitet, re tanto teste probatâ.

Guilielm. Brito l. 12. Philippiados.

S. Ludouicus verò gratiarum beati Dionysij expers esse quî potuit? quippe qui in illius cultu (si veram & sinceram spectes pietatem) nulli superiorum Regum aut Imperatorum concessit. Quare cùm anno Domini millesimo ducétesimo quadragesimo quarto in grauem & Medicis desperatum morbum incidisset, & eo quidem tempore quo eius opem pręcipuè expectabat & efflagitabat Ecclesia (nam ad illum Innocentius IV. Pontifex ob Friderici Imp. tyrannidem confugerat) tum & ipse Rex Ludouicus, & sanctissima eius mater Blancha Regina, non aliunde secundùm Deum & sanctissimam Virginem, quàm à B. Dionysio regni Patrono, certum ac præsens auxilium sperandum rati, eius sacras Reliquias ex abditis latebris in lucem erui, palàm & publicè coli, per ædem & claustrum Dionysianum religioso ritu circumferri, preces denique tam ad eum, quàm ad socios Martyres pro Regis salute spargi expetierunt. Quæ simul fieri cœpta sunt, statim Rex conualescere, confestim regni Ecclesiæque negotia in melius procedere occeperunt.

Guilielm. Nangius de Gestis S. Ludouici.

S. Ludouici & Blanchæ matris erga Dionysium pietas.

NOTATIONES.

In hoc Capite referuntur S. Dionysij in Reges Francorum illustria beneficia, in Dagobertum, in Carolum, in Pipinum, in Carolum Magnum,

Magnum, in Ludouicum Pium, & in alios Reges.

a Rex Clotharivs.] Quæ hîc de Clothario memorantur, ea cunctorum Franciæ Historicorum consensione firmantur. Vide Aimoinum lib 4. de Gestis Francorum, & Paulum Æmilium lib. 1. & Robertum Gaguinum lib. 3. & Belloforestium lib. 1. Historiar. cap. 30. & alios.

b Qvod vtrvmqve Dagobertvs.] De hac Dagoberti aut *dexteræ* potiùs *Excelsi* in Dagoberto *mutatione*, tam verè quàm eleganter Stephanus Forcatulus lib 5. De Gallorum imperio. *Ceterùm*, inquit, *constat, Dagobertum, qui quandoque ædes Diuorum spoliarat, præsertim Hilarij Pictauensis ære fusili valuas fabrefactas, prætextu Dionysium exornandi, & alia sacra profanaque sine delectu legerat, iam senescentem ita ad templa extruenda & ditanda animum conuertisse, & diuinis cærimoniis augendis incubuisse, vt duos in vno homine Dagobertos fuisse quis crediderit: aliter atque Salomon, qui bona iuuentæ infami senectâ exhausit inter mulierum greges, diis reprobis thura adolens & immolans, ac colens Astarthen Deam Sidoniorum, quæ non fuit alia quàm Venus.* Et paulò inferiùs: *Meliùs itaque accidit Franco Regi, qui impietatis priorem maculam sequente sanctitatis decore eluerit, & impuræ voluptatis sordes speciosis rebus gestis purgarit. Vt & Childericus ille, de quo sermonem institueram, quo nihil vmquam odiosius habuere Franci, quamdiu immersit se spurcis voluptatibus; nec charius, dum emersisset. Tum enim maiore longè cupiditate reuocarunt, quàm expulerant.* Ita Forcatulus.

c Sed et testamentvm.] Ad Dagoberti donationes Ecclesiis factas quod attinet, tot ac tantæ fuerunt, vt nullius fortasse à Constantino Magno Regis aut Imperatoris eas æquare magnificentia potuerit. Quæ autem nominatim cœnobio S. Dionysij apud Lutetiam largitus sit, è Regiis litteris, quas nuper edidit Iacobus Dubletius, cognosci potest. Extant illæ lib. 3. Antiquitatum eiusdem cœnobij, cap. 3. in quarum vnis mentionem iræ patris, & auxilij à S. Dionysio obtenti strictim meminit ipsemet Dagobertus hisce verbis, inter alia: *Orbis vniuersus eum* [Dionysium] *summo debet venerari obsequio: multum quidem ego, qui in declinando patris iram, ipsius sensi mihi non abfuisse gratiam.*

d Extat enim egregia Lvdovici Pii Imp.] Epistola hæc Ludouici Pij extat in Areopagiticis Hilduini Abbatis à Galeno Westcappellio editis, & apud Surium in Octobri, ad Vitam S. Dionysij Areopagitæ.

e Deniqve et Philippvs Avgvstvs, &c.] Videndus est Rigordus in lib. de Gestis Philippi, vt etiam de Ludouico eius filio.

f Et ipse S. Lvdovicvs.] Quæ hîc de S. Ludouico, & alia de eodem, vide apud Guilielmum Nangium, vbi de eius gestis.

CAPVT XXVI.

Christianissimorum Franciæ Regum erga B. Dionysium studia & honores.



CHRISTIANISSIMIS Regibus antiquissimum in orando & honorando Dionysio Clotharium II. inuenio: qui plurimum quidem auri & argenti ad exornandas B. Dionysij & sociorum Martyrum memorias obtulit, immò prædia quoque, & bona, & multa: sed tamen Dagobertus eius filius, tam liberalitate & munificentiâ in extruendo & dotando templo patri anteiuit, quàm eiusdem Dionysij honore atq; cultu cunctis ferè Regibus. Nam Ludouicorum quidem purior & religiosior pietas fuit, vti & sanctitas maior: sed Dagoberto templi & cœnobij Dionysiani laudem fundationis cuncti attribuunt. Cuius templi partem, quæ sancta corpora obtegebat, argento texit; cœnobium autem non opibus tantùm largissimè ditauit, sed priuilegiis quoque & immunitatibus amplissimè honorauit. a Verùm de templi consecratione, ipsius Christi Domini peractâ ministerio, mira & inusitata, idoneis tamen auctoritatibus & testimoniis, prædicantur. Nam cùm Antistites ad celebrandam dedicationem (quæ ad VI. Kalend. Martij futura sperabatur) Dagoberti Regis inuitatu in vnum conuenissent, leprosus quidam obtentâ ab æditituis in eadem sacrâ Æde pridie dedicationis pernoctandi facultate, dum vigil in precationibus excubat, ecce videt manifestè Christum Dominum, sanctis Apostolis Petro & Paulo stipatum, affectantibus quoque Dionysio, Rustico, & Eleutherio, templi Patronis, ingredientem, ipsumque candido præmicantem habitu, omne dedicationis munus per sese obeuntem. Quo absoluto munere ad se quoque accedentem, ac huiusmodi vtentem verbis audit: *Tu homo dicito Pontificibus, vbi crastinâ luce ad hanc ædem aduenerint, eam à me consecratam esse, & habeto huius testimonium certitudinis, lepræ tuæ mundationem.* Quæ simul atq; est elocutus, leprâ in vicinum lapidem translatâ (*quæ ad hunc vsque diem*, inquit Robertus Gaguinus, *per summam admirationem visitur*) leprosus omnino mundatus est. Quo miraculo attoniti Præsules, dedicatione abstinuerunt. De Dagoberto hactenus.

E Codice MS. in S. Dionysij cœnobio apud Parisios.

Vincent. Bellouac. in Specul. hist. l. 23. c. 36. & 37.

Robertus Gaguinus l. 3. Histor. Franc. in Dagoberto.

Christus Dominus dedicandi templi partes suscipit.

Ceteri porrò Reges, quà honoribus quà largitionibus egregiè sunt æmulati: qui quidem in S. Dionysij meritis tantum esse præsidij crediderunt, vt spe beatæ vitæ per

per eius allegationem citiùs obtinendæ, in eius templo voluerint tumulari: vnde & idem templum pro communi Regum mausoleo cœptum est deinceps vsurpari. Sed inter alios, quanta Caroli Magni pietas in hoc genere, quanta modestia & animi demissio fuit? qui se ipsâ Dionysij Æde indignum reputans, sátis sibi esse dixit, si ante ipsa Ædis limina conderetur, itaque condi voluit. Quâ tamen cum modestiâ certat vincitque, me iudice, illa eiusdem in Patronum suum pietas & deuotio singularis, quâ donorum aliorum quantislibet largitionibus non contentus, in templum ipse ingressus, & deposito super aram sacram regali diademate, genibus humi flexis, palàm & cunctis audientibus, regnum suum & Francorum coronam B. Dionysio obtulit ac deuouit. [b] *Domine sancte Dionysi*, inquit, *ego me honore regni Franciæ spolio, vt vos de cetero eius habeatis dominiũ.* Deinde altari quaternos aureos velut redemptionis pretium imposuit, hoc signo testans, & palàm omnibus faciens, à nullo se Francorum regnum, nisi à Deo & à B. Dionysio obtinere. Quod non modò ipse fecit, sed aliis quoque pòst venturis Regibus quotannis faciendum præscripsit. In expeditionem porrò extra regnum abiturus, siue aliâ de causâ exiturus, pro more habuit, ab eodem Dionysio facultatem exposcere, eique regnum commendare, hac fere formulâ: *Domine sancte Dionysi, à vobis nunc abeundi facultatem peto, Franciamq́; vobis relinquo, vt illius secundùm Deum curam ac tutelam suscipiatis.* Quod Caroli Magni exemplum ad posteros quoque transiit, qui etiamnum iter aliquod magnum aggressuri, ad SS. Martyrum corpora adeunt, & oblatis super arâ B. Dionysij muneribus, ac regni curâ & protectione Diuis concreditâ, ab iisdem accipiunt discedendi facultatem. Ab eodem Dionysij honore & amore priscum illud dictum emanasse creditur, quod iisdem Francorum Regibus linguâ patriâ fuit in ore quàm frequentissimum, [c] *Mon Ioue S. Denis*, hoc est, *Iupiter meus S. Dionysius.* quasi dicerent: Iouem sibi habeant alij, mihi pro Ioue erit sanctus Dionysius. Quód dictum vsque à Clodoueo I. deriuatum ferunt, qui vxoris suæ Clothildis pientissimæ Reginæ suasu atque hortatu, tam ad suscipiendæ fidei Christianæ votũ, quàm ad S. Dionysij cultum fuerit incitatus. Hæc enim cùm eximiâ corporis formâ, & indole verè regiâ emineret, eâ lege cum Clodoueo nuptias pepigerat, vt se

Caroli Magni modestia, pietas & deuotio erga S. Dionysium.

Franciæ regnum S. Dionysio offertur.

Mos Regũ Franciæ in expeditionibus aut peregrinationibus extra regnum.

Quæ dicti illius, Mon Ioue sainct Denis, *origo & significatio.*

Christianorum Baptisma admissurum, & à Ioue alisq́; diis, nec diis, ad vnum Deum, atque ad Christiana sacra transiturũ promitteret. Quod tunc quidem promissum, sed à nuptiis celebratis diu prorogatum, necessitas tandem extorsit. Quintodecimo enim regni sui anno Alemannos bello aggressus, & ab iis pænè oppressus, dum suos à fugâ cohibere non valeret, tum demum arctis in rebus, & fidei suæ rediit in memoriam olim Clothildi datæ, & falsis diis non succurrentibus, vni vero Deo opt. max. Baptismum & religionem vouit, si is à se quidem in hoc prælio staret, & domũ victorem reduceret. Quo nuncupato voto, nouâ confestim incessente animum alacritate, denuò dari signum classico iubet, & quam sibi proximam habebat, ad sui corporis munimentum, egregiam armis iuuentutem secum agens, retrò in hostes flectit. Nec mora: fugiunt persecutores, vincuntur victores, Rex Alemannorum cæditur, Alemannia subiugatur. Partâ igitur tam memorabili victoriâ, occurrit victori viro victrix Clothildis vnà cum S. Remigio; atque, vt multa paucis, Rex Clodoueus voti reus instruitur, abluitur, insignis Christi cultor & S. Dionysij cliens efficitur, iacetq́; deinceps cum suis diis Iupiter, & pro Ioue Dionysius passim celebratur. Deniq; siue in iureiurando, siue in sermone alio, vbi anteà Iupiter vsurpari solitus erat, iam à Christianis Regibus nihil ferè aliud, nisi *Mon Ioue S. Denis* resonat: donec annis labentibus, & Ioue sensim in obliuionem abeunte, posteriores Reges & Principes alij deflexâ nonnihil pronũtiatione, arbitrati *gaudium* & non *Iouem* secundâ illâ voce enuntiari, cœperunt vulgò *Mon ioye S. Denis*, id est, *Gaudium meum S. Dionysius*, paruâ litterulæ vnius commutatione, vsurpare: præsertim quòd ita Clodoueum ipsum Gallici idiomatis tum satis rudem, vtpote Francum, ita locutum esse existimarent: ac proinde plus auctoritatis Regi & antiquitati, quàm legibus Grammaticis tribuendum contenderet: secundùm quas alioqui, *Ma ioye S. Denis*, rectâ concinnaque locutione fuisset efferendum. Denique quotiescumque insignis aliqua de hostibus parta fuisset victoria, hæc fermè erat exultantis exercitus, hæc congratulantis populi publica acclamatio: *Mon ioye S. Denis, Mon ioye S. Denis.* quippe qui & victorias & triumphos & spolia vni secundùm Deum accepta referrent Dionysio. Hinc & erepta hostibus signa atque vexilla, interdumque sua ipsorum arma, quibus fortiter prospereque depugna-

Clodouei de suscipiendâ religione Christianâ votum.

Quæ sit dicti illius Gallici origo, Mon Ioye S. Denis.

Arma victoria sancto Dionysio appendi solita.

pugnauerant, eidem velut sacro exercituum duci suspendebant. Sed nunc ad propositum reuertamur.

Caroli Magni egregiam in Dionysium pietatẽ filius Ludouicus, qui Pius est cognominatus; & Ludouici, Carolus Caluus; & Caroli Calui, eius posteri sunt imitati. [d] Nam de Ludouico quidem testis est locuples ipsiusmet ad Hilduinum epistola, cui commemoratis tam in se quàm in maiores suos Dionysij beneficiis, conquirendorum eiusdem Martyris librorum ac monumentorum omnium, sibique exhibendorum curam imponit: satis scilicet insinuans, aliquam se à fastidiosis regni negotiis animi remissionem in eorum lectione positurum. Adde quòd Carolum Caluum filiorum natu minimum, adhuc admodum paruulum eidem Sancto, singulari curâ atque (vt Aimoinus loquitur) *speciali traditione* commendarit. Qui proinde natu iam grandior, & regni potens, cultum S. Dionysij velut patriam atque auitam hereditatem retinuit. Quare factâ desubitò Danorum in Franciæ regnum irruptione, cùm hæreret inops consilij, aliis aliò elabentibus, & vrbem ipsam Parisios hosti prædam deserentibus, ipse ad S. Dionysij monasterium, opem diuinam imploraturus, cum exiguis copiis contendit: vbi quidem fixum habuit, vel diffluente populo, pro SS. Martyrum Reliquiis depugnare, & sanctum locum tueri; vel, si facultas aliqua daretur, resque postularet, in hostem irrumpere, sicque laudabili corporis interitu, religionis ac fidei gloriam depacisci. Sed eius aduentatis inexspectatam audaciam hostes declinauerũt: ipse verò his atque aliis defunctus periculis, sancti Dionysij templum magnis auxit prouentibus, & pretiosissimis donariis adornauit, quæ ad hoc vsque tempus asseruata visuntur. Inter quæ donaria fuerunt Dominicæ Crucis clauus, & spinea Christi corona, & sancti senis Simeonis brachium. Idem Carolus cum annos triginta regnasset, imperiũ est consecutus: quo biennium dumtaxat perfunctus, Sedeciæ medici, quem habebat charissimum, veneno, vt aiunt, interiit, & Vercellis vrbe Italiæ tumulatus est: sed in S. Dionysij ædem septẽnio pòst transferri voluit. Nam Archengerus cœnobita Dionysianus, & Alphonsus D. Quintini Viromandensis ęditus, se in templis suis pernoctantes ab ipso Carolo per quietem, de eius corpore in Martyrum ædem transferendo admonitos asseuerarunt.

Aimoinus l.1. Miraculorum S. Germani, cap. 1.

Robertus Gaguinus lib. 5. Hist. Francorum cap. 1.

Rigordus de Gestis Philippi Augusti.

Ludouici Crassi erga S. Dionysium pietas.

Nec fuit Ludouicus Crassus à maiorum æmulandâ in Dionysium veneratione degener. Siquidem ingruente in Franciam Henrico II. Imper. & vrbi Rhemis extremum minitante exitium, intereà dum miles scribitur, adit ipse ad sanctum Dionysium, regni tutorem inuocat, eius & sociorum corpora è latebris effert, venerationi exhibet: deinde [e] assumptâ ab altari flammulâ (vexillum hoc est sacrum & bellicum, Francis Regibus in militiâ præferri solitum) Rhemos cum exercitu aduolat. Cuius aduentu & copiis territus Imperator, confusione simul & mœrore & impatientiâ animum flagellantibus, mortis acceleratâ necessitate retrocessit, breuique posteà, & quidem sine liberis, excessit. Ludouicus autem voti compos, dimisso exercitu ad Dionysij cœnobium, Deo & Martyribus gratias acturus rediit: quibus & egregia dona suspendit. Sed quod Rege dignam pietatem in primis ostendit, hoc fuit: quòd recondendis eorumdem sanctorum Martyrum corporibus suos ipse humeros Rex tantus supposuit.

Adelaidis Reginæ par Religio.

Coniungamus tam pio Regi coniugem suam multò pientissimam, cuius in sanctum Dionysium tanta pietas, & amor, & beneuolentia fuit, vt locum martyrij eius, siue montem Martyrum, illustri cœnobio sacrarum virginum ornare, & nouâ quadam perpetuæ sanctimoniæ coronâ honorare voluerit. Nam ibi Adelais æternâ digna memoriâ Heroina, vt piis virginibus Ordinis S. Benedicti egregium & tali cœtui accommodatum esset monasterium, quò se recipere identidem ad sacros suos amores atque delicias, hoc est, ad memoriam atque monumenta gloriosæ mortis sanctorum Martyrum posset, institit apud maritum, peruicitque, vt viris religiosis, qui locum illum priùs insidebant (erat enim Prioratus, vt vocant, à cœnobio S. Martini de Campis dependens) aliquis alius attribueretur, quem ipsi volentes lubentesque in commutationem acciperent. Id igitur curatum diligenter, & factum: ac illi quidem Abbatiam S. Dionysij de Carcere appellatam non inuiti accepere. Virgines autem in montem Martyrum triumphante ac voti sui potiente Adelaide conscendêre. Extant huius commutationis litteræ à Petro Venerabili Abbate Cluniacensi (nam illius ea res intererat) anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo trigesimo tertio datæ. Absolutis porrò tum aliis ad habitationem ædificiis, tum ad preces & vota templi structuris, percommodum

Vide in Bibliothecâ Cluniacensi Priuilegia Pontificum monasterio Cluniacensi concessa.

ſanè accidit, tam ad maiorem Regis ac Reginæ lætitiam atque exultationem, quàm ad ipſius ſolemnitatis longè auguſtiſſimam & ſanctiſſimam celebrationem, vt Eugenius III. Pontifex in Galliâ diuerſaretur. Nam Regis Chriſtianiſſimi, & pientiſſimæ Adelaidis inuitatu templum illud nouum legitimis cærimoniis dedicauit, & ſibi ad aram principem facienti, S. Bernardum Abbatem Claraualleníem pro Diacono, Petrum Venerabilem Præſulem Cluniacenſem pro Subdiacono miniſtraturos aſſumpſit. Ac Bernardus quidem illam ipſam tunicam, quâ tum ſacris operatus erat, è telâ argenteâ confectam, eidem monaſterio munus reliquit. Quæ ibi ſanctæ Reginæ gaudia, qui plauſus, qui triumphi, rebus omnibus tam è voto tamque ex animi ſententiâ confectis, fuerint, quis dicendo exprimat? Ex illo igitur itare frequenter ad beatum illum locum, nec vmquam aſpectu cultuque ſanctæ illius terræ, quæ patroni ſui Dionyſij ſociorumque Martyrum ſanguinem ſuxit, ſatiari. Denique poſt chariſſimi mariti exceſſum cuncta illi palatia præ illo vno cœnobio ſorduêre: ibi viduitatem ſuam ſacrare, ibi totam deinceps vitam exigere, ibi mori & ſepeliri elegit.

Templi mōtis Martyrum nobiliſſima dedicatio.

Ludouici Iunioris auita pietas erga S. Dionyſium.

Nec parentum virtutem in ſe deſiderari paſſus eſt Ludouicus Iunior: qui in Terram ſanctam parans expeditionem (annus erat ſalutis noſtræ milleſimus centeſimus quadrageſimus ſeptimus) priuſquâ regno excederet, ad ſancti Dionyſij ſecundâ poſt Pentecoſten hebdomadâ acceſſit, à quo & opem & diſcedendi facultatem expetiit: quo etiam in templo ſacrum vexillum ex more regio perquam reuerenter accepit. Quin & patris exemplum ſecutus, ſacro B. Dionyſij feretro, dum reconderetur, ſuccollauit.

Philippum verò Auguſtum, huius Ludouici Iunioris filium, quis hîc ſine flagitio præterire poſſit? Hic enim multis parentum precibus poſt copioſam alterius ſexus ſobolem à Deo impetratus, & vix decimum quintum ingreſſus annum, viuente & volente patre, regni gubernaculis admotus cùm fuiſſet, confeſtim magna in Deum pietatis, magna in Dionyſium venerationis ſpecimina edere incepit. Anno igitur Domini milleſimo centeſimo nonageſimo, ipſâ die S. Ioannis Baptiſtæ ſacrâ (id quod diu antè præ ſe tulerat, & diutiùs cum animo ſuo voluerat ac concupiuerat) ſeriò aggredi expeditionem in Terram ſanctam nunc inſtituens, in oppidum S. Dionyſij, eum inuocaturus Patronum & ducem præſidemque belli, ſe contulit. Ibi verò coram ſacris eius & ſociorum ſuorum Ruſtici & Eleutherij corporibus marmoreo in pauimento humiliter proſtratus, ardentes ad Deum Optimum Maximum preces fundere, atque illi & beatæ Virgini, & hiſce beatis Martyribus atque omnibus Sanctis ſuppliciter enixeque commendare: dein lacrymis perfuſus à precatione ſurgere, & ſportam baculumq; peregrinationis, porrigente Guilielmo Rhemenſi Archiepiſcopo, auunculo ſuo, Apoſtolicæ Sedis Legato, cum magno pietatis ſenſu accipere: tum etiam bina vexilla egregiè apparata, quæ ſupra ſanctorum Martyrum corpora fixa erant, ſuis manibus refigere, ac tollere: denique poſt expoſtulata à Fratribus Religioſis precationum ſubſidia, & poſt acceptam claui Dominici, & ſpineæ coronæ, & brachij ſancti Simeonis (quas in eo cœnobio pretioſiſſimas ſeruant Reliquias) benedictionem abſcedere, atque iter pro amplificandâ religionis Chriſtianæ gloriâ Rex Chriſtianiſſimus maturare. Perruptis proinde omnibus morarum & dilationum cauſis, anno proximo, ipſâ ſacri Paſchatis Vigiliâ, pro muris Acconis vrbis totius Palæſtinæ multò munitiſſimæ, Chriſtianis eam obſidentibus, ſed nihil admodum contra Saladini vires & loci propugnacula proficientibus, tamquam Angelus Domini adſtitit, & dato ſuis animo ſic oppugnare adorſus eſt, vt illi non expectato Francorum inſultu (iam enim patefacta via erat) dedere ſe malentes, quàm perire, has deditionis conditiones admiſerint: vt veram Domini Crucem, quam habebat Saladinus, redderent: vt omnes Chriſtianos, quos in terris ſuis captiuos detinebant, reſtituerent: ipſi verò ſaluis tantùm corporibus ſine armis vllis excederent. In grauem poſt hæc morbum Philippus cùm incidiſſet, aliæque ſimul reditus cauſæ intercederent, in Franciam reuerſus, nihil habuit antiquius, quàm vt confeſtim ad beatiſſimi Dionyſij ædem orationis causâ deproperaret: cui aduentanti eius cœnobij Religioſi vnà cum Abbate ſuo Hugone, *factâ* (vt Rigordi verbis vtar) *proceſſione* obuiàm iuere, eumque cum hymnis & laudibus in templum induxere. Rex autem ante Sanctorum corpora humiliter proſtratus, primò quidem quantas potuit maximas Deo beatiſq; Martyribus, quorum ope tot ac tantis defunctus eſſet periculis, gratias egit: tum verò pallium ſericum, amoris ſui pignus, altari anathema impo-

Philippi Auguſti in Terram ſanctam aduerſus Barbaros expeditio.

Sacrarum Reliquiarū cultus.

Crux Domini recuperata.

Rigordus lib. de Geſtis Philippi, anno Domini 1191.

imposuit. Verùm quò testatiorem suam faceret aduersus Dionysium pietatem, quantumque in eius apud Deum auctoritate spei atque fiduciæ reponeret, luculentiùs demonstraret, idem posteà pristino monachorum Dionysianorum numero tricenos alios, qui perpetuò rem diuinam pro se Deo exoluerent, copiis suppeditatis adiunxit. Hæc & alia in Dionysium officia cùm ceteri Francorum Reges obseruarint, tum principali cum modestiâ & pietate sanctus Ludouicus, qui ad iter Ierosolymitanum fidei propagandæ causâ accinctus, ipsam quoque Religiosorum Dionysiani cœnobij exedram ingressus, non modò Præsulis, aut seniorum monachorum, sed iuniorum quoque humiliora sedilia refugiens, locum in infimo eorum graduum, quibus ad Abbatis thronum conscenditur, elegit: vnde expetitis omnium Religiosorum pro se & pro totius Regni salute (quod beato Dionysio præcipuè commendabat) sanctis precibus, & perceptâ claui Dominici & spineæ coronæ benedictione, iter cum faustis omnium apprecationibus & acclamationibus aggressus est. Neque in morte quàm in vitâ suam in Dionysium eximiam pietatem minùs patefecit: siquidem deficientibus iam corporis viribus, illam vsitatæ ad beatum Dionysium precationis clausulam identidem repetere auditus est: *Tribue nobis, quæsumus Domine, prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare*. In eiusdem Dionysij templo, quod multis viuens aureis coronis & ornamentis decorauerat, atque ad sepulturam elegerat, est conditus. Hæc ad testificandam Christianissimorum Regum in martyrem Dionysium pietatem cùm abundè sint, ceteris, quæ multa conferri possent, supersedeo.

Gaguinus lib. 6. Hist. Francorum.

Guilielmus Nangius in Gestis S. Ludouici.

S. Ludouicus in templo S. Dionysij sepultus.

NOTATIONES.

HIc de honoribus agitur, quos patrono suo Dionysio exhibuerunt Christianissimi Francorum Reges. De quibus vide Auctores Capite superiori citatos, & alios qui res Gallorum persecuti sunt.

a VERVM DE TEMPLI CONSECRATIONE, &c.] Templum S. Dionysij, in cœnobio eiusdem nominis, manu Christi Domini consecratum permulti Auctores referunt. Exstat autem eius rei narratio fusè descripta apud Vincentium Bellouacensem in Speculo historiali, lib. 23. cap. 36. & apud Robertum Gaguinum libro 3. Historiæ Francorum in Dagoberto. Rem porrò minimè improbabilem confirmat similis consecratio à duobus Summis Pontificibus comprobata. De quâ sic Carolus Saussèius libro Annalium Ecclesiæ Aurelianensis, numero 12. *Credunt*, inquit, *Auenionenses, & hoc habet Bulla Sixti IV. Papæ, & alia Ioannis XXII. Ecclesiam cathedralem suam, quæ S. Mariæ de Donis nuncupatur, à B. Marthâ Domini nostri hospitâ fundatam, manu Dei consecratam extitisse.* Meminit verò idem Saussèius, eodem loco dedicationis illius, de quâ hîc egimus. Sed & Albertus Crantzius libro 1. Saxoniæ. Accedit de tam sanctâ Dionysiani templi dedicatione, Guilielmi de Nangis, qui res sui temporis perscripsit, auctoritas. Is libro de Gestis S. Ludouici, *Anno*, inquit, *Domini millesimo ducentesimo vigesimo primo, regni Ludouici Franciæ quinto, Odo Clementis, Abbas S. Dionysij in Franciâ, cœpit ex consilio Regis Ludouici & Reginæ matris eius Dominæ Blanchæ, aliorumque proborum virorum & religiosorum Ecclesiam B. Dionysij renouare; quod anteà sine consilio non audebat facere, quia sciebat, eamdem Ecclesiam dedicationis mysteriũ à Domino recepisse.* Et infrà, *Anno Domini*, inquit, *millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, regni Ludouici Regis septimo decimo, ætatis vero suæ vigesimo octauo, sexto Kalendas Martij, in die festiuitatis beatæ Matthiæ Apostoli (quo die festum Dedicationis Ecclesiæ beati Dionysij Areopagitæ, factæ per Dominum, celebratur) peperit Regi Ludouico filium diu optatum sibi desponsata venerabilis Margareta.* Sic dedicata fertur Ecclesia B. Mariæ Lakensis iuxta Bruxellam. Cuius dedicationis à Domino factæ solemnis memoria celebratur Dominicâ in Albis, seu Octauâ Paschæ: de quâ videri potest Nouale Sanctorũ Brabantiæ, & Auctarium Arnoldi de Raisse ad Natales Sanctorum Belgij per Molanum, ad 14. Aprilis. Mirabilis fuit ea quoque dedicatio, quâ templum in honorem Apostolorum Petri & Pauli ab Eduardo Rege Anglorum sanctissimo exstructum, à S. Petro Apostolorum Principe fuit dedicatum. De quâ dedicatione vide eiusdem S. Eduardi Regis & Confessoris Vitam ab Aëlredo conscriptam Tomo 1. Surij. Nec dissimilis ea fuit, quâ ædes Apostolorum (quam S. Chendechildis Clodouei filia extruxerat) diuinitus, nec humanâ manu, consecrata prædicatur. Quam rem ita memorat Bernardus Odonius in Gestis Hormisdæ Pontificis. *Per idem*, inquit, *tempus floruit Chendechildis filia Clodouei, virginitate pariter & pietate famosa. Hæc in prospectu ciuitatis Senonis cœnobium sub honore Apostolorum construxit, multis ædificiis illud amplians, & prædiis locupletans. Quò profecti ad dedicandam Basilicam cum S. Eradio tunc Senonis Præsule, vicinarum vrbium Præsules adfuere. Vbi dum in Ecclesiâ pernoctarent, Angelicas audierunt voces dulcissimè concrepantes: facto autem manè respicientes altare, viderunt in quatuor angulis, & in medio marmoris, signacula crucis decenter impressa; stupentesque proinde non sunt ausi vlterius consecrare locum, quem cernebant diuinitus consecratum.* Hæc ille: quæ & à Roberto Cenale laudantur, libro 1. de Re Gallicâ, Perioche 12.

b DOMINE SANCTE DIONYSI, &c.] Hæc desumpta sunt ex antiquissimâ Historiâ manuscriptâ, siue ex Caroli Magni Constitutione

illic

illic insertâ, quam ex parte refert Belloforestius in Cosmographiâ suâ, vbi de oppido S. Dionysij agit. Sic est initium: *Præcepit etiam Imperator, vt omnes Franciæ Reges & Episcopi præsentes & futuri, pastori eiusdem Ecclesiæ essent obedientes in Christo*, &c.

c MON IOVE SAINCT DENIS.] De hac bellicâ acclamatione ita Robertus Cenalis lib. I. De Re Gallicâ, Perioche 12. *Vides, vt externo etiam testimonio, Gallofrancorum comprobetur æterna memoria, Clodouei armis strenuè comparata? Vicit quidem Clodoueus, sed supra communem hominis captum, diuino potiùs auxilio, quàm humano consilio. Cùm enim in pendenti æquilibrio inter vtrumque volaret exercitum dubiis victoria pennis, essentque plurimi à parte nostrâ Catholici milites, statim auditâ acclamatione ex ore Principis*, Sainct Denis, mon Ioue, *resumptis, qui penè interciderant, animis, in partem Catholicorum inclinare cœpit. Est autem huius tesseræ hæc interpretatio: Illum in meum Iouem, Deumque summum recipio hac publicâ professione, quem vobis Gallicæ gentis Catholicis S. Dionysius à multis inde, & diebus & annis euangelizauit. Quæ professio Clodoueo de ferocissimis hostibus victoriam peperit. Sunt qui ita interpretentur: Meus auxiliator & patronus Dionysius. Quem vos Catholici milites Galliarum Apostolum agnoscitis; hunc ego vobiscum communem patronum lubens recipio. Legendum itaque est*, Sainct Denis, mon Ioue, *non*, Sainct Denis, mon ioye. *Auctorem, inquit, habeo (si quis mihi diffidit) in hac re Hubertum Thomam Leodium, de Tungrorum & Eburonum origine ita disserentem: Apparet in excelsâ rupe mons Iouis, arx ita nominata, & à Romanis nimirum constructa, quæ quidem hoc loco me, vt admonet Gallis malè intellectam Regum suorum acclamationem, dum prælia ineunt*, Mon ioye, sainct Denis, *declarem, quam protulisse fertur is Rex, qui primus inter Francos Christianæ religioni nomen dedit, & quam posteri Reges in animadis suis ad fortiter præliandum vsurparunt & vtuntur. Interpretantur autem: Meum gaudium, S. Dionysius: quod non ita sese habere vel feminæ Gallicæ animaduertere deberent, cùm eorum linguâ*, Ioye, *id est, gaudium, non masculini aut neutri, sed feminini sit generis, & dicendum fuerat:* Ma ioye, sainct Denis. *Non igitur* ioye *hîc gaudium significat, sed Iouem, quem Galli* Ioue *appellabant: propterea que Clodoueus inclinatâ suorum acie, cùm inuocando Iouem non proficeret, ad Deum Christianorum, quem per Galliam Dionysius, siue Areopagita ille, siue alius, annuntiauerat, conuersus ad suos, qui magnâ ex parte Christiani erant, exclamauit: Sistite viri gradum, & fortiter pugnate:* Mon Ioue, sainct Denis, *id est, meus Iuppiter, sanctus Dionysius erit. Hoc est enim, Deum, relicto Ioue, colam, quem Dionysius prædicauit, & vos adoratis. Quo audito Galli Christiani alacres in pugnam reuersi, hostes fuderunt, & Clodoueus à D. Remigio sancto Baptismatis lauacro ablutus est. Postmodùm Reges hanc vocem vsurpare volentes, pro* Ioue, ioye *pronuntiant, re non benè consideratâ. Quòd autem verum sit Gallos Iouem* Ioue *siue* ioye *appellasse, inde deprehendo, quòd ijdem ipsi Iouios hodie* ioye *appellitant. Sunt autem Iouij, lapilli, quos peregrinantes per vias in cumulos conijciunt, vt sint recti itineris indices, quales multos per Galliam D. Iacobum petentes vbique videmus, quos Galli* mont-ioye *vocant. Est & in Eburonibus olim, nunc Iuliacensi Duci parens arx, in Arduennâ siluâ (quâ parte Eyfelt appellatur) mons Iouis dicta* Mont-ioye, *vt hoc quoque annotarim.* Hactenus eâ de acclamatione cum Huberto Thomâ Robertus Cenalis. Sunt alij, qui arbitrentur, in istis acclamationibus scribendum esse, olimque scriptum esse *Mont-ioye*, non autem *Mon-Ioue*, neque *mon-ioye*: quibus *mont-ioye* nihil est aliud quàm *cumulus gaudiorum*. Itaque *Mont-ioye sainct Denis* non aliud interpretantur, quàm S. Dionysium ingentis gaudij conciliatorē esse, seu liberando ipsos ab hostibus, seu impertiendâ victoriâ, seu aliâ prægrandi felicitate procurandâ. Quæ sententia cùm sit probabilis, tum etiam ad eosdem S. Dionysij laudum cumulos non parum facit.

d NAM DE LVDOVICO QVIDEM, &c.] De pietate Ludouici Pij Regis & Imperatoris, exstat Epistola eius ad Hilduinum, edita simul cum Hilduini Areopagiticis, à Matthæo Galeno Westcappellio Coloniæ excusis anno 1563.

e ASSVMPTA AB ALTARI FLAMMVLA.] Dicam de hac flammulâ, siue Auriflammâ, quæ apud rerum Gallicarum Scriptores, tam Gallicos quàm Latinos, reperi digna litteris.

1. Auriflamma (quæ Gallicè *Oriflamme* vulgò dicitur) vexillum fuit sacrū & militare, quadratum, è rubro ac flammanti serico, Regibus Galliæ ad bella & peregrinationes procedentibus præferri solitum. De quo Ioannes Villaneus lib. 12 Historiæ ita scribit: *Philippus VI. eduxit è templo D. Dionysij vexillum ex auro & flammâ, quod educi inde non solet, nisi pro summis Regis regnique necessitatibus, idque ex auro & purpurâ compositum est.* Vbi per *aurum* intellige limbos aureos; per *flammam* seu *purpuram*, flammei seu purpurei coloris pannum sericum, vt infrà è Gaguino clarescet, num. 7. Quadratum porrò fuisse, ac nihil auri nisi in limbris habuisse, inde colligi videtur, quòd Brito Armoricus scribat illud simile fuisse illis vexillis, quibus vti Ecclesia solet in publicis Supplicationibus seu Litaniis: illa autem sunt quadrata. Aurum item in limbis dumtaxat extitisse, illis indicat verbis, vbi simplex & è simplici materiâ (quam *cendatum* vocat) fuisse scribit in his versibus lib. 11. Philippiados:

Ast satis est Regi, tenues crispare per auras
Vexillum simplex, cendato simplice textum,
Splendoris rubei: Litania qualiter vti
Ecclesiana solet certis ex more diebus.

Posteriores versus Latiniores reddidit Massonus l. 3. Annalium, legendo & scribendo sic:

——— *quali celebri Litaniâ*
Vtitur in certis Ecclesia sancta diebus.

2. Dicta est *Auriflamma*, quòd ex auro constans & purpurâ, aurearum instar flammularum rutilaret. Vnde Guilielmus Brito suprà vocat *splendoris rubei*. Appellatur etiam *vexillum*, seu *standalium*, seu *standartum D. Dionysij*, postremis duabus vocibus è Gallico *estandart* efformatis.

Notandum verò, *baculum peregrinationis* non esse (quod aliqui existimarunt) eumdem cum auri-

Auriflammâ; quod è Sugerio & Rigordo veteribus rerum Gallicarum Scriptoribus patet: quorum ille in Vitâ Ludouici ita de illo: *Venit Rex, vt moris est, ad Ecclesiam sancti Dionysij, à Martyribus licentiam accepturus: & ibi post celebrationem Missarum, baculum peregrinationis, & vexillum B. Dionysij (quod* Oriflamme *Gallicè dicitur) valdè reuerenter accepit.* Hic autem in libro de Gestis Philippi Augusti Francorum Regis, ad annum Domini millesimum centesimum nonagesimum, ita de eodem Philippo: *Tandem cum lacrymis ab oratione surgēs, sportam & baculū peregrinationis de manu Guilielmi Rhemensis Archiepiscopi, auunculi sui, Apostolicæ Sedis Legati, deuotissimè ibidem accepit: deinde desuper corpora Sanctorum, duo standalia decenter insignita, pro memoriâ sanctorum Martyrum, & tutelâ contra inimicos Crucis pugnaturus, propriis manibus accepit.* Ita ille. Vbi manifestè distinguit baculum peregrinationis à standaliis seu vexillis, quorum vnum erat Auriflamma; alterum, signum regale, quod vtrumque nominat Brito intrà num. 6.

3. Cælitus in terram delata creditur, vt quemadmodum Constantino Magno Labarum, sic Francorum Regibus Auriflamma signum esset victoriæ. Hinc *flammulam victoriosam* appellat Iacobus Meyerus lib. 12. Annalium Flandriæ. *Flammulam illā victoriosam gessit eo die,* inquit, *Milo Noërius, qui non diu post fuit in humanis.* Eamdem Stephanus Forcatulus appellat *vexillum cæleste*, lib. 6. De Gallorum Imperio, vbi sic scribit: *Nihil omnino Francos iam pietatis studiosos magis inflammauit, quàm vexillum cæleste, purpureum, aureo licio variatum. Parcarum manu textum putares ad terrorem hostium nominis Christiani, Francique, sparsis liliis similiter lectis ex hortis cælestibus, albicante circa medium cruce, non modò propter argenteum colorem, signis militaribus familiarem, præ ceteris (quoniam, vt putat Plinius, longissimè fulget) sed peculiariter à Gallis receptum in sacris & cærimoniis.* Sic ille. *Sunt qui hoc cæleste beneficium Carolo Magno collatum fuisse contendunt,* inquit Gaguinus l. 1. Historiæ Francorum. Verùm alij retro vsque ad Clodoueum, primum è Francis Regibus Christianum, Auriflammæ originem referunt: idque velut certâ ad posteros traditione fluxisse à maioribus credunt. Inde sunt aurei isti versus Ronsardi, Franciados lib. 4.

Vois tu Clouis, grand honneur des Troyens?
Qui le premier abhorrant les Payens,
Et des Gentils les menteuses escoles,
Pour suiure Christ, laissera les idoles,
Donnant Baptesme aux François desuoyez,
Et lors du ciel luy seront enuoyez,
Vn Oriflamme, estandart pour la crainte
De ses haineux, & l'Ampoule tressaincte,
Huile sacrée, onction de tes Rois?
Son escusson deshonoré de trois
Crapauts bouffis, pour sa vieille peinture,
Prendra des lis à la blanche teinture,
Present du ciel, Dieu qui le choisira,
D'honneur, de force, & de bien l'emplira.

Ad Clodoueum refert & Stephanus Forcatulus libro suprà citato. Sed de bufonibus, antiquis Francorum Gentilium insignibus, valdè inficiatur; & ego vnà. Magis enim placet deriuatam fabulæ originem à Gallorum sacrificiis, *bufonia* appellatis. Nam Græcè βουφόνια dicebantur sacra, in quibus boues taurive mactabantur. Ritum porrò talium sacrificiorum apud Gallos solemnium ita describit Plinius libro 16. Historiæ nat. cap. 44. *Sacrificijs epulisque ritè sub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur: Sacerdos candidâ veste cultus arborem scandit, falce aureâ demetit, candido id excipitur sago: tum deinde victimas immolant, precantes, vt suum donum Deus prosperum faciat his quibus dederit. Fecunditatem eo poto dari cuicumque animali sterili arbitrantur, contraque venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerumq; religio est.* Sic ibi. Exstat & Badij Ascensij carmen de insignibus Franciæ, hoc est, de liliis, Auriflamma, & sacro Chrismate, quæ vocat *cælica dona* in his versibus:

——— at nobis cælica dona,
Et pia Francorum placeant insignia Regum;
Aurea cælesti primùm sufflata colore
Lilia, Cæsareis olim iam credita ceruis:
Auriflamma dehinc, veterū victoria Regum:
Tum sacrum nitidis allatum Chrisma colūbis.

Cui paria sentit Stephanus Forcatulus libro 6. De Gallorum imperio. *Tria,* inquit, *pignora de cælo missa imperij Gallici sempiterna: scutum liliatum, phiala odorata, & vexillum splendidum, purpurā æthercam consitens pro certo. Nihil verò moramur incredulos & securos, qui sorte humanâ, non diuino consilio, regna institui arbitrantur.*

4. Asseruabatur Auriflamma in ipsâ vrbe & cœnobio sancti Dionysij, & magnis cum cærimoniis ab arâ eiusdem Sancti, per manus Abbatis, à Rege ad periculosam militiam aut longam peregrinationem accincto, assumebatur, & cum magnis item à reduce ibidem restituebatur. Iacobus Meyerus lib. 13. Annalium Flandriæ, *Flammula,* inquit, *(quod non nisi extremo discrimine solitum) ex penetralibus Dionysiaci cœnobij deprompta, Petro Villerio, fortissimo viro, tradita.*

Eius vexilli vtendi præcipua tempora indicat breuiter Forcatulus, loco suprà laudato. *Vexillum,* inquit, *Gallis cælitus missum secundos bellorum euentus vel præstitit, vel ornauit: maximè contra Turcas & Sarracenos. Nec vllo libentiùs vsus narratur Carolus Magnus in sacris bellis, non vllo feliciùs. Illud quoq; præferri iussit Philippus Augustus Ierosolyma debellatum tendens cum Richardo Anglorum Rege, sumpsitque ex æde Dionysiâ: sicut posteà D. Ludouicus Libyā petens. Planè Carolus VI. etiam aduersus Anglos sibi profuturum putauit idem vexillū Vido Trimollio creditum: quod Auriflammeum nuncupabatur, nimirum à colore.* Sic ille.

5. Acceptam in manus Auriflammam dabat Rex gestandam Comiti Vilcassino, cui hic honos iure debitus erat, & cuius Comitatus à sancto Dionysio in feudum acceptus erat. Vide Sugerium in Vitâ S. Ludouici Crassi Francorum Regis, & Franciscum Belloforestium libro 3. Historiæ, capite quadragesimo primo, vbi Comes Vilcassinus Gallicè *Comte de Vexin* appellatur.

De eâ cærimoniâ sic breuiter Papyrius Massonus lib.3. Annalium Franciæ: *Crassus anno millesimo centesimo vigesimo quarto, publicis tabulis (quæ supersunt) agnoscit Comitatum Vilcassinum esse in clientelâ & iurisdictione Dionysij, Rustici, & Eleutherij martyrum: & Comites Vilcassinos retroactis temporibus ius habuisse ferendæ in bellis Flammulæ. Idem Crassus deuoluto ad se Comitatu, eo bello, quod aduersus Henricum Cæsarem acerrimum parabatur, Flammulam, non vt Rex, sed vt Comes, à Præfecto illius monasterij alacriter suscepit.*

6. Antecedebat Auriflamma in prœliis alia omnia vexilla, etiam regium; nec pugnabatur, nisi præcessisset, exceptâ ob subitos hostium incursus necessitate. De quâ re exstat insignis locus apud Rigordum ad annum Domini millesimũ ducentesimum decimum quintum. *Othone*, inquit, *Imperatore ex insperato copias Regis Philippi inuadente, clamatur vbique per campos, Arma, arma viri: clangunt tubæ; reuertuntur cohortes, quæ iam pontem transierant; reuocatur vexillum S. Dionysij, quod omnes præcedere in bello debebat, nec satis properè reuertitur, vnde nec expectatur.* Et paulò inferiùs: *Intereà adueniunt legiones, quæ ferè vsque ad hospitia processerant, & vexillum B. Dionysij, & accurrunt quantocyùs ad aciem Regis, vbi videbant signum regale, vexillum scilicet floribus lilij distinctum, quod ferebat die illo Galo de Montiniaco miles fortissimus, sed non diues.* De eodem ita Guilielmus Brito lib.11. Philippiados initio:

Quod cùm Flamma habeat vulgariter aurea nomen,
Omnibus in bellis habet omnia signa præire:
Quod Regi præstare solet Dionysicus Abbas,
Ad bellum quoties sumptis proficiscitur armis.
Ante tamen Regem signum regale tenebat
Montiniacensis, vir fortis corpore, Galo.

In quorum Auctorum verbis est duo vexilla distinguere: vnum B. Dionysij, siue Auriflammam; alterum ipsius Regis, quod *signum regale* appellatur.

7. Amissa fuit Auriflamma (vt auctor est Belloforestius in Descriptione oppidi S. Dionysij) in prælio contra Flandros commisso. De eadem Auriflammâ, eiusque amissione ita Gaguinus libro 1. Historiæ Francorum, in Clodoueo: *Traditum quoque est, pannum sericeum, rubrum, instar signi militaris quadratum, miro fulgore splendentem, diuinitus esse exceptum: quo in expeditionibus contra fidei Christianæ hostes pro signo Franci Reges vterentur: huicque vexillo nomen Auriflammam hactenus permansisse, diuque à Dionysianis cœnobitis asseruatum esse: sed abutentibus signo aduersus Christicolas Regibus, illud euanuisse: alterum tamen non dissimili formâ instauratum esse, quod ab Episcopis & loci Abbate consecratum inter sacra asseruatur.* Deniq; amissa creditur Auriflamma ad montem Pabulanum, qui mons inter Duacum & Insulas Gallo-Flandriæ vrbes hodieque illustris est. Commissam inibi pugnam anno Domini millesimo tercentesimo tertio inter Francos & Flandros, pręsente & fortiter dimicante Philippo Pulchro Francorum Rege, describit Iacobus Meyerus libro 10. Annalium Flandriæ. Quo in prælio & Regem ipsum fuisse vulneratum, & Flammulam à Flandris discissam ac laniatam, & Anselmum Cherosium eius gestatorem interemptum, memorat.

Negat tamen Dubleus recens Scriptor lib.1. Historiæ suæ, cap.41. amissam esse: imò se illam vidisse asserit. Verùm ego substitutam eum vidisse, magis crediderim, quàm illam veterem & primam, de quâ nimis constat ex ipsismet Gallis Scriptoribus, esse deperditam.

8. In huius Flammulæ siue Auriflammæ locũ, alia quàm simillima vexilla deinceps fuerunt substituta, vt ex iisdem Gallorum ac Flandrorum historiis condiscimus.

9. Ad Auriflammæ, seu veteris seu nouarum benedictionem, hæc reperitur solita adhiberi precatio: *Inclina Domine aurem tuam ad preces humilitatis nostræ, & per interuentum B. Michaëlis Archangeli tui, omniumque cælestium Virtutum, sed & beatorum martyrum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, omniumque Sanctorum tuorum, præsta nobis auxilium dexteræ tuæ: vt sicut benedixisti Abraham aduersus quinque Reges triumphantem, atque Dauidem in tui nominis laude triumphales congressus exercentem; ita benedicere & sanctificare digneris hoc Vexillum, quod ob defensionem Regni & sanctæ Ecclesiæ contra hostilem rabiem defertur; quatenus in nomine tuo fideles & defensores populi Dei illud consequentes, per virtutem sanctæ Crucis, triumphum & victoriam se ex hostibus acquisisse lætentur.* E monumentis cœnobij Dionysiani apud Lutetiam.

CAPVT XXVII.

Aliorum partim Sanctorum, partim genere illustrium aduersus B. Dionysium honores.



PRÆTER illorum, quos suprà laudauimus, pietatem honoresque aduersus S. Dionysium, multi quoque alij partim cultus frequentiâ & sinceritate, partim templorum, cœnobiorum, aliorúmve ædificiorum exstructione eumdem sibi patronum fautoremque fecerunt. In quibus primas sanè sibi vendicat B. Genouefa virgo sanctissima, quæ ducentis fermè annis ante Regem Dagobertum, vicum Catulliacensem ex amore & honore S. Dionysij frequentissimè celebrauit, inibique illam ipsam ædem, in quam tantò posteà Dagobertus patris iram fugiens, vt antè memoraui, velut in asylum confugit, non tam facultatibus suis, tametsi illis quoque, quàm precibus & miraculis condidit. Quæ enim ad templum tali loco & tempore ædificandum maximè desiderabantur, ea vbi reperienda essent, precando didicit, & ipsis operarum necessitatibus miracula patrando subuenit.

S. Genouefæ virginis in S. Dionysium pius affectus miraculis comprobatus.

B. Birgitta ergaS. Dionysium deuotio.

Iungatur S. Genouefæ beata Birgitta, virgini Gallicanæ vidua Germanica, etsi æuo quidem admodum disiuncta (inter vtramque enim haud minùs quàm nouem sæcula interfuerunt) pietatis tamen ardore & colendi Dionysij studio propè par ac gemina. Quippe quæ beatum Martyrem tam frequenter ac tam feruenter voto & precibus adierit & lacessiuerit, vt non rarò quà visis cælestibus, quà opportunis solatiis ab eodem ipsam visitante affici meruerit. Et flagrante quidem inter Reges Philippum Valesium Galliæ, & Eduardum Angliæ, quàm acerrimo bello, vidit inter precandum Galliæ patronum Dionysium super afflicto regni statu, Reginæ cæli supplicantem, & auxilium Francis implorantem. Aliàs item cùm è peregrinatione ad sancti Iacobi Compostellani susceptâ cum marito simul reuerteretur, isque Atrebati in morbum incidisset, ex quo illa non mediocrem animo participauerat mœrorem, gratissimam à suo Patrono Dionysio consolationem percepit. Precanti enim apparens eum se esse dixit, qui ab vrbe Româ Euangelij proferendi causâ in Franciam venisset: & quia singulari ab eâ diligeretur affectu, hinc se eius curam habiturum, semperque præstò adfuturum: & addidit promisso pignus, breuî consecuturam mariti valetudinem. Quæ & paulò pòst est consecuta. Denique aliàs sæpiùs eumdem habere visitatorem merita est & consolatorem.

In Reuel. extrau. c. 92. & in Vitâ eius Tomo 4. Surij

S. Dionysius apparet S. Birgittæ.

His accenseri meritò debent sanctus Svvibertus Frisonum Apostolus, & beatus Notgerus Eburonum Episcopus: quorum ille relicto natali solo, & stirpis nobilitate Christo substratâ (Anglus enim erat, & illustri è familiâ oriundus) cùm à sancto VVilfrido Merciorum Præsule creatus Antistes, ad Frisones Germanosq; fide imbuendos missus esset, nihilq; haberet antiquius, quàm vt vanas eorum superstitiones in veram vnius Dei religionē, & profana deorum fana in Diuorū sacra templa commutaret, tum magni Dionysij toto Occidente notissimi, & sibi in primis charissimi haud immemor, templum eius honori sub annum salutis nostræ sexcentesimum nonagesimum in oppido Hoernaer consecrauit. Alter verò multorum Leodij templorum ædificator, vnum quoque in honorem & cultum beati Dionysij construxit, cui & Canonicorum adiunxit Collegium: qui primò quidem viginti, *procedente verò tempore* (vt loquitur & testatur Anselmus) *decem additis, in tricenarium profecerunt numerum.*

S. Marcellinus Presbyter in Vitâ sancti Svviberti c. 11. Tomo 2. Surij.

Templum S. Dionysij Areopag. Leodij extructum à Notgero Episcopo.

Sanctæ verò Edithæ pietas meritissimò inter hos Sanctos sibi locum facit. Fuit hæc virgo Edgari Regis filia, & Eduardi Regis & martyris soror, & post patris quidē ac fratris excessum (nisi constanter recusasset) gentis suæ Regina: quæ contempto Regno & mundo, dum tota viam insistit pietatis, templum in honorem D. Dionysij patroni sui sub annum Domini nongentesimum octogesimum quartum condidit, & requietis suæ locum certo mentis præsagio appellauit. Nam in eodem templo, quod viuens crebrò frequentarat, à sancto Dunstano, qui illud eius inuitatu dedicauerat, sepulta est. Qui Dunstanus cùm in ipsâ dedicatione eam virginem obseruasset pollicem dexterum identidem ad efformandum in fronte suâ Crucis signum extendere, facto delectatus apprehendit eius dexteram, & dixit: *Numquam putrescat hic digitus.* Qui proinde mansit imputribilis. Nam tredecim ipsis annis à suo decessu apparuit eadem sancta Virgo beato Dunstano, & de corporis eleuatione commonuit, addito veritatis signo, quòd præterea membra quibus olim in puellari ætate abusa fuerat (oculorum scilicet, manuum, & pedum) totum reliquum corpus incorruptum inueniretur. Adiunxit etiam de pollice his verbis: *Pollicem quoque dextræ manus, quo mihi assiduè Crucis signum impressi, illæsum videbis, vt appareat clementia Domini in parte seruatâ, & paterna castigatio in parte absumptâ.* Denique, vt S. Dionysij cultum olim, dum viueret, egregiè promouerat, ita illius mundo defunctæ venerationem, quadā remunerationis vice idem Dionysius Dunstano Antistiti apparens, & sacrum virginis corpus in lucem exponi & coli præcipiens, cælesti auctoritate promouit. Adeò exhibitus Sanctis cultus in eos, qui exhibuerint, non sine ingenti fenore solet reciprocari.

S. Editha templum construit S. Dionysio.

Frequens signi Crucis in fronte impressio approbata miraculo.

S. Dionysius apparet S. Dunstano Episcopo.

Facit porrò candidissimus ille puritatis & pietatis Anglicanæ flos, beatissima Editha, vti & aliorum Anglorum seu Regum seu Principum S. Dionysij amantissimorū, & sacro eius honori deuotissimorum mihi refricetur ac redeat læta memoria: nec tui, ô beatissime Eduarde Rex, & Confessor, vllâ possim ratione obliuisci. Haud enim scio, an quidquā aliquando tulerit terra Anglia nomine tuo vel maius vel sanctius, sed simul & cōiunctim glorię S. Dionysij celebrandæ & tutandæ deuotius.

S. Eduardi Regis in S. Dionysium pietas & munificentia.

Nam cùm præter solitam in sancta Regni tui loca & indigetes tuos liberalitatem ac munificentiam, Dionysij quoque, licet peregrini, memor esses, ac prædiuitem ei villam plurimisque abundantem commodis elargirere, ita ferè dicebas, ita scribebas: *Ego Eduardus Rex Anglorum, cùm essem in pace, in gloriâ Regni mei, pro salute animæ meæ patrumq́ meorum qui ante me regnauerunt, cum consultu & decreto Primatum fideliumq́ meorum, dedi S. Dionysio (qui celebris memoriæ apud nos quidem nominatur, apud Francos autem & colitur & habetur) villam quamdam nominatam Teintuna in territorio & comitatu vrbis quæ Oxenaforda dicitur, cum omnibus appendicibus eius, id est, terris, siluis, pascuis, aquis, pratis, cultis & incultis. Sit autem terra hæc immunis & libera ab omni negotio, exceptâ expeditione, & pontis vel arcis instauratione. Quòd si qui violauerint, sit pars eorum, decreto Dei & meo, omniumq́ Episcoporum (quorum nomina hîc habentur) cum Iudâ traditore, cum Dathan & Abiron, in ignem æternum, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur; nisi reatum suum coram Deo & sancto Dionysio emendauerint. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quingentesimo nono*, &c. His litteris regiæ donationis subscripserant nomina sua, primò Rex & Regina, deinde duo Archiepiscopi, tum Episcopi sex, posteà Duces quinque, deinceps & alij.

Litera donationis Eduardi Regis.

Sed hæc studio breuitatis omitto, & ab Anglorum pietate, de quâ & inferiùs sermo mihi necessariò instituendus est, in Franciam pedem refero. Vocat enim ad se, quem hactenus omisi, S. Eligius, & in S. Dionysij honore spectari artem suam petit. Cui sanè inter æui illius aurifices facilè principi, & in opus quod ad B. Dionysij spectabat ornamentum, toto, quod aiunt, animo & corpore incumbēti, haud mediocris laus debetur: imò & Nouiomensis Episcopatus, qui pòst diuinitus ei tributus est, vt pars fortè aliqua præmij, procuratore apud Deum Dionysio, felici sorte obtigit. Nam longè nobilissimum eidem suo & omnis Galliæ patrono in ciuitate Parisiensi condidit mausolæum, cui & tectum auro gemmisque opere mirifico incrustatum superposuit. Quo quidem in opere tametsi Regis Dagoberti liberalitas ac munificentia præclarè resplenduit, tamen omne auri gemmarumque pretium infra artis ac industriæ æstimationem fuit. *Tantum enim illic* (vt sancti Audoëni verbis vtar) *suppeditante Rege suam exercuit industriam, atque ita suum declarauit ingenium & artificium, vt penè singulare sit in Galliis ornamentum, & in magnâ omnium admiratione vsque in hodiernum diem.*

S. Eligius olim excellens aurifex totam artis industriam in S. Dionysij honorem impendit.

Apud Surium Tomo 6. Vitarum.

Liceat mihi in horum coronam Sanctorum, qui sancti Dionysij gloriæ & honori studuerunt, aut sacra illi loca coluerunt, etiam sanctum Ignatium Societatis Iesu, Deo duce, auctorem atque fundatorem includere. Is enim Parisiis cùm studeret, & nonnullis sibi adiunctis sociis totus ad res magnas ac diuinas aspiraret, tandem anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quarto, cùm instituenda formandaque perfectioris vitæ initia, & quædam velut semina futuræ Societatis iacienda concepisset animo, non alium ad hæc beata principia commodiorem aut sanctiorem locum esse iudicauit, quàm vicinum Parisiis montem Martyrum, hoc est, montem illum sancti Dionysij & aliorum Martyrum cruore consecratum: illuc proinde solemni Assumptæ Virginis die (quam præcipuam sibi apud Deum patronam cuncti adsciuerant) communiter adeundum censuerunt, ibi tantam celebritatem quâ possent pietate exigendam, ibi eorum quæ ad Dei gloriam & Fratrum salutem conceperant vota nuncupanda. Et summa quidem votorum hæc fuit: Primùm, vt remisso fluxis vanisque voluptatibus nuntio, integram illibatamque in perpetuum amplexarentur castitatem. Dein, vt, quoad eius fieri posset, paupertatis semitâ graderentur, eamque, excepto tam studiorum (quæ aliqui necdum absoluerant) quàm destinatæ ad sacra Ierosolymorum loca peregrinationis tempore, gnauiter sectarentur: neu quidquam omnino pro augustissimi Sacrificij celebratione quouis prætextu admitterent. Præterea, vt in Palæstinam ad gentis eius salutem (si quidem pateret aditus, & permitteretur) certo tempore constituto simul nauigarent: sin minùs, ad Summum Pontificem adirent, atque ad eius prostrati genua, totos se ad fructum animarum ex ipsius nutu arbitrioque dedicarent. Quæ vota duobus quoque annis consequentibus eodem die, & loco, & ritu renouarunt. Quis autem dubitet, quin ille Galliarum Apostolus, ille instructor Gentium, ille ab Oriente ad Occidentem peregrinus, cùm in sui martyrij loco exiguam illam coronam videret sua per vestigia incedere meditantem, ac se fratrum suorum in longinquis terris degentium saluti deuouentem; quis, inquam,

Societas Iesu prima pietatis vota in monte Martyrũ nuncupauit.

Quæ vota nuncupauerint Ignatius & socij ante cõditam & approbatã Societatis Iesu Religionem.

inquam, dubitet, quin ille verus honoris Dei amator & æmulator multum caloris multúmque roboris, deuotæ illi nouorum athletarum coronæ, & ad promittenda & ad præstanda tanta molimina, suis apud omnium gratiarum fontem precationibus impetrârit?

Adelaidis Reginæ Francorum erga sanctū Dionysium deuotio.

Helgaudus in Vitâ Roberti Regis Francorū.

Addamus horum Diuorum numero illustres regiâ dignitate personas: siue Adelaidem Roberti Francorum Regis matrem, egregiâ sanctitate feminam; siue Henricum III. Angliæ Regem præclarâ virum pietate: de quorum alterâ Helgaudus Floriacensis, post cœnobiorum ab eâ exstructorum recensionem, ita subdit: *Speciali autem suo post Dominum amicorū amico, beato videlicet Dionysio, casulam miro itidem opere factam contulit, quod opus vocatur Orbis terrarum, illi Caroli Calui dissimillimum. Sperabat enim se Deo fidelis Regina partem habituram cum eo* [a] *cui promiserat Deus sermone non casso, impetraturum pro quibuscumque petiisset. Etenim vniuersa progenies famulam se tanti Martyris in omni opere proclamabat.* De altero autem ita Nangius: *Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono Henricus Rex Angliæ venit in Franciam, exceptusq́; est Parisiis à S. Ludouico: postmodum B. Dionysium visitare cupiens, discessit Parisiis, & ad Ecclesiam B. Dionysij venit cum magnâ deuotione & reuerentiâ, mensemq́;, & eò ampliùs ibi commoratus, Conuentui cappam auream & scyphum magni ponderis contulit.*

Guiliel. de Nangis l. de Gestis S. Ludouici.

Philippus II. Rex Hispaniarum misit lampadem argenteam S. Dionysio.

Nec inhonoratum indonatúmve S. Dionysium reliquit Philippus II. Hispaniarum Rex; qui obtento à Rege Franciæ S. Eugenij primi Antistitis Toletani (quod diu multumque postulauerat) sacro corpore, in tanti memoriam beneficij, & simul quòd idem Eugenius, Dionysij Areopagitæ discipulus, ab eo in Hispaniam missus esset, eidem martyri Dionysio argenteam lampadem magnitudine & artificio spectabilem donum misit. [b] Istis, quæ in hoc genere præcipua sunt, cursim delibatis, cetera transiliens, ad mirabiliora Dionysianæ virtutis signa depropero.

NOTATIONES.

CVm superiori Capite actum sit de honoribus, quos S. Dionysio exhibuerunt Reges Francorum; hîc agitur de iis honoribus, quibus eum alij Sancti & illustres viri affecere.

[a] CVI PROMISERAT DEVS SERMONE NON CASSO.] Promisisse Deum opem omnibus pro quibus supplicasset S. Dionysius, præter Helgaudum Floriacensem hîc laudatum, etiam testatus est Hilduinus in Vitâ S. Dionysij, vbi hęc verba: *Dilectio & benignitas quam habes, semper, pro quocumque petieris, impetrabit.* Refert eadem verba Guilielmus Nangius in Vitâ S. Ludouici. Similem à Domino promissionem preces S. Viti martyris subsecutam esse, scribit Witichindus lib. 1. Gestorum Saxonicorum. *Hanc vocem*, inquit, *subsecuta est sponsio diuinæ promissionis, rata & firma esse omnia quæ rogasset.* De S. Gertrude l. 4. Insinuationum cap. 25. scribitur, *pro quocumque benignissimum Deum negotio inuocaret, id euentu prospero semper successurum.* Dixit etiam S. Dominicus, ille Dominicanæ fundator & pater Familiæ, atque adeò præ se tulit, ac rebus ipsis ostendit, nihil se vmquam à Domino poposcisse quin impetrauerit. Ac ne cui nimis hæc mira videantur, ipsum diuini Psalmistæ audiendum est testimonium Psalm. 144, 19. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Quin & nostrâ propè ætate S. Teresia Carmelitarum Discalceatorum mater, sibi esse à Domino reuelatum dixit, neminem quidquam in nomine B. Petri Alcantaræ à Deo petiturum, quin esset impetraturus: ac se quidem multis in rebus promissi huius expertam veritatem. Vide Vitam eius ab ipsamet scriptam, c. 27.

[b] ISTIS, QVÆ IN HOC GENERE PRÆCIPVA, &c.] Nam & alia in aliis adiici possent, si necesse foret. Helgaudi tamen Floriacensis monachi & Scriptoris (quia nonnulla nobis suppeditauit) fiet aliqua mentio. Is igitur in fundo cœnobij Floriacensis ædem paruulam construxit in honorem SS. Dionysij, Rustici, & Eleutherij: quâ re intellectâ, misit ei Robertus Francorum Rex eorumdem Sanctorum nonnullas Reliquias, è Casulâ scilicet S. Dionysij, è Dalmaticâ S. Rustici, è Casulâ S. Eleutherij, atque è vestimentis eorumdem sanguine aspersis, & de corporum pulueribus, nec non de triplici funiculo quo astrictus fuerat sanctus Martyr Dionysius. Horum testis est ipse Helgaudus in Roberto, Rege Francorum. Nec verò Canonicorum Rhemensium pietas prætereunda est, qui templum S. Dionysio ædificarunt: quod Heriuæus Rhemensis Archiepiscopus, teste Flodoardo, lib. 4. cap. 13. consecrauit.

CAPVT XXVIII.

S. Dionysij varia in varios & vario in genere post mortem miracula.



OMNIA quæ B. Dionysius post excessum ad Superos vario in genere perpetrauit miracula, & peruestigare studiosiùs nimis tædiosum, & accuratiùs enarrare nimis operosum esset: proinde præcipua dumtaxat & pauca referam. In quibus tenere principatū illud debet, quod in Stephano Pontifice, eius nominis Tertio, in magnum Ecclesiæ bonum idem Dionysius designauit. Cuius quidem miraculi, quò certior extet fides, ex ipsiusmet Stephani litteris, quæ hodieque in promptu sunt, collecta veritas est. Hic igitur Stephanus ab Aistulpho Longobardorum Rege iniquè oppressus, expe-

Stephanus III. Pontifex periculosissimè laborans sanatur à sancto Dionysio.

expetitis frustrà ab Imperatore Constantinopolitano auxiliis, demum ad Pipinum Francorum Regem, si quid is fortè subsidij afferret, se contulit; cui Rex perbenignè & perhumaniter excepto, atque in B. Dionysij cœnobio per hiemem hospitari iusso, spopondit se proximo vere in Aistulphum ducturum, & opem afflictæ Italiæ, vrbique ipsi & Pontifici quietem & pacem allaturum. Stephano intereà tam ex itinerum laboribus, quàm ex iniuriis temporum grauissimè laboranti, & desperatâ iam valetudine, nusquam nisi in Deo & in Sanctis spes suas reponenti, ecce dum in æde sacrâ preces fundit, per visum apparent Principes Apostolorum Petrus & Paulus, & cum illis vnà templi Præses sanctus Dionysius, & hic quidem gracili ac procero corpore, vultu amœno, comâ candidâ, tunicâ niueâ clauo purpureo iunctâ, pallio conchyliato stellulis aureis intertexto: & hi inter sese læto ac hilari ore sermocinãtes, Dionysio medendi munus deferunt: tum ille palmam & thuribulum manu gestans, Presbytero & Diacono, qui seorsum adhuc steterant, latera cingentibus, ad ægrum propiùs accedit, salutatq́; *Pax tecum frater, noli timere: non morieris, donec ad sedem tuam prosperè reuertaris. Surge sanus, & hoc altare in honorem Dei & Apostolorum eius Petri & Pauli, quos vides, dedica, Missas gratiarum agens.* Erat verò ibidem (vt ipse retulit visi huius spectator Stephanus) inæstimabilis quædam cum mirâ suauitate claritas. Mox ergo sanitati est restitutus. Quare cùm exequi mandatum B. Dionysij iam incolumis satageret, & demonstratam aram in Dei & Apostolorum honorem consecrare, ij qui corâm aderant, & pridianæ infirmitatis oculati testes fuerant, desipere eum arbitrabantur, donec Pipino Regi, & Optimatibus atque Proceribus rei serie denarratâ, & fide dictis habitâ, ritè Sacris operatus, eam ipsam aram dedicauit, & super ea pallium Apostolicum, ac Petri claues, velut sacra quædam anathemata, in rei memoriam deposuit. Annus tunc agebatur Domini septingentesimus quinquagesimus quartus, ipsius autem Stephani Papæ tertius. Fertur idem Pontifex nonnullas beati Dionysij Reliquias secum Romam asportasse, atque in eiusdem Martyris honorem monasterium in paterno fundo ædificare cœpisse, quod opus morte auctoris interceptum, Paulus eius frater, & in Pontificatu successor, magnificè absoluit, conuectisque in illud compluribus sanctorũ Martyrum corporibus consecrauit, & Græcis hominibus Deo ibidem famulaturis, in memoriam & honorem Dionysij Areopagitæ, vt fratrem velle didicerat, attribuit: locumque, *Ad sanctos Martyres in scholâ Græcorum*, appellauit. Atque de Stephano hactenus.

S. Dionysij Stephano Pontifici apparentis eumq́; sanantis verba.

Stephanus Tertius Papa aram dedicat in honorem Apostolorũ Petri & Pauli.

Monasterium Romæ exstructum ab Innocentio III. Pontif. in honorem S. Dionysij.

Quemnam autem illi potissimùm subiungemus, similis à B. Dionysio collatæ valetudinis compotem & laudatorem? Te, opinor, iure quàm meritissimo, Dux Berthalde, & inter Angliæ Duces veræ pietatis cultu eminentissime. Tu enim in grauissimam aliquando delapsus infirmitatem, cùm à Medicis sperare nihil posses, ad cælestia suspirans remedia, opem à beatis Dionysio & sociis Martyribus cõfidenter expectasti, & reportasti. Nam audito esse in Galliis eorumdem Sanctorum corpora, velut quasdam efficacium medelarum apothecas, quàm primùm per Caroli Magni Imperat. (cuius in obsequiis versabare) facultatem licuit, illò te contulisti, eos veneratus es, ab iis sanitatem expostulasti, & paucis admodum, quibus ad eorum monumenta decubuisti, diebus integram planè ac solidam valetudinem recuperasti. Quid ergo? Apud ingratum & immemorem ea fuit collocata gratia? nullusque in Sanctos tanti beneficij fructus redundauit? Imò verò maximus. Nam ædem illis sacram in villâ tuâ exstruxisti, & illam ipsam villam vnà cum agris, pratis, siluis, aquis, campis, hereditate à maioribus acceptam, sed & portus duos maritimos ei terræ vicinos, simul cum salinis, aliisque eódem pertinentibus, perquam insigni & prolixâ benignitate, eorumdem Sanctorum cultoribus Monachis, siue Dionysianis cœnobitis condonasti. *Dignum est enim*, inquiebas, *vt per quos sum ab omni corporis liberatus infirmitate, ipsi mihi in ipsâ meâ debeant hereditate succedere.* Beatum porrò illud sæculum (sunt enim bina hæc piæ liberalitatis exempla vnius eiusdemque octaui sæculi) quod tales habuit clientes Sanctorum! quod tam memores protulit diuinorum beneficiorum susceptores!

Berthaldus Dux ope S. Dionysij & sociorũ martyrũ è morbo desperato reualuit.

Templum in honorem S. Dionysij & sociorũ à Berthaldo Duce construitur.

Et verò alios eodem ipso sæculo, & ex eadem Angliâ præclaros possem adducere erga Dionysium benefactores, seu Offam Merciorum Regem, seu geminos fratres Agonaualam & Sigrinum, & hosce quidem vltrò & vnanimi consensu omnem suam possessionem, quam portui Lundeuicensi vicinam habebant, S. Dionysio cõtribuentes; illum autem & quidquid ibidem habebat iuris benignissimè remittentem, & alia insuper è suo adiungẽtem.

Principum Angliæ munificentia in cultu sancti Dionysij.

Fuit,

Fuit, fuit olim ea in Diuos pietas, ea largitas, vt præ Sanctorum honoribus omnis propinquorum videretur inducta obliuio: nunc è contrario tanta est propinquorum cura, & viscera corrodens sollicitudo, vt nulla videatur Sanctorum præ propinquis restare memoria. Verùm hoc agamus, & alia nostri Martyris benefica reuisamus miracula.

Flodoardus lib I. Hist. Rhemensis c 24

Auctor præterea est Flodoardus, suâ ætate, hoc est, sub annum Christi nongentesimum, feminam pauperculam, Gillaudé nomine, cùm totam manum impacto molæ manubrio grauiter sauciasset, ad B.Dionysij sacras Reliquias (quæ ob infestationes Paganorum Rhemis tunc asseruabantur) magno cum timore & reuerentiâ adiisse, atque in preces diu noctuque prostratam, eius denique alloquio & solatio in somnis donatam esse, & simul viam obtinendæ sanitatis didicisse. Alia eiusdem Martyris miracula perstringit Rigordus æui sui scriptor: quorum bina in annum millesimum centesimum nonagesimum tertium, bina in proximè sequentem inciderunt. Priora sunt hæc: Puerulus quidam vitâ functus, ad beati Dionysi ædem à parentibus, ipso eiusdem Sancti festo die, deportatus, & ante Martyrum corpora altari impositus, postquam parentes sancti Dionysij opem mistis prece lacrymis atque suspiriis impensiùs implorassent, ad vitæ vsuram, vniuerso respectante populo, remigrauit. Item arreptitius quidã in eodem templo simili ope curatus est. Posteriora autem insequenti anno hæc fuerunt: Trimulus puer de Curte nouâ aquis submersus, vitam B. Dionysij meritis recuperauit. Deinde vir quidam Misionensis, eodem inuocato & succurrente Dionysio martyre, è custodiâ apud Rothomagum exolutus est.

Rigordus lib. de Gestis Philippi Augusti.

Mortui aliquot meritis sancti Dionysij ad vitam sunt reuocati.

Nec verò tantùm Dionysij cultoribus magna beneficia, sed etiam sepulchri violatoribus grauia in promptu fuerunt supplicia. Quippe duorum sacrilegorum acceleratæ mortes, & vnius quidem in ipso peccati articulo, alterius verò intra eumdem annum, quo facinus admiserat, idonea sunt testimonia. Prior è Sigeberti Francorum Regis primoribus erat, qui eodem Rege Parisios armis & flammis vastante, sancti Dionysij sacram ædem non pietatis sed auaritiæ impulsu ingressus, à Sancti sepulchro pallam holosericam auro & gemmis coruscantem tollere non dubitauit. Ecce ergo, dum infelici spolio se beatum putat, & necessitate nauigandi vrgente, vnà cum credito sibi puero, cui ducentos aureos nummos tradiderat asseruandos, iter prosequitur, derepente charus ille & pretiosus puer præceps è naui, tactus à nemine, & incertum quo casu, delabitur, & aquis obrutus, nec ipse nec aurum apparet. Impulit quidem ea duplex iactura, vt confestim littori applicaret, & sepulchralem pallam, vnde abstulerat, referret, sed mortem sacrilegij vindicem ne annum quidem vnũ amoliri potuit. Eodem enim obiit. Alter eadem instigante auri cupidine ipsum ascendere, & pedibus conculcare sacrum tumulum haud veritus, dum ei impendentem columbam auream lanceâ tentat elidere, ipse pedibus, quibus turritum insistebat tumulum, vtrimque dilapsis, compressisque in ipso lapsu testiculis, & suo infixâ lateri lanceâ, mortem pro auro inuenit. Nec sanè fortuitò ista, sed iusto Dei iudicio illis euenere: vt quàm aptissimè in eos quadret illud Ecclesiastici: *Multi dati sunt in auri casus, & facta est in specie ipsius perditio illorum.* id est, multi propter aurum ceciderunt, & eius capti specie perierunt.

Greg. Tur. l. 1. Mirac. cap. 72.

Sacrilegij in S. Dionysium admissi diuina punitio.


Aliud exemplum similis punitionis.

Gregorius Turonens. l. 1. Miracul. c. 72.

Eccli. 31.

CAPVT XXIX.

S. Dionysij Reliquiæ, & earum virtus atque æstimatio.



SANCTISSIMVM a Dionysij corpus habuit initio, habetq; etiamnum inuicta Francia: nec est verum, illud aliquando seu vi seu dolo ad gentem aliam translatum, foris remansisse, aut nunc esse. b Nam Rhemos quidem (vt è Flodoardo superiùs insinuatum est) propter infestationem paganorum semel delatum esse constat, sed ibi ad meliora tantùm vsque tempora reseruatum. c Semel item à Carolo Magno in societatem militiæ assumptum, sed partâ victoriâ mox relatum. Nam aduersus rebellantes sibi Saxones bellum moturus, cùm satis nosset, quàm forti & durâ cum gente sibi res esset, & ipsa ancipitis Martis discrimina sagaci animo iam antè prospiceret; quo præter humana auxilia & mortales copias, etiam Sanctorum haberet in castris suis præsens auxilium; voluit beatorum martyrum Dionysij & sociorum eius corpora ab religiosis viris in eam expeditionem deportari. Fardulphus ergo S.Dionysij Abbas (fuit hic ordine octauus decimus) eidem Regi à consiliis, & cunctis in expeditionibus comes fidelis ac prouidus, atque etiam rebus fidei ac pietatis promouendis admodum idoneus, negotium

Carolus Magnus SS. Martyrum Dionysij & sociorum corpora secum in expeditionem deferri iubet.

gotium hoc suscepit, & qui vicissim sacris deportandis Reliquiis succollarent, bonam vim Clericorum prouidit. Bis pugnatum est totis castris: sed eorum altero conflictu debellatum, & victoria penes Carolum Magnum stetit. Hic autem cælestis haud immemor beneficij, hoc primò curauit (quod semper à Christianis Regibus primò curandum est) vt victoriæ fructus præcipuè ad Dei honorem, & sanctæ fidei augmentum recurreret. Itaque mandauit, vt Saxones Christi religionem institutaque susciperent: deinde eorumdem Saxonum aliquot millia, qui varias in regni sui partes distribuerentur, & sensim Ecclesiæ rudimentis & moribus imbuerentur, deportauit. Quo facto (vt Deus ipsum honorantes nouis semper auget honoribus) haud multò posteà ipsius Regno adiecit Imperium: fuitque deinceps simul Rex, simul Imperator; & regnauit quidem secundo rerum cursu, nec interruptâ vmquam valetudine, annos quadraginta septem, imperauit verò quatuordecim. Vnus denique in omni vitâ morbus, seu febris vna, vitæ eum mortali eripuit, felicemque & bis fortunatum immortali adscripsit, anno scilicet octingentesimo decimo quinto, ad quintam Kalēdas Februarias. Quâ die sancta eius memoria quibusdam in Ecclesiis piè recolitur, & solemniter celebratur. Tum ergo pius ille & verè sanctus Imperator sacrum Dionysij corpus ex vrbe & æde sibi cognomine extulit, & cum illo vnà illustrem victoriam reportauit. Sed aliàs numquam (nisi quis audacibus credere fabulis velit) ab vrbe S. Dionysij longiùs quàm Parisios regni caput, tanti Martyris principales reliquiæ, præsertim vt remanerent, alterique loco propriæ essent, leguntur exportatæ. Harum porrò Reliquiarum virtus, non tantùm aut in morbis sanitatem, aut victoriam in præliis, sed incrementum quoque & prosperitatem Regnis & imperiis importauit. Quod Henrico Regi Saxoniæ Caroli Simplicis Francorum Regis Legatus haud obscurè indicauit. [d] Nam cùm ei manum S. Dionysij auro gemmisque inclusam, fidei & amicitiæ testem Caroli nomine offerret, his vsus esse verbis memoratur: *Hoc habeto pignus fœderis perpetui, & amoris vicarij. Hanc partem vnici solatij Francorum Galliam inhabitantium (postquam eos deseruit insignis martyr Vitus, & ad nostrā perniciem vestramq; perpetuam pacem, Saxoniam visitauit) communicare tecum maluit. Neque enim postquam translatum est corpus eius à nobis, ciuilia vel externa cessauère bella. Eodem quippe anno Dani & Nortmanni regionem nostram inuaserunt.* Quibus verbis vaticinari Legatus voluit, non secùs à Franciâ cum his Dionysij sacris Reliquiis prosperitatem ad Saxonas transituram, quàm olim cum B. Viti corpore transiisset. Quanti porrò manum illam S. Dionysij æstimarit Rex Henricus, idem qui superiora perscribit VVitichindus. *Rex autem*, inquit, *munus diuinum cum omni gratiarum actione suscipiens prosternitur Reliquiis sanctis, & deosculatus eas summâ veneratione veneratus est.* Ita ille. Nec defuit sane pietati huic & venerationi merces: quandoquidem ex illo tempore Saxonum res, Hungarorum irruptionibus nuper admodum accisæ in pristinum restitui statum, & magna sumere incrementa, domitis bello Sclauis, Bohemis, Dalmatis, & aliis in orbem vicinis populis (quos Henricus fecit tributarios) continuatis victoriis inceperunt. Tantum scilicet in sacris Reliquiis, & in cōuenienti earum cultu situm est boni! [e] Quod vtinam Clodoueus II. intellexisset, atq; à contrectandis Dionysij sanctissimis ossibus irreuerentes manus abstinuisset! næ & mens illi firmior, & eius Regno prosperitas maior constitisset. Verùm vbi Martyris brachiū minùs piè & religiosè attigit atque abscidit, tum & ipse mente motus est, & haud modicè attonsa magnanimæ illius gentis est gloria. Ac licet ablatam brachij partem, auro & gemmis ditiorem posteà reddiderit, & varia insuper donaria sancti Dionysij cœnobio pro recuperandâ integræ mentis firmitate contulerit, numquam tamen ita reualuit, quin ad supremum vsq; tempus aliqua insaniæ vestigia prætulerit: magnum sanè Regibus documentum, quantus ad res sacras horror & reuerentia adferenda sit: & quàm non leuiter, tametsi cum pietate (quâ forsan & Clodoueus non omnino caruit) Sanctorum membra nec frangenda, nec disiungenda sint. Et verò tantam inesse virtutem ipsius sacri corporis Reliquiis, quid mirum? quando & vela & serici panni, quibus eæ inuoluuntur, aduersus potestates tenebrarum harū, & terribiles dæmonum carnificinas haud parum possint. Nam cùm anno Domini millesimo quinquagesimo, quo detectum corpus, & palàm venerationi expositum fuit, quidam ex iis Abbatibus qui ad eam solemnitatem accesserant, nonnullam antiquissimi veli partem, quo obuolutum corpus fuerat (nam velum nouum, idque pretiosissimum, miserat Henricus I. Rex Francorum)

Caroli Magni victoris gratus erga Deum & Christianam Religionem animus.

Caroli Magni pietas honoratur adiectione imperij.

Reliquiarū sacrarum virtus in augendis imperiis.

VVitichindus lib. 1. Gestorum Saxonicorum.

Ado in Chron. Gaguinus l. 3. Hist. Franc. c. 4.

E veteribus Codicibus sancti Dionysij apud Parisios.

Francorum) inde ad monasterium suum asportasset, atque obsesso cuipiam à dæmone homini Gentili & à fide nostrâ alieno admouisset, mox ille obsessor quamuis aliàs atrox & importunus, serò abscessit & aufugit: & homo ille ab istâ tyrannide vindicatus aquis ablui salutaribus, & Christianis accenseri expetiit. Denique tanta fuit non Regum modò aut virorum virtute præstantium erga sancti Dionysij sacras Reliquias affectio pietatis atque religio, sed etiam indiscriminatim totius populi Galliæ, vt existimarent hominem tam insignitæ improbitatis ac nequitiæ reperiri neminem posse, qui coram venerando tanti totius Galliæ patroni tumulo deierare aut mentiri ausus esset. Hinc non rarò accidebat, vt si quis vel iniustitiæ vel cuiuslibet alterius grandis flagitij reus obiectum sibi crimen inficiaturus in iudicio videretur, is ad sancti Dionysij tumulum tamquam ad rem maximè sacram & inuiolabilem iurisiurandi gratiâ traheretur. Ibi enim vel stimulis conscientiæ fodicantibus, vel pœnâ scelerum citò consequente, certa veritatis edebantur indicia. Talibus nimirum Deus opt. max. Sanctos suos dignatur honoribus; tam præsentibus eorum contemptores prosequitur terroribus, vlciscitur suppliciis. Hactenus quæ sanctus Dionysius egerit vidimus: quid scripserit, requiramus.

Gregor. Turonens. l. 5. Histor. cap. 32.

NOTATIONES.

HOc Capite virtus & æstimatio Reliquiarum S. Dionysij, auro & topazio pretiosior expenditur.

a SANCTISSIMVM DIONYSII CORPVS HABVIT, &c.] Probauimus infrà fusè Quæstione IV. corpus S. Dionysij fuisse semper, & nunc esse in Franciâ.

b NAM RHEMOS QVIDEM, &c.] Testis est Flodoardus lib. I. Historiæ Ecclesiæ Rhemensis, cap. 24. sub finem, aliquando fuisse Rhemis sancti Dionysij corpus. *Quadam denique sabbatorum die*, inquit, *iam vesperâ Dominici diei accedente, quædam paupercula, nomine Gillaidis, ex familiâ sancti Dionysij villæ Cortis superioris, dum molam manu verteret, manubrium molæ ipsius inhæsit dexteræ, vt diuelli posset à nemine. Tandem molæ manubrium ex vtraque parte manus abscindere cogitur, indicium nolens secum ferre miserabilis operæ. At salutis suæ sollicita, quoniam B. Dionysij tunc Rhemis (ob infestationem Paganorum) seruabantur membra, veloci gressu ad eiusdem sancti Martyris Domini sui contendit accedere pignora, &c.*

c SEMEL ITEM A CAROLO MAGNO, &c.] Vetus MS. Cœnobij sancti Dionysij propter Parisios, *Itaque non tantùm gloriâ*, inquit, *verùm & potentiâ Carolus Magnus, cùm bellum aduersus Saxones mirabili industriâ administraret, & sui præsentiâ vires exercitus acueret, Fardulphum beati Dionysij Areopagitæ Abbatem, inter alios, qui ad ferendum pondus prælij, & gentis audaciam comprimendam euocati vndique confluxerant, contigit accidisse. Hic sacra beatorum Martyrum pignora secum ferre iussus fecerat, & custodes Clericos, qui secum proficiscebantur, vti eis vicissim succedentibus debita exhiberetur religio, delegauerat.* Ita ibi.

d NAM CVM EI MANVM S. DIONYSII, &c.] De manu sancti Dionysij à Carolo Simplice, Francorum Rege, ad Regem Saxoniæ missâ, scribit Sigebertus in Chronico ad annum Domini 922. his verbis: *Carolus Rex Francorum cum auxilio Lotharensium, iuxta vrbem Suessionis pugnans contra Robertum fratrem Odonis Regis, qui contra se regnum Francorum inuadebat, eum cum multis peremit, & se & Franciam Henrico Regi submittit, eique in pignus perpetui fœderis & amoris mittit manum pretiosi martyris Dionysij Parisiensis, auro gemmisque inclusam.*

e QVOD VTINAM CLODOVEVS II. INTELLEXISSET!] De Clodouei aduersus sanctum Dionysium irreuerentiâ hoc habemus Adonis Viennensis in Chronico testimonium. *Clodoueus Rex*, inquit, *temerè agens, brachium B. Dionysij martyris abscidit. Ab eo tempore (sicut Franci tenuerunt) regnum ipsorum cadere cœpit variis casibus molestatum.* Robertus Gaguinus lib. 3. Histor. Francor. cap. 4. *Huiusmodi religiosis operibus*, inquit, *cùm maximè operam daret Clodoueus, neque vllis agitaretur bellis, aperto D. Dionysij feretro, brachij partem inde abstulit. Quod tametsi reuerenter haberet, protinus tamen mente concidit, secutæque sunt per Dionysiacum templum tenebræ, & rerum omnium obscuritas: vt qui illic aderant pauitantes citissimè inde aufugerent. Rex, etsi insano non dissimilis esset, brachij partem ablatam auro circumdatam, & multis gemmis decoratam beato corpori restituit, simulque donaria monasterio attribuit, quibus meliorem sibi mentem recipere posset. Qui etsi paulò meliusculus extiterit, præ se tamen tulit insaniæ vestigium.* Sic ille.

Hæc ipsa, vt opinor, est manus, quam posteà Carolus Simplex (de quo hîc paulò antè) ad Henricum Saxoniæ Regem misit.

CAPVT XXX.

Librorum S. Dionysij index.

PRIMAM in Theologiâ laudem, secundùm Scripturæ sacræ libros, sibi ex doctorum & piorum consensu vindicant sancti Dionysij Opera, multis probata & laudata cùm Philosophis tum Theologis. Quorum librorum pars optima, Dei beneficio, hodie superest: nonnulla portio iniuria temporum interiit.

Supersunt hodie libri.

De Cælesti hierarchiâ. I.
De Diuinis nominibus. I.
De Ecclesiasticâ hierarchiâ. I.
De Mysticâ Theologiâ. I.

Item Epistolæ.

Ad Caium. IV.
Ad Sopatrum. I.
Ad Demophilum. I.
Ad B. Ioannem Euangelistam. I.
Ad Dorotheum. I.
Ad Polycarpum. I.
Ad Titum. I.
Ad Apollophanem. I.

Huius ad B. Ioannem Epistolæ meminit sanctus Ioannes Damascenus Orat. 3. de Imaginib.

His porrò superstitibus hoc insigne laudis meritò adscripsit seu Ambrosius Camaldulensis, seu Iacobus Faber Stapulensis, seu quilibet alius, quisquis primus fuit, *Theologia viuificans, Solidus cibus.* Nihil enim in omnibus istis Areopagitæ scriptis facilè reperias, quàm solidum cibum, quàm Theologiam viuificantem.

Interierunt autem hi libri.

De Symbolicâ Theologiâ.
De Animâ.
De Diuinis hymnis.
Theologicæ informationes.
De Iusto & diuino iudicio.
De iis quæ intelligentiâ & quæ sensu percipiuntur.

Quibus libris magno Ecclesiæ damno deperditis, idem qui suprà, quisquis ille fuerit, hanc iure bono affixit tristis iacturæ epigraphen: *Infinitus thesaurus aut deperditus aut absconditus.* Scripsisse autem Dionysium libros eiusmodi, nulli magis quàm ipsi credimus. Quippe qui in iis, qui modò extant, istorum qui non extant, à se scriptorum meminerit. Libros porrò qui supersunt, egregiis Deus opt. max. decorauit miraculis. Anno enim à Christi ortu circiter octingẽtesimo vigesimoquarto, cùm Michael Balbus Imp. Orientis Legatos ad Ludouicum Pium Regem Francorum & Occidentis Imp. misisset, eo ipso die quo libri sancti Dionysij per Theodorum Diaconum, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Oeconomum, qui vnus erat è Legatis, ad cœnobium Dionysianum allati sunt (erat autem Vigilia sancti Dionysij) nouemdecim insignes variorum morborum curationes meritis tanti Martyris designatæ sunt, eæque in personis notissimis, nec longè ab eodem cœnobio degentibus. Duobus autem ferè post hæc sæculis, siue sub annum Domini nongentesimum sexagesimum septimum, Othone Magno imperante, aliud accidit prodigium, quod totidem hîc verbis referam, quot nobis transmisit sanctus Odilo Presbyter in Vitâ S. Maioli Abbatis Cluniacensis. *Cùm esset,* inquit, *aliquando sanctus Maiolus in monasterio sanctissimi martyris Dionysij, & pro consuetudine nocturnis horis legeret eiusdem Martyris & admirabilis Philosophi librum De Hierarchiâ cælesti, graui in eum incidente somno, cereus è manu eius in libri paginam decidit: & ecce rem stupendam, ignis naturæ suæ officium persequens, ellychnium & ceram consumpsit, paginam violare non est ausus.* Ita S. Odilo.

NOTATIONES.

CONtinet indicem librorum S. Dionysij, quorum duplex ordo ponitur: vnus eorum qui supersunt, alter eorum qui perierunt. Quòd autem hos scripserit quos periisse diximus, ex illis ipsiusmet scriptis, quæ supersunt, habemus testimonium.

De *Symbolicâ Theologiâ* enim meminit c. 15. libri de Cælesti hierarchiâ, & cap. 1. & 13. libri de Diuinis nominibus, & cap. 3. de Mysticâ Theologiâ, & Epistolâ IX. quæ est ad Titum.

Theologicarum informationum meminit c. 1. & 2. libri de Diuinis nominibus, & cap. 3. libri de Mysticâ Theologiâ.

De *Animâ* meminit cap. 4. libri de Diuinis nominibus.

De *Iusto & diuino iudicio* mentionem facit ibidem.

De *Diuinis hymnis* meminit cap. 7. libri de Cælesti hierarchiâ.

De *iis quæ intelligentiâ & sensu percipiuntur,* siue vt vulgò, *de Intelligibilibus & sensibilibus,* meminit cap. 1. & 2. libri de Ecclesiasticâ hierarchiâ.

Sunt qui inter hos deperditos recenseant librum, *De Angelicis proprietatibus & ordinibus,* cuius fieri putant mentionem in lib. de Diuinis nominibus, cap. 4. sub initium, in illis verbis: Καὶ ὅσα ἄλλα εἴρηται πρὸς ἡμῶν ἐν τῷ περὶ τῶν ἀγγελικῶν ἰδιοτήτων καὶ τάξεων. *Et quæcumque alia à nobis dicta sunt in tractatu de Angelicis proprietatibus & ordinibus.* Ad quæ verba sic sanctus Maximus in Scholio: Ἰδοὺ ἄλλο πόνημα Διονυσίου ζητεῖ. *Ecce aliud opus Dionysij desideratur.* Verùm meliùs alij intelligunt, tantùm significari partem eam libri de Cælesti Hierarchiâ,

chiâ, in quâ proprietates & ordines Angelorum exponuntur. Cùm enim id ibi fusè tractatum sit, cui bono alius de eâ re liber scriberetur? Tenet etiam, non esse disiunctum librum, illa insignis Carthusiæ lux & pulchra Eburonum gemma Dionysius Rickelius, in suâ Elucidatione librorum S. Dionysij.

Aliqui etiam addunt librum *de Legali hierarchiâ*, cuius meminerit Cap. 3. Ecclesiasticæ hierarchiæ. Sed malè dispunxerunt, & perperàm intellexerunt Dionysium; qui sic legendus est: Ὁ μὲν ἱερὸς λουτὴρ, ὡς εἰρήκαμεν, ἐν τῇ κατὰ νόμον ἦν ἱεραρχίᾳ. Isti autem sic legerunt: ὡς εἰρήκαμεν ἐν τῇ κατὰ νόμον ἱεραρχίᾳ, sine vllâ distinctione post vocem εἰρήκαμεν, hoc sensu: *Vt diximus in Legali hierarchiâ.* Sed alium esse sensum, ostendit Pachymeras in suâ paraphrasi his verbis: Ὁ ἱερὸς λουτὴρ, ὁ ἐν τῷ νόμῳ εἰρημένος. *Sacer luter, de quo in lege dictum est*, siue, *sacrum lauacrum, de quo est sermo in vetere Testamento.* Et paulò pòst idem Pachymeras: Ὡς γὰρ ὁ νόμος εἶχε λουτῆρα, οὕτως ἐνταῦθα ἡ ἀπόνιψις γίνεται τῶν χειρῶν. *Sicut lex habebat luterem, ita hîc ablutio fit manuum.* Quod vt clariùs explicem, habet hunc sensum: Vt in lege veteri erat lauacrum, in quo Sacerdotes lauabant manus ac pedes, antequam ad offerendum thymiama accederent: sic in nouâ lege Sacerdotes ante sacrificium debent extremas manus lauare. Itaque ἡ κατὰ νόμον ἱεραρχία nihil aliud significat, quàm *legem veterem* seu *vetus Testamentum.* Sic accepit idem Dionysius cap. 5. Ecclesiasticæ hierarchiæ, sub initium, de Iudæis loquens; quibus, tamquam pueris, Deus dedit legem: Νηπίοις μὲν οὖσι κατὰ τὸ λόγιον ἐδωρήσατο τὴν κατὰ νόμον ἱεραρχίαν. *Quibus*, inquit, *pueri cùm essent, dedit hierarchiam legalem*, id est legem, siue statum legis. Quare meliùs hunc S. Dionysij locum intellexit Pachymeras, quàm S. Maximus: si tamen idem Maximus (quod hodie legitur) Dionysij verbis addidit. Σημείωσαι, ὅτι οὐ λουτὴρ ἦν ἐν τῷ νόμῳ, καὶ ὅτι σύνταγμα ἔχει ἄλλο περὶ τῆς κατὰ νόμον ἱεραρχίας, ὅπερ οὐ φέρεται. *Nota, in lege non fuisse luterem, & Dionysium habere alium tractatum de hierarchiâ legali, qui non extat.* Verùm nequaquam mihi tam sacrarum Litterarum ignarus aut obliuiosus censeri potest S. Maximus, vt nescierit, aut non meminerit, in veteri Testamento fuisse luterem seu peluim, seu labrũ æneum, seu mare fusile (idem enim hæc significant) in quibus Sacerdotes lauarent. Nec enim vno in loco, sed in pluribus eorum fit mentio: nempe Exodi 30, 18. *Facies & labrum æneum cum basi suâ ad lauandum: ponesque illud inter tabernaculũ testimonij & altare. Et missâ aquâ, lauabunt in eâ Aaron & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriantur.* Et Exodi cap. 38, 8. *Fecit & labrum æneum cum basi suâ de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Et lib. 3. Reg. cap. 7, 23. *Fecit quoque mare fusile decem cubitorum à labio vsque ad labium, rotundum in circuitu.* Et idem quoque repetit totidem ferè verbis 2. Paralipomenon 4, 2. & addit v. 6. *Porrò in mari Sacerdotes lauabantur.* Hæc igitur S. Maximum virtute & eruditione maximâ præditum latere potuisse quis credat? Quare sicut Lansselius noster illud Scholion, tamquam adulterinũ ex parte, à S. Maximo iustè amouet; ita ego totum ab eodem iustiùs amolior. Nam si posterior pars non est sancti Maximi, certè multò minùs prior. Nam propter priorem adiecta est posterior. Quia enim existimauit adulterini huius Scholij ineptus & indoctus intrusor, non fuisse in lege luteres seu pelues ad lotionem Sacerdotum ante sacrificia, & S. Dionysij verba malè accepit ac distinxit, propterea adiunxit illam posteriorem partem, *Et Dionysium habere alium tractatum de Hierarchiâ legali, qui non extat.*

Dicitur præterea S. Dionysius scripsisse Martyrium sancti Eutropij consodalis sui, atque ad Clementem Pontificem misisse, rogasseque vt illud deinde in Græciam suis legendum consanguineis mitteret. Epistola Dionysij ad dictum Pontificem vnà cum codice martyrij missa, in hanc scripta erat sententiam: *Eutropium, quem mecum in has oras ad prædicandum Christi nomen misisti, significo apud Sanctonas vrbem à Gentilibus pro Domini fide trucidatum, martyrij coronam percepisse. Quapropter tuam paternitatem humiliter exoro, vt hunc passionis eius codicem consanguineis meis & notis & amicis fidelibus in Græciæ oris, Athenis præcipuè, quàm citissimè poteris, mittere non differas. Quò & ipsi & ceteri, qui à B. Paulo nouæ regenerationis lauacrum vnà mecum acceperunt, cùm audierint gloriosum Martyrem pro Christi fide crudelem necem subiuisse, gaudeant se tribulationes & angustias pro Christi amore sustulisse.* Hæc Epistola, vt & codex passionis (quæ Calixtus Papa II. Constantinopoli in Scholâ Græcorum reperisse dicitur, & è Græco in Latinum transtulisse) Græcè iam non extant. Vide Vincentium Bellouacensem lib. 10. Speculi histor. cap. 18. Ibi extant Acta sancti Eutropij, sed incertum est, an ea sint quæ sanctus Dionysius perscripsit, an verò desumpta tantùm ex illis, saltem ex parte.

R. P. PETRI HALLOIX E SOC. IESV DE S. DIONYSII AREOPAGITAE VITA ET OPERIBVS QVÆSTIONES QVATVOR.



IRCA sancti Dionysij Vitam, eiusdemque Opera quatuor occurrunt nobilissimæ & variis doctorum virorum distractæ sententiis quæstiones.

Prima est, An idem sit Dionysius Areopagita Pauli discipulus, qui & Episcopus Parisiensis Francorum Patronus.

Secunda, An Opera quæ nunc extant sub nomine Dionysij Areopagitæ edita, sint re verâ ipsius, an verò posterioris cuiuspiam.

Tertia, An Timotheus, cui hi libri inscripti sunt, sit Timotheus ille Pauli discipulus & socius, an alius aliquis seu à Lucio Dextro, seu à Baronio, seu à quopiam alio propositus.

Quarta, Vtri hodie sancti Dionysij corpus teneant, Parisiensésne, an Ratisponenses.

Hasce quæstiones quatuor, quibus velut totidem columnis structura Vitæ & Operum S. Dionysij sustinetur, tametsi à nonnullis antehac, & quidem haud indiligenter, tractatæ sint; visum est mihi tamen in præsentiâ aliquantò diligentiùs retractare. Nam & aduersarum partium veterana arma siue antiqua argumenta studiosiùs expendi, & contra nouitios insultus noua meliori parti auxilia conduxi: eo scilicet consilio, vt si qui Vitam hanc, alienis imbuti opinionibus, fortè despiciant, aut minoris iusto faciant, ijs consultis, quas in vicino habeant, sententiæ nostræ rationibus, simulque argumentorum momentis vtramque in partem allatorum æquâ lance perpensis, faciliùs à deuiis erroribus in rationis gyrum reducantur.

QVÆSTIO PRIMA.

An idem sit Dionysius Areopagita Pauli discipulus, qui & Episcopus Parisiensis Francorum Apostolus.



NVM eumdemque esse Dionysium, qui primò Athenarum deinde Parisiorum fuerit Episcopus, his probatur argumentis: Primò quidem, Quòd cùm primùm ea moueri cœpta est quæstio, & res inter Græcos & Francos diligētiùs examinari, communi vtrorumque iudicio decisum sit non esse duos, sed vnicum: qui more tum Apostolis vsitato post fundatam Athenis Ecclesiam, & datum illis Episcopum, aliò demigrarit, tandemq; in Galliam deuenerit. Ac de Græcorum quidem iudicio confirmari potest è pręstantissimis illius æui tam sanctitate quàm eruditione viris, nempe S. Methodio & S. Michaele Syngelo: qui ambo, Cedreno teste, sub Theophilo Imperat. Iconoclastâ martyrium religionis causâ subiere. Isti igitur, quo tempore Ludouicus Pius Imp. res & acta Patroni sui perquirebat, vnus S. Dionysij martyrium, alter vitam omnem, egregiâ panegyri est complexus. Ac prioris quidem, hoc est S. Methodij Patriarchæ Constantinopolitani, quæ huc spectant verba, sunt eiusmodi: Τότε γὰρ ὁ μακάριος οὗτος ὁ Διονύσιος τῷ τοῦ σταυροῦ ἀρότρῳ τὴν θάλασσαν διατεμών, ἀπὸ Ἀθηνῶν τὴν Ῥώμην κατέλαβεν οὐρανίῳ καὶ θείῳ θελήματι, ὡς ὑπὸ Θεοῦ ἠγαπημένος, ὁδηγούμενος. *Tum & beatus hic Dionysius Crucis aratro mare sulcans, Athenis Romam cælesti ac diuinâ ductus voluntate, tamquam Deo dilectus transmeauit.* Sic ille de profectione Romam: de transitu verò in Franciam, ita ibidem paulò inferiùs: Ἀκοιτανίας δὲ τοῖς μέρεσι τὸν ἅγιον Ἀντωνῖνον ἀποστείλας, αὐτὸς σὺν τῷ ἁγίῳ Λουκιανῷ καὶ τῷ ἁγίῳ Ῥουστίκῳ καὶ τῷ ἁγίῳ Ἐλευθερίῳ ἐν Παρισίᾳ τῇ πόλει ἐπορεύθη. *Misso in Aquitaniæ partes S. Antonino, ipse*

ipse cum sancto Luciano & sancto Rustico & sancto Eleutherio ad vrbem Parisios profectus est.

Syngeli autem Presbyteri Ierosolymitani, & magnâ eruditione præditi, sunt hæc, vbi de martyrio eius Parisiis obito agit: Καὶ δὴ καταμηνυθέντος αὐτοῦ τοῖς διώκταις ὑπάρχειν ἐν Παρησίᾳ πολίχνῃ οὕτω καλουμένῃ, δρομαίως εἰσελάσαντες ἐκεῖσε κατέλαβον αὐτόν. *Et cùm iam annuntiatum esset persecutoribus in vrbeculâ Parisiis appellatâ eum esse, cursim insecuti eum inibi comprehenderunt.*

De Francis porrò idem fuisse eadem tempestate iudicium, liquet è Scriptoribus ætatis illius, Hilduino Abbate & Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi: quorũ prior non tantùm probat eumdem esse Dionysium Areopagitam & Parisiensem, sed etiam alia sentientes aut quomodolibet innuentes fortiter refutat. Alter verò in Epistolâ, quam ad Carolum Caluum Imp. & Francorum Regem scripsit, non modò Græcos & Francos in hac fuisse de vno eodemque Dionysio sententiâ asserit, sed etiam Romanos, ipsumque adeò Pontificem. Nam dicit se quorumdam hac de re Scriptorum exemplar Imperatori mittere, *vt si quæ sint*, inquit, *illorum reliquiæ, qui negabant Dominum & Patrem nostrum patronum vestrum, Dionysium esse Areopagitam à beato Paulo Apostolo baptizatum, & Atheniensium ordinatum Episcopum, & in Gallias à beato Clemente directum, ex his quæ Græca testificatio & sancta Sedis Romanæ attestatio, & Gallicana intimat contestatio, ratum esse in hac causâ, quod longè ante nos dictum est, recognoscant. Quia veritas sæpiùs exagitata magis splendescit in lucem.* Ita Hincmarus.

* Citat eadem Baronius Tomo 2. Annal. ad Christi annum 109. sed nonnihil vitiosè. Nec enim valet, *Gallicana intima contestatio*, legendum *intimat*, quæ vox illo sæculo fuit frequentissima. Nec item quòd ista inclusit parenthesi (*quod longè ante nos dictum est:*) nam Hincmari hic est sensus: *vt recognoscant id quod longè ante nos dictum est* [de vno eodemque Dionysio scilicet] *ratum esse in hac causâ.*

Scripsit his conformia sub idem tempus ad eumdem Imper. Carolum Anastasius, Romanus Bibliothecarius; vbi post alia, in quibus se Græcam sancti Dionysij Vitam in Latinũ eloquium vertisse dicit. *Cesset ergo iam*, inquit, *quorumdam opinio perhibentium non esse Areopagitam Dionysium, eum qui prope Parisium corpore ac virtutibus redolet: cùm hoc & Græcorum quoque stylus cum Latinâ linguâ concordans testetur & prædicet.*

Nec parui sanè faciendum hoc argumentum est, quod à Græcorum consensu (qui satis aliàs & se & sua amare solent) ductum est. Neque enim est dubium, quin tanti viri, quales Patriarcha Constantinopolitanus Methodius, & Presbyter Ierosolymitanus Michaël Syngelus, eruditionis scilicet & grauitatis & sanctimoniæ gloriâ clari, antequam ea scriberent quæ de S. Dionysio scripserunt, aliquam diligentiam perquirendæ veritati, tanto præsertim in negotio, insumpserint. Nam dicere aut suspicari in fauorem Imperatoris ea scripsisse, quæ aliter ipsi sentirent, est viris qui ad martyrium prompti fortesq; fuerunt, nimis leuem, imò & læuam attribuere conscientiam.

Secundò, Quòd tanti viri, quantus fuit Dionysius, tam exigua olim in Oriente (vbi cum Paulo floruit) memoria & mentio reperta sit, seu de tempore excessus, seu de genere mortis, seu de loco sepulturæ, magno sanè id argumento est, eum (quod ferè tunc omnes Apostolorum faciebant discipuli) alias in terras demigrasse, proculque à patriis finibus vitam commutasse.

Tertiò, Simeon Metaphrastes, Nicephorus Callistus, & alij Græcorum, qui memorias Sanctorum studiosiùs sunt è veteribus monimentis perscrutati, eadem de Dionysij in Italiam & Franciam migratione docuerunt. Prioris verba sunt hæc: Τὴν βασιλίδα Ῥώμην καταλαμβάνει, καὶ προσέρχεται Κλήμεντι τὸν Ἀποστολικὸν τηνικαῦτα θρόνον διέποντι. *Regiam vrbem Romam adit, atque ad Clementem Apostolicam Sedem tunc tenentem accedit.* Et paulò inferiùs: Ὑπὸ τούτου προτρέπεται καὶ πρὸς Ἑσπέρια μεταβῆναι μέρη. *Ab illo incitatur, vt etiam ad partes transeat Occidentales.* Et rursus haud multò pòst: Καὶ τοὺς Ἑσπερίους καταλαβὼν Γαλάτας οὐ διδαχῆς μόνον ῥήμασιν, ἀλλὰ καὶ σημείων ἔργοις Ἀποστολῆς ἔργον εἰργάζετο. *Et ad Occidentales Gallos profectus, non modò doctrinæ verbis, sed & factis prodigiosis, sui munere Apostolatus fungebatur.*

Verba Nicephori lib. 2. Hist. Eccl. c. 20. Διονύσιος δὲ τὸν λόγον εὐσεβείας λαμπρῶς παρρησιασάμενος, ἐπὶ πολλοῖς ἔτεσι κατὰ τὴν ἑσπέραν δοξάσας Χριστόν, εἰς βαθὺ γῆρας ἥκων, καὶ τῷ ὑπὲρ αὐτοῦ μαρτυρίῳ κατεκοσμήθη. *Dionysius porrò, cùm pietatis doctrinam præclarè & liberè prædicasset, multósq; annos in Occidente Christi gloriam extulisset, ad multam vsque progressus senectutem,*

tem, denique pro eodem coronâ martyrij decoratus est.

Quartò, Latini Historici & Chronographi & Annalistæ eamdem de Dionysio sententiam tutati sunt: Vincentius Belloüacensis in Speculo historiali, lib. 1. c. 1. S. Antoninus in 1. Parte historiali, titul. 6. c. 18. & 19. Petrus Equilinus l. 9. c. 41. Genebrardus, Mariana, Baronius, & passim omnes. Qui si dicantur recentiores esse Auctores, dicendum est, eos, qui contrà sentiunt, multò etiam iis esse recentiores, adeoque heri & nudiustertius, vt aiunt, natos.

Quintò, Probatur hæc sententia ex multis aliorum Sanctorum Vitis, quorum Sanctorum aliqui Athenis Romam, alij Româ in Galliam beatum Dionysium narrantur comitati. Graue est autem, & parum Christianæ pietati atque modestiæ consonum, tot Vitis Sanctorum & narrationibus ex variarum archiuis Ecclesiarum depromptis, fidem abrogare. Habent igitur S. Ionem (quem alij Ionam, alij Ionium, sed vtrumque minùs rectè, appellant) venisse cum B. Dionysio Athenis Romam, & hinc in Gallias vnà migrasse. Cuius quidem martyrium nomen fecit loco, qui *mons sancti Ionis* dicitur apud pagum Castresium, dictum Gallicè, *Chastres sous Montleheri*. Habent & B. Regulum, S. Ioannis Apostoli olim discipulum, à Magistri in Patmon relegatione Athenas ad Dionysium se contulisse, eique deinceps adhæsisse, & Romam vnà profectũ esse, indeque in terram Galliam. De quo Regulo ita Petrus Galesinius in Martyrologio ad 3. Kalendas Apriles: *Apud Siluanectenses*, inquit, *sancti Reguli Episcopi. Is ciuis Nicænus beati Ioannis Euangelistæ discipulus, Dionysij Areopagitæ in peregrinatione Gallica socius & comes, post Trophimum Arelatensium factus Episcopus, sanctimoniæ laude clarus, ex ædificatâ Apostolorum Basilicâ quieuit in Domino*. Ita ibi. Vide plura de sociis eiusdẽ Dionysij Cap. x. & xxi. Vitæ ipsius suprà.

Sextò, E Menæis Græcorum, quæ ad diem iii. Octobris referunt, eum post explanatam Ecclesiasticæ dispositionis formam, ad partes Occidentales profectum esse, & martyrium apud Parisios obiisse. Ipsa Menæi verba exstant suprà Capite xxxi. Vitæ.

Septimò, Libellus Passionis S. Dionysij longè antiquior omnibus iam citatis Scriptoribus Græcis, & missionis eius à Clemente in Galliam, & suppliciorum mortisque ordinem continens: itemque multò antiquissima Visbij de iisdẽ rebus conscriptio (fuit enim Visbius Lisbij à sancto Dionysio conuersi filius) ab Hilduino talium scriptorum diligenti perquisitore, annis abhinc octingentis circiter inuenta, idem docent atque conuincunt.

Octauò denique confirmatur ex antiquissimis Martyrologiis, Breuiariis, Missalibus, vbi Dionysius ille Parisiorum Episcopus dicitur à Clemente Pontif. Rom. in Gallias missus. Vidi Parisiis (eò enim me harum rerum explorandarum gratiâ contuleram) vidi, inquam, in Bibliothecâ Clarissimi viri Thuani, & vidit mecum Andreas à Quercu insignis nostri ęui Scriptor, duo perantiqua Martyrologia manu scripta, in quorũ altero erat, S. Dionysium à Pontifice Romano in Gallias missum; in altero autẽ (quod è duobus erat antiquius) expresè habebatur à Clemente Pontifice Romano missum. De diuersis porrò cunctarum ferè Ecclesiarum, & nonnullis quoque extra Galliam Breuiariis ac Missalibus, remitto cupidos Lectores ad Historiam Abbatiæ S. Dionysij, nuper à Iacobo Dublæo (quicum etiam aliquando Parisiis contuli) in lucem editam. Is vir, si quis alius, omnium quæ S. Dionysij res contingunt, diligentissimus fuit inuestigator. Adde autem pro corollario Martyrologium & Breuiarium, quibus nunc Romana vtitur Ecclesia, quæ disertissimè protestantur, Dionysium Areopagitam à Clemente Pontifice missum esse in Galliam prædicandi Euangelij causâ. Atqui non potest alius assignari Clemens Pontifex, quàm ille Petri & Pauli discipulus, qui primo vixit sęculo. Nam Clemens II. Pont. demum vndecimo sæculo vixit. Igitur vnus idemque est Athenarum & Parisiorum Episcopus, non duo.

Sed quid his opponant ij qui contraria sentiunt, nunc est videndum. Tria igitur præcipuè opponunt.

Primùm quidem, & quod aliis præstat, est, quòd in veteribus Latinis Martyrologiis repererint bis positum S. Dionysium, semel scilicet 3. Octobris, sub his verbis: *Athenis, Dionysij Areopagitæ sub Hadriano diuersis tormentis passi: vt Aristides testis est in Opere quod de Christianâ religione composuit. Hoc opus apud Athenienses inter antiquorum memorias clarissimum tenetur.* semel 9. eiusdem mensis, sub hac formâ: *Parisiis Dionysij Episcopi cum sociis suis à Fescennino gladio animaduersi*. Ita vetus Martyrologium Romanum, cui consentiunt Martyrologia venerabilis Bedæ, & Adonis Viennensis, quod quidem attinet

ad

ad diuersos dies: verbis alioqui nobis fauent, vt pòst declarabitur, cùm ad secundum argumentum respondebitur.

Secundum argumentum est ab auctoritate Gregorij Turonensis, lib. 1. cap. 30. dicentis, Dionysium missum in Gallias sub Decio Imper. Vnde sequeretur, non potuisse esse Areopagitam. Nam Decius vixit tertio sæculo, Areopagita primo.

Tertium ab auctoritate Seueri Sulpitij lib. 2. Sacræ historię, scribentis, sub M. Aurelio Antonini Pij filio primùm intra Gallias visa martyria. Ex quo colligunt, Areopagitam non potuisse dici passum Parisiis sub Hadriano, qui ante Antoninum Pium regnauit.

Hæc argumenta primo aspectu satis probabilia apparent; sed propiùs inspecta & discussa, manifestæ falsitatis arguuntur. Itaque singula examinemus.

Ad Primum ergo quod attinet, talis est responsio: Non sequi, ex eo quòd quis ponatur bis in Martyrologio diuersis diebus, & sub diuersis verbis, esse duos eiusdem nominis diuersos. Nam vt idem quispiam bis ponatur in Martyrologio, variis modis accidit. Primò quidem, cùm is diuersis in locis Episcopus fuit. Multi enim gesto alicubi Episcopatu, & relictâ illic sui memoriâ, aliò demigrarunt, sedemque aliam statuerunt: vt Petrus Apostolus primò Antiochiæ, deinde Romæ: vt S. Alexander (cuius etiam, vtpote Scriptoris, Vitam scripsimus) priùs in Cappadociâ, deinde Ierosolymis, quem duobus diebus in Menologio reperies, nempe 16. Maij, & 12. Decembris: vt magnus Eustathius primò Berrhœæ, pòst Antiochiæ, qui & bis in Menologio diuersis diebus ponitur, semel 21. Februarij, semel 5. Iunij, in Romano autem tam vetere quàm nouo, Iulij 16.

Secundò, cùm dies suscepti Episcopatus vno tempore celebratur, & alio dies excessus, seu martyrio seu vitæ sanctimoniâ nobilitati, vt in SS. Basilio Magno, Ambrosio Mediolanensi, & aliis accidit. Nam Basilij quidem depositio siue excessus celebratur Kalendis Ianuarij, Ordinatio autem decimooctauo Kalendas Iulij: vt videre est in Romano Martyrologio. Ambrosij verò natalis pridie Nonas Aprilis assignatur, Ordinatio autem septimo Idus Decembris in hæc verba: *Mediolani ordinatio S. Ambrosij Episcopi, cuius sanctitate & doctrinâ vniuersalis Ecclesia decoratur.*

Tertiò, cùm semel alicuius natalis, siue obitus dies celebratur, & semel aut sæpiùs eiusdem dies translationis corporis, aut certarum Reliquiarum, vt in sancto Ignatio martyre ostendimus: & quemadmodum in sanctis Andreâ Apostolo, Lucâ Euangelistâ, Timotheo Pauli discipulo, è B. Hieronymi aduersus Vigilantium discitur lucubrationibus: vti etiam in ipso sancto Hieronymo & S. Nicolao Myræ Episcopo, & in aliis quàm plurimis cerni potest: quorum non modò dies natalitij, sed etiam dies translationis Reliquiarum reperiuntur distinctis diebus annotati.

Quartò, & sæpiùs, ex errore eorum qui conflarunt Martyrologia, & è variis libris sacris Sanctos iis inserendos collegerunt, partim è Græcâ, partim è Latinâ Ecclesiâ. Quod eò faciliùs accidit, quòd Martyrologia nō ab vno homine, nec in vno sæculo, sed ab hominibus multis, aliis post alios, & in omnibus seculis vel condita sint, vel aucta. Nam qui primus primo sæculo, aut secundi sæculi initio condidit Martyrologium, is tantùm Sanctos primi sæculi comprehendit; quo mortuo, prout aliqui secundo sæculo extiterunt qui digni Martyrologio viderentur: sic ab aliis atque aliis additi sunt, tam à Græcis in Græcâ, quàm à Latinis in Latinâ Ecclesiâ: habuerunt enim & hi & illi distinctos fastos. Itaque vetus Romanum, exempli gratiâ, quod initio minimum erat, crescente paulatim Sanctorum numero, pari etiam passu creuit; itemque Græcorum Menæum, post aliquot deinde sæcula, cùm multi Latinorum in Græcis deessent Menæis, & multi Græcorum in Latinis desiderarētur Martyrologiis, fuerunt quidam (præsertim post tempora S. Hieronymi) qui primo illi Romano Martyrologio (quod iam *Vetus Romanum* appellatur) multos Sanctos addiderint, eosque de Græcorum Menæis magnâ ex parte desumpserint. Hi autem fuerunt, primò quidem Venerabilis Beda, cum suo suppletore Floro Monacho (reliquerat enim ille dies aliquot Martyrum nominibus vacuos) deinde Vsuardus Caroli Magni Imp. iussu: post hunc Ado, qui Bedam, licet Flori additamentis aliquatenus pleniorem, haud tamen numeris omnibus absolutum, ita perfecit, vt non modò dies vacuos replērit, sed etiam breuibus ipsorum Martyrum actis adornarit, vti ex eiusmet Adonis liquet Epistolâ, quam noster Heribertus Rosvveydus veteri præfixit Romano Martyrologio. Dico igitur, sanctum Dionysium ab initio tantùm semel fuisse tam in Græcorum Menologio, quàm in Latinorum Martyrologio: & in Menologio quidem die tertiâ Octobris, breuissi-

breuiſſimè hoc modò: *Certamen ſancti Patris Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi Athenarũ.* Vbi obſerua, ſileri vbinam fuerit illud certamen ſiue martyrium, quòd longè ſcilicet à patriâ peregrinati & defuncti locũ haud ſatis Græci noſſent. In Menæo autem, quod Menologio poſterius eſt, & multò auctius, quamuis ſub hoc tantùm titulo dies eius natalis proponatur, Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Διονυσίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου: *Sancti Dionyſij Areopagitæ Martyris*; tamen in ſubiecto eius vitæ & martyrij compendio ſcribitur paſſus Pariſiis.

Non habent autem etiamnum, nec Menęum nec Menologium Græcorum, niſi vno eodemque die, Dionyſij Areopagitæ & Pariſiorum Epiſcopi natalem, hoc eſt, tertio Octobris. Conflator igitur aut amplificator potiùs Romani Martyrologij, id quod reperit in Menologio 3. die Octobris, in Martyrologium ſuum eodem die intulit: atque ita factum eſt, vt qui erat 9. Octobris ſub nomine Pariſiorum Epiſcopi, fuerit etiam tertio die ſub nomine Areopagitæ ſeu Epiſcopi Athenarum. Nam cùm vtrobique fuerit Epiſcopus, & Athenis & Pariſiis, Athenienſes ſub nomine Areopagitæ aut Epiſcopi Athenarum, Pariſienſes autem ſub nomine Epiſcopi Pariſiorum inſcripſerunt & coluerunt.

Nota hîc quoque per tranſennam, in Vetere Romano Martyrologio primitus nihil fuiſſe 3. Octobris, niſi hoc: *Athenis, Dionyſij Areopagitæ ſub Hadriano diuerſis tormentis paſſi.* Totum autem hoc quod ſequitur: *Vt Ariſtides teſtis eſt in Opere quod de Chriſtianâ religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes inter antiquorum memorias clariſſimum tenetur*, eſſe additamentum alicuius poſterioris. Quod patet ex toto reliquo corpore eiuſdem Martyrologij (vbi tantùm nomina Martyrum & locus ac dies paſſionis recenſentur) & ex teſtificatione Adonis in Epiſtolâ ſuperiùs citatâ. Videtur autem ex ipſo Adone ſumptum, qui in ſuo Martyrologio idem, & pluribus quidem verbis, habet hoc modo: *Vt Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiaq; mirabilis, teſtis eſt in eo Opere quod de Chriſtianâ religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes ſummo genere colitur, & inter antiquorum monumenta clariſſimum tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant.* Hinc ergo ineptè & indecorè intruſum eſt in Vetus Romanum: nam in augendo aliquo Opere, forma primi operis retinenda eſt; & imitanda vel breuitas vel prolixitas ipſius auctoris & fontis. Quo in genere qui peccant, non praui quidem, ſed parui ſe iudicij profitentur.

Sic peccauit, qui in eodem Martyrologio ad octauam Nouembris ſic addidit: *Et ipſo die, Quatuor Coronatorum, Seueri, Seueriani, Carpophori, Victorini: quorum feſtiuitatem ſtatuit Melchiades Papa ſub nominibus quinque Martyrum celebrari, quia nomina eorum non reperiebantur; ſed intercurrentibus annis cuidam ſancto viro reuelata ſunt.* Debebat enim finire in *Victorini*, & iſta foras proiicere, *quorum feſtiuitatem*, &c. Hiſce enim forma Martyrologij deformatur. Quomodo autem Melchiades ſtatuit celebrari ſub nominibus quinque Martyrum, ſi fuerint tantùm quatuor? Tolle igitur *quinque*, eſt enim vitioſum, & repone *quatuor*.

Itaque vt ad propoſitum argumẽtum redeamus, errore poſteriorum Martyrologorũ factum eſt, vt bis in Martyrologio poneretur S. Dionyſius. Nam cùm inueniſſent in Menæo Græcorum & Menologio ad tertiam Octobris ſcriptum natalem ſiue certamen Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi Athenarum, rati eſſe diuerſum à Dionyſio Epiſcopo Pariſiorum, quem in ſuis Martyrologiis habebant nono die eiuſdem menſis, inſcripſerunt etiam ipſi tertio die Octobris natalem Dionyſij Areopagitæ, ſicut ibi inuenerunt, atque ita ex vno Dionyſio fecerunt duos. Vnde Molanus in Notis ad Vſuardum indicauit, tertio Octobris non neceſſariò legendum eſſe quod habetur de ſancto Dionyſio. Nam appoſuit iſtam notulã ¶. quam in Epiſtolâ ad Lectorem numero 12. dicit ſignificare, eouſque in omnibus Eccleſiis legi poſſe. *Illa enim*, inquit, *quæ ſequuntur notam ¶, vel ſunt feſta tranſlationum, ferè ex propriis Eccleſiis ſumpta, quæ non eſt neceſſe paſsim per Eccleſias legi; vel ſunt minimis typis, de non canonizatis*, &c. Vnde Molanus, vir ſanè in huiuſcemodi rebus diligens & attentus, iudicauit, Dionyſium hunc Areopagitam notatum 3. Octobris, eumdem eſſe cum Dionyſio Pariſiorum Epiſcopo. cur enim alioqui cenſeret non legendum Areopagitam in omnibus Eccleſiis? Adde, nec in Martyrologio Venerabilis Bedæ quidquam primitus fuiſſe 3. Octobris, ſed tantùm 9. vt nunc in Martyrologio Romano nouo & correcto. Teſtatur enim Baronius Tom. 2. Annalium, anno Chriſti 109. antiquiſſimum Bedæ Martyrologium manu ſcriptum, acceptũ olim ex reliquiis monaſterij S. Cyriaci, vnum tantùm habere Dionyſium, Pariſienſem ſcilicet, ſeptimo Idus Octobris.

Vnde non à Bedâ, inquit, *sed ad Bedam ea de Dionysio Areopagitâ addita esse oportuit, ex Græcorum videlicet Menologio. Nam eâ die 3. Octobris ijdem agunt de Dionysio Areopagitâ.* Ita Baronius, & benè. Indicarat & Molanus loco suprà citato, additâ G. litterâ ad vocem *Areopagitæ*, sumptam illam esse è Græco Menologio.

Sed petunt nostri aduersarij exempla eorum qui bis similiter in Martyrologio ponantur quasi sint diuersi, & tamen sint vnus idemque.

Respondeo quidem, id quod petunt non esse necessarium, cùm aliunde alia sufficiât argumenta; sed tamen etiam in hoc nos ipsis facturos satis, quò & ipsi libentiùs nobis dent manus, cùm quod petunt acceperint.

Primò igitur S. Crescens Pauli Apostoli discipulus, qui perinde ac Dionysius & in Oriente & pòst in Galliis Apostolus fuit, bis similiter in Martyrologiis ponitur, semel 27. Iunij hoc modo: *In Galatiâ S. Crescentis discipuli Pauli Apostoli, qui in Gallias transitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Christi conuertit: rediens verò ad gentem cui specialiter datus erat Episcopus, cùm Galatas ipsos vsque ad finem vitæ suæ in opere Domini confirmasset, demum sub Traiano martyrium consummauit.* Semel rursus 29. Decembris hoc pacto: *Viennæ in Galliâ S. Crescentis discipuli B. Pauli Apostoli, & primi eiusdem ciuitatis Episcopi.* Ita in Romano Martyrologio. Vbi vides, semel Viennæ poni eius natalem, vbi fuit Episcopus, nullâ factâ Galatarum mentione: eodem prorsus modo, quo S. Dionysij Parisiorum Episcopi 9. Octobris, sine vllâ mentione Athenarum, in antiquis Bedæ & Vsuardi & Adonis Martyrologiis; semel item in Galatiâ 27. Iulij, quo die apud Bedam nulla mentio Viennæ aut Galliarum. Hoc enim tantùm habet: *Apud Galatiam B. Crescentis Episcopi, discipuli S. Pauli Apostoli.* Die autem Decembris 29. sic: *Eodem die S. Crescentis, Apostoli Pauli discipuli, Viennensis Ecclesiæ primi Doctoris.* Vsuardus porrò cùm eumdem esse agnouisset, & bis positum animaduertisset, semel sustulit. De Crescente enim 29. Decembris nihil habet. Sic noui Romani Martyrologij assertores, cùm eumdem Dionysium Areopagitam & Parisiorum Episcopum bis positum deprehendissent, semel expunxerunt, & tantùm 9. Octobris reliquerunt.

Secundò, S. Philippus Gortynæ in Cretâ Episcopus, bis in vetere Romano Martyrologio reperitur, semel 11. Aprilis in hũc modum: *Gortynæ Philippi Episcopi, qui claruit Antonini Veri & Lucij temporibus.* Et semel 8. Octob. in hanc formam: *Gortynæ Philippi Episcopi.* Bis habet eum ipsum etiã Beda iisdem diebus, semel sic tertio Idus April. *Apud Cretam vrbem Gortynæ, B. Philippi Episcopi.* Vbi adhibenda est talis correctio: *Apud Cretam in vrbe Gortynæ.* nec enim Creta est vrbs Gortynæ, sed contrà. *Apud Cretam* autẽ idem est, quod *in Cretâ*, quod frequẽs est in Martyrologiis, vt *apud* ponatur pro *in.* Nec est quòd quisquam diuersos fingat: nullum enim vsquam alterius Philippi Episcopi Gortynæ vestigiũ, quàm vnius Scriptoris Ecclesiastici (cuius & ego Vitam seorsum scripsi) reperitur. Et eumdẽ vtrobiq; denotari, patet ex Adone, qui 11. April. sic habet: *Apud Cretam, vrbe Gortynæ, B. Philippi Episcopi, qui vitâ & doctrinâ claruit temporibus Antonini Veri & Lucij Aurelij Commodi Impp.* Et 8. Octobris sic: *Apud Cretam vrbe Gortynæ, beati Philippi Episcopi magnis virtutibus & optimis studiis præditi viri.*

Quis autem dubitat, quin eadem sint *vitâ & doctrinâ clarere*, & *magnis virtutibus & optimis præditum esse*? Quis item ambigat, quin ista de eodem dicantur, cùm viri nomen & dignitas, atq; ipsa quoque insula & vrbs eius insulę consentiant?

Hinc noui Rom. Martyrologij censores, & ante illos Vsuardus, cũ duobus diuersis diebus B. Philippum legerent, in posteriore locò sustulerunt. Vsuardus enim 11. April. ita eius refert memoriam, & alibi nusquã: *Apud Cretam, vrbe Gortynæ, S. Philippi Episcopi, qui magnis virtutibus & optimis studijs præditus fuit. Floruit autem temporibus Antonini Veri & Lucij Aurelij Imperatorũ.* Vbi vides, omnia quæ in duos dies Ado discreuerat, vno eodemq; à doctissimo Vsuardo comprehendi. Sic factum & in nouo Romano Martyrologio eadem die, vbi sic: *Gortynæ in Cretâ, S. Philippi Episcopi, vitâ & doctrinâ clarißimi, qui temporibus M. Antonini & L. Aurelij Commodi Ecclesiam sibi creditam regens, à furore Gentilium & hæreticorum insidiis eamdem tutatus est.* Nihil autem de illo alibi.

Tertiò, S. Alexander Ierosolymorum Episcopus, qui sub Decio passus est, bis legitur in Menologio, semel 16. Maij, & semel 12. Decembris: bis item in Venerabilis Bedę Martyrologio, semel 30. Ianuarij, semel 18. Martij reperitur: similiterque in Adone & in vetere Romano Martyrologio; sed in nouo Romano semel sublatus est, & iam tantùm semel reperitur, itemque in Vsuardo. Viderunt enim eumdem

eumdem esse, quem alij duos putauerunt.

Duplicis autem situs in eodem Martyrologio eadem videtur causa, quæ dicta est in S. Dionysio. Nam bis quoque Episcopus fuit, semel in Cappadociâ, semel Ierosolymis. Longum esset alios requirere, qui sæpiùs in diuersis Martyrologiis positi reperiuntur. Nam & S. Euphrosyne bis ab Vsuardo diuersis & diebus & mensibus annotatur: semel 1. Ianuarij, vbi & Beda & Ado & nouum Romanum Martyrologium, & alia; & semel rursus 11. Februarij. Similiter & Basilius Magnus semel 1. Ianuarij, semel 14. Iunij. Sic & alij.

Sed hæc possunt & debent sufficere ad declarandum, non sequi necessariò, diuersos esse eiusdem nominis eos qui bis ponantur in Martyrologio, tametsi eius causa ibidem deprehendi non possit, cùm aliqua ferè semper earum subsit quas suprà posui.

Nec valet eorum argumentatio, qui ex eo, quòd 3. Octobris dicatur, *Athenis, Dionysij Areopagitæ*, &c. colligunt Athenis passum; & ex eo, quòd 9. Octobris dicatur, *Parisiis, Dionysij Episcopi*, &c. volunt intelligi Parisiis passum. Non hoc significant illa nomina vrbium, neque hoc intelligi volunt; sed istud, *celebratur natalis*, aut *celebratur memoria*, siue ibi passi aut mortui sint, siue alibi. Nam alioqui, si intelligerentur ibi passi, multa esset in Martyrologiis hallucinatio, erroresque multi: atque inprimis ille inexcusabilis primo Februarij, vbi dicitur in vetere Romano Martyrologio; *Antiochiæ, Ignatij Episcopi & martyris*: cùm luce clarius sit Romæ passum. & apud Bedam, vbi sic: *Apud Antiochiam, passio sancti Ignatij Episcopi & martyris.* & apud Adonem: *Eodem die, apud Antiochiam beati Ignatij Episcopi & martyris.* Quibus omnibus in locis ad vrbium aut locorum nomina intelligi debet, vt diximus, *natalis celebratur* aut *memoria recolitur.* Sic in Romano Martyrologio ad 31. Augusti: *Treuiris, natalis sancti Paulini Episcopi*, &c. scilicet, *celebratur*; & tamen ibi non est mortuus, sed in Phrygiâ aut apud Phrygiam in exilio.

Sic in eodem Martyrologio ad diem 4. Septembris: *Arimini, sancti Marini Diaconi*: qui non Arimini, sed apud montem Titanum obiit, vt in eius Vitâ exstat. Itaque subaudiendū, *dies natalis colitur.*

Sic in vetere Romano Martyrologio ad vigesimam septimam Ianuarij cùm dicitur, *Constantinopoli, Ioannis Chrysostomi*, non debet nec potest intelligi, *obijt*, sed *celebratur festiuitas.* Nec enim Constantinopoli obiit, sed in Ponto. De primo argumento satis: nunc ad secundum veniamus, quod est eiusmodi.

Scribit Gregorius Turonensis libro 1. Historiæ Francorum, c. 30. tempore Decij Imp. missos in Galliam septem Episcopos, inter quos recenset S. Dionysium Parisiorum Episcopum: ergo alius est ab Areopagitâ, qui multò antè sub Hadriano mortuus est. *Secundum argumentum aduersariorum.*

Verba eiusdem Gregorij sunt hæc: *Hi ergo missi sunt: Turonicis Gratianus Episcopus; Arelatensibus Trophimus Episcopus; Narbonæ Paulus Episcopus; Tholosæ Saturninus Episcopus; Parisiacis Dionysius Episcopus; Aruernis Stremonius Episcopus; Lemouicinis Martialis est destinatus Episcopus.* Agit autem ibi de temporibus Decij.

Respondeo, hanc auctoritatē suâ sponte corruere. Continet enim apertè & euidēter res falsas. Nam S. Trophimus primus Arelatensis Episcopus, de quo hîc agitur (nec enim alius in eâ Ecclesiâ legitur) fuit S. Pauli discipulus, idque omnia testantur & vetera & noua Martyrologia. Nam vetus Romanum 29. Decembris sic habet: *Trophimi Episcopi, discipuli Apostolorū.* Nouum autem siue Ordinarium Romanū sic: *Arelate natalis S. Trophimi, cuius meminit S. Paulus ad Timotheum scribens, qui ab eodē Apostolo Episcopus ordinatus, præfatæ vrbi primus ad Christi Euangelium prædicandum directus est. Ex cuius prædicationis fonte (vt S. Zosimus Papa scribit) tota Gallia fidei riuulos accepit.* Ven. Bedæ Martyrologium ita de eodem: *Apud Arelaten natale sancti Trophimi Episcopi & confessoris, discipuli Apostolorum Petri & Pauli.*

Vide eadem apud Adonem in libello de festiuitatibus, & apud alios tam Martyrologos quàm historicos sacros: & tamen in illis Gregorij verbis ponitur sub Decio. De S. Martiale, Apostolorum item discipulo, perinde aberrauit idē Gregorius, cùm nemo præter illū senserit S. Martialem sub Decio venisse in Gallias, primusq; sit eius opinionis auctor. Nam omnes ferè anteà eum fuisse vnū è Christi septuaginta duobus discipulis consenserunt. De quo vide Galliam Christianā Claudij Roberti, vbi Lemouicense Martyrologium ita de illo: *Apud Aquitaniam prouinciam Galliæ, ciuitate Lemouicis, natalis sanctissimi Martialis, qui vnus ex septuaginta duobus discipulus electus, magnum meritū ad prædicationis officium cum Petro Apostolorum principe compleuit, posteà verò iubēte Domino Aquitaniam conuertit. Qui virgo electus ab ipso, & plenus sancto Spiritu assumptus est cum*

magnâ gloriâ & indicibili ad cælos, quinquagesimo nono ætatis suæ anno, Episcopatus autem vigesimo octauo, Olympiadis verò 212. & Imperij Vespasiani Cæsaris tertio anno, & post Resurrectionem Domini quadragesimo. Omnes eius vitæ anni ita supputantur: Annos impleuerat quindecim ante Baptismum: tribus permansit cum Domino, & quinque cum Petro Ierosolymis, septem verò in Antiochiâ, Romæ verò vno anno mansit, in Aquitaniâ per viginti octo annos, in Episcopali ministerio ad finem vsque gloriosissimè perseuerauit: vbi Ecclesiam S. Stephani Leuitæ protomartyris consecrauit temporibus Neronis Imper. & Stephani Ducis. Ita ibi.

In S. Paulo Narbonensi primo Episcopo similiter hallucinatus est idem Gregorius; de quo ita Ven. Bedæ Martyrologiũ, 22. Martij: *In Galliis, ciuitate Narbone, sancti Pauli Episcopi & confessoris, discipuli Apostolorum Christi: quem tradunt eumdem ipsum fuisse Sergium Paulum Proconsulem, virum prudentem, à quo ipse Paulus sortitus est nomen,* &c. Consentiunt alia Martyrologia, tam Romanum illud vetus ab Heriberto editum (vbi sic: *Narbone S. Pauli Episcopi, discipuli Apostolorum)* quàm vsitatum & ordinarium: itemque Adonis & aliorum hac die: sed Vsuardi 12. Decembris.

Qui ergo in his tribus manifestò errauit, dum dixit venisse eos in Gallias sub Decio, hoc est, integro sæculo postquam essent mortui; quomodo idem testimonium valebit contra Dionysium Areopagitam, quod contra illos nihil valuit? Itaq; quod Gregorius Turonensis dicit de Dionysio, *tam verum est* (vt meritò scribit Baronius) *quàm quod ibi asserit eiusdem Decij tempore Trophimum Arelaten, Paulũ Narbonam, & Martialem item in Gallias amandatos: quos constat fuisse Apostolorum discipulos, & Apostolorum temporibus ad prædicandum Euangelium in Gallias esse missos. Sed hæc, sicut alia multa, auctoris simplicitati multa tam facilè admittenti donanda sunt, prout etiam Hilduinus excusat ita dicens: Ceterùm parcendum est simplicitati viri religiosi Gregorij Turonẽsis Episcopi, qui multa aliter quàm veritas se habet, æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis & simplicitatis voto litteris commendauit.* Sic illi.

Ego verò ad firmandam eorũ de Gregorio opinionem, sed præcipuè ad corroborandam nostram de S. Dionysio Areopagitâ sententiam, dico, eidem Gregorio Turonensi non magnoperè cordi fuisse, præsertim in primis Imperatoribus, distinguere accuratè tempora, sed adeò illa confudisse, vt miscuerit & conturbarit ea quę facta sunt sub Antonino Pio, cum iis quę sub M. Aurelio Antonino Philosopho, & L. Vero eius filiis, & cum iis quæ sub horum successore Commodo, & quæ sub aliis vsque ad Decium acciderunt. Nam inter Antoninum Pium & Decium nulla tot Imperatorum, qui intercesserunt, ab eo fit mentio. Nihil de Marco Aurelio Antonino, qui imperauit annos 19. nihil de Commodo, qui 12. nihil (vt Pertinacem & Didium tamquam breuî extinctos omittam) de Seuero, qui annos septemdecim; nihil de Antonino Caracallâ, qui annos sex; nihil de Macrino, de Heliogabalo; de Alexandro Seuero, qui annos tredecim; nihil de Maximino, nihil de Maximo & Balbino, nihil de Gordiano, nihil de Philippo, qui annos sex.

Si quis igitur aliunde ignarus historiæ legat hîc Gregorium Turonensem, credet sanè omnia quæ sub tot Imperatoribus mediis facta sunt, esse facta sub Antonino Pio, adeoque Irenæum sub eodem esse passum, etiamq; Iustinum Philosophum & Pothinum: quæ tamen ipsorum aduersariorum confessione sunt falsissima. Ita enim scribit libro 1. cap. 28. *Nam sub Antonini imperio Marcionitana & Valentiniana hæresis insana surrexit: & Iustinus Philosophus post scriptos Catholicæ Ecclesiæ libros Martyrio pro Christi nomine coronatur. In Asiâ autem ortâ persecutione, beatissimus Polycarpus,* &c. *Sed & in Galliis multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cælestibus coronati,* &c. *Ex quibus & ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Pothinus Episcopus fuit,* &c. *Beatissimus verò Irenæus huius successor Martyris,* &c. Quis ita legens non diceret omnia sub Antonino Pio accidisse, eodem nimirum tempore quo Marcionis & Valentini hæreses surrexerunt? At verò longè aliter res habet. Nam Iustinus quidem, Polycarpus & Pothinus nõ sub Antonino Pio, sed illo pridẽ defuncto sub eius filiis interempti sunt: Irenæus autem multò etiam posteà sub Seuero Imp. de quibus in ipsorum Vitis aut martyriis ago fusiùs. Et tamen Gregorius Turonensis in eâdem ipsâ paginâ, vbi de septem illis Episcopis sub Decio in Galliam missis hallucinatur, rursus errore lapsus scribit quadraginta octo martyres (ex quibus primus fuerit Vetius Epagatus) passos esse post Irenæum: cùm constet ex ipsorum Lugdunensium Epistolâ tum scriptâ de ipsorum martyriis, longè antè illos esse passos

cum Pothino, Irenæum autem multò, vt dixi, posteà sub Seuero.

Verba Gregorij, ne mihi gratis credatur, sunt hæc: *Beatum Irenæum diuersis in suâ carnifex præsentiâ pœnis affectum Christo Domino per martyrium dedicauit. Post hunc & quadraginta octo Martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vetium Epagatum.* Ita ille. Atqui triginta annis post istos Martyres adhuc superstes erat Irenæus, vt in eius Vitâ à me scriptâ videre est. Vnde miror, eos, qui auctoritatem Gregorij pro se allegant, dum eius errata chronographica tam multa & tam crassa & tam vicina attendunt, si tamen attendant, non vehementi pudore suffundi. Et verò quomodo potuit sub Decio missus esse Dionysius in Galliam, cùm veterrima Martyrologia, vt superiùs ostendi, ferant eò missum à Clemente Romano Pontifice, nullus autem talis Clemens fuerit sub Decio?

Et ipse Beda (quem pro se citant, quia diuersis diebus duos videtur adferre Dionysios) in hoc pro nobis plurimum facit, quòd illum Parisiorum Episcopum dicat missum à Clemente Pontifice. Inde enim sequitur, quod primo sæculo, & nullo modo sub Decio, qui tertio vixit sæculo; nullus enim tum Clemens Pontifex; aut si est, proferant. Vener. Bedæ verba 9. Octobris sunt hæc: *Apud Parisium natale sanctorum martyrum Dionysij Episcopi, Eleutherij Presbyteri, & Rustici Diaconi. Qui beatus Episcopus à Pontifice Clemente Romano in Gallias directus, vt prædicationis operam populis à fide Christi alienis exhiberet, tandem ad Parisiorum ciuitatem deuenit, & per annos aliquot sanctum opus fideliter & ardenter executus, à Præfecto Fescennino Sisinnio comprehensus est, & cum eo sanctus Presbyter Eleutherius & Rusticus Diaconus gladio animaduersi martyrium compleuerunt.*

Et quia non raro, dum suum Gregorium frustrà iactant, æquè antiquum à nobis auctorem postulant, qui à nobis sit, ecce æqualem Gregorio, & fortè etiam natu grandiorem, doctrinâ certè vel parem vel superiorem eis reponimus Venantium Fortunatum, qui insignem de nostro Dionysio hymnum composuit, in quo de missione eius à Clemente Pontifice Romano expresè meminit. Citauerat olim eum hymnum Hilduinus Abbas, sed non ediderat, eum nunc luci dedit Iacobus Dubletius lib. 1. Antiquitatum suarum, extremo, estque talis:

HYMNVS VENANTII FORTVNATI DE B. DIONYSIO.

Fortem, fidelem militem
Cæli secutum principem,
Dionysium martyrem
Plebs corde, voce personet.

Clemente Româ Præsule
Ab vrbe missus adfuit:
Verbi superni seminis
Vt fructus esset Galliæ.

Opus sacratum construit:
Fidem docet Baptismatis:
Sed audientûm cæcitas
Munus repellit seminis.

Instante sacro Antistite
Errore plebem soluere;
Dum spem salutis ingerit,
Tormenta mortis incidit.

Tenetur à Gentilibus
Christi placens altaribus:
Amore tantæ gloriæ
Pœnas libenter excipit.

Vnum quod illi defuit,
Pro Rege colla tradidit:
Dilectionem pectoris
Ceruice cæsâ prodidit.

Magnus Sacerdos, qui dabat
Templi sacrata munera,
Fuso beato sanguine
Est factus ipse victima.

Felix pio de vulnere,
Quæ pœna palmam præbuit!
Qui morte mortem conterit,
Nunc regna cæli possidet.

Gloria sit Deo Patri:
Gloria Vnigenito:
Vnà cum sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.

Sic ille: cui profectò nusquam in scriptis suis titubanti, multò maior adhibenda fides, quàm Gregorio toties & tam apertè offensanti.

Denique adstruit Hilduinus, protestatos Athenienses, se tam ex antiquissimis quorumdam Scriptorum monumentis, quàm ex maiorum suorum continuatis traditionibus accepisse, *Dionysium subrogato sibi Episcopo Romam adisse, & (vt compererunt) apud Gallorum gentem glorioso martyrio consummatum fuisse. Quod & Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus,* inquit, *per legatos suos sollicitè inquisiuit, & ita se eam rem habere certus, eamdem Atheniensium ciuitatem pallio Archiepiscopali (quod iam ex eâ tam diuturno tempore*

ortâ quadam contentione subtractum fuerat) redonauit; & synodali consensu, Metropolis auctoritate, quâ antè functa fuerat, honorauit. Vixit Tarasius octauo sæculo, tempore Hadriani Papæ I. & Patriarchatum (quem antè recusauerat) eâ tandem lege admisit, vt cogeretur Concilium, & de cultu Imaginum (qui sublatus fuerat à Græcis Impp.) restituendo ageretur. Declaratus est Patriarcha anno quinto Imperij Irenes & Constantini filij. Vide Cedrenum ad eum annum.

Ad tertium argumentum ex auctoritate Sulpitij Seueri ductum iam respondendum est, nec difficilis est negotij responsio. Verba Sulpitij sunt: *Post Hadrianum Antonino Pio imperante pax Ecclesiis fuit. Sub Aurelio deinde Antonini filio persecutio quinta agitata. Ac tum primùm intra Gallias martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione susceptâ.* Sic igitur inde argumentantur: Si regnante M. Aurelio Antonino Philosopho primùm visa sunt martyria in Galliâ, ergo Dionysius Areopagita non fuit martyr Parisiis sub Hadriano, hoc est, quadraginta, eoque ampliùs annis ante M. Aurelium.

Respondetur, Sulpitium eo loco breuiter omnes Ecclesiæ grauiores persecutiones, quæ ante ipsum fuerunt, perstringere; vt patebit cuiuis eum locum attendenti, ac propterea eum agere de martyriis quæ magno simul numero (vt in grauibus persecutionibus solet) edita sunt: non verò negare, quin aliqui interdum variis temporibus (quod etiam extra generales illas persecutiones sæpenumerò accidit) martyrio affecti sint. Respexit enim procul dubiò Sulpitius ad illa Eusebij verba in Chronico ad annum M. Aurelij & L. Veri septimum: *Plurimi in Galliâ gloriosè ob Christi nomen interfecti, quorum vsque in præsentem diem condita libris certamina perseuerant.*

Sicut ergo talis persecutio per Gallias antehac non fuit, ita Sulpitius eam primam nominat, & meritò. Nam sicut vna hirundo, vt aiunt, non facit ver; ita paucorum in vnâ integrâ gente martyria, non faciunt, vt debeat Historicus (& is præsertim qui res tantùm grauiores se breuiter persequi profitetur) eorum meminisse. Nam Sulpitius quidem totam Historiam sacram ab orbe condito ad sua vsq; tempora duobus libellis complexus est. Quos sic incepit: *Res à mũdi exordio sacris Litteris editas breuiter constringere, & cum distinctione temporum vsque ad nostram memoriam carptim dicere aggressus sum: multis id à me studiosè efflagitantibus, qui diuina, compendiosâ lectione, cognoscere properabant.* Vnde non mirum, si particularium quorumdam Martyrum mentionem neglexerit. Immò nec Pothini, nec Irenæi (quamuis prior cum illustrissimis Martyribus quadraginta, posterior cum omni ferè Lugdunensi ciuitate sublatus sit) nominatim meminit.

Itaq; quod dicit, *ante illud tempus martyria non esse visa intra Gallias*, sic capiendum & intelligendum est, quo modo & illud quod subdit, *seriùs trans Alpes Dei religione susceptâ*, scilicet palàm & à totis populis. Quis enim dicat, à nullis omnino susceptam religionem Catholicam in Galliis, ante M. Aurelium Antoninum Philosophum, hoc est, ante annum à Christo circiter centesimum sexagesimum? Ergóne Petrus & Paulus, quorum alter tam diu Romæ, alter etiam satis fuit, & qui omnia per se, vel per suos, vt fulgura peruolabant, cæcos ad Galliam habebant oculos? ad Galliam tam vicinam, tam nominatam? Res est creditu non modò difficilis, sed etiam indigna auditu. Nam ex antè dictis constat, varios variis temporibus & in Galliâ fuisse, & martyrium in Galliâ obiisse.

Et de S. Vrsino primo Bituricensium Episcopo fatetur ipsemet Gregorius Turonensis, à discipulis Apostolorum in Gallias missum. Nam libro de Gloriâ Confessorum, cap. 80. sic scribit: *Bituriga verò vrbs primùm à S. Vrsino (qui à discipulis Apostolorum Episcopus ordinatus in Gallias destinatus est) verbum salutis accepit, atque Ecclesiam Biturigensem primùm instituit, rexitq;, qui migrans à sæculo, in campo inter reliqua sepulchra populorum sepulturæ locatus est. Non enim adhuc populus ille intelligebat Sacerdotes Domini venerari, eisq; debitam reuerentiam exhibere.* Consentiunt omnia Martyrologia ad diem 9. Nouembris. *Eutropius quoque martyr Sanctonicæ vrbis* (verba sunt eiusdem Gregorij Turonensis l. 1. Miraculorum, c. 56.) *qui à B. Clemente Episcopo fertur directus in Gallias; ab eodem Pontificalis ordinis gratiâ consecratus est*, &c. His consentit Romanum Martyrologium ad trigesimam Aprilis. Si quis autem dicat, à Dionysio Areopagitâ vsque ad Episcopos Parisienses qui nunc sunt, computatis singulorum annis, non reperiri iustum numerum, si quidem eum asseramus primo fuisse sæculo, aut secundi initio; respondere ex vero possumus, post Dionysium ob persecutionis flammas diu vacasse Episcopatũ.

Nam si à tempore Decij (qui tertio demum sæculo imperauit) vsq; ad primum Constantis Imp. annum, Turonensis Episcopatus cessauit triginta septem annis, vt ipse auctor est Gregorius Turonensis l. 10. Historiarum cap. 31. quantò magis vel tanto vel ampliori etiam interuallo vacauerit sedes Parisiensis secundo sæculo? cùm scilicet & Episcoporum ac Doctorum minor esset copia, & Gallia numero Christianorum desertior. Nec hoc sanè nouum aut Parisiensi Ecclesiæ proprium, quòd Episcoporum continenti successione illo æuo caruerit. Hoc enim & multis aliis accidit. Ac de Rhemensi quidem Ecclesiâ Flodoardus Presbyter, Scriptor grauis (quem haud ita pridem ediderunt & egregiè illustrarunt Sirmondus noster & Georgius Coluenerius) disertè scribit post illos primos eiusdem Ecclesiæ Pontifices, beatos, inquam, Sixtum ac Sinicium sancti Petri Apostoli discipulos, vsque ad imperium Constantini Magni, per tria scilicet sæcula vnicū memorari Præsulem Amansium. Et ne verba eius Auctoris desiderentur, subiicio. Itaque lib. 1. Histor. Rhemensis Ecclesiæ, postquam superiùs de primis à Petro in eam vineam missis egit, ita cap. 5. subdit: *Frequentibus igitur persecutionum procellis intonãtibus Ecclesiæ puppis nostræ iactata, diuersisq; oppressa fluctibus, quoniam vix caput attollere poterat, quanto sedes ipsa tempore Rectore vacua digno resederit, haud facilè panditur: adeò, vt post tot præmissos nostræ fidei patres, beatum Sixtum atque Sinicium, vnum dumtaxat Præsulem inueniamus Amansium ad imperium vsque Constantini: sub quo Betausius reperitur, qui cum primogenito Diacono suo primus ex hac Belgicâ prouinciâ legitur Arelatensi primæ interfuisse Synodo, relatæ per Marinum Episcopum beatissimo Papæ Siluestro, Volusiano & Aniano Coss. Post quem Aper, inde Maternianus*, &c.

Deinde responderi potest, sepositâ etiam throni Episcopalis vacatione, mediorum Episcoporum nullam esse mentionem, non quòd ij defuerint, sed quòd aut obscuri fuerint, deficientibus qui scriberent; aut si scripti olim fuerint, tamen iniuriis temporum deleti sint. Ita ferè simili in negotio respondet Ioannes Dadræus in Chronologiâ Archiepiscoporum Rothomagensium, vbi de S. Nicasij & sancti Mellonis agit distantiâ.

Quare, vt huic finem disputationi tandem ponamus, firmum fixumque habeatur, vnum eumdemq; esse, qui olim Athenarum, & posteà Parisiorum princeps fuerit Episcopus. Quâ de re quàm mihi arridet Iacobi Fabri Stapulensis, viri docti iuxtà & pij sententia, tam hîc minimè est prætermittenda. *Insuper*, inquit, *non sine diuinâ ordinatione & summâ prouidentiâ id effectum esse mihi visum est, vt hic sacratissimus & longè diuinâ sapientiâ illustrissimus Pater, primùm Atheniensium Antistes Atticam rexerit Ecclesiam, & ciuitatem primariam, omnium parentem litterarum, illuminauerit. Quâ illuminatâ mox in Gallias à beatissimo Clemente Apostolus missus, sedem apud Parisiorum insignem vrbem (seu Parrhisium seu Lutetiam appellarent) delegerit. Quæ meliùs Dionysia à Dionysio primo suo Antistite & Apostolo, primo susceptore ac regeneratore, quàm ab Iside, aut luto, vt volunt nonnulli, potuisset appellari. Primus enim eam ad vitæ fontes erexit in Christo paruulam: (solent enim primi susceptores indere nomina) primus mortem ab eâ effugauit, & induxit vitam: quam in Christiano cultu, suo sanguine & omnium tormẽtorum molitionibus libenter susceptis tandem confirmauit. Vnde & victor mundo triumphato ad Deum, qui ipsum miserat, conscendit. Tunc Deus illum locum, piorum studiorum fontem præordinauit: vt ad quem, in certum euentus rei argumentum, ex Athenis virum supra omnem humanam sapientiam doctum direxerit. Vos igitur Dionysia bonarum litterarum omnium Academia, eadem & Parisiensis, quam vnus idemq; Pater sociam fecit Athenis & sororem, vestro applaudite Apostolo, vestro primo Antistiti & parenti, primo ad vitam susceptori & illuminatori, & eius sacras disciplinas in honore suscipite, atque in eis ipsis dies noctesq; proficite.* Sic ille.

Et hoc sanè melius quàm inquirendis contra hanc tam longo receptam interuallo sententiam inutilibus argumentis frustrà tempus insumere. Et quæso, ne locus detur isti querelæ: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

QVÆSTIO II.

De Scriptis sancti Dionysij.

FVIT hæc semper atque etiamnum est celeberrima inter doctos viros quæstio, Cuiusnam sint ea scripta, quæ sub Dionysij Areopagitæ nomine in lucem prodière, ipsiúsne re verâ Areopagitæ, an alterius.

Tractarunt eam complures, partim Græci, partim Latini; partim Catholici, partim hæretici. Et quidem qui affirmatiuam partem tenuerunt, ea scilicet Scripta verè

verè esse Dionysij Areopagitæ, è cœtu Catholico pænè omnes fuerunt: qui verò negatiuam, maximâ ex parte hæretici, quantumuis aliquo etiam numero Catholici.

Ac ne cui in mentem veniat, me post tot huius quæstionis tractatores videri actum agere, discent ex hoc nostro Tractatu, quicumque animum adiecerint, meliorem nos in non paucis tenuisse refutandi viam, quàm qui nos antegressi sunt: itemque certorum argumentorum hinc inde allatorum vel vitia detexisse, vel momenta adauxisse.

Prima igitur sententia, eaque vera, est hæc: Opera quæ Dionysij Areopagitæ nomine inscripta sunt, verè illius sunt, & pro talibus haberi debent.

PRIMVM ARGVMENTVM: Quia si in re dubiâ & incertâ, qualem esse hanc nonnulli volunt, melior est conditio possidentis, quantò magis ex tanto tempore, & à tot sæculis, defenso semper iure suo, bonâ fide possidentis? Nam ab immemorabili tempore habita sunt hæc Opera pro rebus Areopagitæ, cùm non queat assignari spatium, quo ipsa alterius & non illius habita sint. A mille enim retrò annis eoque ampliùs laudatus nominatim reperitur Dionysius Areopagita, vt horum auctor Operum: & fuit nemo hactenus tam imprudens aut impudens, tam audax aut temerarius, qui alieno sub nomine ea Opera euulgarit. Fuerunt quidem qui vel ad Apollinarem, vel ad alium à nostro Dionysium, seu Corinthium, seu Alexandrinum, suas tenues & vix refutatu dignas applicarent coniecturas: sed qui seriò tueri ac propugnare intenderent, aut qui nomen alicuius illorum præfigere hisce Scriptis auderent, nulli fuerunt.

Qui verò ante mille annos hunc Areopagitam citarunt, in prõptu habeo Leontium Byzantinum, & S. Anastasium Sinaitam, viros magnâ doctrinâ & auctoritate, ambos imperante Iustiniano (is suscepit imperium anno Christi Domini 527.) scriptis illustres, & plurimâ SS. Patrum lectione instructos. Quorum prior lib. 2. contra Nestorium & Eutychetem producturus veterum testimonia sic præfatur: *Quoniam gratiâ Christi, quæstiones, quæ speciem probabilitatis habebant, pro viribus soluimus; polliciti verò sumus testimoniis veterum confirmare quæ diximus, accipe in fidem multitudinem testimoniorum, æquabilem & modulatum veritatis concentum edentem.* Deinde post quædam alia eiusdem præfationis, dum profert testimonia, primo prorsus loco ponit Dionysium Areopagitam hoc modo: *Dionysij Areopagitæ ætatis Apostolorum ex libro de Diuinis nominibus: Corruptio verò, infirmitas naturæ, & defectus naturalium habituum, & operationum ac potentiarum,* &c. Sic Latinus Leontij interpres. Gręcum enim nancisci exemplar non potui.

Sed idem in lib. de Sectis (quem ad manum tam Græcè quàm Latinè habemus) eumdem Areopagitam apertè inter sanctos Patres, qui à Christo ad Constantinum Magnum medio spatio comprehenduntur, enumerat. Nam Actione 3. sub medium ita scribit: Ἐγένοντο δὲ ἐν τοῖς χρόνοις τοῖς ἀπὸ τῆς γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ μέχρι τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου, διδάσκαλοι καὶ πατέρες οἵδε· Ἰγνάτιος ὁ θεοφόρος, Εἰρηναῖος, Ἰουστῖνος φιλόσοφος καὶ μάρτυς, Κλήμης καὶ Ἱππόλυτος Ἐπίσκοποι Ῥώμης, Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης, Μεθόδιος Ἐπίσκοπος Πατάρων, Γρηγόριος ὁ θαυματουργὸς, Πέτρος ὁ Ἀλεξανδρίας Ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς: *Fuerunt autem in temporibus à Christi natiuitate vsque ad imperium Constantini, Doctores hi & Patres: Ignatius Theophorus, Irenæus, Iustinus Philosophus & martyr, Clemens & Hippolytus Romæ Episcopi, Dionysius Areopagita, Methodius Patarensis Episcopus, Gregorius Thaumaturgus, Petrus Alexandriæ Episcopus & martyr,* &c. E Leontio ista. Vbi notandum est, S. Hippolytum ab eo (vti & à quibusdam aliis Scriptoribus Græcis, quod in eius Vitâ admonitum volui) Romæ Episcopum vocari, quòd in Portu Romano, vrbe Italiæ, fuerit Episcopus; non autem quòd ipsius vrbis Romæ sedem tenuerit principalem.

Eumdem S. Dionysium laudat nominatim S. Anastasius Sinaita, Episcopus Antiochenus lib. 7. Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron, initio. *Celeberrimus ergo,* inquit, *& rerum diuinarum mysta Apostolicus Dionysius doctor in sapientissimâ suâ Theologiâ, quòd Deus dicitur* Θεὸς, *ex eo quòd omnia* θεωρεῖ, *id est contemplatur,* &c.

Ante istos igitur Auctores Opera ista, de quibus est nunc controuersia, censebantur Dionysij Areopagitæ. Quin & antiqui Patres, quamuis nominatim ea non citauerint, legisse tamen, & imitati esse, non obscuris vestigiis deprehenduntur. Nazianzenus certè in non paucis secutus hũc auctorem manifestis indiciis à doctissimo Billio ostenditur. Integrum enim caput in suo Obseruationum sacrarum lib. 1. eâ de re confecit, estq; illud numero 23. quod

sic

sic orditur. *Nonnulla*, inquit, *apud Gregorium loca sunt, Dionysij Areopagitæ verbis vsqueadeò similia, vt ea ille ab ipso mutuatus esse non immeritò cuipiam videri possit. Quod ne me fingere quisquam putet, loca ipsa proferre minimè pigebit. Oratione 2. de Pascha, de Deo loquens Gregorius*, Ὅλον, *inquit*, ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι. *Dionysius autem cap. 5. libri de Diuinis nominibus:* Ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνειληφώς. *Eodem loco Gregorius Deum esse dicit* πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον. *Quæ verba non longè remota sunt ab his Dionysij, libro de Cælesti hierarchiâ, cap. 9.* Θεαρχικοῦ φωτὸς ἄπειρόν τε καὶ ἄφθονον πέλαγος. Hactenus è Billio. Vide ibi longè plura.

Et sanè admodum credibile est, sanctum Gregorium Nazianzenum, cùm Athenis studiorum causâ degeret, & præcipuorum inibi Philosophorum ac Theologorum (quod ex eius Vitâ à me scriptâ cognosci poterit) familiaritate vteretur, in eos libros tamquam altissimæ Philosophiæ plenos incidisse, eosque peruolutasse.

Idem & de S. Ioanne Chrysostomo dici potest: qui non minore ibidem, quàm Nazianzenus, gloriâ floruit: nempe eum eiusdem Dionysij scripta perlegisse, & sublimitatem scientiæ & spiritus qui in eo loquebatur, & mirabilia de Deo & cælestibus virtutibus referebat, demiratum, appellasse eum τὸ πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ, *Volucrem cæli.*

Diu requisitum illum Chrysostomi locum tandem in Sermone De pseudoprophetis & falsis Doctoribus reperi. Illic enim paulò post medium ita scribit: Ποῦ Εὐώδιος, ἡ εὐωδία τῆς Ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων διάδοχος; Ποῦ Ἰγνάτιος τὸ τοῦ Θεοῦ οἰκητήριον; Ποῦ ὁ Διονύσιος τὸ πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ; Ποῦ Ἱππόλυτος ὁ γλυκύτατος καὶ εὐνούστατος; Ποῦ Βασίλειος ὁ Μέγας, καὶ μικροῦ δεῖν τῶν Ἀποστόλων ἰσόρροπος; Ποῦ Ἀθανάσιος ὁ ἅγιος καὶ πλεονέκτης τῶν ἀρετῶν; Ποῦ Γρηγόριος ὁ Θεολόγος, καὶ ἀήττητος στρατιώτης, καὶ ὁ δεύτερος τούτου συνώνυμος; Ποῦ Ἐφραὶμ ὁ πολύς, ἡ παραμυθία τῶν ἀθυμούντων. *Vbi Euodius ille, bonus odor Ecclesiæ, & sanctorum Apostolorum successor? Vbi Ignatius Dei domicilium? Vbi Dionysius Areopagita volucris cæli? Vbi Hippolytus suauissimus & beneuolentissimus? Vbi Basilius Magnus & par fermè Apostolis? Vbi Athanasius ille sanctus & virtutibus diues? Vbi Gregorius Theologus & inuictus miles, & alter illi cognominis? Vbi Ephræm ille celebris, obtorpescentium excitator, afflictorum consolator?* &c. Ac ne quis illam orationem D. Chrysostomo abiudicet, sexcenti iam anni sunt, cùm Anastasius Bibliothecarius eam sub eius nomine citauerit, vt videre licet in ipsius ad Carolum Caluum Imp. epistolâ.

Quin & Perronius Ebroicensis Episcopus dixit, se, Venetiis cùm esset, vidisse illam Chrysostomi Græcam Orationem, in quâ elogium illud de Dionysio recitatur, eiusque Homiliæ titulum esse, *Cygnæa vox Chrysostomi*, quam scilicet Constantinopoli, priusquam in exilium pelleretur, habuerit. Quod autem ad titulum illum attinet, satis clarum est non à Chrysostomo illi Orationi inditum, sed ab aliquo descriptore, qui dicentis tempus & materiam spectauerit.

Auctoritati porrò nostri Frontonis Ducæi (qui ob stili, vt quidem censet, differentiam, inter eas illam reiecit, quas credit non esse Chrysostomi) oppono Primò, non tantam esse stili differentiam, quantam facit: deinde, vt sit aliqua, nihil videri debere mirum. Alius est enim stilus senis, alius iuuenis: alius dolentis, & anxij, & pro grege suo derelinquẽdo solliciti, atq; ab eo discessuri; & alius sedati & in Episcopali sede cum omni quiete & securitate residentis. Hæc autem scripta est non longè ante ipsius è vitâ excessum, vti declarat & expresè denuntiat exordium. Itaque hîc ea inculcat, quæ tali in tempore à bonis solent pastoribus inculcari: primò, fugiendos hæreticos & pseudoprophetas; deinde, vacandum lectioni sacrarum Litterarum; tertiò, recogitandum & reformidandum Dei iudicium; quartò, bonis operibus insistendum, ac præsertim compunctioni & pœnitentiæ, nec hanc in longum differendam. Quæ sunt igitur Orationum S. Chrysostomi germana lineamenta, si hæc non sunt?

Vel ille profectò solus locus, quem hîc proferam, conuinceret auctorem huius Orationis esse Chrysostomum. Nam post varia Scripturæ loca, & post istum Pauli, *Videte canes*, *Mihi verò lacrymæ*, inquit, *oboriuntur, dum quosdam ex nostrâ Ecclesiâ dicentes audio, non dici hæc in diuinis Scripturis: idq; non solùm à laicis, verùm etiam ab illis qui videntur esse pastores, & locum Apostolorum obtinent & Prophetarum, sed non mores. Ad quos opportunum est dicere: Væ vobis duces cæci & indocti & inconstantes, qui vestium ornatu delectamini, & non lectione sacrorum librorum,* &c. Ille enim Chrysostomi zelus pro libris sacris passim notus est.

Probari præterea potest esse Chrysostomi

mi hanc Orationem, quod in loco suprà citato ipse Chrysostomus tamquam Antiochiæ natus, proferens verorum pastorum & imitandorum Episcoporum nomina, primo loco patronos suos vrbisque suę Antiochiæ secundùm Petrum Apostolum Antistites inducat Euodium & Ignatium, deinde Dionysium Areopagitam illis æqualem, posteà reliquos, vt suprà.

Accedit tertiò, quòd si hæc Oratio non fuisset Chrysostomi, sed alterius ipso posterioris, certè ille, quisquis fuisset, non minùs Chrysostomi meminisset quàm Basilij & duorum Gregoriorum. Nec enim minùs quàm illi celebris fuit, seu vitâ, seu dignitate, seu scriptis.

Adde quartò, si lubet, hunc Auctorem, vti nullius Catholici scriptoris meminit qui nō ante Chrysostomum fuerit, ita nec vllius hæresiarchæ mentionem facere, qui post vixerit. Eunomium enim, contra quem scripserunt Basilius & Gregorius Nyssenus, vltimum recenset nominatim. Sic enim scribit: *Vbi Simon Magus in hæresi primus, discipulus & præcursor Antichristi? vbi malus eius fetus & insaniæ ac lasciuiæ successor Montanus? vbi Marcion? vbi Valentinus? vbi Manes? vbi Basilides? vbi iam Nero? vbi Valens? vbi alij Reges atque potentes? vbi Iulianus transgressor? vbi porrò Arius? vbi Eunomius, & reliqui hæresiarchæ?*

Ita Chrysostomus ex interpretatione Gerardi Vossij, qui melius & integrius exemplar Græcum nactus est, quàm sit illud quod Fronto noster indidit Tomo 6. Operum Chrysostomi Græco-Latinorum. Nam in Frontonis exemplari lacunæ quatuor visuntur satis magnæ, in Vossij nulla. Notandum etiam, in Græco Frontonis malè haberi, Πῦ Νεστόριος; *vbi Nestorius?* pro quo restituendum, ποῦ Εὐνόμιος; Liquet tum ex ipsâ Vossij interpretatione, quam produxit idem Fronto; tum maximè, quòd in citatione SS. Patrum superiùs positâ, vbi hæresiarcharum aduersarij laudantur, nequaquam auctor huius Orationis reticuisset S. Cyrillum Alexandrinum Nestorij principem aduersarium & debellatorem; siquidem inter hæresiarchas nominasset Nestorium, vti aliorum hæresiarcharum oppugnatores non reticuit. Sed pro adstruendo Chrysostomi testimonio, & vindicandâ illi suâ Oratione, hactenus satis.

Iam autem non modò ij quos dixi, scripta Dionysij Areopagitæ videntur agnouisse, sed & antiquiores; in quibus nonnulla videor deprehendisse Dionysij imitamenta. Nam & Clemens Alexandrinus, vir longè doctissimus, cùm Athenis esset natus & educatus, & quidem proximo post Dionysium nostrum sæculo, legisse illum & imitatus esse, de signis non minimis creditur.

Habet S. Dionysius libro de Diuinis nominibus, Cap. III. tres egregias similitudines, quibus ostendit, nos nostris ad Deum precationibus nō trahere illum ad nos, sed potiùs nos ad illum. Notaui illas similitudines suprà Cap. XXII. Vitæ. Secundam igitur illarum, quæ ducta est à naui ad saxum funibus alligatâ, sic imitatus est Clemens lib. 4. Stromatum sub finem: Καθάπερ οὖν ἐν θαλάττῃ ἀπὸ ἀγκύρας τονούμενοι ἕλκουσι μὲν τὴν ἄγκυραν, οὐκ ἐκείνην δὲ ἐπισπῶνται, ἀλλ' ἑαυτοὺς ἐπὶ τὴν ἄγκυραν· οὕτως οἱ κατὰ τὸν γνωστικὸν βίον ἐπισπώμενοι τὸν Θεόν, ἑαυτοὺς ἔλαθον προσαγόμενοι πρὸς τὸν Θεόν. Θεὸν γὰρ ὁ θεραπεύων ἑαυτὸν θεραπεύει. *Quemadmodum igitur, qui in mari ab anchorâ funibus firmantur, trahunt quidem anchoram, sed illam ad se non attrahunt, verùm seipsos potiùs ad anchoram: ita qui in vitâ gnosticâ* [scientiæ donum obtinente] *Deum trahunt, seipsos non aduertentes ad Deum adducunt. Qui enim Deum colit, seipsum colit.*

Verba autem Græca S. Dionysij loco dicto sunt hæc: Ἢ ὥσπερ εἰς ναῦν ἐμβεβηκότες καὶ ἀντεχόμενοι τῶν ἔκ τινος πέτρας εἰς ἡμᾶς ἐκτεινομένων πεισμάτων, καὶ οἷον ἡμῖν εἰς ἀντίληψιν ἐκδιδομένων, οὐκ ἐφ' ἡμᾶς τὴν πέτραν, ἀλλ' ἡμᾶς αὐτοὺς τῷ ἀληθεῖ καὶ τὴν ναῦν ἐπὶ τὴν πέτραν προσήγομεν. Latina possunt videri suprà Cap. XXII. Vitæ.

Quod igitur Dionysius hîc habet, εἰς ναῦν ἐμβεβηκότες, dixit Clemens, οἱ ἐν θαλάττῃ: & quod ille, ἀντεχόμενοι τῶν ἔκ τινος πέτρας εἰς ἡμᾶς ἐκτεινομένων πεισμάτων, dixit Clemens breuiùs, ἀπὸ ἀγκύρας τονούμενοι. Sic vbi Dionysius dixit, ἐπὶ τὴν πέτραν, *ad saxum*, Clemens vsurpauit ἐπὶ τὴν ἄγκυραν, *ad anchoram:* & quod Dionysius applicauit ad precantes Deum, Clemens accommodauit ad piè viuentes, & Deo per contemplationem vacantes.

Habet idem Dionysius tam in libro de Cęlesti hierar. Cap. II. quam in lib. de Diuinis nominibus, doctrinam de cognitione Dei per negationem. Quam imitatus videtur Clemens lib. 5. Stromatum, sub medium, vbi sic scribit: *Si igitur post ablata omnia quæ insunt corporibus, & iis quæ dicuntur incorporea, nos ipsos in Christi magnitudinem proiecerimus, atque inde in immensitatem sanctitate processerimus, ad intelligentiam Omnipotentis vtcumque perueniemus, non id quod est, sed id quod non est* cogno-

cognoſcentes. Figura autem, & motus, vel ſtatus, vel thronus, vel locus, vel dextera, vel ſiniſtra, de Patre vniuerſorum nequaquam ſunt cogitanda. Atqui & hæc ſcripta ſunt. Verùm, quid vnumquodque iſtorum ſignificet, ſuo dicetur loco. Quare prima cauſa non eſt in loco, ſed ſupra & locum & tempus & nomen & intelligentiam. Omiſi Græca, ne in his eſſem longior.

Habet & quædam alia his ſimilia eodem libro inferiùs de Deo, quem dicit ineffabilem, propterea quòd non ſit genus, nec differentia, nec ſpecies, &c. Vide in Clemente Græco-Latino.

Secvndvm argvmentvm pro Dionyſij operibus ſumi poteſt ex ipſorum materie, & ex tempore ſcriptionis: hæc autem ſunt eiuſmodi, vt auctorem æquæuum Apoſtolis, vt magnũ Philoſophum, vt ardentem Theologum, vt virum denique in ſublimiſſimo argumento rebus & verbis haud imparem, ac verè Pauli diſcipulum oſtendant. Materies enim ſiue argumentũ eſt, Deus, Trinitas, Angeli, Eccleſia, Pontifices, Sacramenta, ſeu graduum & officiorum Eccleſiaſticorum deſcriptio Epiſcopis ſcitu neceſſaria: ſermo autem & locutio, hominis eſt in contẽplando, & verba contemplationi, quoad eius fieri poteſt, adæquando eximij, atque, vt Dionyſius Rickelius Areopagitam appellat, *viri profundiſſimi ac feruentiſsimi cordis*. Ita ſcilicet in ſublime aſſurgit, ita in voces nouas ac ſingulares, nempe ad rerũ ceteroqui inexplicabilium aliquam adumbrationem ebullit; ita ſurſum cogitationibus & ſenſibus in immenſum attollitur, vt non immeritò magnus ille Hugo à S. Victore (qui alter Auguſtinus ex mẽtis & ſermonis acumine vocari obtinuit) ea quæ de Seraphinis à B. Dionyſio ſcripta ſunt, Angeli potiùs verba eſſe putet, quàm hominis. Eadem fuit de illo mens Suidæ, eadem ſententia. *Si quis enim*, inquit, *eius ſpectet elegantiam orationis, & profunditatem ſententiarum, ea nequaquam humanæ naturæ fetus, ſed immortalis cuiuſdam ac diuinæ eſſe facultatis exiſtimabit.* Si Græca quis malit, ea ſic habent: Ἐι γάρ τις ἀπίδοι πρὸς τὰ κάλλη τῶ αὐτοῦ λόγων, ϗ τὰ βάθη τῶ νοημάτων, ἐκ ἀνθρωπίνης φύσεως ταῦτα νομίσοι γεννήματα, ἀλλά τινος ἀκηράτου καὶ θείας δυνάμεως. Idem fuit & Leonardi Leſſij præceptoris noſtri ſenſus, idem iudicium. *Quod ad elocutionem*, inquit, *attinet, eam quoque Angelicam potiùs dixeris, quàm humanam: adeò ſublimis eſt nimirum, vt conceptionum ſublimitatem orationis ſublimitas exæquet. Quis poſt Apoſtolos vnquam de diuinis ita locutus eſt?* Τελάς ὑπέρθεος, ϗ ὑπέρθεε, ϗ ὑπεράγαθε, &c. quæ vide in eius Epiſtolâ Operibus S. Dionyſij Areopagitæ à Petro Lanſſelio præfixâ. Noſter item Nicolaus Cauſſinus, in Eloquentiæ Parallelis, ita de eodẽ inter alia: *Num videtur hic de Deo & pulcherrimo eius opificio verba faciens, quaſi aquila ex hominum conſpectu ſubductus contentiſsmo volatu ſe in altas nubes induere, & illic inter fulminum iactus, inter niues & grandines ludere, mox inter ſtellas ſpatiari? Verùm vbi Triadem illam ſpeculatur, vbi de Verbo diuino diſſerit, & myſteriorum diuinorum maieſtatem depingit, non iam eſt aquila, ſed Angelus quiſpiam loquens è turbine, aut vt Elias igneo curru deuectus ſupra nubes & pluuias & ventos, & quidquid mortale eſt, audaciſsimo niſu conſurgit.* Ita ille, & benè.

Iam de tempore ſcriptionis certiſſimum ex ipſis Operibus argumentum ducitur, ea ſcripta eſſe primo ſæculo, cùm illorum auctor nullius Scriptoris aut alterius illuſtris viri meminerit, qui non Apoſtolorum temporibus vixerit; &, quod caput eſt, ſe Pauli Apoſtoli diſcipulum vocet, atque ad Titum, atque ad Timotheum, aliosq́; æui illius ſcribat.

Cùm ergo illa ſcripta ſub nomine Dionyſij Areopagitæ ſemper prodierint, & idẽ Dionyſius in omni eruditionis genere apprimè verſatus, inſigniſque in paucis Philoſophus fuerit (ſolos enim ferè eiuſmodi viros admittebat Areopagus, vt alibi probatum eſt) & Pauli inſuper Apoſtoli diſcipulus, à quo & virtutem eximiam, & altiſſima myſteria, vtpote capaciſſimus, addiſcere & imbibere potuerit; quis dubitare poſſit, quin hæc ipſius vera & germana ſcripta ſint?

At enim ſtilus horum librorum, inquit Abrahamus Scultetus Caluiniſta, *non eſt ſimplex & ſincerus, ſed argutus nimis, & inflatus, & affectatus, & parum Apoſtolicus.* Verùm improbus ſcriptor improbè fallitur. Nam quem negat eſſe ſimplicem ac ſincerum, meliora ſectantes aiunt eſſe ſimpliciſſimum ac ſinceriſſimum, non ſimplicitate quidem ſermonis humi repentis (tali enim ſtilo vtendum eſt in rebus paruis & humi repẽtibus) ſed ſimplicitate, quâ res magnæ verbis magnis & propriis, ſibiq́; accommodatis potiùs, quàm longis ambagibus, & tranſlatitiis vocibus explicantur. Diuina enim & cæleſtia cùm miro & eleuato mẽtis acumine penetraret vir ille, & ſenſus ſuos in rebus altiſſimis conaretur explicare, nec verba reperiret paria, nouis verbis, Atticè tamen efformatis, in rebus nouis & commu-

communem captum transſcendentibus eſt vſus. Sinceriſſimum item aiunt, ſed ſinceritate, quæ res ita conatur repræſentare vt ſunt, non autem ea quæ fucum admittit, & quò res paruæ ac turpes, magnæ & pulchræ videantur, aut è contrario.

Quòd porrò argutum nimis aſſerit, & inflatum, & affectatum, & parum Apoſtolicum; hoc totum nego: & aio, Scultetum in prioribus quidem valdè hallucinari, in poſtremo autem, vbi vocat parum Apoſtolicum, ipſummet non parum, ſed multùm hariolari.

Nam ſi res paruas aut mediocres eo ſtilo, & iſtis verbis quibus hîc vtitur, exponeret Dionyſius, tum ſanè inflatus & affectatus quin diceretur, nihil repungarem: verùm ſi verba hîc ſunt grandia, & res quoq; ipſa multò grandior, quid eſt quod argui poſſit? Nec verò alius in Dionyſij libris ſpiritus & eloquentia apparet, quàm in Pauli præceptoris ſui nonnullis Epiſtolis, vbi talis nonnumquam eſt oratio, & tam elata verbis, & tam figuris ornata, vt ſi verba Sculteti in Dionyſio haberent locum, etiam & in Paulum ipſum viderentur poſſe graſſari. Nam certè Pauli ſtilus ex omnium confeſſione longè eſt & ab Euangelio & ab aliorum Apoſtolorum ſcriptis differens. Quare ſi Pauli ſtilus cùm alibi, cùm in ſecundâ ad Corinthios Epiſtolâ eſt Apoſtolicus, etiam Dionyſij, cùm in rebus ſublimibus eſt ſublimis, & in cæleſtibus cæleſtis, poteſt & debet dici Apoſtolicus; præſertim vbi ſub illis, quibus vtitur, verbis tanta rerum diuinarum æſtimatio & pietas animi interlucet.

Tertivm argvmentvm eſt, quòd cùm olim, hoc eſt, ſub annum Chriſti quadringenteſimum, orta eſſet de Operibus ſancti Dionyſij Areopagitæ quæſtio, nonnullique certis de cauſis, an eius eſſent legitimus fetus, dubitarent, ſcripſerit Theodorus Presbyter librum vnum, quo docuit illa Opera eſſe ſancti Dionyſij Areopagitæ germana atque legitima, & rationes quatuor, quæ contrà potiſſimè obiiciebantur, diſſoluit. Hoc teſtatur Photius in Bibliothecâ, Cod. 1. hiſce verbis: Ἀνεγνώσθη Θεοδώρου πρεσβυτέρου, ὅτι γνησία τοῦ ἁγίου Διονυσίου βίβλος. Διελύοντο δὲ ἐν τῷ λόγῳ ἐνστάσεις τέσσαρες. *Lectus eſt Theodori Presbyteri liber, quo docet germanum eſſe S. Dionyſij opus. Diſſoluta ſunt autem eo in libro argumenta quatuor.*

Subiungit deinde Photius ea argumenta, ſed abſque ſolutionibus, propterea quòd liber Theodori Presbyteri, in quo eæ ſolutiones continebantur, ſatis eſſet vulgatus. Ego inferiùs tam ipſa argumenta quàm ſolutiones (quæ quidem adferri potuerunt aut debuerunt, quandoquidem illæ Theodori non extant) in contrariæ ſententiæ refutatione proferam.

Poſtremò addit idē Photius hęc verba: Ταύτας οὖν τὰς τέσσαρας ἀπορίας διαλῦσαι ἐπαγωνισάμενος, βεβαιοῖτό γε ἐπ᾽ αὐτῷ, γνησίαν εἶναι τὴν τοῦ μεγάλου Διονυσίου τὴν βίβλον. *Hæc igitur quatuor difficilia argumenta diſſoluere conniſus, confirmat, quantum quidem in ſe eſt, legitimum eſſe magni Dionyſij librum.*

Ac ne quis arbitretur, ea verba contrariæ fauere ſententiæ, ſciat eumdem ipſum Photium (de cuius inſigni eruditione atque exacto in cenſendis libris iudicio Catholici æquè & hæretici conſentiunt) expenſis vtriuſque opinionis rationibus ac momentis tandem iſtos libros, de quibus hîc agitur, ſancto Dionyſio Areopagitæ, vt proprios adiudicaſſe. Quod liquet ex eadem ipſius Bibliothecâ, Cod. 231. vbi in variorum recenſione Auctorum, quos citauerat Sophronius Patriarcha Ieroſolymitanus, ita de noſtro Areopagitâ: Καὶ Διονύσιος ὁ πολὺς μὲν τὴν γλῶσσαν, πλείων δὲ τὴν θεωρίαν, ὁ μαθητὴς Παύλου, καὶ τοῦ Χριστοῦ μάρτυρ, καὶ τῶν Ἀθηναίων Ἐπίσκοπος. *Et Dionyſius ille ſermone quidem magnus, ſed maior contemplatione, Pauli diſcipulus & Chriſti martyr, & Athenienſium Epiſcopus.* Ita ille. Quæ certè non diceret, niſi Opera quæ Areopagitæ nomine inſcripta ſunt, Areopagitæ adiudicaret. Nam vnde ſciret illum ſermone magnum, ſi nihil eius Operum vidiſſet? vnde & maiorem contemplatione quàm ſermone noſſet, ſi contemplationem eius nullam legiſſet? Sub huius enim Dionyſij nomine aliud nihil extat præter illa Opera de quibus nunc agitamus. Aut ergo illa vidit & legit & expendit, aut certè iis, qui viderunt & legerunt & expenderunt, aſſenſit. Atque etiam obſerua, ſecundum argumentum ſuprà poſitum, vbi de Dionyſij elocutione & contemplatione agebatur, confirmari; cùm illa nimirum Photij verba directè in aduerſarios tendant, & tam ſermonem quàm contemplationem commendent.

Qvartvm argvmentvm ex magnorum virorum auctoritate ducitur, & eorum quidem non minùs doctrinâ quàm pietate illuſtrium, quorum integras turmas in Martini Delrij Vindiciis ſpectare licet: præ quorum multitudine, qui ſtant ex aduerſo, perpauci ſanè numerantur.

Nam è Theologis Scholaſticis, ſi hæreticos omittamus, vnicum ferè aut cer-

tè præcipuum habent Caietanum. Nos verò Alexandrum de Ales, Albertum Magnum, S. Thomam Aquinatem, S. Bonauenturam, Durandum, Scotum, Richardum, Gabrielem, & reliquos. Ex aliis variâ eruditione præditis habent Theodorum Gazam, Laurentium Vallam, Desiderium Erasmum, Iosephum Scaligerum, Desiderium Heraldum, paucos alicuius notæ alios.

Sed his opponuntur Ioannes Picus Mirandula, vir ab ingenio & memoriâ *naturæ miraculum* appellatus, Marsilius Ficinus & Lilius Gyraldus, viri tam magni ingenio, quàm varij scientiâ; quorum ille quidem ipsius Dionysij librorum interpres fuit & admirator, hic autem eumdem Dionysium in diuinorum explicatione nominum cunctis anteposuit. Budæus & Billius, duo litterarum Græcarum in Galliis prælustria lumina, Gilbertus Genebrardus, & Arnaldus Pontacus pari studio litterarum & sinceræ amicitiæ cultu nobiles. Item Cælius Rhodiginus, plurimæ lectionis varietate vix sciens parem (cuius verba, vt pietatis plenissima, infrà ponam) & innumeri alij, quos partim ex ipsorum Operibus, partim ex citatis Delrij Vindiciis cognosci facile est. Nam tot Romanis Pontificibus, tot Conciliis vniuersalibus, tot Patriarchis, tot Episcopis, tot Doctoribus, quos idem laudat noster Delrius, quid habent aduersarij quod opponant? Solidas fortè inquirent rationes omni humanâ auctoritate fortiores; itaque illas infrà videbimus & examinabimus: & sic quidem, vt cùm fortissimas earum, nullâ earum quæ ponderis alicuius sit dissimulatâ, protulerimus, aliquas etiam à nobis nouas addamus ab illis præteritas, & tamen iis quas attulerint euictu difficiliores.

Qvintvm argvmentvm. Non est diuini moris, nec æternæ illius prouidentiæ, opera vana & fictis mendaciis plena veris ornare & cohonestare miraculis. Atqui Areopagitæ Opera, cùm variis infirmitatibus in tanti viri honorem applicarentur, multis diuinitus honestata sunt miraculis, vt Capite xxx. Vitæ attigi. Quare signum est satis euidens & luculentum, eius esse illa Opera, cuius in honorem ea patrata sunt.

Sextvm denique & contra aduersarios longè validissimum argumentum est eiusmodi: Si Opera illa non sint Dionysij Areopagitæ qui fuit Pauli discipulus, sed alterius Dionysij, siue Corinthij, siue Alexandrini, siue alterius cuiuscumque posterioris; fateri necesse est, illorum auctorem Operum, quisquis demum fuerit, plenum mendacij, fallaciæ, & sacrilegæ simulationis extitisse.

Atqui hoc minimè dici potest, minimè gentium. Nam Scripta illa meram sapiunt & spirant pietatem, modestiam, grauitatem, sanctimoniam, neque vllum prorsus vel minimum aut leuitatis aut vanitatis (quæ abesse à fallacibus haud possunt) seu fumum seu fimum redolent. Ita sanè reperiet quisquis illa composito sedatoque animo perlegere voluerit; aut si hoc longum est, saltem ea quæ in Caput xxii. & xxiii. Vitæ eius suprà immisi, non inuitus percurrerit. Plenum autem alioqui futurum mendacij & fallaciæ & simulationis, si alius sit quàm dicimus, & quàm scripta repræsentant, inde clarum est, quòd se conuixisse Apostolis, quòd Pauli Apostoli discipulum fuisse dicat, quòd se Deiparæ Virginis funeri adfuisse, quòd hymnos in eius honorem audiisse, quòd Timotheo eosdem memoranti aures dedisse scribat, quòd alia plura denique iisdem in libris afferat, quæ alioqui prodigiosam mentiendi & decipiendi continerent audaciam.

At verò quis credat virum adeò doctum & pium & illuminatum, qualem se hic Auctor in scribendo præstat, tam impia finxisse somnia, tam inusitata excogitasse mendacia, idque vt nomini alieno famam daret, detraheret suo? Talis certè non fuit, neque S. Dionysius Corinthiorum Episcopus secundi sæculi scriptor (horret id animus cogitare) neque doctissimus ille & illustrissimus Christi Confessor Dionysius Alexandrinus æuo tertio clarus (nimis temerarium est vel suspicari) neque alius denique vir bonus & timens Deum. Læui nimis ingenij fuerit, hoc de tali existimare.

Tractant hoc idem argumentum fusiùs partim Græcè S. Maximus, Operum huiusce beati Dionysij interpres, in Prologo; partim Præceptor noster Leonardus Lessius in Epistolâ censoriâ super iisdem Operibus; quam noster Petrus Lansselius in lucem protulit. Nec sanè vllum argumentum est aliud isto fortius & inexpugnabilius: ita vt nihil videam, quod saltem probabiliter ad eius refutationem adferri possit. Nam aduersariorum argumentis ostendam, Deo duce, probabiles omnino rationes, & quæ locum sæpè in scriptis diiudicandis habeant, non paucas opponi, & eas moderatis quidem ingeniis facere satis posse & debere.

Argv-

ARGVMENTA *partis aduersæ cum eorum solutionibus.*

In hisce argumentis seu referendis seu refellendis ordinem sequar temporum, & antiquissima (quæ & præcipua sunt) in primâ acie constituam. Ea sunt quæ Theodorus Presbyter, cuius facta antè mentio, sibi proposuit, aut ab aliis proposita dissoluit. Et quia dissolutiones illæ iam non extant, conabor ego alias (tametsi re ipsâ fortassis easdem) tamen sermone & tractatu diuersas, in medio ponere.

PRIMVM igitur ARGVMENTVM est. Si scripta illa sint Areopagitæ, cur Patres eo posteriores illorum non meminerunt?

SECVNDVM. Eusebius Pamphili, qui libros à sanctis Patribus conscriptos recensuit, nullam eius Operis à Dionysio Areopagitâ conscripti mentionem facit.

TERTIVM. Quomodo traditionum, quæ in Ecclesiâ progressu quodã & temporis longinquitate increuerunt, particularis tenuisque descriptio in iis Operibus continetur? Magnus enim Dionysius, vt ex Actis patet, Apostolorum æqualis fuit; quæ autem hic liber complectitur, descriptio sunt traditionum, quæ sensim in Ecclesiâ post id tempus inualuerunt. Incredibile est igitur, imò malè confictum, eas quæ diu post magni Dionysij mortem succreuerunt Traditiones, existimare à Dionysio conscriptas.

QVARTVM. Quomodo hic liber mentionem facit Epistolæ S. Ignatij? Nam Dionysius Apostolorum effloruit temporibus; Ignatius autem sub Traiano martyrij certamen decertauit. Qui & paulò ante mortem Epistolam illam, cuius hic liber meminit, conscripsit. Hæc sunt quatuor antiquissima contra libros Dionysij argumenta. Quibus ita respondeo.

Ad Primum dico, Patres Dionysio posteriores nominatim eius scriptorum non meminisse, quia illis vel non libuit, vel non licuit. Nam quibus ignoti fuerunt, non licuit (nec enim in omnium venire manus potuerũt;) quibus noti, non libuit. Quid autem causæ? Primò, quia libros illos (quemadmodum Auctor ipse optauerat & postulauerat) noluerunt vulgo esse notos, sed tantùm penes Pontifices reperiri. Secundò, quia Scriptores antiqui præter Scripturam sacram vix vllos citabant nominatim Auctores; aut si faciebant, id ferè necessariò, & ad reuincendos hæreticos faciebant. Ac proinde, cùm eæ, quas Dionysius tractauit, materiæ, vt de Cælesti, de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, de Diuinis nominibus, &c. nihil ferè aut parum aduersus regnantes tùm hæreses facerent, ac tota ferè certamina circa Scripturas sacras versarentur, & eæ vtrimque in aduersarios densissimæ intorquerentur, nihil loci inferioribus Auctoribus relinquebatur. Quin & S. Athanasius quarto sæculo Scriptor, Arianos reprehendit, quòd præter auctoritatem Scripturarum ad alios quoque Auctores præsidij causâ conuerterentur. Nec ipse quidem vsus fuisse reperitur, nisi fortè si ipsi aduersarij aliquos magnæ auctoritatis viros pro se vsurpassent. Ita enim Originem & Dionysium Alexandrinum ab illis, vt suæ opinionis vindicatos eripuit, docuitque non Arianis illos fauere, sed Catholicis.

Ad Secundum (quod ferè est prioris corroboratio) respondetur, libros illos latuisse Eusebium, aut noluisse propter dictam superius causam euulgare. Nam quòd aliqui dicant eum fraude id fecisse, conuitium puto. Neque enim, quamuis eos habuissent, vti illis Catholici voluissent. Quid enim ibi tam clarũ pro Christi æternâ diuinitate, quod non multò clariùs in Scripturis sacris contentum sit? Certè in tantâ diuinarum Scripturarum vtramque in partem copiâ nimis putidum visum est, etiam ipsi Athanasio, vt iam dixi, debiliora tela perquirere. Nam nec beatum Irenæum, Filij cum Patre æternam coëxistentiam clarissimè professum, libro Aduersus hæreses 2. cap. 55. & alibi, citauerunt.

Quòd autem respondent quidã, quamuis Eusebius non meminerit, tamen Origenem & Dionysium Alexandrinum meminisse, haud mihi placere potest ea responsio. Nam quòd citatur Homiliâ 1. Origenis in Ioannem, nullius est ponderis, cùm istæ in Ioannem Homiliæ non Origenis, sed incerti sint auctoris, quippe in quibus Manichæorum & Arianorum, qui post Origenem exorti fuerunt, fiat mentio. Quin & in ipsâ eadem Homiliâ, vbi citatur Dionysius Areopagita, hoc est, in caput primum Ioannis, vno in loco Ariani refutantur, in altero Manichæi. Vnde liquet Primò, istam Homiliam non esse Origenis; Secundò, ex auctoritate inde sumptâ nihil solidum effici, cùm nec cuius sint auctoris, nec quantæ antiquitatis, facilè sciri possit.

Quòd verò etiam dicitur S. Dionysius Alexandrinus Origenis discipulus Scholia in Dionysium Areopagitam scripsisse, & auctoritate probatur S. Maximi, vana est probatio. Nec enim dicit sanctus Maxi-

mus eum ſcripſiſſe Scholia in Dionyſium Areopagitam, ſed in Dionyſium ſibi cognominem. Tales autem fuerunt multi. Nam & fuit Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, & Dionyſius Papa Romanus, ambo inſignes Scriptores,& quidam fortaſſe alij: ita vt non poſſit certò dici ſanctus Maximus de Areopagitâ loqui, & ego contrà poſſim ex eodem S. Maximo probare planiſſimè, ipſum de alio quàm de Areopagitâ ibi ſcribere.

Nam verba S. Maximi in Scholiis ad cap. v. de Cælesti Hierarchiâ, vbi explicat illa verba, *Cæleſtes ſubſtantias*, ſunt hæc: Τὰς οὐρανίας οὐσίας.] *Τί δήποτε μιᾶς οὐσίας εἶναι πάντας τοὺς ἁγίους Ἀγγέλους λεγούσης τῆς Ἐκκλησίας, ὁ θεῖος Διονύσιος πολλὰς ὀνομάζει δυνάμεις; Ὁ γοῦν μέγας Διονύσιος ὁ Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπος, ὁ ἀπὸ ῥητόρων, ἐν τοῖς Σχολίοις, οἷς πεποίηκεν εἰς τὸν μακάριον Διονύσιον τὸν αὐτοῦ συνώνυμον, οὕτω λέγει, ὅτι ἀγέννητον εἴωθε καλεῖν ἡ ἔξω σοφία, πᾶσαν ἀόρατον φύσιν, ὁμοίως καὶ οὐσίας, τὰς ὑποστάσεις· κἀκ τούτου φησὶν, ὅτι κατὰ τοὺς ἔξω εἴρηνται τῷ ἁγίῳ Διονυσίῳ αἱ τοιαῦται φωναὶ καταχρηστικῶς. Cæleſtes ſubſtantias.] Cur porrò, cùm Eccleſia omnes ſanctos Angelos dicat eiuſdem eſſe eſſentiæ, diuinus Dionyſius multas nominat Virtutes? Magnus Dionyſius igitur Alexandriæ Epiſcopus, ille orator, in Notis quas fecit in B. Dionyſium ſibi cognominem, ita dicit, ſolitam eſſe profanam ſapientiam, ingenitam appellare omnem naturam inuiſibilem; & ſimiliter eſſentias, ſubſiſtentias. Atque ex hoc dicit S. Dionyſio tales voces ex more Scriptorum profanorum abuſiuè vſurpatas eſſe.*

Cur autem S. Maximus in his verbis per *B. Dionyſium ſibi cognominem* non videatur intelligere S. Dionyſium Areopagitam, hæ ſunt præcipuæ rationes:

Prima: Si Areopagitam intellexiſſet, potiùs, vt fert Scriptorum conſuetudo, ſic locutus fuiſſet: *In Notis quas ſcripſit in hunc ipſum Dionyſium.* agebat enim tum de Dionyſio Areopagitâ.

Secunda: Quia ſanctus Maximus in ſuâ Apologiâ pro ſcriptis Areopagitæ, ſiue in Præfatione ad ſua in Dionyſium Scholia, cùm reſpondet ad illam aduerſariorũ obiectionem, *Quòd nec Euſebius Pamphili, nec Origenes Scriptorum Dionyſij meminerint*, ſine dubio, ſi ſciuiſſet Dionyſium Alexandrinum Origeni æqualem, & Euſebio ſuperiorem, conſcripſiſſe Scholia in Areopagitam, nullo modo reticuiſſet, ſed dixiſſet: Quamuis Origenes & Euſebius non meminerint Areopagitæ, tamen ſanctus Dionyſius Alexandrinus, qui vno propè ſæculo vincit Euſebium, & ætate vixit Origenis, non tantùm eius meminit, ſed etiam in eum Scholia conſcripſit. Quâ reſponſione procul dubio cunctis aduerſantibus ora concluſiſſet. Atqui nihil tale dixit, ſed faſſus eſt neque Origenẽ, neque Euſebium, neque vllum antiquiorum Patrum feciſſe librorum Areopagitę mentionem: tantumque pro excuſatione attulit, Origenem vix Auctorum quatuor meminiſſe: Euſebium autem non tantùm præteriiſſe Areopagitam qui Athenarum Epiſcopus fuit, ſed etiam Hymenæum & Narciſſum ſuæ regionis Scriptores, qui Ieroſolymis Sacerdotes fuerunt. Verba S. Maximi contra obiicientes, nullã librorum Areopagitæ nec ab Origene nec ab Euſebio factam mentionem, ſunt hæc: *Πρὸς οὓς λεκτέον, ὡς πάμπολλα παρῆκεν Εὐσέβιος οὐκ ἐλθόντα περὶ χεῖρας οἰκείας. Καὶ γὰρ οὔτε φησὶν ἅπαντα καθάπαξ συναγηοχέναι, μᾶλλόν γε μὴν ὁμολογεῖ καὶ ἀριθμοῦ κρείττονα βιβλία καθεστάναι μηδαμῶς εἰς αὐτὸν ἐληλυθότα. Καὶ πολλῶν ἐδυνάμην μνημονεῦσαι μὴ κτηθέντων αὐτῷ καὶ ταῦτα τῆς αὐτοῦ χώρας, ὡς Ὑμεναίου καὶ Ναρκίσσου τῶν ἱερασαμένων ἐν Ἱεροσολύμοις. Ἐγὼ γοῦν ἐνέτυχόν τισι τῶν Ὑμεναίου. Καὶ μὴν οὔτε Πανταίνου τοὺς πόνους ἀνέγραψεν, οὔτε τοῦ Ῥωμαίου Κλήμεντος, πλὴν δύο καὶ μόνων ἐπιστολῶν, ἀλλ' οὔτε πλείστων ἑτέρων. Ὁ γὰρ Ὠριγένης οὐκ οἶδα εἰ πάντων, μόλις δὲ τεττάρων ἐμνήσθη. Διάκονος δέ τις Ῥωμαῖος, Πέτρος ὄνομα, διηγήσατό μοι πάντα τὰ τοῦ θείου Διονυσίου σώζεσθαι κατὰ τὴν ἐν Ῥώμῃ τῶν ἱερῶν βιβλιοθήκην ἀνατεθειμένα. Aduerſus quos dicendum, Euſebium quidem quàm plurima omiſiſſe, quæ ad manus eius non peruenerunt. Etenim nec prorſus omnia ſe collegiſſe ait: quin potiùs profitetur, libros, qui ad ſe non peruenerunt, numero eſſe ſuperiores. Et ſanè multos memorare poſſem, quos minimè habuit, & hos quidem ſuæ regionis, vt Hymenæi & Narciſſi, qui Ieroſolymis Sacerdotes fuerunt. Ego quidem ſanè in aliquos Hymenæi libros incidi. Sed nec Pantæni opera deſcripſit, neque Clementis Romani, niſi duarum dumtaxat epiſtolarum, ſed nec aliorum plurimorum. Nam Origenes, neſcio an omnium, vix ſanè quatuor mentionem facit. Verùm Diaconus quidam Romanus nomine Petrus mihi narrauit, omnia diuini Dionyſij Opera Romæ in Scriptorum ſacrorum bibliothecâ aſſeruari.*

Ex his etiam patet, auctoritatem, quæ affertur quaſi ex ſcriptis Origenis (de quâ ſuprà dixi) eſſe inutilem: ſiquidem non fuiſſet eam præteriturus ſanctus Maximus, cùm & occaſio eſſet, & vrgeret neceſ-

necessitas, atque, vt dicitur, *hîc Rhodus, hîc saltus*.

Tertia. Si Dionysius Alexandrinus tantæ eruditionis vir & sanctitatis, Commentarios in Areopagitam fecisset; sanè sanctus Maximus eos subinde citasset: nisi fortè dicantur ij Commentarij in aures tantùm eius venisse, non in manus.

At enim, si is, in quem Dionysius Alexandrinus perscripsit Scholia, non est Dionysius Areopagita, quis est ergo ille, inquies, vocatus à Maximo beatus & sanctus Dionysius? Respondeo, videri esse S. Dionysium Corinthiorum Episcopum, illustrem secundi sæculi scriptorem, qui, vt Eusebius & Hieronymus testantur, *tantæ eloquentiæ & industriæ fuit, vt non solùm suæ ciuitatis & prouinciæ populos, sed & aliarum vrbium & prouinciarum, epistolis erudiret*. Hæc enim sunt ipsissima verba S. Hieronymi in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 20. vbi & scripta eius recenset.

Confirmat porrò hanc responsionem, quòd idem S. Maximus in eadem Præfatione apologeticâ scribat, hũc Dionysium Corinthiorum Episcopum fecisse in scriptis suis mentionem Areopagitæ. Verba Maximi sunt hæc: Μνημονεύει δὲ τοῦ Ἀρεοπαγίτου καὶ Διονύσιος ἀρχαῖος Κορινθίων Ἐπίσκοπος, καὶ Πολύκαρπος ἐν τῇ πρὸς Ἀθηναίους ἐπιστολῇ αὐτοῦ. *Meminit verò Areopagitæ Dionysius antiquus Corinthiorum Episcopus, & Polycarpus in suâ ad Athenienses epistolâ.*

Nota autem, hîc nec Dionysium nec Polycarpum dici meminisse Scriptorum, seu librorum Areopagitæ, sed tantùm, Areopagitæ: vt ne quis in errorem ducatur pro eodem illa accipiendo, cùm distent longissimè. Aliud est enim meminisse Areopagitæ, aliud meminisse Scriptorum eius.

Quæ est igitur mentio Areopagitæ, quam fecit Dionysius Corinthius? nempe illa quam refert Eusebius lib. 3. Historiæ, cap. 4. in fine, *Dionysium Corinthiorum Episcopum memorasse, Dionysium Areopagitam fuisse primum Episcopum Athenarum.*

Cur autem Dionysius Alexandrinus Scholia scriberet in S. Dionysium Corinthiorum Episcopum sibi cognominem, permagna causa fuit. Nam hæretici illius scripta corruperant, iisque ad suos errores abutebantur. Quod ne dicere gratis videar, vide ipsa eiusdem Dionysij Corinthij verba id cōquerentis apud Eusebium libro 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 22. Quare Alexandrinus vt eum partim explicaret, partim defenderet (plurimi enim fiebat eius auctoritas) necesse habuit in eum Scholia conscribere. Itaque nec Origenes, nec Dionysius Alexandrinus, quod quidem certò asseri possit, meminerunt librorum Areopagitæ; nec aliquid inde citarunt.

Sed neque S. Gregorius Nazianzenus. Is est enim tertius, quem nonnulli proferunt: cuius & locum istum producunt ex Oratione eius Εἰς τὰ γενέθλια, ante mediũ: Οὕτω μὲν οὖν τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἃ καὶ τοῖς Σεραφὶμ συγκαλύπτεται, καὶ δοξάζεται τρισὶν ἁγιασμοῖς εἰς μίαν συνιοῦσι κυριότητα καὶ θεότητα. Ὃ καὶ ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται κάλλιστά τε καὶ ὑψηλότατα. *Sic nimirum Sancta sanctorum* [indicant mysterium Trinitatis scilicet] *quæ à Seraphinis conteguntur, & glorificantur tribus sanctificationibus in vnam dominationem & deitatem coëuntibus. Quod & alius quidam eorum, qui ante nos fuerunt, pulcherrimè & sublimissimè philosophatus est.*

Vbi per ista verba, *Quod & alius quidam*, &c. existimant indicari, Dionysium Areopagitam, capite VII. de Cælesti Hierarchiâ sub finem ita de Seraphinis scribentem: Οἱ δὲ τὴν πολυύμνητον ἐκείνην καὶ σεβασμιωτάτην ἀνακράζουσι θεολογίαν· Ἅγιος, Ἅγιος, Ἅγιος, Κύριος σαβαώθ· πλήρης πᾶσα ἡ γῆ τῆς δόξης αὐτοῦ. *Hi autem* [Seraphini] *celebratissimam illam & augustissimam Dei laudem magnâ voce clamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus sabaoth: plena est omnis terra gloriâ eius.*

In quibus quidem verbis non potest dici Dionysius pulcherrimè & sublimissimè philosophatus, cùm nudè tantùm referat ex Isaiæ 6. quid Seraphini in cælo faciant, seu quomodo laudent Deum: sed benè quòd proximè subiungit idem Dionysius, se illas Seraphinorum voces atque laudes explicuisse in libro de Diuinis hymnis, & quantum satis esset, pro virili suâ de iis dixisse. Vnde perquam est probabile, Nazianzenum incidisse in librum illum de Diuinis hymnis, & pulcherrimam atque sublimissimam de Seraphinis, eorumque vocibus Dionysij philosophiam demiratum esse.

Quamuis autem hoc sit, vt dixi, perquam probabile, tamen haud est penitus certum; præsertim cùm Nazianzenus in verbis suprà positis videri possit non ad Dionysium Areopagitam, sed ad magnum Athanasium, qui etiam ante ipsum fuit, respexisse: atque eò magis, quòd ipsius verba verbis Athanasij in Oratione

super

ſuper iſta verba, *Omnia mihi tradita ſunt*, Matthæi 11. cernantur quàm ſimillima.

Verba S. Athanaſij: Τὸ γὰρ τρίτον τὰ τίμια ζῶα ταῦτα προσφέρειν τὴν δοξολογίαν, Ἅγιος, Ἅγιος, Ἅγιος, λέγοντα, τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τελείας δεικνύντα ἐστίν· ὡς καὶ ἐν τῷ λόγῳ, Κύριος τὴν μίαν οὐσίαν δηλοῦσιν. *Quòd enim tertiò iſta excellentia animalia proferant glorificationem dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, in hoc tres perfectas perſonas demonſtrant: ſicut & in voce, Dominus, vnam eſſentiam declarant.*

Quid eſt autem, inquiet aliquis, in quo Athanaſius ſuper hac re pulcherimè & ſublimiſſimè philoſophatus dicitur? Reſpondeo in eo, quòd ibidem ex hac triplici ſanctificatione, ſeu voce, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, vniformiter & eodem tono ſiue pari virium contentione à Seraphinis pronuntiatâ, collegerit S. Athanaſius triũ perſonarum æqualitatem. Eius verba ſunt: Καὶ οὐδαμοῦ τις τῶν θεσπεσίων Προφητῶν, τῶν μάλιστα καταξιωθέντων, τῆς τοιαύτης θέας ἀπήγγειλεν ἡμῖν, ὅτι ἐν μὲν τῷ ἅπαξ εἰπεῖν, τὸ Ἅγιος, μεγάλῃ τῇ φωνῇ, ἐν δὲ τῷ δευτερῶσαι ἥσσονι, ἐν δὲ τῷ τριασσῶσαι ὑποβεβηκότως· καὶ μὴν τοῦτο τὸν πρῶτον ἁγιασμὸν κυριολογοῦντα, τὸν δὲ δεύτερον ὑποτάσσοντα, καὶ τὸν τρίτον κατώτερον τιθέντα. *Nec quiſquam omnino ſanctorum Prophetarum, eorum maximè qui tali viſo dignati ſunt, nobis annuntiauit Angelos, dicendo ſemel Sanctus, magnâ voce vſos; iterando autem, minori; triplicando denique, ſubmiſſâ. Neque item dixit quiſquam, ſanctificationem primam Dominum celebraſſe, deinde ſecundam ſubieciſſe, tertiam verò inferiùs poſuiſſe*, ſcilicet perſonas, quæ ſanctificantur. Id eſt: Nemo dixit, per primam vocem *Sanctus* ſignificari & laudari Dominum, per ſecundam autem celebrari ei ſubditum, per tertiam verò inferiùs poſitum. Quod ſcilicet dicebant Ariani, nempe Patrem eſſe Dominum, Filium eſſe inæqualem Patri, Spiritum eſſe creaturam, quod eſt *inferiùs poſitum eſſe*.

Hæc itaque pulcherrima & ſublimiſſima Athanaſij contra Arianos Philoſophia & argumentandi ſolertia fuit, quòd è loco Iſaiæ cap. 6. & Ioannis in Apocal. cap. 4. vbi dicuntur Seraphini clamaſſe, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum*, vt apud Iſaiam; vel, *Dominus Deus omnipotens*, vt apud Ioannem, quòd, inquam, viderit primò, clamorem illum nihil eſſe aliud quàm laudem & honorem Dei; deinde, eum clamorem ter repetitum, tres deſignare SS. Trinitatis perſonas; tertiò, iſtius clamoris triplicis æqualitatem (nec enim Prophetæ vllius meminerunt diſtinctionis, aut in voce aut in tono) ſignificare honoris & laudis æqualitatem; & poſtremò, ex hac honoris & laudis æqualitate tribus attributâ perſonis, earumdem quoque perſonarum inter ſeſe æqualitatem deſignari; ac proinde nec Filium dicendum minorem Patre (quod volebant Ariani) nec Spiritum ſanctum infrà ponendum, ſiue inter creaturas relegandum.

Athanaſij porrò acumen imitata & æmulata eſt B. Ruperti ſubtilis acrimonia, qui l. 3. De Trinitate c. 15. ita ex eodẽ, vnde Athanaſius, Iſaiæ loco ratiocinantur, *Quàm pulcher*, inquit, *quàm ſtabilis! Nulli æqualis tenor in verbis! quàm certus! quàm hîc ſunt gradus: nullũ momentum incrementi aut decrementi in vocibus iſtis, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituũ, plena eſt omnis terra gloriâ eius, Iſaiæ 6. Vnde ergo gradus ſuos accepit inimica hæreſis? Nam ac ſi concentus ille ceciniſſet, Sanctus, Sanctior, Sanctiſſimus, & pluraliter addidiſſet, Domini & dij, non ſingulariter Dominus & Deus; ita ſibi gradus fecit, maximè per os Arij, vt diceret Spiritum ſanctum magnum quidem, ſed Filium Spiritu ſancto maiorem, & Deo Patre minorem. Vnde, inquam, gradu iſtos accepit impia & ſerpentina hæreſis, niſi ab ipſo colubro patre mendacij, quem de concentu illo manus Domini propter diſſonantiam ipſius eduxit & foras miſit?* Hæc Rupertus. qui ex eodem Spiritus ſancti fonte, ex quo Athanaſius antè biberat, ſibi hauſit, & nobis tradidit.

Propter laudatam igitur Athanaſij doctrinam dici poſſet Nazianzenus non ad Dionyſium, ſed ad Athanaſium potiùs reſpexiſſe. Verùm ſunt, qui vim faciant in illis Nazianzeni verbis: Ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται: *Ab alio quopiam è maioribus ſapienter dictum eſt*. Athanaſium autem non poſſe dici vnum è maioribus reſpectu Nazianzeni, qui viuente adhuc Athanaſio fuit Epiſcopus.

Quibus reſponderi poteſt, illud, οἱ πρὸ ἡμῶν, quamuis vulgò & ſæpiſſimè idem ſit quod *maiores*, tamen ſtrictè ac rigidè capiendo nihil ſonare aliud quàm *qui ante nos*, ſcilicet fuerunt aut ſcripſerunt. Fuit autem Athanaſius multos annos ante Nazianzenum, & multis annis ante illum ſcripſit & defunctus eſt.

Quare Iacobus Billius interpretum princeps, ita Nazianzeni verba Latinè reddit: *Quemadmodum & alius quidam ante nos philoſophatus eſt*. Nicetas quoq; Græcus interpres verba illa intellexit de S. Athanaſio, non de S. Dionyſio Areopagitâ.

Haud

Haud tamen inficior, videri subinde non modò Nazianzenum, sed & ipsum Athanasium scriptis B.Dionysij Areopagitæ vsum esse atque adiutum, adeoq; ambos ex eodem illius bibisse fonte. Loca Nazianzeni complura collegit modò laudatus Billius, vt antè indicaui, quæ retulit in c.23.lib.1. suarum Obseruationum sacrarum.

Ex Athanasio autem vnicum gratiâ exempli proferam, tum vt ne sim longior, tum vt aliorum industriæ materiem relinquam. Est autem è libro de Communi essentiâ Patris, Filij & Spiritus sancti, in fine, vbi decantatam ab Areopagitâ Angelicorum ordinum subordinationem his verbis repræsentat: Ὥσπερ δὲ καὶ τάξεως διαφορὰν ἐν ταῖς ἄνω δυνάμεσιν ἔγνωμεν, οὕτω καὶ στάσεως καὶ γνώσεως· οἱ μὲν Θρόνοι καὶ τὰ Χερουβὶμ καὶ τὰ Σεραφὶμ ἀμέσως παρὰ Θεοῦ μανθάνουσιν, ὡς πάντων ἀνώτερα, καὶ Θεῷ πλησιάζοντα· ταῦτα δὲ διδάσκει τὰ κατώτερα τάγματα, καὶ οὕτως ἐφεξῆς τὰ ἀνώτερα διδάσκει τὰ κατώτερα. Τὸ δὲ κατώτερον τάγμα εἰσὶν οἱ Ἄγγελοι, οἱ καὶ τῶν ἀνθρώπων ὄντες διδάσκαλοι. *Quemadmodum autē & ordinis discrimen in supernis virtutibus cognouimus, sic & stationis atque cognitionis. Throni quidem & Cherubim & Seraphim nullo medio discunt à Deo, tamquam omnium supremi, & Deo vicini: hi verò docent inferiores ordines, atque ita deinceps superiores doctrinam cum inferioribus communicant. Infimus autem ordo sunt Angeli, qui & hominum sunt magistri.*

Hæc desumpta existimo è libro Dionysij de Cælesti Hierarchiâ cap.7.hoc est ex eodem vnde & sua Nazianzenus desumpsisse dictus est.

At enim cur neuter vel minimam Areopagitæ mentionem fecit?

Respondeo Primò, quia nec S. Ignatij martyris, nec Clementis Romani, nec Polycarpi, nec Athenagoræ, nec Irenæi, nec Theophili, nec Iustini, nec Gregorij Thaumaturgi, quorum tamen extabant & nunc exstant Opera, mentionem fecerunt: hoc est, quia non fuit illis in more alios Auctores citare nominatim; neque in scribendo eam pati moram, quæ ad citandas aliorum auctoritates necessariò adhibenda foret: sed si quid è veteribus fortè legerant Scriptoribus, id sibi acquisitum, suis efferebant verbis. Nisi fortè, vt antè dixi, ipsi aduersarij essent refutandi: tum enim & nominandi erant, & tam ipsorum, quàm aliorum quos ipsi pro se allegabant, verba nonnumquam producenda: vt Origenis, Dionysij Alexandrini, Theognosti ab Athanasio. Secum enim facere Origenem & Dionysium Alexandrinum, contendebant Ariani, & nullum antiquorum iis vocabulis vsum esse, quibus Concilij Nicæni Patres vterentur. Quare Athanasius pro se Theognostum produxit; & Origenem ac Dionysium Alexandrinum, quos aduersarij produxerant, in suas partes traxit.

Respondeo Secundò, vt antè insinuaui, improbasse Athanasium in Arianis, quòd præter sacras Scripturas, & pias rationes humanas, alia firmamenta è veteribus scriptis conquirerent. Ita enim scribit in Epistolâ de Sententiâ Dionysij cōtra Arianos, sub initium. *Si igitur confidunt*, inquit, *iis quæ sentiunt & dicunt, nudam hæresim proferant, ac si quid pro eius defensione vel è Scripturis, vel ex aliquâ ratione humanâ, quæ quidem pia sit, demonstrare possunt, demonstrent; sin eiusmodi habent nihil, taceant*. Ita ille.

Nihil ergo mirum, si ab eo abstinuerit sanctus Athanasius quod reprehendebat in aliis.

Itaque ad secundum argumentum suprà positum, sic videtur respondendum: Quamuis demum sexto sæculo maximè celebrata fuerint Scripta Dionysij, & citata nominatim, tamen non inde sequi anteà non fuisse, cùm paulò antè ostensum sit, precipuos Patres à citandis nominatim antiquioribus Patribus abstinuisse. Et quidem, nisi Eusebius ex composito catalogum confecisset Scriptorum Ecclesiasticorum, valdè multorum extincta prorsus fuisset memoria: & tamen eo etiam confecto, non paucorum interiit; partim quòd eum latuerint (nec enim nancisci omnes potuit) partim quòd sciens volens, vt ipsemet fatetur lib.4.Histor.c.24.præterierit; partim denique, quòd interdum Auctores nomina sua suppresserint. de quibus ita idem Eusebius l.5.Hist.c.26. *Atq; aliorum plurimorum, quorum nec nomina recensere nobis possibile est, libri ad nos peruenerūt, Orthodoxorum quidē & Ecclesiasticorū, vt cuiusq; declarat in S.Scripturam interpretatio, sed tamen nobis ignotorū, proptereà quòd non adscripta sint eorum, qui cōscripserunt, nominā.* Ita ille; reddidi enim Græca de verbo.

Argumēti secundi refutatio.

Præterea duæ aliæ rationes pro latebris Scriptorum Dionysij, præ Scriptis aliorum, afferri possunt. Vna, quòd ipse Auctor latere illa voluerit, & tantùm inter Episcoporum Sacerdotúmve manus versari: altera, quòd materiem continerent sublimiorem atque obscuriorem quàm à plerisque capi posset.

Argumenti tertij refutatio.

Ad tertium argumentum, quod de traditionibus allatum est, quæ videntur post S. Dionysij tempora sensim in Ecclesiam inductæ, non autem eius æuo fuisse vsitatæ, respondetur, ita videri quidem aduersæ parti, nobis autem non sic. Restat ergo, vt pars aduersa bonis rationibus probet meritò sic videri, & insuper ostendat, quænam ex iis traditionibus aut cærimoniis tempore S. Dionysij nō fuerint. Nam de omnibus quidem nemo, vt opinor, tam inuerecundus reperietur qui dicere ausit. Quia verò in suprà posito apud Photium argumento nulla vel traditio vel cærimonia speciatim producta est, liberi à responso speciali sumus. Nam ad ea quæ recentiores quidam obiecerunt, seorsum respondebimus: nunc iis tantùm, quę Theodoro Presbytero obiecta sunt coniunctim respondemus.

Argumēti quarti refutatio.

Ad quartum igitur suprà allatum, de citato in Dionysij Operibus loco S. Ignatij ex Epistolâ eius ad Romanos, quæ fuit scripta sub Traiano, cùm tamen Dionysius Apostolorum effloruerit temporibus, responderi potest, non minùs Ignatium Apostolorū effloruisse temporibus, quàm Dionysium, & quidem Ignatium vitâ excessisse priùs Dionysio, cùm ille sub Traiano, hic autem sub Hadriano Traiani successore excesserit, aut certè & hic & ille sub eodem Traiano, sed Ignatius vndecimo Traiani Imperatoris anno, Dionysius autem vltimo, hoc est, imperij eius vigesimo, & Hadriani primo. Verùm pressiùs & dilutiùs aliter respondebo.

Quærebat igitur quartum argumentum, *Quomodo hic liber Dionysij mentionem fecit Epistolæ S. Ignatij?* Respondeo, non fecisse mentionem.

Atqui, inquies, in libro de Diuinis nominibus, cap. 4. reperiuntur ista verba: Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος, Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Scribit autem & diuus Ignatius, Amor meus crucifixus est.* Hæc autem sententia reperitur in Epistolâ eius ad Romanos paulò ante mortem scripta.

Respondeo, in Epistolâ quidem Ignatij reperiri, sed in Dionysio non reperiri. Dico enim & contendo, & mecum non pauci, ista verba in illo Dionysij loco nequaquā à Dionysio ipso scripta esse, sed ab aliquo insciente & rerum ignaro imprudenter & ineptè in ipsum Dionysium intrusa. Quod ego quidem probabo, vt opinor, tam euidenter, vt nullus deinceps (æquus sit modò huiusce disceptationis, & eorum quæ proferam, iudex & æstimator) dissentire vllatenus aut in dubio remanere possit. Laborarunt quidem & alij in hoc nodo dissoluendo, sed conabor in præsentiâ, Deo adiuuante, clariùs aliquantò & explicatiùs, quàm adhuc quisquam fecerit, nodum hunc enodare.

Verba igitur illa sanctissimi Ignatij intrusa esse in illum B. Dionysij locum, non autem ab auctore ipso primitus ibi collocata, sic probatur:

Primò, Quia sine illis Ignatij verbis multò meliùs cohæret S. Dionysij oratio, quàm cum illis. Nam cùm intendat probare tam ex vetere Testamento, quàm ex nouo, atque etiam ex aliis auctoritatibus, nomen ἔρωτος, seu *amoris*, locum habere & vsurpari in rebus diuinis; si verborum Ignatij citationem sustuleris, tum videbis vniformiter & coniunctim currere primò testimonia veteris Testamenti, deinde noui, postremò aliorum. Probat enim primò ex Prouerbiis & è libro Sapientiæ; tum ex loco Pauli ad Galatas, si non expresse & nominatim, saltem virtute, rei ipsius, quæ per amorem fit, repræsentatione; postremò ex Hierothei præceptoris sui auctoritate.

Et quidem, quòd primò ac præcipuè intendat è Scripturæ sacræ locis id probare, patet ex iis, quæ antè ibidem velut præmunitionis loco posuit, vt cùm dixit: Καὶ μή τις ἡμᾶς οἰέσθω παρὰ τὰ Λόγια τὴν τοῦ ἔρωτος ἐπωνυμίαν πρεσβεύειν. *Et nemo nos putet contra sacras Scripturas amoris nomen allegare.* Et rursum paulò inferiùs, dum ad Scripturarum allegationes se accingit, ita habet: Πλὴν ἵνα μὴ ταῦτα εἰπεῖν δοκῶμεν, ὡς τὰ θεῖα Λόγια παρακινοῦντες, ἀκουέτωσαν αὐτῶν οἱ τὴν ἔρωτος ἐπωνυμίαν διαβάλλοντες. *Verùm vt ne hæc dicere videamur, velut diuinas Scripturas peruertentes, audiant illas ij, qui amoris appellationem cauillantur.* Mox ergo & continenter subdit illas Scripturas quæ *amoris* nomen vsurparunt, hisce verbis: (ponam enim in medio eius verba sine testimonio Ignatij, vt oculis ipsis cernatur melior & sapientior connexio orationis sine illo, quàm cum illo) hisce, inquam, verbis sequentibus ita subdit Scripturarum testimonia. Ἐράσθητι αὐτῆς, φησὶ, καὶ τηρήσει σε. Περιχαράκωσον αὐτήν, καὶ ὑψώσει σε. Τίμησον αὐτήν, ἵνα σε περιλάβῃ. Καὶ ὅσα ἄλλα κατὰ τὰς ἐρωτικὰς θεολογίας ὑμνεῖται. Καὶ ἐν ταῖς προεισαγωγαῖς τῶν Λογίων εὑρήσεις τινὰ λέγοντα περὶ τῆς θείας σοφίας· Ἐραστὴς ἐγενόμην τοῦ κάλλους αὐτῆς, ὥστε τοῦτο δὴ τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα μὴ φοβηθῶμεν. Μηδέ τις ὑμᾶς θορυβείτω λόγος περὶ τούτου δεδιττόμενος· ἐμοὶ γὰρ δο-

κοῦσιν

κοῦσιν οἱ Θεολόγοι κοινὸν μὲν ἡγεῖσθαι τὸ τῆς ἀγάπης καὶ τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα. *Ama illam, inquit Scriptura, & conseruabit te. Aggeribus circumda illam, & exaltabit te. Honora eam, vt te amplectatur. Et quæcumque alia amatoriis in Scripturâ sermonibus celebrantur. Atque in primis Scripturæ institutionibus aliquem inuenies de diuinâ sapientiâ dicentem: Amator factus sum pulchritudinis illius. ita vt hoc ipsum amoris nomen non reformidemus. Neq; verò quemquam perterreat sermonis geminatio: mihi enim videntur Theologi commune existimare charitatis & amoris nomen.* Hactenus verba Dionysij.

Prou. 4, 6. v. 8.

Sap. 8, 2.

Quæ quis non videt optimè inter se cohærere? ac multò meliùs, quàm si inter citationes duarum Scripturarum, siue duorum testimoniorum diuinorum, vna interseratur citatio humani testimonij, ex Ignatio scilicet decerpti? Nam prudens quidem sanè & alicuius ingenij & iudicij scriptor, volens aliquid probare è Scripturis & è Patribus, numquam sic sua disponet argumenta, vt primum argumentum è Scripturâ proferat, secundum ex aliquo SS. Patrum, tertium rursus & quartum è Scripturâ, deinde rursum è Patribus: sed omnes Scripturas simul & primò congeret, deinde SS. Patrum aliorúmve Scriptorũ auctoritates inducet: præsertim si eum in scopum tendat, ac verbis id præ se ferat (quemadmodum hoc loco facit Dionysius) se ostensurum è Scripturis vocem aliquam rectè in sermone de rebus diuinis vsurpari. Iam autem idiota quispiam, cùm hæc Dionysij legeret, ac meminisset etiam Ignatium in Epistolâ ad Romanos vsum eadem voce (licet in aliâ significatione) ipse ad marginem illius loci annotauit ipsa verba Ignatij, quæ posteà in textum intrusa sunt inter duo Scripturarum testimonia, & proximè ante locum è libro Sapientiæ: Καί τοι ἔδοξέ τισι τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερολόγων καὶ θειότερον εἶναι τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα τοῦ τῆς ἀγάπης. Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος, Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Et quidem visum est quibusdam nostris sacris Scriptoribus etiam diuinius esse amoris nomen quàm charitatis. Scribit porrò & S. Ignatius: Amor meus crucifixus est.*

Nota hîc porrò, sanctum Dionysium in superioribus Scripturæ citationibus vsum editione Septuaginta Interpretum, ac proinde nos quoque veterem interpretationem in Latinis secutos, non autem Hieronymi siue vsitatam, eò quòd Græcis non respondeat in omnibus. Nam in loco è Prouerbiis editio vsitata habet sic, versu 8. *Arripe illam, & exaltabit te. Glorificaberis ab eâ, cùm eam fueris amplexatus.* Et Sapient. 8, 2. sic: *Amator factus sum formæ illius.*

Nota Secundò, per Theologos S. Dionysium intelligere Scriptores sacrarum Litterarũ, cùm dicit superiùs: *Videntur enim mihi Theologi commune existimare charitatis & amoris nomen*, siue ἀγάπης καὶ ἔρωτος, propterea quòd Auctores Scripturarum indiscriminatim iam vno vtantur, iam altero, nec vnum altero diuinius existiment. Ac proinde illa verba, quæ iã dixi intrusa, non possunt esse Dionysij, cùm in illis dicatur Theologos aut Scriptores sacros diuinius putasse nomen ἔρωτος, *amoris*, quàm ἀγάπης, *charitatis*; est enim hoc falsum. Nam si diuinius putassent, sæpiùs in sacris Litteris vsurpassent, seu in vetere seu in nouo Testamento. Atqui fecerunt contrarium, & sæpissimè voce ἀγάπης vsi sunt, rariùs voce ἔρωτος. Vnde in nouo Testamento ne semel quidẽ reperitur vox ἔρως, vox autem ἀγάπη ex numerato plusquam nonagies. In vetere autem ἀγάπη & ἀγαπάω creberrimè, & quidem in Cantico canticorum (vbi maximè locus) semper, ne semel autem vox ἔρως aut ἐράω.

Atque hæc, opinor, causa est, quamobrem aliqui Dionysio obiecerint, vti eum in rebus diuinis voce non diuinâ, sed profanâ; ipse autem valdè operosè se defenderit, & testimonia è SS. Scripturis collegerit, in quibus tamen nec vocem ipsam ἔρως inuenerit, sed tantùm nomen appellatiuum ἐραστής, & verbum ἐράομαι in imperatiuo, vbi quidem sanctus amor significetur. Nam pro amore profano & carnali bis inuenio nomen ἔρως in vetere Testamento vsurpatum, semel Prouerbiorum 7, 18. Ἐλθὲ, καὶ ἀπολαύσωμεν φιλίας ἕως ὄρθρου· δεῦρο, καὶ ἐγκυλισθῶμεν ἔρωτι. *Veni, & fruamur amicitiâ vsque ad auroram: veni, & inuoluamur amore.* Vulgata editio habet: *Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies.* & semel Prouerb. 30, 16. Ἅδης, καὶ ἔρως γυναικὸς, καὶ γῆ οὐκ ἐμπιπλαμένη ὕδατος, καὶ ὕδωρ καὶ πῦρ, οὐ μὴ εἴπωσιν· Ἀρκεῖ. *Infernus, & amor mulierum, & terra non repleta aquâ, & aqua & ignis, non dicent: Sufficit.* Hæc omnia de amore impuro & insatiabili proferuntur.

Secundò probatur, testimonium Ignatij intrusum in Dionysium, & non ab illo conscriptum. Quia si Dionysius illud vsurpare voluisset, non modò in medio testimoniorum è Scripturâ non posuisset, sed nec auctoritati S. Hierothei præceptoris sui, quem pluris omnibus secundùm Apo-

Apostolos faciebat, præposuisset, aut saltem post illa verba posuisset: Τί δὲ ὅλως οἱ Θεολόγοι βυλόμϑυοι, ποτὲ μϑ̀ ἔρωτα κὴ ἀγάπην αὐτὸν φασι, ποτὲ δὲ ἐραςὸν & ἀγαπητόν; *Quid autem vno verbo sibi volunt Theologi, qui eum* [Deum scilicet] *modò amorem & charitatem appellant, modò amabilem & dilectum?* Vbi per Theologos intelligit Dionysius Apostolos & alios Scriptores sacros, & respicit quidem ad Epistolam sancti Ioannis primam, cap.4, 8. Ο῾ μὴ ἀγαπῶν, ὐκ ἔγνω τ̃ Θεὸν, ὅτι ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐςίν. *Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.* & rursum versu 16. Ο῾ Θεὸς ἀγάπη ἐςί· κὴ ὁ μϑύων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν Θεῷ μϑύει, & ὁ Θεὸς ἐν αὐτῷ. *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Cùm igitur is, qui ea verba Ignatij, *Amor meus crucifixus est*, intrusit in Dionysium, existimarit ibi sub nomine *amoris* intelligi Christum, hîc potiùs ea debebat ponere, quàm vbi priùs posuit, scilicet inter loca S. Scripturæ, & extra locum suum. Quòd autem malè id existimarit, è proximâ ratione planum fiet.

Tertiò, Illa B. Ignatij verba nullo modo ad id probandum, quod intendebat Dionysius, accōmodata sunt. Intendebat enim ostendere, nomen ἔρως à sacris Scriptoribus in bonam partem accipi pro charitate seu dilectione spirituali; at verò in Epistolâ Ignatij nequaquam sic accipitur, sed pro concupiscentiâ & amore terrestri, quem dicit in se esse crucifixum, hoc est mortuum, nec se amare iam aliud quàm Deum, extincto penitus omni igne concupiscentiæ, & rerum terrenarum desiderio. Quod ex integrâ patebit Ignatij sententiâ, quæ sic habet: Ο῾ ἐμὸς ἔρως ἐςαύρωται, κὴ ὐκ ἐςὶν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον, ὕδωρ δὲ ζῶν ἀλλόμϑυον ἐν ἐμοὶ ἔσωθέν μοι λέγει· Δεῦρο πρὸς τ̃ Πατέρα. *Amor meus crucifixus est, nec est in me ignis rei vllius terrenæ amans, sed aqua viua in me saliens interiùs mihi dicit: Huc ad Patrem.* vbi secundum membrum explicatio est prioris, ita vt idem verbis diuersis bis dicatur; semel per affirmationem, semel per negationem. Qualibus sententiis plenus est in sacrâ Scripturâ liber Prouerbiorum. Verbi gratiâ, cap.4, 13. & sequentib. *Tene disciplinam: ne dimittas eam. Custodi illam: quia ipsa est vita tua. Ne delecteris in semitis impiorum: nec tibi placeat malorum via. Fuge ab eâ, nec transeas per illam. Declina & desere eam.* Et ibidem cap.5, 8. *Longè fac ab eâ viam tuam: & ne appropinques foribus domus eius.*

Quartò, Ignatij sententia similis est illi sententiæ Pauli ad Galatas 6, 14. ἐμοὶ κόσμ☉ ἐςαύρωται. *Mihi mundus crucifixus est*, id est, nihil mihi cum mundo. Ad illam igitur respexisse videtur Ignatius, & pro κόσμ☉ posuisse ἔρως, alio quidem verbo, sed eodem sensu. sunt enim vnum idemque, *Nihil mihi cum mundo*, &, *Nihil mihi cum amore mundi.*

Quintò, Si sanctus Dionysius legisset Epistolam beati Ignatij ad Romanos, & laudare eius testimonium voluisset, fecisset procul dubio quod in Hierotheo fecit, atque integrum Ignatij locum laudasset, non verò eam partem omisisset quæ pro eo maximè faciebat, & vbi verbum ἔρως sine controuersiâ in bonam partem capitur, atque ad Deum refertur. Nam totus locus sic habet: Ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τ̃ διὰ Χριςὸν ἀποθανεῖν. Ο῾ ἐμὸς ἔρως ἐςαύρωται, κὴ ὐκ ἐςὶν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον, &c. vt priùs citaui. Quæ verba Ioannes Brunnerus in suâ Epistolarum Ignatij piâ & accuratâ paraphrasi hoc modo, & eodem quo nos sensu reddidit his verbis: *Viuus enim prudensq; hæc scribo, meos esse amores, meas delicias, mori propter Christum. Quidquid enim præter hunc vsquam fuit amabile aut gratum, mihi crucifixum est, & morte Christi deletum: neque alius in me superest ignis, qui aliud quidquam vel amet vel desideret. Aqua autem in me viuida eructans sic monet, & sic alloquitur: Age, ad Patrem, age.* Ita Brunnerus, vir pius & æterna sapiens, qui ab hæreticorũ castris, vbi annos multos clarus in paucis militauerat, ad Christiana signa cõuersus, meliora sub Christo stipendia meruit, & Græcas litteras, sanctamq; linguam Friburgi Brisgoiæ in principe gymnasio professus est. Itaque *amor* in illâ Ignatij sententiâ non Christũ significat, non amorem sanctum, sed amorem concupiscentiæ & terrenorum, non autem æternorum desiderium, quod ipse quidem martyrij iam candidatus, & totus ad cælũ adspirans, in se extinctũ prædicabat. Nam & multa his conformia in iisdem ad Romanos litteris ex spiritus feruore est elocutus, vt sunt illa: *Iam disco demum pro eo vinctus nihil mundanum, nihil vanum concupiscere.* Et paulò inferiùs: *Ignoscite, amabò: quid mihi expediat, noui. Nunc incipio Christi esse discipulus, cùm eorum, quæ videntur & quæ non videntur, nihil æmulor, vt Iesu Christo potiar.* Et alia multa ibidem eius generis.

Iam satis, vt opinor, factum est argumentis illis quatuor antiquissimis Theodoro Presbytero apud Photium obiectis: nunc

nunc aliquot præcipuis recentiorum Scriptorum oppugnationibus pro virili repugnandum.

Oppugnat Abrahamus Scultetus sancti Dionysij Scripta rationibus duodecim, quarum ego vanitatem (ne nimis se amet, neu Caluinistarum plausus veritatem putet) statui palàm prodere.

Prima eius ratio est: *Stylus horum librorum non est simplex & sincerus, sed argutus nimis & inflatus, & affectatus, & parum Apostolicus.*

Ad eam respondi suprà in secundo argumento pro alterâ sententiâ: vbi ostendi, stylum respondere materiæ, & sublimē esse in re sublimi. Audiat hic porrò nostrum & suum Augustinum simili in re, simillimo vtentem stilo, & obmutescat. Igitur in lib. Soliloquiorum c. 31. sic inter alia: *Soli quidem tibi Trinitas integrè nota es, Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis, & superinenarrabilis, & superinscrutabilis, & superinaccessibilis, & superincomprehensibilis, superinintelligibilis, superessentialis, superessentialiter exuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnem essentiam supercælestium animorum: quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est etiam oculis Angelorum.* Vide ibi plura, quæ diceres aut è Dionysio, aut ex eodem certè Spiritu hausta & scripta.

Secunda. *Eusebius & Hieronymus, diligentissimi librorum inquisitores, non faciunt mentionem aliquam horum librorum, nec vllus alius admodum antiquus auctor.*

Et huic respondi superiùs, cùm argumenta Theodoro Presbytero obiecta refellerem. Vide ibi ad primum.

Tertia. *Laurentius Valla indicat, fuisse suæ ætatis doctissimos viros, qui iudicauerint eos libros esse Apollinarij.*

Respondeo, Scultetum hæc verba sumpsisse ex Erasmo in cap. 17. Actorum Apostolorum, & reticuisse subsequentia eiusdem Erasmi verba, vbi eam sententiam improbat. Subdit enim Erasmus: *Tametsi duos eius nominis commemorat Hieronymus, alterum Hierapolitanum Episcopum, qui floruit sub M. Antonino II. alterum Laodicenum in Syriâ Episcopum; neutri tamen huiuscemodi quidquam tribuit Operum. Neque enim, opinor, hæc Apollinari hæretico tribuenda.* Sic ille. Quòd si hæretico non sunt tribuenda, multò minùs alteri Apollinari Catholico & sancto: nec enim esset talis viri, fingere se Pauli discipulum, comminisci facta esse, quæ numquam facta sint, nimirum se interfuisse Apostolorum cœtui ad funus Deiparæ, & alia similia.

Atque vt ipsamet tela aduersariorum in ipsos conuertamus, secunda ipsorum ratio contra tertiam militat hoc modo: Eusebius & Hieronymus diligentissimi librorum inquisitores nullam faciunt mentionem horum librorum ab Apollinari scriptorum, nec vllus admodum antiquus auctor, ergo non sunt ipsius. Vidéne, Sculteté, tuis te retibus irretiri? Deinde ipse Erasmus ad Catalogum S. Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis abiudicat illos Apollinari, & cùm multi fuerint Dionysij inter Scriptores Ecclesiasticos, probabilius censet ab vno illorum scriptos. Quid iam valet tua ratio, Sculteté, ex Erasmo fallaciter prompta? Possem pluribus: sed frustrà lux maior ad tantam hominis cæcitatem.

Quarta. *Guilielmus Crocinus, memoriâ Erasmi Londini hunc Auctorem explicans, ingenuè coram auditoribus professus est, sibi non videri id opus esse Dionysij Areopagitæ.*

Quàm putida ratio! & quàm arundineo innixa baculo auctoritas! Albúsne an ater fuerit iste Crocinus qui ista crocitauit, quis nouit? Tempus perdam, si plus respondeam.

Quinta. *Materies scripti*, inquit, *idem demonstrat. Nam in Hierarchiâ cælesti, cæli supellectilem & Angelorum subsellia non modò vanè, sed etiam falsò enumerauit, & de ijs pænè inuentarium confecit.*

Quid hîc magis miremur, hominísne stupidam inscitiam, an effrontem meretricis impudentiam? quippe qui nec voces, quibus vtitur, intelligat; & de rebus, quas non capit, velut censor aut iudex decidat. Quis vmquam Regis filios in aulæ regiæ numerauit supellectili? quis de illis inuentarium aliquando confecit? quis inuentarij nomine comprehendit? Atqui Dionysius tantùm Angelos, eorumq; ordines & officia descripsit, quorum nihil nec in supellectili continetur, nec in inuentario scribitur. Et quàm humilia ista de sublimissimis! quàm vilia de nobilissimis! Nescio an iste homo, dum illa scriberet, de mouendâ fortè supellectili domesticâ, aut scribendo rerum suarum inuentario (in quo & vxorem & vtriusque sexus liberos comprehenderat) cogitaret. Docendus est videlicet Minister Silesius, quid supellectilis, quid inuentarij nomine veniat. *Supellectilis nomine* (vt inquit Paulus) *continentur mensæ, trapezophori, delphicæ, subsellia, scamna, lecti inargentati, culcitræ, toralia, mappæ villosæ, vasa aquaria, pelues, aqui-*

aquiminaria, candelabra, lucernæ, trullæ, vasa ænea, vulgaria, id est, quæ nō proprio sunt loco attributa: præterea capsæ, armaria, vitrea, escaria, potoria. Hæc Sipontinus ex 23. ff. de Supellectile legatâ. Nulla ibi personarum, nulla liberorum mentio. De inuentario item sic vetus Glossarium: *Inuentarium dicitur quidam libellus, in quo omnia bona, quæ apud aliquem inueniuntur, conscribuntur.* Repertorium appellat Vlpianus aliquantò Latiniùs, vbi de administratione & periculo tutorum, L. Tutor, sic scribit: *Tutor, qui repertorium nō fecit, quod vulgò inuentarium appellatur, dolo fecisse videtur, nisi fortè aliqua necessaria & iustissima causa allegari poßit cur id factum non sit.* Aliqua ergo debuisset Scultetus proferre à Dionysio enumerata, quæ aliquam saltem cum his, quæ dicta sunt, similitudinem repræsentarent. Atq; istâ quidem inscitiâ & stupore non contentus, addit multò maiorem impudentiam, dum dicit: *Et Angelorum subsellia non modò vanè, sed etiam falsò enumerauit.* Itáne verò? Heus tu, ostende alterutrum: vel quòd vanè, vel quòd falsò. Enumera, si potes, aliquid vel solidius vel verius.

Probat igitur in hunc modum: *Apostolus 2. Cor. 12, 4. ista & huiusmodi reliqua omnino ἄρρητα esse dicit. Irenæus lib. 2. c. 55. istos Hierarchiarum Scriptores delirare scribit. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, cap. 58. affirmat se nescire ordines Angelorum & eorum differentias. Nec sequuntur Dionysium in Angelorum distinctione Gregorius Magnus, Bernardus, & alij. Franciscus quoque Patritius, qui Panarchias suæ libro 1. multa ex veterum scriptis ad stabiliendas Hierarchias Dionysiacas emendicat, dubitanter volens nolens de auctore hierarchiarum pronuntiat.* Ita ille.

Videamus nunc membratim eius vanitatem & impudentiam. Citauit Paulum, Irenæum, Augustinum, Franciscum Patritium. Ibimus per singulos. Pauli locus 2. ad Corinthios 12, 4. est: *Quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quid ibi, amabò, contra Dionysium? Atqui ista sunt, inquies, & reliqua huiusmodi, quæ scripsit Dionysius. Quî probas? quis tibi dixit esse ista? Nihil probat, & sibi vult credi, homini nempe vanissimo, & ex mendaciis (vt passim in Notis meis illi ostendo) impudentissimis conflato. Quid hoc vanius? Adde, Paulum loqui de verbis quæ audiuerit, & quæ loqui non liceat: Dionysius autem non de verbis loquitur, sed de rebus scribit, & ordinum Angelorum nomina, quæ in sacris Scripturis omnia continentur, enumerat. An verò tantum fuit mysterium, scire illorum ordinem & significationem, vt neque Dionysio, neque Paulo, neque Ioanni, neque vlli Apostolorum aut discipulorum inspiratum fuerit? Atqui Dominus Deus dedit Apostolis intelligentiam Scripturarum. Quid ergo magni, si Dionysius à Magistro suo Paulo petierit, quid sibi vellent ista Angelorum nomina, quorum & ipsemet in suis Epistolis, & alij sacri Scriptores in diuinis Litteris meminerunt? si, & quis esset inter eos ordo, & quæ singulorum officia, poposcerit & didicerit? Et sanè, si ista Sculteti ratio vel hilum valeret, plus contra S. Ioannis Apocalypsim, quàm contra Dionysij scripta faceret. Multò enim ibi alia & maiora & captu difficiliora, quàm in Dionysio memorantur: quæ si dixisset Dionysius, fuisset fortè Sculteto locus maior recordandi suæ supellectilis; nempe cùm audiret: *Et conuersus vidi septem candelabra, & in medio septem candelabrorum aureorum*, &c. Cùm, inquam, audiret *septem candelabra*, Apoc. 1. & *clauem Dauid*, cap. 3. & *sedem positam in cælo*, & *in circuitu sedis sedilia viginti quatuor*, & *coronas aureas*, cap. 4. & *librum*, & *citharas*, & *phialas aureas*, cap. 5. & *arcum*, & *gladium*, & *coronam*, & *stolas*, cap. 6. & *palmam*, & *thronum*, & *templum*, cap. 7. & *tubas*, & *thuribula*, & *incensa multa*, c. 8. & alia in aliis. Cùm hæc, inquã, vel similia in Dionysio audiret, tum maiori iure sua illa de cæli supellectile & inuentario deblateraret. Nunc autem cùm illa in Apostoli scriptis legantur, quid dicet? Licuit beato Ioanni tam multa & tam recondita de cælo & cælestibus referre, & mundo patefacere: sancto Paulo autem non licuerit pauca quædam, eaque ad Scripturarum intelligentiam spectantia, Dionysio Areopagitæ à se conuerso, & discipulo suo, enarrare? Quid ita? *Quia audiuit arcana verba*, inquit Scultetus, *quæ non licet homini loqui.* Egregiè verò. Applica, Sculte te. Nec facis, nec potes. Quis enim risum teneat, si ea ipsa esse dicas quæ Dionysius enarrauit? Quî enim probes? Sin alia esse dicas, nihil facis. Potuisse autem Dionysium è Scripturis nouem colligere Angelorum ordines, vel ex ipso Gregorio Magno patet, qui id ipsum fecit Homiliâ 34. in Euangelia. *Nouem verò*, inquit, *Angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro Eloquio, scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potesta-*

Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim atque Seraphim. Esse namque Angelos & Archangelos, penè omnes sacri Eloquij paginæ testantur. Cherubim verò atque Seraphim sæpè, vt notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: Supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem. Qui rursus ad Colossenses scribēs ait: Siue Throni, siue Potestates, siue Principatus, siue Dominationes. Deinde colligit numerum hoc modo: *Dominationes*, inquit, *& Principatus, ac Potestates, iam ad Ephesios loquens descripserat: sed ea quoque Colossensibus dicturus, præmisit Thronos, de quibus necdum quidquam fuerat Ephesiis locutus. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, id est, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus atque Dominationibus, coniunguntur Throni, quinque sunt ordines qui specialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli atq; Archangeli, Cherubim atque Seraphim adiuncta sunt, procul dubio nouem esse Angelorum ordines inueniuntur.*

Ex his omnibus è Gregorio Magno allatis patet, eum nihil aliud voluisse, quàm probare nouem esse ordines, non verò inter illos describere & distinguere Hierarchias, ac proinde nihil esse mirum, si aut ipse, aut S. Bernardus eum secutus, & quidam fortè alij qui Angelos per Hierarchias non distinxerunt, alium sint ordinem, re minùs accuratè examinatâ, amplexati. Nam in confesso est omnibus, longè res tractari exactiùs ab iis qui methodicè & per præcepta materiam aliquam tractant, definiunt, diuidunt (quod fecit Dionysius Areopagita) quàm ab iis qui populariter & oratorio more ad virtutem alios exhortantur: quemadmodum fecisse constat Gregorium Homil. 34. in Euangelia, & S. Bernardum Serm. 19. in Canticum canticorum. Aliud est enim Sermones & Homilias, aliud libros διδακτικοὺς scribere.

Quare qui hos scripserunt, vt illi Scholasticorum principes, Ioannes Damascenus apud Græcos, Thomas Aquinas apud Latinos, non alium statuerunt ordinem, quàm eum quem in Dionysio nostro inuenerunt: Damascenus quidem in libro de Fide orthodoxâ, cap. 8. Thomas autē 1. p. q. 108. art. 5. & 6. & post illos cuncti ad vnum Doctores Scholastici. Hæc autem tacuit Scultetus vel ex inscitiâ, vel ex malitiâ: nec dubium, quin etiam ex impudentiâ. Iam verò S. Dionysij Areopagitæ ordinem omni alio meliorem, ac propterea meritò & à Damasceno, & ab Aquinate, & ab omnibus Scholasticis vsurpatum ex eodem probabo doctore, à quo illum primus accepit Dionysius, nempe à Doctore Gentium Paulo, Dionysij olim Gentilis magistro. Et sic probo: De quatuor primis ordinibus, hoc est de Seraphim, de Cherubim, de Thronis & de Dominationibus, inter omnes omnino liquet. Nam cum Dionysio Areopagitâ etiam Gregorius, & Bernardus, & alij consentiunt, nempe illos esse omnium primos: de duobus etiam postremis ordinibus, hoc est, de Archangelis & Angelis, perinde constat. Restat igitur de tribus tantùm ordinibus controuersia, hoc est, de Virtutibus, Potestatibus, & Principatibus, sintne in cælo hoc ordine, quemadmodum Dionysius constituit, siue, an supra Archangelos proximi sint Principatus, & supra hos sint Potestates, & supra Potestates emineant Virtutes, deinde Dominationes, sicut in cælesti hierarchiâ. Ecce igitur locus Pauli ad Ephesios cap. 1, 19. & seqq. vbi tali vtitur gradatione de Christo ad summam in cælo gloriam eleuato: *Qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Quo in loco cùm agat Paulus de Christi ascensu in cælum, non potest quispiam, nisi extremè stolidus, quin ab inferioribus incipiat, & gradatim ad superiores ordines ascendat, dubitare. Et tamen audet Scultetus (quâ est impudentiâ) ore improbo effutire, Dionysium Angelorum subsellia (sic ille vocat Angelorum ordines) non modò vanè, sed etiam falsò enumerasse?

Aliam eius impudentiam (de illâ enim satis) videamus. Ea in illis verbis renidet: *Irenæus*, inquit, *lib. 2. cap. 55. istos hierarchiarum scriptores delirare scribit.* Quid ad hanc impudentiam addi potest? Mentitur enim Scultetus, & insanè delirat. Nam ne verbo quidem, nec ibi, nec alibi de Hierarchiis Angelorum Irenæus, tamquam illas improbās, agit: imò directè eos impugnat, qui relictis Angelis, Archangelis, & aliis Angelorum ordinibus, triginta Æonas in cælo ponebant, & quasi nouos deos. Quin & expresse admittit & memorat ibi aliquot ordines Angelorum, nempe Principatus, Dominationes, Virtutes, Angelos, Archangelos. Proferam ipsa Irenæi

Irenæi verba, quò erubescat, si potest, canina Sculteti impudentia. Agens igitur Irenæus contra Marcionem & Valentinum in illo ipso capite iam citato, & asserens vnum esse verum Deum, non duos, non plures, sic ait inter alia: *Ipse Dominus omnium, & neque præter ipsum, neque super ipsum, neque mater quam illi admentiuntur; nec Deus alter quem Marcion affinxit; nec Pleroma triginta Aeonum, quod vanum ostensum est; neque Bythus, neque Proarche, neque Cæli, nec Lumen virginale, nec Aeon innominabilis, nec in totum quidquam eorum, quæ ab his & ab omnibus hæreticis delirantur; sed solus vnus Deus fabricator, qui est super omnem Principalitatem, & Dominationem, & Virtutem.*

Ecce igitur eos quos vanitatis Irenæus arguit, & dicit delirare, nimirum Marcionem duos fingentem deos, Valentinum triginta constituentem Æonas, & reliquos omnes hæreticos, nullâ vel minimâ Dionysij aut hierarchiarum eius factâ mentione, nisi quòd ordines aliquos nominauit, in quibus per Principalitatem intelligit Principatus, non tamen vt reprobans, sed vt maximè approbans; sicut ibidem paulò inferiùs, cùm dicit: *Hic Pater Domini nostri Iesu Christi per Verbum suum (qui est Filius eius) reuelatur & manifestatur omnibus quibus reuelatur: cognoscunt enim eum hi, quibus reuelauerit Filius. Semper autem coëxistens Filius Patri, olim & ab initio semper reuelat Patrem & Angelis, & Archangelis, & Potestatibus, & Virtutibus, & omnibus quibus vult reuelare Deus.* Ita ibi. Sed idem Irenæus priori capite eiusdem libri, siue cap. 54. eosdem refutans Valentinianos, insinuat varios Angelorum ordines, & inter ordines singulos discrimina, his verbis: *Præterea, si per ipsos ea quæ sunt super cælos, facta sunt; dicant nobis, quæ sit inuisibilium natura, enarrent numerum Angelorum, & ordinem Archangelorum, demonstrent Thronorum sacramenta, & doceant diuersitates Dominationum, Principatuum, Potestatum, atque Virtutum. Sed non habent dicere. Non ergo per eos facta sunt.* De hoc satis.

Aliud argumentum Sculteti est hoc: *Augustinus in Enchiridio ad Laurentium c. 58. affirmat, se nescire ordines Angelorum & eorum differentias.* Quid tum? an omnia sciuit Augustinus? an quod ille nesciuit, nullus sciuit? Magni fuit ingenij, fateor, rarique iudicij, imò & eius quoque sanctitatis, vt multa eorum quæ nesciret, illi crediderim reuelata. Sed an Deus vni omnia? *Numquid alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu?* &c. *An non vnus atque idem Spiritus diuidit singulis prout vult?* Quid ergo mirum, si dederit Dionysio Pauli discipulo, & fonti aquarum viuentium tam vicino, quod Augustino multis pòst sæculis exorto non dederit? Quin & hoc ipso loco, qui citatus est, ostendit se nescire Augustinus, an sol & luna & cuncta sidera vitam non habeant beatitudinis, & societatis Sanctorum capacem, & ignorare insuper, an plures sint in cælo Angelorum ordines quàm quatuor, cùm tamen suprà è Scripturis sacris ostensi sint nouē. Et quia fortè hęc audientes desiderent ipsa Augustini verba in medio poni (nam sanè mira sunt, & de sideribus alia nobis nunc certa fides est) illa ponam. Sic ergo habet in Enchiridio ad Laurentium c. 58. *Quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus vniuersam ipsam cælestem societatem videtur Apostolus esse complexus, dicendo: Siue Sedes, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, dicant qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt; ego me ista ignorare confiteor. Sed nec illud quidem certum habeo, vtrùm ad eamdem societatem pertineant Sol & Luna & cuncta sidera, quamuis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentiâ videantur.* Ita Augustinus.

Quemadmodum ergo non propterea quòd dicat Augustinus se certum non habere, an sidera viuant & intelligant, & beatitudinis capacia sint, reprehendi quispiam potest, si doceat ea nec viuere, nec intelligere, nec beatitudinis capacia esse: sic neque propterea quòd de Angelicorum ordinum numero dubitet, imprudenter facere dicendi sunt, qui eorum numerum & distinctionem docent; multò minùs autem, qui tam diu ante Augustinum docuerunt, & vel ex diuinâ reuelatione, vel ex Apostolorum relatione acceperunt. Et si temerarium esset de cęlesti hierarchiâ & Angelorum ordinibus librum vnum conscribere, vt de rebus reconditis; quantò magis temerarium esset de ipso sanctissimæ & abstrusissimæ Trinitatis mysterio vel duodecim libros componere, quod S. Hilarius fecit; vel etiã quindecim, quod S. Augustinus? Addit Scultetus, Franciscum Patritium lib. 1. suæ Panarchias dubitanter volentem nolentem de auctore hierarchiarum pronuntiasse: quid autem pronuntiauerit, non explicat; sed satis intelligitur, eum secundùm nos pronuntiasse. Vnde quantus hominis stupor, ea proferre

proferre in medium quæ contra se faciant. Nam licet dubitanter, tamen contra Sculterum pronuntiauit.

Sexta ratio Sculteti est hæc: *In libro de Ecclesiasticâ hierarchiâ multa scribit de templis, de altaribus, de locis sacris, de choro, de consecratione Monachorum, de tonsurâ & rasione capitum; cùm re verâ nihil horum fuerit temporibus Dionysij Areopagitæ: id quod demonstratum historicè reperiet Lector apud Rodolphum Hospinianum Tigurinum.* Ita ille suo more, nihil in particulari probans, & nequiter ad alios remittens.

Contra simile argumenti genus, talis erit propria & maximè conueniens, vt equidem arbitror, responsio: Ista omnia, quæ Scultetus è Dionysio protulit, re verâ fuerunt temporibus Dionysij Areopagitæ: id quod demonstratum veridicè reperiet Lector apud Cæsarem Baronium Soranum, & apud Robertum Bellarminum Cardinales.

De hac solutione, sat scio, non conqueretur: cùm pro vno reponam duos, & quidem tales contra talem, & eodem quo ipse vtar argumenti genere. De templis tamen & altaribus, & locis sacris (non quòd opus sit ad Sculteti refutationem, sed quòd ad rudium atque infirmorum instructionem & confirmationem non parum habeat roboris ac ponderis) locum peregregium S. Petri Cluniacensis aduersus Petrobrusianos hæreticos, idem olim, quod nunc Scultetus, delirantes validè intortum, hîc lubet ipsissmet eius verbis repræsentare (is autem ante Scultetum quingentis annis vixit.) *Quid enim?* (ait vir ille sanctus) *numquid per viginti quinque annos, quibus Romæ Petrus Apostolus sedit, absque templo vel Ecclesiâ, id est, orationis domo, vel paruo saltem oratorio fuit? Nónne, vt gestorum veracium series narrat (si tamen præter diuinum Canonem gestis aliquibus assensum datis) primus ipse Princeps Apostolorum Petrus in vrbe orbis capite templum Christo inter innumera Gentilium templa construxit, & iuxta quod beatus & magnus Papa Leo nobili sermone pronuntiat, trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inuexit? Nónne & nos ipsi Romæ positi frequenter vidimus in cryptis antiquissimis oratoria & altaria, qualia eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem Apostolo constructa & sanctificata (sicut per successionem fama consentiens ac celeberrima protestatur) in monumentum tantæ sanctitatis fidelibus ostenduntur, & ab eisdem fidelibus dulcissimè ac deuotissimè deosculantur? Numquid apud Arelatem (quam necdum per Dei gratiam vester sordidus error infecit) Pauli Apostoli discipulus Trophimus (de cuius fonte, vt Papa Zosimus scribit, omnes Galliæ fidei riuulos acceperunt) semper in campo aut in foro prædicauit, baptizauit, orauit? numquam domum orationis vel ipse habuit, vel alios habere instituit? Et vnde tot sancti successores eius hoc præsumere ausi sunt, quod ille non docuit, à quo fidei riuulos acceperunt? Sed vt de primis Galliæ nostræ Apostolis, quos vestra impia fatuitas, & fatua impietas hactenus scire non meruit, aliquid plenius dicam (sicut ipsa testatur antiquitas, & à sanctis viris nobis relictæ tradunt historiæ) non solùm nos, verùm etiam omnes Christiani populi, pusilli cum maioribus, senes cum iunioribus, vestram insaniam irridentes, certissimè tenent, quòd Irenæus Lugduni, Crescens Viennæ, Vrsinus Biturigis, Paulus Narbonæ, Saturninus Tolosæ, Austremonius Aruernis, Martialis Lemouicis, Burdegalæ, & Pictauis; Fronto Petragoris, Eutropius Xanctonis, Gratianus Turonis, Iulianus Cenomannis, Parisiis Dionysius, Senonis Potentianus & Sauinianus, Bellouaci Lucianus, Aeduæ Andochius, Lingonis Benignus (& quis omnes gloriosissimos fidei nostræ Patres & Apostolos enumerare sufficiat?) isti certè, isti, vbicumque nomen Domini annuntiauerunt, statim idolorum delubra, prout fas fuit, euertentes, aut nouas Ecclesias fundauerunt, aut ipsa templa in Ecclesias conuerterunt: adeò vt hodieq; in plerisque locis (sicut ipsi nostris oculis inspeximus) Ecclesiæ vel Basilicæ ab eis constructæ, altaria manibus eorum fundata & consecrata, in memoriam antiquitatis & sanctitatis eorum, à fidelibus populis reseruata monstrentur; quamq; ridendi & detestandi sitis omnibus hominibus, quadam viuâ voce loquantur. Et vt ad Orientem & ceteras mundi partes transitum faciam, quis Illyricum, Græciam, Scythiam, nisi Paulus & Andreas? quis Asiæ maximas partes, nisi Ioannes & Philippus? quis Persica regna cum proximis gentibus, nisi Simon & Iudas? quis Indicas partes & Solis ortui contiguas terras, nisi Thomas & Bartholomæus? quis totam Aethiopiam, nisi Matthæus, primi & nouissimi Apostoli Christi, vetustæ superstitionis templa destruentes, nouæ gratiæ Ecclesiis impleuerunt? Ita vniuersi veteris & nouæ legis auctores vnanimi studio vobis aduersantur; vt necesse vobis sit, aut tantis testibus acquiescere, aut sine Christo, Prophetis, & Apostolis Christianos fallaciter permanere.* Hactenus vir sanctus, & cuius non est dignus

dignus soluere calceamenta Scultetus.

Septima ratio: *Timotheum vocat filium, qui tamen illo si non maior, certè par fuit pietate, auctoritate, doctrinâ.*

Addendum fuisset, *& ætate*, vt efficax fieret argumentum. Nam luce est clarius, solitos esse senes, appellare ætate iuniores nomine filiorum. Sic in sacris Litteris, sic in profanis Auctoribus, sic in communi vsu videmus. Timotheum porrò longè Dionysio iuniorem fuisse, ex eo liquet, quòd Paulus ad eum iam Episcopum Neronis temporibus scribens, insinuet eum etiam tum fuisse adolescentem, cùm dicit: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Atqui Dionysius iam satis magno natu erat, & (quod ad rem haud parum facit) permagnâ quoque auctoritate, siue quòd fuisset ex Areopagitis, & Christi causâ eos dereliquisset, siue quòd ab ipso Paulo conuersus, baptizatus & ordinatus fuisset. Itaque Dionysius Timotheum vocauit filium, *ἅτε προβεβηκὼς αὐτὸν τοῖς ἔτεσι, καὶ τῇ φιλοσοφίᾳ προέχων, tamquam annis eum antegressus, & philosophiâ præcellens*, vt loquitur sanctus Maximus in Scholiis ad cap. 2. de Cælesti hierarchiâ, super illis verbis, *Σὺ δὲ ὦ παῖ, Tu verò fili.* idemq; sentit ad eumdem locum Georgius Pachymeras. Deinde *παῖς* non tantùm significat *filium*, sed etiam *puerum*, & quidem primâ & principali significatione, sicut *υἱὸς* principaliter *filium*. Hinc Christus Dominus Apostolos suos & discipulos, quos moribus similes pueris esse cupiebat, *pueros* appellabat Ioannis 21, 5. *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* Vnde etiam factum in primitiuâ Ecclesiâ, vt Christiani omnes vocarentur *pueri*, ob Christianam scilicet morum simplicitatem & suauitatem; Episcopi verò, aliique sacris officiis destinati, *παῖδες ἱεροὶ, pueri sacri*. Ita B. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pędagogi, cap. 2. Christianos omnes puerorum nomine compellat his verbis: *Ἔοικεν δὲ ὁ παιδαγωγὸς ἡμῶν, ὦ παῖδες ὑμεῖς, τῷ Πατρὶ αὐτοῦ τῷ Θεῷ. Similis est noster Pædagogus, ô vos pueri, Patri suo Deo.* Et tamen ij ad quos scribit, nec ætate, nec iudicio pueri erant (quibus tam alta non congruissent documenta) sed morum probitate & innocentiâ. Hanc significationem & responsionem ad dictum Dionysij locum admittit quoque & probat sanctus Maximus hisce verbis: *Ἢ ἐπειδὴ τοὺς κατὰ Θεὸν ἀκακίαν ἀσκοῦντας, παῖδας ἐκάλουν, ὡς καὶ Παπίας δηλοῖ βιβλίῳ πρώτῳ τῶν Κυριακῶν ἐξηγήσεων, καὶ Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τῷ Παιδαγωγῷ. Aut quoniam pueros vocabant eos, qui piam simplicitatem & innocentiam sectabantur, quemadmodum & Papias indicat libro primo Dominicarum explanationum, & Clemens Alexandrinus in Pædagogo:* hoc est, *simplices, sinceros, minimè malos*, qualem fuisse Timotheum, antiqui, vt ait Pachymeras, tradiderunt. Sic enim in suâ Paraphrasi Dionysianâ: *Ἢ τοὺς τὴν ἀκακίαν ἀσκοῦντας παῖδας ἐκάλουν, καθὼς τινες παλαιοὶ ἱστοροῦσι περὶ τούτου, ὅτι τῇ ἀκακίᾳ ἐσεμνύνετο. Aut simplicitatem exercentes, pueros appellabant, vt quidam veterum de hoc* [Timotheo] *retulerunt, simplicitate ornatum fuisse.* Legi equidem sæpius & attentius vtramque D. Pauli ad Timotheum Epistolam, si qua fortè vestigia reperire indagando possem, quibus ad ingenij indolisque eius notitiam, eademque viâ ad illius nodi, quem strinxerunt aduersarij, solutionem peruenirem; inueni tandem Timotheum in sacris quidem Litteris à puero versatum, sed ingenio atque animo satis pusillum ac perquam timidum, & qui onus Pontificium, si per Paulum licuisset, perlibenter deposuisset. Quare & à Paulo idemtidem animari atque excitari debuit, & pueri more, quo modo cum vnoquoque hominum genere conuersandum sibi esset, edoceri. Et quia profanæ Philosophiæ & extranearum litterarum rudis esset, ideoque à sæculi litteratis multum negotij ac molestiæ pateretur (quod Maximus & Pachymeras testantur) propterea & Pauli, dum viueret, & eo mortuo, Dionysij auxiliis indigebat. Cùm ergo Paulus sub Nerone obierit, credibile est, Dionysium suos ad Timotheum libros sub consequentibus Impp. ac præsertim sub Vespasiano, Tito, & Domitiano, quorum primus annos decem, secundus duos, tertius quindecim regnauit, exarasse. Nam Galba, Otho, Vitellius, qui hos antecesserunt, non integros singuli annos exegerunt.

De timore & pusillanimitate Timothei, nonnulla in Notationibus ad Vitam sancti Polycarpi, cap. 7. ad finem annotaui.

Ex his denique facilè colligi potest, quàm sit probabile, Timotheum à Pauli obitu ad Dionysium Areopagitam, quem & ingenio maximum, & vtraque scientiâ, tam sacrâ quàm profanâ, eximium nosset, subsidij atque solatij causâ se conuertisse, ac pro ingenitâ simplicitate & modestiâ animi (quod etiamnum facimus, dum ad seniores atq; doctiores scribimus,

bimus, aut quidpiam petimus) eius se filium aut puerum appellitasse; quâ proinde voce rescribens ad eum Dionysius etiam vsus sit: quamuis ad eam vocem interdum nomen *sancti* aut *sanctissimi* addiderit, vt qui sciret se ad Episcopum & ad virum sanctum, tametsi iuniorem & simpliciorem, scribere. Hinc & librum de Ecclesiasticâ hierarchiâ sic ad eum exorditur: Ὅτι μὲν ἡ καθ' ἡμᾶς ἱεραρχία, παίδων ἱερῶν ἱερώτατε, καὶ τὰ λοιπά. *Quòd nostra quidem hierarchia, ô sanctorum puerorum sanctißime,* &c. Quia verò (vt est apud Iob) *deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum,* siue quia procliue est, vt iusti & simplices facilè à vanis hominibus derideantur atque contemnantur, cauit sedulò Paulus vt ne in Timotheum illa caderent, partim eum laudando, partim ex suo & illius nomine litteras scribendo, partim expressè eius despectum prohibendo. Itaque Epistolæ Pauli ad Philemonem inscriptio coniunctum habet Timothei nomen, hoc modo: *Paulus vinctus Christi Iesu & Timotheus frater Philemoni dilecto,* &c. In priore verò ad Corinthios cap. 16, 10. laudat simul & commendat & à despectu tutum facit: *Si autem venerit Timotheus,* inquit, *videte, vt sine timore sit apud vos. Opus enim Domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus.*

Quibus in locis non possum quin mirer & amem & amplectar istam Apostoli benignitatem, & parandæ discipulo suo auctoritatis atque fiduciæ paternam curam ac sollicitudinem: quod & sanctus Ioannes Chrysostomus in suis ad Pauli Epistolas Commentariis olim est admiratus. Vt autem cognoscatur, quanti S. Dionysius Timotheum (quamuis filium ob ætatem appellauerit) tamen propter eruditionis opinionem æstimauerit; legantur, quæso, quæ superiùs in Dionysij Vitâ perscripsi Cap. XXIII. vbi eiusdem S. Dionysij modestia in medio ponitur. Nam ibi ea de Timotheo dicit, quæ verè digna sunt eo, qui fuit Pauli comes & discipulus. Eum enim esse facit, qui mereatur à Deo per Angelos edoceri, & quidem veriora & clariora, quàm ipse docuerit.

Octaua ratio Sculteti est: *Multos maiores præceptores hinc inde nominat, cùm tempore veri Dionysij, præter Apostolos, vix vnus & alter esset Scriptor Ecclesiasticus.*

Valdè tenuis est hæc ratio, & telæ, quæ muscas vix teneat, similis. *Multos,* inquit. Peto, quos? aut quo modo nominet? Nisi enim *ego* (vt Ennij verbis vtar) *adiuro curámve leuasso,* hærebit illi aqua. Duos ergo nominatim Præceptores suos laudat Dionysius, Paulum & Hierotheum, alios autem generatim similibus vtendo vocibus, *Theologi nostri, Patres nostri,* &c. Intelligit autem per Theologos (vt in ipsius scriptis videre est) omnes qui de Deo & rebus diuinis scripserunt, hoc est, Prophetas, Apostolos, & alios Scripturæ sacræ auctores; illi enim verè Theologi, verè Magistri & Præceptores nostri: quo modo & S. Iustinus Philosophus eos appellat in Apologiâ ad Antoninum Pium post medium, his verbis: Ἵνα δὲ καὶ παρὰ τῶν ἡμετέρων διδασκάλων (λέγομεν δὲ τοῦ λόγου τοῦ διὰ τῶν Προφητῶν) λαβόντα τὸν Πλάτωνα μάθητε, &c. *Vt autem & à nostris magistris (de doctrinâ Prophetarum loquimur) accepisse Platonem intelligatis,* &c. Probat ibi Iustinus, Moysen antiquiorem esse Platone, & hunc è libris eius aliqua desumpsisse, dicitque se per *nostros magistros* intelligere *Prophetas.* Idem Iustinus in Apologiâ ad Senatum sub medium, vocat Iesum, Magistrum nostrum. Καὶ Ἰησοῦς ὁ ἡμέτερος διδάσκαλος ἐδίδαξε, &c. *Et Iesus Magister noster docuit,* &c. Sic Dionysius libro de Cælesti hierarchiâ cap. 2. Theologos vocat Malachiam, Ioannem Euangelistam, Moysen, Salomonem, Isaiam, Osee, Dauidem. Nam docens quomodo Theologi diuinitatem exprimant, ex iis omnibus exempla subiicit, & nulla ex aliis Scriptoribus inferioribus. Et cap. 3. postquàm dixit: Ταύτας δὲ τὰς θείας ὁράσεις οἱ κλεινοὶ Πατέρες ἡμῶν ἐμυοῦντο διὰ μέσων τῶν οὐρανίων δυνάμεων. *Has autem diuinas visiones clari illi Patres nostri à cælestibus virtutibus edocti sunt.* Ne Scultetus dicat, nullos fuisse tum claros Patres; qui sint illi quos intelligat, è subiectis exemplis ostendit, nempe dum Moysen, Lucam, Matthæum, Isaiam, probationis causâ producit. Vide Dionysium ibidem cap. 5. initio, & cap. 7. post medium, vbi in Theologorum numero Dauidem, Isaiam, Ezechielem recenset, itemque cap. 8. Et quia tam effrons est Scultetus, vt ea negare possit, nisi expressè dicat Auctor, *Ezechiel Theologus, Zacharias Theologus,* & ita de aliis; age, & illum sic conuincamus. Igitur cap. 8. Cælestis hierarchiæ ita Dionysius: Ὁρᾷ τῶν θεολόγων εἷς ὁ Ζαχαρίας ἕνα τῶν πρώτων, ὡς οἶμαι, τῶν περὶ Θεὸν Ἀγγέλων. *Videt Zacharias Theologorum vnus vnum è primis, vt puto,*

to, & Deum circumstantibus Angelis. Et paulò pòst: Ἕτερος δὲ τῶν θεολόγων Ἰεζεκιὴλ, *Ezechiel verò alius Theologorum*, &c. Vide ibi & sequentibus capitibus plura. Sic *Theologia* ab eodem Dionysio passim vsurpatur pro *sacrâ Scripturâ*, vt cap. 2. de Diuinis nominibus, initio: Καὶ τί γὰρ ἄλλο μαθεῖν ἔστιν ἐκ τῆς ἱερᾶς θεολογίας, ὅ ποταν φησὶ τὴν θεαρχίαν αὐτὴν ὑφηγουμένην εἰπεῖν· Τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ μόνος ὁ Θεός. *Ecquid enim è sacrâ Theologiâ discere licet aliud, cùm ait diuinitatem ipsam docentem dixisse: Quid me interrogas de bono? nemo bonus, nisi solus Deus.* Quamuis igitur Dionysius alios nullos habuisset Præceptores nisi Hierotheum & Paulum Apostolum, tamen de ceteris Scriptoribus sacris seu veteris seu noui Testamenti dicere optimo iure poterat, *Præceptores nostri, Patres nostri, maiores nostri, Theologi nostri*, &c. Ex quo vanissima ostenditur octaua Sculteti obiectio. Ad alias procedamus.

Nona est talis: *Citat sententiam Ignatij morituri sub Traiano*, Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *At Methodius Dionysium regnante Domitiano occisum esse scribit.*

Sic ille: cui sufficere posset hæc responsio: *At Ado Viennensis Archiepiscopus Hadriani temporibus Dionysium martyrio affectum scribit.* Vt enim ille vno teste probat, sic ego vno teste reprobo. Iam sumus ergo pares. Verùm plenissimè huic de Ignatij sententiâ obiectioni iam respondimus in hac ipsâ Quæstione suprà.

Decima ratio, siue decumana impudentia Sculteti, est eiusmodi. *Errat* (inquit de S. Dionysio) *manifestè, quòd docet oleo defunctos perfundendos & vngendos: Monachatum omnium initiandorum ordine atque etiam ministerio esse excellentiorem: Vnguentum Baptismo* ὁμοταγὲς *esse, inuentum scilicet hominis, Sacramento Christi.* Ita ille Pythagoræo more dicens, & non probans. Cui ego eodem more si respondero, & tria illa quæ intulit, solâ negatione reiecero, quid indignum tali argumentatore fecero? Sed in aliorum gratiam plus dicemus, & ibimus per puncta singula.

Primò igitur, pro eo quod dicit de sanctissimo & doctissimo viro, & quidem de scribente certissima, *Errat manifestè*, reponendum censeo: *Errat Scultetus & delirat manifestissimè*. Liceat enim Sanctorum amatori in conuitiatores Sanctorum sic loqui. Nam scripsit sanctus Dionysius, quod suo tempore circa defunctos tam à se quàm ab aliis fieri videbat: & quidem cur id fieret, hanc attulit optimam & bonis omnibus acceptissimam rationem, nimirum significari *eum, qui vngitur, legitimè certasse, & certando excelluisse.* Scultetus autem pro audaci suâ & impudenti contradictione quid adfert? ne id quidem, *quod pueri clamitant se in fabâ reperisse.* Legant autem, velim, Christiani cęrimonias à Dionysio de exequiis mortuorum productas lib. de Ecclesiasticâ hierarchiâ, cap. 7. & earum mirabuntur antiquitatem iuxtà & sanctitatem sapientiæ plenissimam.

Secundum reprehensionis Sculteti punctum est, Dionysium docere, *Monachatum omnium initiandorum ordine atque etiam ministerio esse excellentiorē.* Contra quam doctrinam nihil rursus aliud adfert, quàm illa duo verba, *Errat manifestè*. cùm ipsemet interim mentiatur multò manifestissimè. Nam in primis non docet Dionysius, Monachatum vllo ministerio esse excellentiorem, nec est in eo verbum vllum quod hoc sonet: imò ponit Monachatum extra ordinem omnium ministrorum & omnium sacrorum ordinum. Tres enim ponit sacros ordines, Pontificum, Sacerdotum, Diaconorum, qui & initiantes seu sacra tractantes appellantur: inter quos nulla Monachorum mentio: quippe qui nihil sacris in rebus officij habeant, ac proinde earum ministris seu administratoribus omnibus inferiores sunt. Deinde eos qui initiantur tantùm, nec initiant, hoc est, laicos omnes ad Ecclesiam pertinentes, in tres classes partitur: In eos qui à sacrificiis excluduntur: in eos qui illorum sunt participes, & communem vitam degunt: in eos qui maiorem perfectionem profitentur, hoc est, Monachos. Quæ partitio reperietur in libro de Ecclesiasticâ hierarchiâ, cap. 6. vbi etiam docet Dionysius, primam classem (quæ est rudiorum & imperfectiorum) spectare ad curam Diaconorum seu Ministrorum, qui λειτουργοὶ appellantur; quorum est illos erudire & purgare: secundam verò, quæ est mediorum, & tertiam quæ est Monachorum siue Cultorum, ad Sacerdotis munus pertinere: eius enim est, & communem plebem seu fideles iam baptizatos, & viam coniugij iam currentes, docere & illuminare, & Monachos vitam singularem & exactam castimoniam profitentes Deo consecrare. Quid igitur sibi Scultetus voluit, cùm mentitus est, Dionysium docuisse Monachatum esse ministerio excellentiorem? an fortè Caluini Minister ad suum ministerium respexit, atque ad conciliandam

Dionysio inuidiam, finxit eum præferre Monachos Ministris? Atqui tales Ministros Areopagita penitus nesciuit; atque etiam, si tales fortassis mille & quadringentis post se annis venturos præuidisset, haud grande tamen peccatum admisisset, si Monachis, non dico iis qui nunc sunt, sed illis etiam qui tunc erant, & nihil sacri ordinis gerebant, postposuisset. Verùm nihil tale de Ministris locutus est Dionysius: apud quem Ministri appellantur, qui nunc vulgò Diaconi, sed illis Monachos postponit: quos, vt antè notaui, in solis laicis velut classem præcipuam docet excellere. Et hæc, opinor, sufficiunt ad detegendam hominis effrontis meretriciam impudentiâ. Nam de Monachis agam infrà fusiùs, & ostendam, quãtum sit inter illos de quibus egit Dionysius, & eos qui posterioribus sæculis fuerunt & nunc sunt, discrimen; simulque ex eo discrimine argumentum sumam fortissimum pro libris Dionysij: nunc enim certum est confundendo insistere Sculteto.

Tertium igitur decimæ rationis ab eo allatæ membrum erat, *manifestè errare Dionysium, quòd doceret vnguentum Baptismo* ὁμοταγὲς *esse, inuentũ scilicet hominis Sacramento Christi.* Quid hîc respondeam? Non dicit ipse vbinam hoc Dionysius doceat, non profert verba, non vrget illa, non conatur certâ aut saltem aliquo modo probabilem deducere ex illis sequelâ; ita vt inuerecundè abutatur & suorum simplicitate, quos sibi vt Pythagoræ vult credere, & doctorum virorum, quibus ad loca perquirenda non est otium, nimiâ patientiâ. Perquisiui ego si fortè reperirem Dionysium alicubi dicentem, τὸ μύρον τῷ Βαπτίσματι ὁμοταγὲς, *vnguentum eiusdem esse aut similis cum Baptismate ordinis aut dignitatis*, nusquam reperi, nec illa vox ὁμοταγὲς, in cõparatione vnguenti cum Baptismo, vsquam à Dionysio est vsurpata: sed benè cùm de Eucharistiâ egit, & ab illâ ad vnguenti confectioné transit (quod facit capite 4. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ initio) ita scribit: Ἀλλ' ἔστι ταύτης ὁμοταγὴς ἑτέρα τελεσιουργία· μύρου τελετὴν αὐτὴν οἱ καθηγεμόνες ἡμῶν ὀνομάζουσι. *Sed illi* [sanctissimæ Synaxi] *eiusdem ordinis finitima est altera sacra operatio: Vnguenti Sacramentum eam vocant Duces nostri.*

Dicit autem esse eiusdem ordinis, non quòd sit idem Sacramentum (apertè enim distinguit, & ab vno se dicit transire ad aliud) sed quod hæc vnguenti confectio etiam spectet ad Pontificem seu Episcopũ, & quòd eius confectioni non intersint, nisi ij quibus etiam confectioni Synaxeos licet interesse; ac propterea excludantur Catechumeni, Energumeni, Pœnitentes. Quæ duo expresse docet in eodem ipso cap. 4. partim in ipsâ ritus vnguenti descriptione, partim in subiectâ cõtemplatione. Verba Dionysij sunt hæc: Κατὰ τὸν αὐτὸν τῆς συνάξεως τρόπον αἱ τῶν ἀτελεστέρων ἀπολύονται τάξεις. *Ad eumdem modum, quo in Synaxi, ordines imperfectorum dimittuntur* [in cõfectione vnguenti scilicet.] Deinde paulò inferiùs de Pontificis munere ita subdit: Εἶτα τὸ μύρον ὁ Ἱεράρχης λαβὼν ἐπιτίθησι τῷ θείῳ θυσιαστηρίῳ, &c. *Deinde Pontifex sumptum oleum sancto imponit altari.* Similia rursus habet in Contemplationis progressu, vbi & rursus vocem ὁμοταγὴς vsurpat, ita de eadem vnguenti confectione scribens: Διὸ καὶ ταύτην οἱ θεῖοι καθηγεμόνες ἡμῶν, ὡς ὁμοταγῆ καὶ ταὐτουργὸν τῇ τῆς συνάξεως ἱερᾷ τελεστηρίῳ τοῖς αὐταῖς εἰκόσιν, ὡς τὰ πολλὰ, καὶ μυστικαῖς διακοσμήσεσι καὶ ἱερολογίαις διετάξαντο. *Atque illam diuini Duces nostri velut eiusdem ordinis & efficacitatis cum sancto Synaxeos Sacramento, ijsdem vt plurimum imaginibus & mysticis descriptionibus & sacris locutionibus ordinauerunt*, id est, fieri constituerunt. Quæ verba Scultetus, si non tam socors & vecors fuisset, longè plus contra nos facere vidisset, quàm ea quæ attulit. Vt enim apud nos pluris est Eucharistiâ quàm Baptismus, ita pluris erat Vnguentum conferre cum Eucharistiâ (quod facit Dionysius) quàm cum Baptismo. Verùm peruersæ fidei homo, & à veritate alienissimus, nec illam veritatem vidit, & familiare sibi mendacium sine labore inuenit. Alioqui clamare & vociferari poterat: Ecce qui Iesum Christum in Eucharistiâ præsentissimum dicunt, quò deuenerint? Vnguentum, opus hominis, ὁμοταγὲς Christo faciunt. Ecce hic ipsorum Auctor non ὁμοταγὲς modò, sed etiam ταὐτουργὸν sacræ Synaxi vnguentum facit. Quòd si ταὐτουργὸν, id est, eiusdem efficacitatis, seu idem efficiens, ergo vnguentum perinde ac Synaxis Christum efficit. Potuisset, inquam, homo ille, & secundùm sectam suam debuisset vocem illam ταὐτουργὸν contra Catholicos pro suis Caluinistis allegare, vrgere, inculcare potiùs quàm suum ὁμοταγὲς, quod ideò fortè neglexit interpretari, vt plus in eâ latere mysterij homines putarent, quàm re verâ sit. Nam si tantùm hoc voluit, quòd in Baptismi Sacramento inter alias cærimonias etiam vnguentum adhibetur, quid hoc magni est? Nec enim vel Dionysius

vel Catholici propterea iniuriã Baptismo inferunt, sed honorem potius ac venerationem afferunt. Nam eò spectant cærimoniæ rebus additæ, vt res ipsæ pluris fiant, magisque honorentur. Nec enim dicimus aut sine illis Baptismum inefficacem esse, aut illas eamdem cum Baptismo vim habere (Absit hæc à nobis cogitatio; inuentum enim hominis, Dei constitutioni par non est:) sed dicimus, propter mysticas significationes tam vnguentum quàm alias quasdam cærimonias rectè ac meritò quibusdam Sacramentis adhiberi. Quas quidẽ significationes non existimo vllum benè compositæ mentis ac firmi constantisque iudicij (si illas in ipso Dionysio legerit) posse vllo modo improbare: imò & admiraturum potius atque permagni facturum, mihi prorsus persuadeo. Sed ne vox illa ταὐτουργὸν non explicata, erroris cuipiam ansa sit, non eam vim habet, vt dicat id omne ab Vnguenti Sacramento effici, quod ab Eucharistia (sic enim non diuersum, sed idem esset Sacramentum) verùm quòd similes gratias conferat, quòd animum illuminet, roboret, ad cælestium cogitationem, amorem, desiderium exsuscitet.

Vndecima ratio Sculteti: *Libro Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 1. præcepit Timotheo, vt non omnibus reuelet sua scripta. Non sunt igitur Apostolica.* Sic ille.

Atqui hoc iam non quæritur, An illa Scripta sint Apostolica necne, sed vtrùm illa Scripta (qualiacumque sint) Dionysij sint, an cuiuslibet alterius: nam & tu, ô homo plene fallaciâ & dolo, hanc quæstionẽ post recensitos Dionysij libros sic proposuisti, *An libri recensiti sint Dionysij Areopagitæ*; non verò illam, *An Scripta eius sint Apostolica.* Cur ergo aliud infers quàm quæris? Deinde, quin aliquid concludis quod clarum sit & ambigui expers? Nam vox *Apostolica* ibi est ambigua: & quidem si in primâ & propriâ significatione capis, vt scilicet scripta Apostolica appellentur, quæ ab aliquo Apostolorum scripta sunt, nugas agis, dum refutas quod nemo dicit; hactenus enim fuit nullus, qui illa scripta Apostolorum cuipiam tribueret. Sin ea vocas scripta Apostolica, quæ Apostolorum scripta sint ætate, iniuriam facis Apostolis, cùm & ipsorum ætate nonnulla scripta sint ab hęreticis (contra quos suum Ioannes scripsit Euangelium) quæ sic dici possent & deberent Apostolica. Quid igitur tandem vocas Apostolica? An scripta stilo Apostolico? non audebis hoc dicere, ne videare bis cramben eamdem obtrudere. Nam si de stilo hîc agis, prorsus actum agis, & quod primâ ratione proposuisti, reponis vndecimâ. Prima enim tua ratio fuit de stilo parum Apostolico, quam & nos refutauimus. Sin hoc fortè vis dicere (es enim adiuuandus) non esse scripta spiritu Apostolico, hoc est, fidei & salutis animarum & perfectionis Ecclesiæ cupido (hoc enim ipsum est, opinor, quod intendis, si quid nouum intendis) at neque sic aliud quidquam, nisi crassum & impudens mendacium effutis. Spirant enim certè ea scripta meram fidei & salutis animarum, & perfectionis Ecclesiæ ambrosiam. Id quod viri doctissimi iuxtà & sanctissimi, & qui incorruptum virtutis gustum habebant, amplissimè sunt contestati.

Verumtamen quomodo probas non esse in iis Scriptis spiritum Apostolicum? *Quia*, inquis, *præcepit Timotheo, vt non omnibus reuelet sua scripta.* Imò verò spiritus ibi Apostolicus elucet, dum sic Timotheum admonet, vt ne cum Gentilibus, & aliis nullo adhuc Sacramento initiatis, fidei nostræ altissima mysteria communicet, sed cum solis Christianis, & quidem illustratis, hoc est, baptizatis; quia scilicet, vt rectè S. Maximus, οὐ δεῖ τὰ ἅγια τοῖς βεβήλοις ἐκφαίνειν, οὐδὲ τοὺς μαργαρίτας τοῖς χοίροις ῥίπτειν; *non oportet sancta profanis ostendere, neque margaritas porcis proijcere.* Quid? an hoc Euangelio & spiritui Apostolico non est conforme? Atqui ipse Christus Dominus Matthæi 7, 6. dicit: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Et sanè ita futurum credebat Dionysius, vt si Gentiles aut parum in fide fundati abdita Ecclesiæ nostræ mysteria legerent, ipsi ea tamquam vilia & despicabilia pedibus conculcarent, hoc est contemnerent & irriderent, & in Scriptores ipsos atque in talium doctores insurgerent, ac, si possent, etiã dirumperent. Quare hanc vnã præmonitione contentus, quã initio libri de Ecclesiasticâ Hierarchiâ adhibuerat, etiam c. 2. aggressurus sacri Baptismatis cærimonias, productis in medium argumentis & exemplis, ab earum conspectu profanos arcet. Sic enim scribit: Ἑξῆς δὲ τὰ θεῖα τῆς θεογενεσίας ἐποπτεύσωμεν σύμβολα. Καί μοι μηδεὶς ἀτέλεστος ἐπὶ τὴν θέαν ἴτω. Καὶ γὰρ οὐδὲ ταῖς ἡλιοτεύκτοις αὐγαῖς ἐν ἀσθενέσι κόραις ἀντωπεῖν ἀκίνδυνον. οὐδὲ τοῖς ὑπὲρ ἡμᾶς ἐγχειρεῖν ἀβλαβές. *Deinceps verò diuina ex-Deo-generationis symbola inspiciamus. Et nemo mihi ad spectandum*

non

non initiatus accedat. Nam vt imbecillibus oculis radios ſolis ex aduerſo intueri non caret periculo, ſic altiora nobis aggredi non vacat damno. Quod etiam exemplis è Scripturâ ſacrâ prolatis probat, quæ videri illic poſſunt.

Eadem porrò, quâ Dionyſius, cautione vſus eſt beatus Clemens Alexandrinus libro 1. Stromatum, qui in hoc quoque Dionyſium eſt imitatus, quòd libros ſuos ſponte & de induſtriâ obſcuriùs ſcripſerit, & celare ſemina cognitionis, vt idem ipſe loquitur, voluerit, & nouis interdum vocibus vſus ſit: quò nimirum & laborioſiùs (vt in venatione) inuenta veritas eſſet dulcior & gratior; & ab hominum petulantium, qui ſancta non capiunt, ludibrio & cauillis remotior atque ſecurior. Nec pigebit paucula Clementis verba indidem laudare, & quaſi digitum, quod aiunt, ad fontem intendere. Ea ſic habent: Σιωπῶ γὰρ, ὅτι οἱ Στρωματεῖς τῇ πολυμαθείᾳ σωματοποιούμενοι κρύπτειν ἐντέχνως τὰ τῆς γνώσεως βούλονται σπέρματα. *Taceo enim, quòd hi Stromatum libri, è doctrinâ multiplice vnum in corpus coagmentati, celare artificioſè velint cognitionis ſemina.* Et paulò inferiùs: Τί δήποτ' οὖν ὧδε διατετάχθαι φίλον ἔδοξεν εἶναι τοῖς ὑπομνήμασιν; Ὅτι μέγας ὁ κίνδυνος τὸν ἀπόρρητον ὡς ἀληθῶς τῆς ὄντως φιλοσοφίας λόγον ἐξορχήσασθαι τοῖς ἀφειδῶς πάντα μὲν ἀντιλέγειν ἐθέλουσιν, οὐκ ἐν δίκῃ, πάντα δὲ ὀνόματα καὶ ῥήματα ἀπορρίπτουσιν οὐδαμῶς κοσμίως, αὐτούς τε ἀπατῶντες, καὶ τοῖς ἐχομένοις αὐτῶν γοητεύοντες, &c. *Quâ de causâ igitur iſtos ita viſum eſt componere commentarios? Quia magnum periculū eſt, hunc ſanè quàm arcanum veræ philoſophiæ ſermonē iis enuntiare, qui imparcè quidem volunt omnibus contradicere, idq́; immeritò; cuncta verò & nomina & verba haudquaquam decenter proijcere, & fallentes ſemetipſos, & ſectatoribus ſuis illudentes.* Vide ibi plura.

Vocat ibi *veram philoſophiam* (ſicut & alij SS. Patres Græci) doctrinam Chriſtianam: & *arcanum veræ philoſophiæ ſermonē* appellat fidei noſtræ myſteria: quæ Dionyſius appellauit τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, *ſancta ſanctorum*, initio libri de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ c. 1. vbi ſic ad S. Timotheum: Ἀλλ' ὅρα, ὅπως οὐκ ἐξορχήσῃ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, &c. *Sed vide, vt ne enunties ſancta ſanctorum.* Vbi notandum, ambos eadem voce ἐξορχεῖσθαι, id eſt, *tacenda enuntiare*, vſos eſſe, Dionyſium & Clementem, vt hîc videre eſt.

Idem porrò ipſum, quod in Dionyſio reprehendit Scultetus, approbarunt mille & ducentis, priuſquam ipſe natus eſſet, annis S. Cyrillus Ieroſolymitanus, S. Baſilius, S. Ambroſius, & alij. Nam eorum primus ante ſuas Catecheſes nō modò eamdem præmiſit de libris ſuis cautionem, ſed etiam, ſi fortè quipiam illos exſcriberent, ipſam quoque vt exſcriberent cautionem ſeriò commonuit. Hæc ſunt eius verba: Τὰς τῶν φωτιζομένων κατηχήσεις τοῖς μὲν τῷ βαπτίσματι προσερχομένοις, καὶ τοῖς τὸ λουτρὸν ἔχουσιν ἤδη πιστοῖς, εἰς ἀνάγνωσιν παρεχόμενος, μὴ δῷς τὸ σύνολον, μήτε κατηχουμένοις, μήτε ἄλλοις τισὶ τοῖς μὴ οὖσι Χριστιανοῖς. Ἐπεὶ τῷ Κυρίῳ λόγον δώσεις. Καὶ ἐὰν ποιῇς ἀντίγραφον, ὡς ἐπὶ Κυρίου ταῦτα πρόγραψον. *Catecheſes iſtas eorum qui illuminantur, accedentibus quidem ad Baptiſmum, & iis qui iam baptizati ſunt fidelibus, legendas exhibens, nullo modo communices cum Catechumenis, neque cum vllis aliis nondum Chriſtianis. Nam alioqui rationem Domino reddes.* Et quidem ſi tranſſcribas, hæc ipſa, vt in autographo, præpones.

Locus autem Baſilij libro de Spiritu ſancto cap. 27. eſt longè pulcherrimus: quem, quòd & alia nonnulla de Baptiſmi cærimoniis attingat, integrum apponam, ſed breuitatis causâ Latinè tantùm, tametſi & Græca habeam ad manum, quæ ſic verti: *Benedicimus autem & aquam Baptiſmatis, & oleum vnctionis, & eum præterea qui baptizatur. E quibus ſcriptis? Nónne à tacitâ & occultâ traditione? Ipſam porrò olei vnctionem quis ſermo ſcriptus edocuit? Et hominem ter immergi, vnde ſumptum? Alia item omnia, quæ circa Baptiſmum fiunt, vt abrenuntiare ſatanæ & angelis eius, è quâ Scripturâ ſunt? Nonne ex illâ minimè euulgatâ & arcanâ doctrinâ, quam in quieto & nequaquam curioſo ſilentio illi Patres noſtri, veneranda myſteria conſeruare edocti, cuſtodiuerunt? Aut quid magnus ille Moyſes ſibi volebat, cùm profanos quidem extra ſacros cancellos ſtatueret, prima verò atria purioribus permittēs, ſolos Leuitas dignos Dei cultores iudicaret; mactationes porrò & holocautomata & reliquum miniſterium Sacerdotibus aſſignaret; vnum è cūctis electum in adyta admitteret, ac ne id quidem ſemper, ſed vnico tantùm die quotannis, & illius quoque diei ſtatam horam, quâ illi fas ingredi eſſet, præſcriberet? Nempe vt propter nouitatem & inſuetudinem admiratione tactus Sancta ſanctorum inſpiceret. Probè enim ſciebat, pro eâ quâ pollebat ſapientiâ, id quod tritum & captu facile eſt, promptum item eſſe contemni: id autem quod reductum eſt & rarum, naturaliter quodammodò magni fieri & ſtudioſè perquiri. Eodem igitur modo, qui certos*

Eccle-

Ecclesiarum ritus ab initio perscripserunt Apostoli & Patres, occultatione & silentio suam mysteriis dignitatem seruauerunt. Neq; enim omnino est mysterium, id quod in populi & vulgi aures effertur. Atque hæc est ratio traditionis illorum quæ scripto non sunt prodita, vt ne scilicet dogmatum exercita cognitio propter consuetudinem vulgo fieret despicabilis. Nam aliud est dogma, aliud prædicatio. Dogmata enim silentur, prædicationes publicantur. Est autem & quædam silentij species ipsa Scripturæ obscuritas, sententiam dogmatum intellectu difficilem reddens, idq; ad legentium vtilitatem.

Hactenus ille Magnus Basilius, longè sanè aliter, quàm vilis Scultetus, ratiocinans; longè profectò meliùs, quàm Minister Caluinista, sapiens. Nam duo probat, quæ Dionysius in suis libris obseruauit: vnum, ne mysteria euulgaret; alterum, vt stili obscuritate illa communiret. Non opus est quidem in re tam clarâ, tam testatâ, pluribus testimoniis: aliquod tamen è Latinis, ne fortè desideretur, hîc subiicio: nempe S. Ambrosij, è libro De iis qui mysteriis initiantur, cap. 1. *Nunc de mysteriis*, inquit, *tempus dicere admonet, atque ipsorum Sacramentorum rationem edere: quam ante Baptismum si putassemus insinuandum nondum initiatis, prodidisse potiùs quàm edidisse æstimaremur.*

Huc etiam facit (quod pænè præterieram) Septuaginta Interpretum in vertendis ex Hebræo Prophetis affectata, Hieronymo teste, obscuritas. Nam Epistolâ 117. *Vnde conijcio*, inquit, *noluisse tunc temporis Septuaginta Interpretes fidei suæ sacramenta perspicuè Ethnicis prodere, ne sanctum canibus, & margaritas porcis darent. Quæ, cùm hanc editionem legeritis, ab illis animaduertetis abscondita.* Ita Hieronymus.

Et ante hos omnes egregiè Origenes Homiliâ 1. in Ezechielem, *Confiteor*, inquit, *libenter, à sapiente fideli viro dictam sententiam, quam sæpè suspicio:* DE DEO ETIAM VERA DICERE, PERICVLVM EST. *Neque enim ea tantùm periculosa sunt, quæ falsa de eo dicuntur, sed etiam quæ vera sunt, & non opportunè proferuntur, dicenti periculum creant. Margarita vera est*, &c. Et quia ratio ipsa naturalis docet, quemadmodum non omnes omniũ sunt capaces, ita nec omnibus ingeniis omnia scriptorũ genera esse committenda aut permittẽda (futura alioqui non paucis fraudi, non emolumento) hinc & profani Philosophi, interque illos Plato & Porphyrius, & alij, dogmata veritatis abstrusiora, vel mysteria magis recondita, in vulgus efferri haud imprudenter vetuerunt. Quare Sculetus in eo quòd Dionysium reprehendit, manifestè & contra rationem, & contra omnem Philosophiam, & contra sacram Scripturam facere conuincitur. Ac si argumentum quidem eius valeret, sequeretur, nonnulla quoque S. Pauli dicta, ea nimirum quæ eidem Timotheo cum solis doctis communicanda tradidit, non esse, aut parum certè esse Apostolica. *Quæ audisti*, 1. Tim. 2. 2.
inquit, *à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*

Duodecima & postrema Sculteti ratio est ista. *Postremò*, inquit, *prodit se satis manifestè in fine Hierarchiæ Ecclesiasticæ, vbi inquit: Sancti Præceptores nostri ex pristinâ traditione edocti ad nos deriuarunt.*

Et hæc quoque ratio valdè oscitanter ab eo producta est. Debuisset enim Scultetus, & quâ de re ibi sermo esset aperire, & quo modo verba Dionysij aliter explicari non possent, ostendere; ac denique quàm certò id, quod vellet, concluderetur, commonstrare: quorum homo socors nihil fecit. Agt ergo ibi Dionysius de Baptismo paruulorum, docetque, traditione Apostolorum licere paru los baptizare. Nec enim dubium, quin, Circumcisione iam ablatâ & abolitâ, quæsitum fuerit ab Apostolis, quid pueris atque infantibus (vt solent multi in tenellâ illâ & rudi ætate intermori) ad salutem facto opus esset; Baptismúsne illis adhibendus, & quo modo: respondisse autem Apostolos, & tradidisse (vti docet Dionysius) illos esse baptizandos, maximè in mortis periculo. Ista autem traditio vocata est ab Auctore nostro ἀρχαία παράδοσις, hoc est, *prima* seu *primigenia traditio*. Nam cùm ἀρχαῖος plura significet, eius significationes pro subiectâ materiâ capiendæ sunt. Inter alia verò (quod vel è Lexicis addisci potest) sicut ἀρχὴ *principium*, ita ἀρχαῖον *primum* significat, non modò *vetus* aut *antiquum*. Potest enim aliquid esse primum, nec tamen vetus aut antiquum; & item antiquum, & non esse primum. Verba igitur Dionysij de Baptismo paruulorum loquentis sunt ista: Περὶ τούτου ταῦτά φαμεν, ἅπερ οἱ θεοειδεῖς ἡμῶν ἱεροτελεσταὶ πρὸς τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως εἰς ἡμᾶς προήγαγον. *De illo hæc dicimus, quæ diuini initiatores nostri à primâ edocti traditione ad nos prouexerunt.*

Ista porrò verba, θεοειδεῖς ἱεροτελεσταὶ, *Dei-*

Deiformes seu *diuini initiatores*; & quæ paulò inferiùs; θεῖοι καθηγεμόνες,*diuini duces*, nullis meliùs competunt quàm Apostolis, ac proptereà de illis interpretatus est sanctus Maximus in Scholiis ad hunc locum. Possent tamen etiam intelligi de sancto Hierotheo (qui etiam Dionysij præceptor fuit) & de aliis Hierothei æqualibus, seu etiam de Euangelistis Lucâ & Marco, aut de aliquibus è numero septuagintaduorum discipulorum, è quibus citat Dionysius sanctum Iustum cap. 11. de Diuinis nominibus. Vnde & sanctus Maximus beati Dionysij colligit antiquitatem.

Si igitur per illos diuinos duces & initiatores intelligantur Hierotheus, Iustus, Antipas, & similes, rectissimè dicentur illi à primâ traditione edocti, hoc est, à traditione Apostolorum: nec opus erit ad Christum vsque recurrere. Sin ipsi intelligantur Apostoli, tum edocti dicentur à primâ traditione, hoc est, à Christo, qui ipsos post resurrectionem suam, vt de multis aliis, sic & de Baptismo plenè edocuerit. Nam traditio non de rebus tantùm antiquis dicitur, sed etiam de nouis: ita vt noua Christi præcepta & documenta Apostolis tradita, illo etiam ipso tempore quo tradebantur, rectè vocarentur traditiones. Vnde & Paulus 2. Thessal. 2, 14. *Itaque fratres*, inquit, *state & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Quæ quidem traditiones non poterant esse tam antiquæ, quàm illæ de quibus loquebatur Dionysius.

Hactenus de Sculteti obiectionibus. Nunc ad alia quædam quæ ab aliis opponuntur aut opponi possunt, nonnihil attendamus.

Dicunt ergo nonnulli, parum probabile videri, tempore sancti Dionysij Areopagitæ, qui conuixit Apostolis, tantam fuisse cærimoniarum in Ecclesiâ multitudinem, quanta ab auctore horum librorum adducitur.

Quibus ego respondeo, non satis videri ab illis examinatum esse atque perpensum, neque numerum earum cærimoniarum, neque qualitatem; imò nec Apostolorum circa illas officij debitum atque curam. Nam ad eos certè spectauit, abolitis veteribus sacrificiis atque ritibus & cærimoniis, alia sacrificia, ritus & cærimonias vel à Christo instituta procurare vt fieret, vel suæ relicta dispositioni, præsertim quod ad ritus cærimoniasque attinet, instituere. Nec enim tam benè constare, tantique fieri res sacras absque cærimoniis, quàm cum illis, tam ex ipso vetere Testamento, quàm ex Spiritus sancti vnctione (qui ipsos omnia docuit) probè didicerant. Et de earum multitudine quid frustrà & immeritò arguimur? cùm numero ferè innumero plures in veteri Lege per vnum Moysen, quàm in nouâ per duodecim quatuordecimve Apostolos constitutæ sint. Neque tamen illum tam familiariter cum Angelo versatum esse crediderim, quàm hos cum Christo: neque tantâ item Spiritus sancti gratiâ, quàm eosdem, fuisse perfusum.

Adde porrò, eas cærimonias, quæ à Dionysio descriptæ sunt, esse numero perpaucas, & aliquorum dumtaxat Sacramentorum, non omnium, & eas quidem, vt illis initiis, perbreues & perfaciles: vt Venerabilis Eucharistiæ, & sacrorum Ordinum; quibus non paucæ postmodum à variis Pontificibus seu Episcopis diuersorum locorum additæ sunt, quemadmodum in pluribus sanctorum Antistitum Liturgiis & Ritualibus libris videre est.

Denique omnes à Dionysio recensitos ritus (nam contemplationes, siue eorum explicationes, ab iis secernendæ sunt) facilè vel vno foliolo comprehenderis. Nam Baptismi quidem ritus duas dumtaxat pagellas implent; Eucharistiæ verò, vnicam; Vnctionis autem, vix ac ne vix quidem mediam: trium porrò Ordinum, Episcopi, Sacerdotis, & Diaconi, mediam tantùm; consecrationis Monachi, nihilo plus; ritus exequiarum, tantumdem: ita vt quinque pagellis omnes à Dionysio prolatas cærimonias, de quarum interim multitudine tot passim iactantur conuitia, nullo negotio concluseris. Nec enim alias aut cærimonias aut ritus, præter ea quæ commemoraui, liber ille Dionysij continet. Atque vt ad ipsarum qualitatem cærimoniarum veniamus, atque à Baptismo ordiamur, earum quidem sanè, quæ præ aliis recentes videri possent, antiquissimi Patres meminerunt, nempe abrenuntiationis, exorcizationis, exsufflationis, vnctionis, & pro infantibus etiam sponsionis: hæc enim ferè sunt quæ hæretici contemnunt, irrident, cauillantur; & quibus probatis, velint nolint, causâ cadunt.

Audiatur ergo Tertullianus, quid de abrenuntiatione & de quibusdam aliis Baptismi referat cærimoniis. Libro de Coronâ militis, cap. 3. *Denique*, inquit, *vt à Baptismate ingrediar: Aquam adituri,*

ibidem, ſed & aliquanto priùs, in Eccleſiâ ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renuntiare diabolo & pompæ & angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes quàm Dominus in Euangelio determinauit: inde ſuſcepti, lactis & mellis concordiam prægustamus, &c. Audiatur & Origenes Homiliâ 12. in Numeros. *Recordetur*, inquit, *vnuſquiſque fidelium, cùm primùm venit ad aquas Baptiſmi, cùm ſignacula fidei prima ſuſcepit, & ad fontem ſalutaris acceſſit, quibus ibi tunc vſus ſit verbis, & quid renuntiauerit diabolo, non ſe vſurum pompis eius, neque operibus eius*, &c.

Si plures libet audire, adeantur iſti, Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi myſtagogicâ primâ, Baſilius Magnus libro de Spiritu ſancto, cap. 27. Ambroſius libro 1. de Sacramentis, cap. 2. & lib. 2. c. 7. Chryſoſtomus Homiliâ 21. ad populum Antiochenum, Hieronymus in cap. 6. Amos, Auguſtinus l. 1. de Symbolo ad Catechumenos, c. 1. & alij.

Quia verò beati Cyrilli verba doctrinæ & verbis ſancti Dionyſij Areopagitæ admodum ſunt conformia, non pigebit illa hîc referre. Sic igitur habent: Εἰσήειτε πρῶτον εἰς τὸ προαύλιον τοῦ βαπτιστηρίου οἴκον, καὶ πρὸς τὰς δυσμὰς ἑστῶτες ἠκούσατε καὶ προσετάττεσθε ἐκτείνειν τὴν χεῖρα, καὶ ὡς παρόντι ἀποτάττεσθε τῷ σατανᾷ. *Primò ingreſſi eſtis in porticum domus baptiſterij, & ſtantes verſus Occidentem audiſtis & iuſſi eſtis manum extendere, & tamquam præſenti abrenuntiare ſatanæ.* Vide ibi plura de verbis abrenuntiationis, & de conuerſione ad Ortum, & pronuntiatione Symboli, & aliis, quæ omnia doctrinam ſancti Dionyſij veram & Apoſtolicam confirmant.

De exorcizatione & exſufflatione, quæ pariter & iunctim procedunt, eadem eſt ratio, idem SS. Patrum ſenſus, idem iudicium. Vide eumdem Cyrillum in Procatecheſi, ſiue Præfatione ante Catecheſes, & priorem illo S. Cyprianum epiſt. 76. ad Magnum, de baptizandis Nouatianis, ſub finem, & Nazianzenum Oratione In ſanctum lauacrum, & pro multis vide ſanctum Auguſtinum libro 6. Contra Iulianum, cap. 5. *Eccleſia*, inquit, *filios fidelium nec exorcizaret, nec exſufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum & à principe mortis erueret. Quod in libro meo, cui velut reſpondes, à me poſitum eſt: ſed id tu commemorare timuiſti, tamquam ipſe ab orbe toto exſufflandus eſſes, ſi huic exſufflationi, quâ princeps mundi & à paruulis eijcitur foras, contradicere voluiſſes.* Quâ ſententiâ etiam Scultetus ſanè iudicatur exſufflandus.

Vide eumdem Auguſtinum libro 2. ad Valerium cap. 17. ſed præcipuè c. 29. vbi exorcizandi & exſufflandi cærimonias docet eſſe in Eccleſiâ antiquiſſimas. *Neque enim*, inquit, *ex quo eſſe cœpit Manichæi peſtilentioſa doctrina, ex illo cœperunt in Eccleſiâ Dei, paruuli baptizandi exorcizari & exſufflari.* quaſi dicat, ſed multis retrò ſæculis, cùm prima origo niſi ex Apoſtolicâ traditione oſtendi poſſit. Et paulò inferiùs ibidem poſt citatum Cyprianum & Ambroſium, ſic ait: *Hos iſte audeat dicere Manichæos, & antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem iſto nefario crimine aſpergat, quâ exorcizantur, & vt dixi, exſufflantur paruuli, vt in regnum Chriſti à poteſtate tenebrarum, hoc eſt, diaboli & angelorum eius eruti, transferantur.*

Iam de vnctione in Baptiſmo multi quoque veterum Patrum meminerunt: è Græcis quidē S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi myſtagogicâ 2. & 3. Chryſoſtomus Homiliâ 6. in Epiſt. ad Coloſſenſes, & alij: è Latinis autem Tertullianus lib. de Baptiſmo, cap. 7. Ambroſius lib. 1. de Sacramentis, c. 2. Auguſtinus Serm. 206. de Tempore, & alij.

Verba Cyrilli: Εἶτα ἀποδυθέντες ἐλαίῳ ἠλείφεσθε ἐπορκιστῷ ἀπ' ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω. *Deinde exuti, oleo peruncti eſtis exorcizato, à ſummis capitis capillis, vſque ad ima.*

Verba Chryſoſtomi: Ἀλείφεται, ὥσπερ οἱ ἀθληταὶ εἰς στάδιον ἐμβησόμενοι. *Vngitur, vt athletæ ſtadium ingreſſuri.* Et paulò pòſt addit, baptizandum aliter, quàm olim Sacerdotes, vngi; eò quòd baptizandus vngatur per totum corpus, illi autem tantùm in capite, & aure dexterâ, & manu.

Tertulliani verba: *Exinde digreſſi de lauacro perungimur benedictâ vnctione de priſtinâ diſciplinâ, quâ vngi oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant.* Alia teſtimonia omitto, vt quæ cunctis in promptu.

De Sponſoribus autem idem Tertull. libro iam citato cap. 18. *Itaque*, inquit, *pro cuiuſque perſonæ conditione ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio Baptiſmi vtilior eſt; præcipuè tamen circa paruulos. Quid enim neceſſe eſt, ſi non tam neceſſe, ſponſores etiam periculo ingeri? qui & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & prouentu malæ indolis falli.* id eſt, cùm tanta non ſit neceſſitas accelerandi paruulorum Baptiſmum, & is differri poſſit, nullo ſcilicet vrgente mortis periculo, quid neceſſe

necesse est eorum sponsores seu susceptores periculo obiici, ne cùm pro illis spoponderint, fidem non seruent, nec eos, vt promiserunt, instituant, curamque salutis ipsorum gerant?

Post Baptismi ritus in medio positos & mysticè declaratos aggreditur Dionysius cap. 3. ad ritus Eucharistiæ seu Sacrificij. Sunt autem nec multi, nec ab illo æuo alieni: cùm & ab aliis antiquissimis Patribus eorum fiat mentio, vt iam anteà vsitatorũ, non autem vt recentissimè vsurpatorum. Vixit S. Iustinus Philosophus & Martyr secundo Christi sæculo, & istorum rituum in Apologiâ ad Antoninum Pium Imper. & filios commeminit. Edidi illos Græcè & Latinè ad eius Vitam; quare hîc omitto.

Sed Scultetum, verbis Dionysij contra ipsum Dionysium & matrem Ecclesiam improbè abutentem, quin suismet ipsum armis confodiam, omittere non possum. Certat enim ille ex eodem cap. 3. libri de Ecclesiasticâ Hierarchiâ deducere, Christum non esse verè præsentem in venerabili Eucharistiâ, sed tantùm figuratè & symbolicè, & his vtitur verbis: *Quiscumque autem Dionysius iste fuerit, antiquus fuerit necesse est: quod ipsa Ecclesiasticæ ordinationis forma docet, in quâ illud obseruatione dignum, quam Ecclesiæ orthodoxæ* [sic honorat suam Caluini synagogam Minister Caluinisticus] *de Eucharistiâ sententiam tuentur hodie, etiam Dionysij huius ætate, citra controuersiam, Apostolicam fuisse iudicatam.*

Dicit ergo Scultetus, Dionysium esse antiquum auctorem: nec hoc tantùm, sed etiam id, quod de Eucharistiâ docet, citra controuersiam esse traditionem Apostolicam. Concedo illi vtrumque & perlibenter. Verùm quòd eamdem vult esse suam & Dionysij doctrinam, id sine pugnâ non conceditur: imò & stat occumbere potiùs, quàm concedere. Quamuis autem nullum hîc à tam leuibus & plumeis (non enim dicam plumbeis, licet sint absque acumine) telis ac sagittis, velut puerili emissis manu, vel minimi vulneris sit periculum, nedum grauis plagæ aut mortis; tamen ne aliquid sibi effecisse videatur, eorum propalabo vanitatem.

Igitur telum eius primum, siue argumentum est hoc: *Totam actionem cœnæ sacræ nominat* (Dionysius) *ἱερουργίαν συμβολικὴν, sacram actionem symbolicam*, ergo non est ibi præsens Christus.

Respondeo, Dionysium in ipso initio capitis tertij de Ecclesiasticâ Hierarchiâ agere de appellatione huius Sacramenti, & totius actionis, & dicere, vocari illam *κοινωνίαν τε καὶ σύναξιν, Communionem & Synaxin*, & quidem eius appellationis rationem reddere, ac nullis frequentiùs quàm istis in hac materiâ vti vocabulis: semel dumtaxat, idque extremo illo capite, appellare *ἱερουργίαν συμβολικὴν, sacram actionem symbolicam*; quo pacto vocatur omnis actio, quæ non est clara & euidens, sed tecta signis aliquibus, ita vt videri & intelligi absque fide aut signorum explicatione non possit. Quarum actionum aliquæ sunt purè symbolicæ, aliæ mixtæ. Purè symbolicæ sunt, quæ in se non continent id quod significant. Mixtæ autem sunt, quæ continent id quod significant. Itaque confectio huius Sacramenti est symbolica mixta, continens scilicet id quod significat, siue constans symbolis & signis, sed veritati coniunctis; veritati inquam, hoc est, Christo. Hinc & signa ipsa, quæ integrum vnà cum Christo subtus delitescente Sacramentum conflant, vocat Dionysius, ipso fatente Sculteto, *τὰ ἀμφιέσματα συμβολικῶς τοῦ Χριστοῦ περικείμενα, vestimenta symbolicè Christo circumposita.* Cedò igitur iam Scultete: Ista vestimenta in illâ sacrâ actione, præsentiáne sunt, an non? Præsentia, inquis. Et Christo etiam circumiecta, an non? Iam, inquis, confessus sum. Benè habet. Igitur & Christus est præsens. Nec enim, si præsentia vestimenta cuipiam circumiecta coràm spectentur aut circumposita, alteri quàm præsenti circumiecta esse possunt. Fateri, inquis, necesse est. Quare ergo huic nostræ doctrinæ tuis in scriptis contradicis? cur non relictâ cœnulâ tuâ è solo pane & vino, ad magnam cœnam inuitatus accedis? *Homo enim quidam fecit cœnam magnam, & inuitauit multos.* Verum illud quidem, ais, sed ego vxorem duxi, & propterea non possum venire. Quomodo venire non potes? Ad siccum panem venire potes, ad Agnum non potes? Nescis, quòd repletio panis pessima, esus autem Agni optimus? & illius Agni, qui tollit peccata mundi? & illius Agni, qui dicit: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouißimo die.*

Sed ad Dionysium redeamus, qui non modò per verba superiùs posita indicat, in illo Sacramento præsentem esse Christum, sed etiam per inuocationem illius, tamquam ibi præsentis, certum id & exploratum facit. Verba enim eius sunt hæc: *Sed ô tu diuinißimum atque sacrosanctum Sacramentum, circumiacentia tibi symbolicè ænigmatum velamenta detegens, perspicuè nobis ostenditor, & mentis nostræ oculos singulari atque inopertâ luce perfundito.* Quæ inuocatio, si solus ibi esset panis, sine vitâ, sine sensu, sine intelligentiâ (vt Sculterus & Caluinistæ volunt) sanè perquam aliena & inconueniens foret: secundùm nos autem, qui Christi in eo mysterio præsentiam agnoscimus & docemus, aptissima est & conuenientissima. Quæ Christi præsentia etiam sub eiusdem capitis tertij finem confirmatur, vbi Dionysius postquam egit de diuisione ac distributione Sacramenti, quæ fit à Pontifice, tum ita subdit: Διαγράφει γὰρ ἐν τούτοις, αἰσθητῶς ὑπ' ὄψιν ἄγων Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν, τὴν νοητὴν ἡμῶν, ὡς ἐν εἰκόσι, ζωήν. *Describit enim in his, modo quodam sensibili sub aspectum adducens Iesum Christum, spiritualem nostram velut in imaginibus vitam*, &c. Sic superiùs in descriptione ipsius consecrationis dixerat: Καὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων. *Et postquam sacras Dei actiones laudauit Pontifex, conficit diuinißima, & sub aspectum ducit iam laudata, per sanctè proposita symbola*, id est, postquam memorauit quod Dominus in vltimâ cœnâ gessit, siue postquam hæc aut similia verba, Christi actionem referentia, pronuntiauit: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, deditq́, discipulis suis dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes*, tum conficit diuinissima, id est, consecrat, siue, verba ista consecrationis pronuntiat: HOC EST ENIM CORPVS MEVM. *Et sub adspectum ducit iam laudata*, id est, Hostiam consecratam ostendit populo, siue Christum, seu Christi corpus, *per sanctè proposita symbola*, id est, per apparentes & externas Sacramenti species (nec enim Christus nisi mediâ hostiæ consecratæ albedine conspicitur) spectandum populo exhibet. Et hunc esse sensum, patet ex eo, quòd ista subobscuriùs dicta, ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων, postmodum in ipsâ Contemplatione seu Expositione clariùs & breuiùs explicat istis verbis iam suprà positis: Αἰσθητῶς ὑπ' ὄψιν ἄγων Ἰησοῦν τὸν Χριστόν. *Sensibiliter sub aspectum ponens Iesum Christum. Sensibiliter*, id est, per signa sensibus obiecta; sub quibus signis, vti velamentis aut vestimentis, subsistit Christus.

Vrget denique Scultetus, panem & vinum vocari à Dionysio σύμβολα, εἰκόνας, & alia eiusdem sortis, sicque nihil aliud quàm aërem verberat. Cùm autem vult intelligi, nihil in Sacramento esse aliud quàm panem & vinum, ac pro suâ peruersâ opinione Maximum & Pachymeram citat, improbè profectò ac perfidè se gerit, vt clarè ostensum venio. Dicit igitur: *Et consentiunt hoc loco fidelißimi interpretes Dionysij* (vtinam autem eorum sequeretur fidem, quos appellat fidelissimos!) *Pachymeras Paraphrastes & Maximus Scholiastes, Græcus vterq;. Sic enim Maximus cap. 3. Eccles. Hierar.* Σύμβολα ταῦτα, καὶ οὐκ ἀλήθεια. Sic ille.

Respondeo, verum esse, illa verba habere S. Maximum, sed longè alio sensu quàm velit Scultetus. Nam dicit illa signa, quæ tantùm extrinsecus parent, signa esse & non veritatem: quod & nos dicimus. Illa enim quæ extrinsecus parent, signa tantùm sunt & non veritas: sed quod sub signis est, veritas est, & non signum: Christi caro est, & non panis; Christi sanguis est, & non vinum.

Et quia Scultetus caninâ inuerecundiâ Pachymeræ ausus est mentionem facere, proferam ipsa viri verè Catholici verba, quæ habet in mysterio Synaxeos proximè ante Θεωρίαν siue Contemplationem. Sunt igitur hæc: Καὶ πολλοὶ μὲν εἰς μόνα τὰ θεῖα περιακύπτουσι σύμβολα· ἅτε μὴ δυνάμενοι ὑψηλότερόν τι ἐννοῆσαι· αὐτὸς δὲ ὁ ἱεράρχης πρὸς ἐκεῖνα τὰ πρωτότυπα, αὐτὸ τὸ τοῦ Κυρίου τίμιον σῶμα καὶ αἷμα ἀνάγεται, πιστεύων ὅτι καὶ τὰ προκείμενα εἰς ἐκεῖνα μετεβλήθησαν, τῷ ἁγίῳ καὶ παντέργῳ Πνεύματι. *Et multi quidem ad sola diuina respiciunt signa, tamquam nihil valentes intelligere sublimius: at verò Pontifex ad ipsa prototypa, ipsum Domini pretiosum Corpus & Sanguinem erigitur, credens ea, quæ proposita sunt, in illa esse trãsmutata, virtute sancti & omniũ opificis Spiritus.* Ecce igitur Pachymeras, diligentissimus, ipso teste Sculteto, Dionysij interpres clarè & apertè dicit *proposita*, hoc est, panẽ & vinum, in pretiosum Domini Corpus & Sanguinem esse transmutata. Quare horum alterutrum fuisse in Sculteto necesse est, aut cæcitatem mentis admirabilem,

bilem, si ista non vidit; aut impudentiam intolerabilem, si vidit. Quippe qui tam manifestè Auctorem contra se facientem pro se citauerit.

Quanta porrò illi homini fides habenda sit, vel hinc eius addiscant discipuli.

Ex eadem cæcitate & furore in Romanam Ecclesiam, post illa S. Maximi verba, Σημείωσαι, ὅτι οὐ μόνον ὁ ἅγιος ἄρτος κεκαλυμμένος προετίθετο, ἀλλὰ καὶ τὸ θεῖον ποτήριον, ὅπερ νῦν οὐ γίνεται: *Nota, quòd non solùm sanctus panis obtectus proponebatur, sed & diuinum poculum, quod iam non fit:* hæc subiunxit Scultetus: *Cur verò*, inquit, *Maximi tempore idem non fiebat? Nimirum quia βδέλυγμα Antichristi iam Sedem Romanam occupauerat*. Sic ille. Quasi verò res Catholicæ in eo consistant, vt vel hoc vel illo modo calix in altari proponatur, obtectus aut non tectus. Quid hoc ad substantiam facit Sacramenti? Cærimonias enim, quæ sunt præter substãtiam & necessitatem, quis nescit (nisi valdè stupidus sit & excors) sine vllo salutis & fidei incommodo non tantùm mutari & variari, sed etiam omitti ex Pontificum & Episcoporum dispositione & prudentiâ posse? Sed nimirum Sculteto nimis malè affecto bilis egerenda erat. Vtinam tota egesta sit, & viuat!

Nunc pro corollario in gratiam Theologorum ponam in medio, quàm variis modis hoc venerabilis & sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum efferatur à sancto Dionysio Areopagitâ, cap. 3. Ecclesiasticæ hierarchiæ.

NOMINA
VENERABILIS EVCHARISTIÆ
APVD DIONYSIVM AREOPAGITAM.

Τελετὴ τελετῶν,	*Sacramentum sacramentorum.*
Ἁγιοτάτη τελετὴ,	*Sanctissimum Sacramentum.*
Θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετὴ,	*Diuinissimum & S. Sacramentum.*
Θεία τῆς συνάξεως τελετὴ,	*Diuinum Synaxeos sacramentum.*
Σύναξις,	*Synaxis.*
Κοινωνία,	*Communio.*
Τῶν ἱερῶν κοινωνία,	*Sacrorum cõmunio.*
Θεαρχικὴ κοινωνία,	*Diuinissima communio.*
Θεαρχικὰ μυστήρια,	*Diuinissima mysteria.*
Θειοτάτη Εὐχαριστία,	*Diuinissima Eucharistia.*
Τὰ θειότατα,	*Diuinissima*, absolutè.

Ipsa autem actio sacra seu consecratio vocatur ibidem ἡ τῶν θείων ὑπερκόσμιος ἱερουργία, *diuinorum supermundana operatio* seu *rei diuinæ cæleste sacrificium*; & παναγεστάτη ἱερουργία, *longè sanctissimum sacrificium*; & ἱερουργία συμβολικὴ, *sacra actio symbolica*, vt suprà exposui. Atque ista de hoc Sacramento, eiusque ritibus satis.

Proximum illi apud Dionysium iungitur mysterium ritus vnguenti, quod mediâ pagellâ continetur, & meram sapit antiquitatem. Vide illud inter Documenta nostra, & dignare eo esse contentus. Nihil enim peculiare video contrà obiici, præter id quod decimâ Ratione ab Abrahamo Sculteto obiectum, atque in eius caput directè retortum est, vt suprà videri potest. Transeo igitur ad caput 5. Dionysij, De sacris ordinibus. Ritus ergo qui de illis à Dionysio traduntur, tam breues, tam simplices & tam concinni sunt, vt apertè clament, atque etiam conuincant ab Apostolorum se esse temporibus. Episcoporum ibi dumtaxat & Sacerdotũ & Diaconorum fit mentio, & horum quidem singulorum Ordinum succincta ordinationis forma traditur, quæ hodieque à Græcis Catholicis obseruatur, & in ipsâ vrbe Româ ac primæ sedis conspectu etiamnum (vt mihi testes oculati narrarunt) vsurpatur. Hinc nihil contra productos ibi ritus neque à Catholicis neque ab hæreticis immurmuratur. Itaque nulla hîc mora. Progredimur vlterius.

Duo nunc tantùm restant capita, quorum prius est de Monachis, alterum de exequiis. Et contra has & contra illos armantur hæretici. Pro vtrisque igitur pugnandum singillatim.

De Monachis tempore S. Dionysij Areopagitæ, qui qualésve fuerint.

VNde nonnulli Scripta sancti Dionysij infirmare se posse arbitrati sunt, inde ego illa confirmare, & propria suo auctori facere quàm maximè spero. Nam illi errore sanè abrepti sunt, rati tales ibi Monachos memorari, quales vel olim in siluis & montibus, vel nunc in cœnobiis & monasteriis cerni solent. Non ita res se habet. Magnum inter vtrosque est discrimen. Et valdè à vero deerrauit Iosephus Scaliger, cùm existimauit Dionysium de eremitis aut cœnobitis, quales Pauli Antoniíve sæculo fuerunt, sermonem facere. Vnde & aërem verberat, cùm hæc scribit in Elencho: *Ante Paulum nullus eremita fuit, nulli κοινόβιοι μονάζοντες* in

in Christianismo. Eos sanè non tacuissent, quotquot à Iustino Martyre viri Ecclesiastici ad Cyprianum vsque scripserunt. Neque tot examina Monachorum potuerunt esse, quin (vt Tertullianus loquitur) aliquam cõtesserationem cùm Ecclesiis atque Episcopis haberent. Denique multa de illis apud Scriptores Ecclesiasticos testimonia extarent. At nulla extant. Et vetustissimus Scriptor Tertullianus satis aperit, suo æuo nullos eremicolas fuisse. Non sumus, inquit, siluicolæ & exules vitæ. Monachatus igitur ignotum vitæ propositum prisco Christianismo. Ita ille. Quibus ex verbis satis intelligitur, eum confundere eremitas & cœnobitas Antonianos aut similes, cum Monachis & Therapeutis S. Dionysij, ac proinde valdè oscitanter legisse Dionysium, nec discrimen vllum expendisse. Dionysius enim de eremitis & cœnobitis ne μῦ quidem. De monachorum item examinibus nullam cum Episcopis contesserationem habentibus ne verbum. Immò verò docet, Monachos populi vrbani partem fuisse: docet, à Sacerdotibus erudiri & consecrari solitos: docet, perfectioris vitæ Episcoporum, suâ pietate ac sanctimoniâ, æmulatores extitisse: docet, Monachos dictos, non quòd soli habitarent, sed quòd vitam singularem & curarum terrenarum expertem (quà quidem fieri posset) vniq; Deo intentam agitarent: docet, dictos etiam θεραπευτὰς ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ καθαρᾶς ὑπηρεσίας καὶ θεραπείας, *Therapeutas à puro Dei famulatu & cultu appellatos.* Atqui tales Monachi, qui pars populi essent, & inter laicos recenserentur & degerent, qui non tantùm Episcopis, sed etiam Sacerdotibus subessent, qui vel priuatim in ædibus suis, vel communiter in Collegiis vitam puram & castam ducerent, quibus denique in templo primus inter laicos locus & ordini Ecclesiastico proximus esset assignatus (vti ex Epistolâ ad Demophilum liquet) tales, inquam, Monachi, neq; Antonij tempore, neque pòst leguntur extitisse; itaque priùs. Atque ex hoc ego fortissimum duco argumentum pro libris Dionysij: quòd scilicet illorũ meminerit Monachorum, de quibus tertio sæculo, & post illud nulla deinceps facta sit mentio: nempe quia primo tantùm & secundo istud viguerit institutum. Vnde autem sumptum? Certè ex Euangelio & ex Apostolorum epistolis: vbi vitæ Christianæ perfectio continetur & commendatur, siue, cùm Christus quærenti de vitâ æternâ adolescenti respondit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.* Et cùm discipulis dixit: *Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* Siue cùm Paulus ad castimoniam adhortans ait: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Ex illo enim tempore, velut audito perfectioris vitæ classico, & Apostolicâ castitatis tubâ cunctorum auribus insonante, plurimi ad castimoniam & vitæ puritatem à sæcularium negotiorum tumultu secretam adspirauere. Quam qui externo habitu & professione certam faciebant, Monachi vel cultores appellabantur; alij autem tantùm cælibes. Et horum quidem cælibum in vtroque sexu non paucorum meminerunt secundi sæculi Scriptores, vt notaui ad Vitam S. Iustini Philosophi. Priorum autem, siue Monachorum (quia scilicet nihil Gentilium intererat, cõtra quos scribebant, eos nosse vel tales ritus scire) non meminerunt. Nam satis habebant ostendere, Christianos non esse impuros & incestos, quemadmodum ipsi eos criminabantur. Ritus autem consecrandi Monachum, vt illo tempore, hic est: Sacerdos ante altare certas precationes pro consecrando, qui post illum rectus stat, ad Deum spargit: quibus finitis, ad eum, qui consecrandus est, conuersus petit, an rebus & curis sæcularibus nuntium remittat? oportere enim ipsum vitam reliquo populo perfectiorem instituere: quod professum formâ Crucis signat, tondetq; inuocatâ sanctissimâ Trinitate, & veteri exutum veste, nouâ induit, salutat, & cum illo alij viri sacri, ac postremò sacrâ communione donat.

Matth. 19, 21 — 1. Cor. 7, 32.

En omnis ritus, propter quem, quasi illo sæculo recentiorem, tantæ scilicet aduersus scripta Dionysij turbæ concitandæ sunt. Quid verò vnum in his, quæ dicta sunt, assignari potest, quod ab initio non fuerit, aut esse non debuerit? An non oportuit eos, quibus inter congeneres laicos virtute excellendi studium fuit, quò & aliis prælucerent, ac velut faces ad sui imitationem accéderent, aliquo extrinsecus habitu & instituti sui demonstratione distingui? Nam & propterea variorum temporum ad hanc vsque ætatem successu, tot ac tam varij & habitu, & moribus & regulis distincti hominum religiosorum Ordines, non modò ad Ecclesiæ splendorem atque ornamentum, sed ad eiusdem permagnam quoque vtilitatem suscitati sunt. Quòd si bonum fuit, aliqua in populo velut luminaria

naria collucere, atq; ab aliis distingui; vbi melius magisque in promptu formari ea distinctio potuit, quam & in attonsione comarum (in quibus, præsertim apud Athenienses, apud quos primæ & antiquissimæ nobilitatis per implexas crinibus aureas cicadas arrogatæ, signa futilia eminebant) & in pompæ luxusque vestium depositione, vbi ferè hominum terrena & caduca sectantium vana se iactat insolentia? Ritus autem & cærimoniæ, quas Dionysius Athenis natus, & Athenis datus Episcopus refert, ibi potissimùm aut natæ aut corroboratæ meâ quidem sententiâ videntur. Accepisse enim à Paulo & Hierotheo, qui ibi prædicauerunt, & quos καθηγεμόνας, id est, duces suos & præceptores appellat, crediderim. Adde cærimo-
Num.6,14 niam tonsionis siue rasionis è vetere Testamento, sicut alias nonnullas, videri deriuatam: sed causam & significationem esse eam, quam hîc profert in Contemplatione Dionysius hisce verbis: Ἡ δὲ τῶν τριχῶν ἀπόκαρσις ἐμφαίνει τὴν καθαρὰν καὶ ἀσχημάτιστον ζωὴν, οὐκ ἐπιπλάστοις σχήμασι τὸ κατὰ νοῦν δυσειδὲς ἐπιθετικῶς καλλωπίζουσαν· ἀλλ' αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς οὐκ ἀνθρωπικοῖς κάλλεσιν, ἀλλ' ἑνιαίοις καὶ μοναχοῖς εἰς τὸ θεοειδέστατον ἀναγομένην. *Capillorum autem detonsio puram nec fucatam vitam declarat, non fictitiarum figurarum adiectione deformitatem mentis adornantem, sed ipsam in seipsâ, non humanâ, sed singulari & vnicâ pulchritudine, ad id quod diuinissimum est, adducentem.*

Nota item, de simplici tonsione loqui hîc Dionysium, non de tonsurâ, vt iam loquuntur, clericali aut monachali in coronæ modum, tametsi illa etiá antiqua (vnde & antiquitas horumce Scriptorum intelligitur) & per verba illa, ἐπιπλάστοις σχήμασι, *fictitiis figuris*, & ἐπιθετικῶς, *adiectitiè*, prorsus videri respicere ad comas Atheniensium, quas adiectis, vt dixi, aureis cicadis adornabant. De quibus cicadis ago pluribus in Notationibus ad Vitam sancti Hierothei. Ad vestis porrò mutationem quod attinet, ex imitatione descendit cærimoniarum Baptismatis, vti eodem loco insinuat S. Dionysius, dum sic scribit: Ἡ δὲ τῆς προτέρας ἐσθῆτος ἀποβολὴ, καὶ τῆς ἑτέρας λῆψις τὴν ἀπὸ μέσης ἱερᾶς ζωῆς ἐπὶ τὴν τελεωτέραν μετάταξιν ἐμφαίνει. Καθάπερ ἐπὶ τῆς ἱερᾶς θεογενεσίας ἡ τῆς ἐσθῆτος ἄμειψις ἐδήλου τὴν ἀπὸ καθαιρομένης ζωῆς εἰς θεωρητικὴν καὶ φωτιστικὴν ἕξιν ἀναγωγήν. *Prioris autem vestis abiectio & alterius assumptio traductionem significat à mediâ sacrâ vitâ ad perfectiorem. Quemadmodum in sacrâ regeneratione vestis mutatio, vitæ, quæ expiabatur, subuectionem ad statum contemplationis & illuminationis demonstrabat.* De tonsione denique Monachorum, siue eorum, qui perfectius ac sanctius viuendi genus profiterentur, quod dixi è vetere Testamento deriuatum, habeo mihi patrocinantem Isidorum Hispalensem Episcopum, lib. de Diuinis officiis, vbi hæc scribit: *Tonsuræ Ecclesiasticæ vsus à Nazaræis, ni fallor, exortus est, qui priùs crine seruato, denuò post magnam vitæ continentiam, deuotione completâ, caput radebant, & capillos in ignem sacrificij ponere iubebantur, scilicet vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent. Huius ergo exempli vsus ab Apostolis introductus est: vt qui diuinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei crine præciso innouentur.* Vide ibi plura. Neque viris tantùm fuit ille resecandorum crinium mos vsitatus, sed etiam feminis, iis nimirum, quæ rebus sæculi nuntium remittentes, sese Deo deuouerent, idq; primis sęculis, & ante B. Hieronymi tempora. Cuius moris in Syriâ & in Ægypto vsurpati meminit idem Hieronymus Epist. 48. ad Sabinianum. *Moris est*, inquit, *in Aegypti & Syriæ Monasteriis, vt tam virgo, quàm vidua, quæ se Deo vouerint, & sæculo renuntiantes, omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum Matribus offerant desecandum.*

Atque vt ostendamus, Magistri & discipuli, hoc est, Pauli & Dionysij documenta tam inter se, quàm cum Christi ipsius, vt supremi omnium Magistri, doctrinâ concordare, obseruandum est ex illorum dictis duplicem colligi iustorum, etiam laicorum, vitam: vnam indiuisam & vni Deo adhærentem, alteram diuisam & in varia distractam; & vtriusque quamdam velut imaginem in illis Christi verbis repræsentatam: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* ita vt in Marthâ designetur vita diuisa & sollicita curisque externis distracta, quæ & actiua solet appellari; in Mariâ autem simplex & indiuisa, & vni illi, quod est necessarium, intenta: & hæc est, quæ caret sollicitudine, & contemplatiua dicitur. Ad hanc posteriorem hortatur Paulus, cùm dicit: *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Quibus in verbis illam denuntiat vitam, quam Dionysius eius discipulus vocat ἀμέριστον καὶ ἑνιαίαν ζωὴν, indi-

indiuisam & singularem vitam, eò quòd scilicet ad diuinam vnitatem & Deo gratam perfectionem deducat (vt ibidem declarat) & quasi vnum cum Deo faciat. Cùm autem subdit idem Paulus, *Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est*, vitam significat diuisam & imperfectiorem, tamquam in multa distractam. Posteaquam igitur plures Pauli consilium secuti sunt viri feminæque, tum distingui eorum ordo, tamquam perfectior, à ceteris laicis, & vtrorumque paullatim institui collegia, tam Monachorum quàm Virginum, cœpta sunt. Vnde & initio secundi sæculi (quo tempore superstes adhuc erat Dionysius) Virginum (quod Philippis in Macedoniâ erat) collegium salutat beatus Martyr Ignatius. In Epistolâ enim ad eos missâ sic scribit: Ἀσπάζομαι τὸ σύστημα τῶν παρθένων. *Saluto collegium Virginum.* Et in Epistolâ ad Heronem Diaconum, dum salutari iubet Mariam, pudicissimam feminam, &, quæ in domo illius est, Ecclesiam, probabile est eum intelligere cœtum virginum, cuius illa fuerit moderatrix. De illâ Mariâ pluribus ago in Notationibus ad Epistolam quæ ab Ignatio ad illam missa est. Sicut ergo Virginum, ita & Monachorum fuisse cœtus seu collegia, minimè à vero alienum est, sed in vrbibus primùm, & quæ ab Episcopis & Presbyteris dependerent, vt è Dionysio patet.

Quare quod Scaliger è Tertulliano contrà afferebat, dicente, *Non sumus siluicolæ & exules vitæ*, nihil aduersum nos, nihil aduersus Dionysium facit: cùm is de Monachis intra vrbes habitantibus agat. Et tamen, quamuis etiam de Monachis in eremo degentibus egisset Dionysius, nihil contra nos propterea Tertulliani locus faceret. Agit enim ille de totâ natione Christianâ, quam dicit non vitare vrbes, non forum, non publicum, non cõmercia, &c. quod etiam nunc verum est, licet non pauci in eremo & solitudine degant. Sic sanctus Basilius Magnus, licet suâ ætate permultos sciret esse Monachos, seque adeò ex ipsorum aliquando fuisse numero, negat tamen hominem esse animal monasticum, hoc est, ex genere & naturâ suâ solitarium, sed ciuile & sociale: quemadmodum de Christianis Tertullianus antè dixerat. Basilij verba in Regulis fusiùs disputatis, responsione ad interrogationem 3. sunt hæc: Τίς οὖν οὐκ οἶδεν, ὅτι ἥμερον καὶ κοινωνικὸν ζῶον ὁ ἄνθρωπος, καὶ οὐχὶ μοναστικὸν, οὐδ' ἄγριον; *Quis igitur nescit hominem esse animal mite & sociale, at minimè soliuagum, minimeq; agreste?* Ex quo loco si quis vellet contendere, non fuisse sancti Basilij temporibus Monachos, an non meritò ridiculus censeretur? ita & qui è loco Tertulliani. Eius enim ibi scopus non erat alius, quàm vt homines Christianos non esse reip. inutiles comprobaret. Quod vt pateat, verba eius, vel quòd elegantia sint, apponam. Sic igitur in Apologetico c.42. *Sed alio quoque iniuriarum titulo postulamur, & infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes, eiusdem victus, habitus, instructus, eiusdem ad vitam necessitatis? Neque enim Brachmanæ aut Indorum Gymnosophistæ sumus, siluicolæ, & exules vitæ. Meminimus nos gratiam debere Domino Deo creatori. Nullum fructum operum eius repudiamus; planè temperamus, ne vltra modum aut perperàm vtamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, ceterisq; commerciis cohabitamus in hoc sæculo. Nauigamus & nos vobiscum, & militamus, & rusticamur, & mercamur: proinde miscemus artes, opera nostra publicamus vsui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus & de quibus viuimus, non scio.* Ita ille.

Quæ omnia non modò tunc vera erant, cùm longè pauciores, quàm posteà, essent Monachi eremicolæ, sed etiam nunc, cùm plurima in siluis & montibus examina sunt Monachorum, verissima censeri possunt. Quota enim est ista portio, quæ in siluis est, ad ceteros Christianos? De talibus tamen, vt dixi, non loquitur Monachis Dionysius, sed de vrbanis & eamdem cum reliquo populo Christiano Ecclesiam siue cœtum celebrantibus. Verùm de his abundè: nunc ad exequias defunctorum, quæ postremo loco inter cærimonias à Dionysio proferuntur.

De cærimoniis circa defunctos.

Non video autem, in omnibus, qui circa defunctos fiunt ritibus, quid vel reprehendi, vel non fuisse Dionysij Areopagitæ temporibus, comprobari possit. Cùm enim duo sint præcipuè in iis ritibus, quæ parum fortasse placeant hæreticis, vnctio scilicet, quam corporibus defunctorum adhibere perhibetur Pontifex, & pro eorumdem animabus ad Deum deprecatio; facile est ostendere, vtrumq; suam à temporibus Apostolorum antiquitatem verè meritoque arcessere. Nam vnctio quidem Iudæis & Christianis in veteri & nouo Testamẽto quàm vsitata & pietatis plena fuerit, declarat S. Mariæ Magdalenæ diligentia

gentia in comparandis & primo manè afferendis, ad vngendum Christi corpus quod resurrexisse nesciebat, vnguẽtis. Hoc igitur pietatis officium quò esset sanctius, & mysterij significantius (denotat enim, eodem teste Dionysio, eum, qui vngitur, legitimè certasse, & certando excessisse) ad Episcopos aut Sacerdotes translatum est. Iam verò precationum pro defunctis antiquissimam traditionem veterum Patrum, tam Latinorum quàm Græcorum, clamant & asseuerant testimonia. Tertulliani lib. de Coronâ militis, cap. 3. vbi inter cõsuetudines à traditione deriuatas etiam hanc ponit: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus.* Cypriani Epistolâ 66. vbi dicit Episcopos antecessores suos censuisse, *ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Vnde & subdit, pro Victore non offerendum, qui hoc fecerat. S. Cyrilli Ierosolymitani, Catechesi 5. mystagogicâ, ante medium, vbi refert quorum fiat memoria in sancto Sacrificio, & pro quibus offeratur, cuius hæc sunt verba inter alia: Εἶτα καὶ ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων ἁγίων Πατέρων καὶ Ἐπισκόπων καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμημένων [προσφέρομεν θυσίαν δηλαδὴ] μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας. *Deinde pro defunctis SS. Patribus & Episcopis, & pro omnibus simpliciter, qui inter nos antè dormiuerunt, maximum aduenire credentes animabus iis auxilium, pro quibus hæc offertur sancti & maximè horrendi Sacrificij propositi deprecatio.*

Vnde autem profluxerit, & quàm antiqua sit hæc pro defunctis precãdi in oblatione Sacrificij consuetudo, arbitror equidem non credendum huius æui aut proximi sæculi hæreticis, seu Sculteto, seu Kemnitio, seu istius farinæ cuilibet; sed ei potiùs, qui mille ducentis ante ipsos annis vixit, eoq; ampliùs, sancto, inquam, Ioanni Chrysostomo tantæ sanctitatis & eruditionis viro, vt isti vix digni sint eius lingere vestigia. Illi, inquam, in Pauli Epistolam ad Philippenses ita scribenti credendum est: Οὐκ εἰκῆ ταῦτα ἐνομοθετήθη ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων, τὸ ἐπὶ τῶν φρικτῶν μυστηρίων μνήμην γίνεσθαι τῶν ἀπελθόντων. Ἴσασιν αὐτοῖς πολὺ κέρδος γινόμενον, πολλὴν τὴν ὠφέλειαν. *Non temerè hæc ab Apostolis constituta sunt, vt in horrendis mysteriis memoria fieret eorum qui vitâ excesserunt. Quippe qui scirent magnum illis lucrum accedere, magnam vtilitatem.* Et rationem ibidem affert, quam illic vide.

Hactenus de cærimoniis à S. Dionysio Areopagitâ productis (nec enim ille plures habet) satis dictum videtur: & clarè quidem ostẽsum est, nullam esse, quæ non vel ad primum sæculum quo floruit Dionysius, vel ad secundum quo vitam sub Hadriano terminauit, referri possit, nec refelli possit. Non vidi porrò, nec visurum spero, qui tam clarè, tam distinctè argumenta nostræ partis, quæ pro Dionysij Areopagitæ scriptis attulimus, soluere possit, quàm nos ea soluimus, quæ illi contrà proiecerunt.

Nam certè sextum argumentum nostræ partis, deductum ex ipsius Auctoris, quo de agimus, scriptis, prorsus est insolubile. Produxit autẽ illud (iam mille ferè anni sunt) S. Maximus Martyr in suo ad Opera Dionysij Prologo, nec adhuc repertus est factionis aduersæ quispiam, qui illi (quod quidem scire potuerim) responderit. Nam aduersarij nostri instar militum imbellium, ac de viribus suis diffidentium, hac relictâ arce præcipuâ, & quam pro inexpugnabili meritò iudicarunt, ad alia quædam minùs valida munimenta se conuerterunt, quæ tamen ipsi nec quatefacere, nedum euertere potuerunt.

Hîc ego finiuissem, neque de germanis S. Dionysij scriptis verbum ampliùs addidissem; nisi nuper, Insulis Flandriæ cùm essem, vir clarissimus Dominus Desprets mihi suam inspicienti Bibliothecam, librum inter alios vnum ostendisset à Theologis VVirtembergensibus anno Domini 1584. editum, cuius hæc erat inscriptio: *Acta & scripta Theologorum VVirtembergensium, & Patriarchæ Constantinopolitani D. Ieremiæ, quæ vtrique ab anno 1576. vsque ad annum 1581. de Augustanâ confessione inter se miserunt, Græcè & Latinè ab iisdem Theologis edita.* In quo libro cùm indicasset, nonnulla de S. Dionysij scriptis inter partes esse agitata, cepit me cupido eius libri, qui non valdè spissus esset, percurrendi, ac si quid pro nobis aut contra nos faceret, disquirendi. Igitur deprehẽdi, Magistros illos VVirtembergẽses, aliorum hæreticorum more, auctoritatem Scriptorum S. Dionysij eleuare, sed argumentis vulgaribus & sæpè refutatis; Patriarcham verò Constantinopolitanum permagni eosdem libros facere, & suam de Sacramentis doctrinam viriliter inde propugnare. Sic enim ipse in primo suo responso ad Augustanam confessionem cap. 7. scribit: Τὸ δὲ τοῦ θείου μύρου μυστήριον οὐκ ἐμφέρεται

φέρεται μὲν ἐν τῇ θείᾳ Γραφῇ, παραδέδοται γε μὴν ὑπὸ τῶν μαθητῶν τοῦ Λόγου· καθὼς ὑπὸ τοῦ θείου Παύλου διδαχθεὶς ὁ ἱερώτατος Διονύσιος ἐν τοῖς ἱεροῖς αὐτοῦ συγγράμμασι παραδέδωκεν· ὃν δὴ ἄνδρα μετὰ τοὺς Ἀποστόλους ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία γεραίρει. *Quod ad sacri vnguenti mysterium attinet*, inquit, *in diuinis quidem Litteris id non extat, traditum tamen est à discipulis Verbi: sicut qui à diuo Paulo institutus est sanctissimus Dionysius, in sacris scriptis suis tradidit; quem quidem virum proximo secundùm Apostolos loco Dei Ecclesia veneratur.* Sic ibi.

Idem porrò Patriarcha pluribus aliis in locis honorificam eiusdem sancti Dionysij & rectæ eius doctrinæ mentionem facit: sed animaduertens tandem se surdis canere, volensque etiam ipse, dum spem profectus nullam videt, receptui canere, sic illos, VVirtembergenses Theologos, siue è Caluini scholâ hæreticos affatur. *Vnde igitur vos*, inquit, *rectiùs & meliùs vetere nouaq; Româ sapuistis, vt veterum Theologorum scriptis relictis, vestra ista meliora potioraq; duceretis?* Per nouam Romam intelligit Constantinopolim, cuius erat ipse Patriarcha. Sic enim à temporibus Constantini Magni Imper. vocata est.

Denique ipsos rogat, vt desinant in posterum super iisdem de religione controuersiis sibi negotium facessere: aliis verò in rebus, si velint, amicitiam colere ipsis per se licere. Ita ergo ij, qui sperabant Græcos huius ætatis pro se suaque sectâ esse facturos, & aduersus sancti Dionysij Areopagitæ scripta ipsis fauturos, adeò spe suâ exciderunt, vt ipsimet vel de suâ decedere sententiâ coacti sint, vel deinceps silentium tenere iussi. Postremò tam læua & infausta illis fuit hæc complurium annorum disputatio, atque etiam ipsius disputationis in lucem editio, vt eam ipsam posteà in tenebras abdere, & quantum in ipsis fuit, omnia exemplaria supprimere sint conati. Sed quemadmodum in talibus vsu venit, nulla tanta potuit adhiberi diligentia, quin aliqua in manus Catholicorum emanarint. Nam amicus ille noster & familiaris vnum sibi ex illis pretij magnitudine elicuit, nobisque perlibenter commodauit. Verùm de sancti Dionysij scriptis (quæ tam à veteribus quàm ab hodiernis Græcis approbata illique adiudicata habemus) in præsenti satis: nunc ad tertiam Quæstionem accedamus.

QVÆSTIO III.

De TIMOTHEO, *ad quem scripsit* S. DIONYSIVS.

TERTIA, quæ ad hanc S. Dionysij Vitam pertinet, Quæstio est, An Timotheus, cui hi libri, de quibus superiori Quæstione egimus, inscripti sunt, sit celeberrimus ille Timotheus Pauli comes & discipulus, an verò alius quispiam à Baronio aut ab alio quolibet propositus.

Hunc autem esse ipsum B. Pauli discipulum, tenuerunt Græci omnes, itemque Latini ferè communiter, vsque ad Baronium. Qui quidem Baronius vi vnius argumenti, cuius non facilè solutionem reperiebat, eò diuertendum sibi putauit, vt alium requireret Timotheum quem in his libris affaretur, & cui ipsos dedicaret Dionysius. *Ceterùm quis nos compellit*, inquit, *vt affirmemus Auctorem ea scripsisse ad Timotheum Pauli discipulum, Episcopum Ephesiorum? Nam germana & ab Auctore illa Operi de Ecclesiasticâ hierarchiâ proposita est inscriptio: Compresbytero Timotheo Dionysius Presbyter*, &c. Sic ipse.

Ratio autem, quæ negotium illi facessiuit, est ista: *In libris illis, qui dicati leguntur Timotheo, reperitur vna sententia ex Epistolâ S. Ignatij ad Romanos paulò antè martyrium scripta. Atqui cùm illa scriberetur Epistola (nempe Traiani Imp. anno decimo aut vndecimo) iam mortuus erat Timotheus Ephesiorum Episcopus, vt patet ex Epistolâ eiusdem Ignatij ad Philadelphienses sub idē tempus exaratâ, vbi illius meminit tamquam è vitâ egreßi. Ergo stare hæc simul non possunt, scriptos esse hos libros à Dionysio Areopagitâ post mortem Ignatij Martyris (quemadmodum citata eius sententia tendentis ad mortem indicat) & dicatos esse Timotheo, qui iam ante Ignatium excesserat.* Rectè igitur vidit Baronius, oportere horum esse alterutrum, nempe vel alium requirendum esse Timotheum qui vixisset post Ignatium, vel certè illam Ignatij sententiam non fuisse in Dionysij Operibus, cùm ea dedicarentur Timotheo, sed pòst esse additam. Verùm quòd ab ipsomet Auctore additam dicit, in hoc quidem sanè fallitur: nam ab alio quopiam imprudenter & imperitè iniectam esse vel intrusam, clarè & fusè suprà ostensum est Quæstione II. in responsione ad argumentum è Photio.

Aliud porrò Baronij argumentum pro altero Timotheo est, quòd Auctor ipse in exordio Commentarij de Ecclesiasticâ

siasticâ hierarchiâ dicat: *Sacerdotij quidem nostri functionem, sanctissime fili Timothee*, &c. ac proinde alium quempiam iuniorem Timotheum signare videatur. Quia nimirum Dionysius magnum illum Timotheum, Pauli antiquum comitem & discipulum, non appellaret filium.

Sed huius argumenti solutio, vt hîc repetenda non sit, videri potest suprà Quæstione 11. in responsione ad septimam rationem Sculteti.

Denique prorsus tenendum est, eumdem esse Timotheum hunc cui libros inscripsit Dionysius, & illum Pauli discipulum, non autem duos diuersos. Quod sic probari potest:

Primò, Nomen aliquod pluribus conueniens si absolutè ponatur, pro principali significato accipiendum est. Sic apud profanos Auctores *Cæsar* pro Iulio Cæsare, *Cicero* pro M. Tullio oratore, *Virgilius* pro principe Latinorum Poëtarum. Sic apud sacros, *S. Petrus* pro Apostolorum coryphæo, *S. Paulus* pro doctore Gentium, *S. Ignatius* pro Ignatio Theophoro, Episcopo & Martyre, & de aliis similiter. Quare & *Timotheus* pro præcipuo Timotheo, Pauli scilicet discipulo. Nec refert quòd Presbyter appelletur, & non Episcopus: nam pro eodem tunc accipiebantur Presbyter & Episcopus. Sic se quoque appellat ipse Dionysius Athenarum tunc Episcopus, in illâ ipsâ inscriptione, quâ librum illi dedicauit: Τῷ Συμπρεσβυτέρῳ Τιμοθέῳ Διονύσιος ὁ Πρεσβύτερος. *Timotheo Sympresbytero Dionysius Presbyter.* Et ipse S. Ioannes Euangelista scribens ad Electam, tacito Episcopi & Apostoli nomine, Presbyterum se appellat.

Secundò, Ille Timotheus, ad quem scribit Dionysius, interfuit vnà cum Apostolis & S. Hierotheo, & ipso Dionysio, exequiis sanctissimæ Virginis Deiparæ, vt ipsemet Auctor scribit libro de Diuinis nominibus, cap. 3. Quis autem Timotheus illis dignior exequiis, quàm Apostoli discipulus & comes, magnus ille Timotheus?

Tertiò, Tanti hunc, ad quem scribit, Timotheum Dionysius æstimat, vt illi de scriptis suis iudicium committat, & secum ab illo, si qua occurrerint meliora, communicari petat, imò etiam si in aliquo quidem à veritate aberrauerit, ab eodem Timotheo corrigi postulet. Vide suprà Cap. XXIII. Vitæ, vbi Dionysij modestia siue animi demissio palàm proponitur. Quare non est credibile, Dionysium alij quàm huic S. Timotheo tantum honoris atque laudis tribuisse.

Quartò, Cùm Christiani omnes primo æuo pueri vocarentur, & qui sacra tractarent non tantùm pueri, sed παῖδες ἱεροὶ, *pueri sancti* appellarentur, Dionysius Timotheum compellans cap. 1. de Ecclesiasticâ hierarchiâ, παίδων ἱερῶν ἱερώτατε, inquit, hoc est, *sanctorum puerorum sanctissime.* Quod Episcopo conuenit.

Quintò, Indicat pluribus locis Dionysius, se non aliquem affari inferiorem Sacerdotem aut Presbyterum, sed Episcopum siue Pontificem: vt libro de Cælesti hierarchiâ, cap. 9. cùm ita eum affatur: Καὶ τοῦτο δὲ τὴν σὴν ἱεραρχικὴν σύνεσιν ὑπομνήσομεν, ὅτι καὶ τῷ Φαραῷ, &c. *Et hoc etiam*, inquit, *tuæ Pontificiæ sapientiæ commemorabo, quòd & Pharaoni*, &c. Et libro de Ecclesiasticâ hierarchiâ, cap. 7. sub finem Contemplationis: Δεῖ δὲ τὴν σὴν ἱεραρχικὴν σύνεσιν μὴ χαλεπαίνειν ἐπὶ τοῖς πεπλανημένοις. *Decet autem tuam Pontificiam sapientiam non iis succesere qui in errorem abducti sunt.* Quibus in locis ἱεραρχικὴ σύνεσις, *Pontificia sapientia*, nihil sonat aliud quàm ἱεράρχην, *Pontificem*, siue *principem sacrorum.* Est enim loquendi modus à respectu & veneratione magnorum virorum inuentus. Quem SS. Patres tam Latini quàm Græci haud sanè infrequenter cernuntur vsurpare.

Sextò, Item Dionysius Epistolam suam quamdam (ea est numero nona) ad Titum Pontificem misit, in cuius principio mentionem Timothei facit, indicatq; se librū de Diuinis nominibus ad eum scripsisse: iam autem cùm nemo dubitet, quin Titus ille Pontifex siue Episcopus, idem ipse sit qui Pauli comes & socius & adiutor fuerit; quis etiam dubitare ausit, quin ille Timotheus, cuius eâ in Epistolâ meminit, & cui se explanasse diuina nomina & Theologiam symbolicam significat, sit ille alter Pauli sodalis & discipulus? Atque adeò, si illi duo Pauli sodales & discipuli vna in Epistolâ coniunguntur, eccui dubium relinqui potest, quin & ipse scriptor Epistolæ Dionysius, ille sit Dionysius Pauli Apostoli tertius discipulus, qui in Areopago cōuersus est, qui Athenarum creatus Episcopus, qui posteà Francorum Apostolus & fuit & semper est habitus? Illius porrò Epistolæ initium est eiusmodi: Ὁ μὲν ἱερὸς Τιμόθεος, ὦ καλὲ Τίτε, οὐκ οἶδα, εἴ τινος τῶν διεγνωσμένων μοι θεολογικῶν συμβόλων ἀπελήλυθεν ἀνήκοος· ἀλλ' ἐν τῇ συμβολικῇ Θεολογίᾳ διηυκρινησάμεθα, πάσας αὐτῷ τὰς τῶν Λογίων περὶ Θεοῦ δοκούσας εἶναι τοῖς πολλοῖς τερατολογίας. *Sanctus quidem Timotheus, ô bone Tite, haud scio an cuiusquā Theologicorū symbolorum*

rum à me expositorum ignarus abscesserit: nam in symbolicâ Theologiâ cunctas illi sacrarum Litterarum de Deo voces, quæ prodigiosæ plerisque videntur esse, enucleauimus, &c. Cuius Epistolæ & stilus & materies eumdem clamant esse auctorem tam superiorum librorum, quàm harumce Epistolarum.

Denique maneat & certum sit, Timotheum, de quo his in libris agitur, non esse alium quàm Pauli discipulum. Nec sẽtentia illa Ignatij, *Amor meus crucifixus est*, quæ videtur ex eius ad Romanos Epistolâ desumpta, quidquam obstare potest, cùm clarè suprà ostensum sit, numquam à sancto Dionysio in suis libris scriptam esse (quippe quæ neutiquam ibi quadret) sed ab aliquo imprudenter ad marginem libri adscriptam, & imprudentiùs à nescio quo in ipsum textum immissam esse.

Sed maior aliunde exoritur difficultas, nempe ex locis Euangelij S. Ioannis, quæ passim in Scriptis S. Dionysij reperiuntur: quod Euangelium dicitur scripsisse iam reuersus ab exilio sub Neruâ aut Traiano, tunc autem obierat Timotheus, nempe sub Domitiano aut Neruâ. Quonam igitur modo ad illum scribens Dionysius verba vsurpat illius Euangelij, quod necdum scriptum erat? Loca enim ex Euangelio Ioannis sunt, partim libro de Cælesti hierarchiâ, cap. 15. vbi hæc leguntur verba: *Nescis* enim, inquit, *vnde veniat* & *quò vadat*, quæ verba reperiuntur Ioannis 3,8. partim libro de Ecclesiast. hierar. cap. 2. vbi hæc habentur: *Si quis enim diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. quæ inueniuntur Ioannis 14,23. Et rursus eodem cap. 2. Eccles. hierar. paulò inferiùs, hæc verba extant: *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*. quæ Ioannis c. 1,12. & 13. totidem ferè cernuntur verbis, nisi quòd ibi etiam legatur: *neque ex voluntate viri*, quod à Dionysio omissum est.

Prætereà cap. 3. eiusdem libri de Ecclesiasticâ hierarchiâ post medium citatur locus è Ioannis 13,10. *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*. Et in libro de Diuinis nominibus multa sunt è S. Ioannis Euangelio. Denique idem Dionysius eodem 3. cap. in recensione librorum sacræ Scripturæ, tam Euangelij quàm Apocalypseos S. Ioannis meminit hisce verbis: Ἢ τὴν κρυφίαν καὶ μυστικὴν ἐποψίαν τοῦ τῶν μαθητῶν ἀγαπητοῦ καὶ θεσπεσίου, ἢ τὴν ὑπερκόσμιον Ἰησοῦ θεολογίαν τοῖς πρὸς θέωσιν ἐπιτηδείοις ὑφηγήσατο. *Aut occultam & mysticam visionem dilecti ac diuini discipuli* [id est Apocalypsin] *aut supramundanam Iesu Theologiam, idoneis ad diuinitatem adipiscendam exposuit*, id est, Euangelium, quod explicat Christi Iesu cælestem diuinitatem, & ab eâ incipit, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.*

Respondeo, verum quidem esse, sanctum Dionysium libris suis de Cælesti hierarchiâ, atque etiam de Ecclesiasticâ, extremam manum imposuisse post scriptum ab Ioanne Euangelium, vt prolata iam modò loca conuincunt; at non perinde constare (quod tamen ad argumenti victoriam est necessarium) priùs quàm illud primò conscriberetur, mortuum fuisse S. Timotheum: cùm de eius obitu variæ sint sententiæ, & certa ex omnibus nulla. Nam quidam sub Domitiano, alij sub Neruâ, quidam sub Traiano mortuũ ferunt. Quare ex incerto id quod longè est certius, confutari non debet. Est autem longè certius, libros Dionysij viuente adhuc Timotheo scriptos esse, cùm in iis ipsum alloquatur Timotheum libro de Diuinis nominibus, cap. 3. & in memoriam reducat quæ facta sint in sanctissimæ Deiparæ exequiis, quodque ipse Timotheus illis præsens aliquas hymnorum partes in eiusdem virginis laudem decantatorum retinuerit.

Cùm autem, vt probabilissimum, nobis teneatur, S. Timotheum sub Neruâ occisum (quod fusiùs probatum est in Vitâ S. Polycarpi, cap. 7. Notationum) diu autem pòst vsque ad Hadriani tempora superstes fuerit Dionysius, dicendum est, eum libros suos rudiùs & imperfectiùs ab initio scriptos viuente adhuc Timotheo, pòst autem eo mortuo perfectos & correctos, nonnullis additis ac mutatis edidisse. Quod adeò neque mirum, neque nouum videri debet, vt sæpè & ab aliis antiquis Patribus olim sit factum, & hodie à nouis Scriptoribus non rarò fieri animaduertamus. Nam sanctus Iustinus Philosophus, cùm in primordio suæ conuersionis breuem Tractatum ad Græcos (quem Elenchum vocauerat) edidisset; posteà eamdem retractans materiam, absolutum Opus sub nomine Παραίνεσις πρὸς Ἕλληνας, *Cohortatio ad Gentiles*, emisit, vt in eius Vitâ notauimus. Tertullianus item aliquod breue Opusculum aduersus Marcionem iuuenis effuderat; posteà verò aliud copiosius elaborauit: quod ipsum

ipsum cùm quidam subreptum in lucem mendosissimè emisisset, idem Tertullianus à se repertum emendauit atque auxit. sic enim de illo suo Opere scribit libro 1. Aduersus Marcionem, initio. *Si quid retrò, inquit, gestum est nobis aduersus Marcionem, iam hinc viderit. Nouam rem aggredimur ex vetere. Primum opusculum quasi properatum, pleniore posteà compositione resciderã: hanc quoque nondum exemplariis suffectam, furto tunc fratris, dehinc apostatæ, amisi; qui fortè descripserat quædam mendosissimè, & exhibuit frequentiæ. Emendationis necessitas facta est: innouationis eius occasio aliquid persuasit.* Origenes quoque ea, quæ iunior in Canticum canticorum scripserat, ita fusè & accuratè natu grandior pertractauit, vt nihil à quoquam eo in genere scriptum sit, quod cum illis in comparationẽ venire possit. Apollinaris item Laodicenus suum adolescentis in Osee Prophetam, breuem Commentariolum, pleniore ac succulentiore Commentario ætate prouectior commutauit. Idem se fecisse in illum ipsum Prophetam suâ in Præfatione contestatur Hieronymus, nimirum quæ leuia & ieiuna iuuenis scripserat, hæc triginta pòst annis maturiora exactioraque edidisse. Quid de S. Augustino loquar? qui complures è libris suis rudiores & inabsolutos longo pòst tempore in manus resumpsit, auxit, expoliuit. Quos ne mihi necesse sit omnes commemorare, eo libro comprehensos inuenies, quem Retractationum in serâ ætate composuit.

Ita igitur & S. Dionysium sua postremis annis retractasse, & aliunde nonnulla, præsertimque è B. Ioannis Apocalypsi & Euangelio, adiecisse, nobis non sine causâ persuademus: quippe qui Apostolum illum & Christo in paucis dilectum discipulum plurimi faceret, & diuina eius scripta (quæ in lucem prodituraDeo prędicẽte cognouerat) auidissimè expectaret. Ex aliis verò, quæ primæ compositioni eum adiecisse partim rogatu amicorum, partim aduersariorum obiectu crediderim, duo sunt potissimè. Vnum quidem cap. 3. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ in Contemplatione seu expositione Sacramẽti Synaxeos, nempe recensio illa librorum sacræ Scripturæ, tam veteris quàm noui Testamenti, per circumlocutionem fusè explicata, quæ incipit ab illis verbis: Πᾶσα μὲν γὰρ ἱερὰ καὶ ἁγιόγραφος δέλτος, *Omnis quidem sacræ Scripturæ liber*. Quam recensionem induxit ex occasione modulationis Psalmorum, quæ adhibetur in sancto Sacrificio, sed præcipuè eorum rogatu, qui libros sacræ Scripturæ ab aliis internoscere cupiebant. Nam eâ quoque de causâ S. Melito, secundi sæculi Scriptor, catalogum eorumdem librorũ contexuit, vt nos in Vitâ eius ostendimus. Alterum, quod ob quorumdam obiectiones scriptis suis posteriùs inseruisse illum opinamur, est illa de Baptismo puerorum atque infantium, aduersus Gentilium irrisiones responsio; quæ ad calcem libri de Ecclesiasticâ Hierarchiâ reperitur, planè extra locum suum, hoc est, in Capite septimo & vltimo; vbi de mysterio exequiarum agitur, cùm proprius ei locus esset in capite secundo, vbi scilicet ex professo tractatur de Sacramento illustrationis, siue de Baptismo. Sed quòd liber ille iam totus antè descriptus esset, quàm vel Baptismus ille puerorum in frequenti vsu esset, vel quàm ea obiectio menti occurreret, propterea eius quæstionis tractatio ad extremum illum librum adiecta est. Quin ex eiusdem loci verbis, si quis attendere voluerit, clarè cognoscet, Dionysium ea non priùs scripsisse, quàm Timotheus recepto eodem libro quæstionem illam mouerit.

His super hac tertiâ Quæstione iam pertractatis, venit in manus meas Flauij Lucij Dextri Chronicon, & vnà Francisci Biuarij viri doctissimi in eum Commentarius. Hi prorsus nouam inducunt de Timotheo, cui libros suos dedicarit sanctus Dionysius, opinionem. Tenent enim, illum Timotheum non esse eum ad quem S. Paulus duas scripserit Epistolas, sed esse Eugenium Marcellum S. Dionysij Areopagitæ discipulum (siue illum de quo scripsimus in Vitâ S. Dionysij Cap. XXI.) qui agnominatus fuerit Timotheus. Quam opinionem priusquam refuto, videtur aliquid de illius Auctoribus breuissimè præmittendum.

Itaque ille Flauius Lucius Dexter est auctor sanè antiquus, & S. Hieronymo æqualis, qui etiam ipsum aliquando hortatus est vt Scriptores Ecclesiasticos in ordinem digereret, quod & Hieronymus fecit, librumque de Viris illustribus ipsi Dextro dedicauit, vt testatur Procemium: *Hortaris, Dexter, &c.* Ipse item Dexter Chronicon omnimodæ historiæ conscripsit, quod paucis antè annis in lucem edidit Franciscus Biuarius, aut potiùs aliquã eius partem, eam scilicet quæ Hispaniæ Ecclesias attingit; nam ferè eò omnia referuntur. Cùm autem fuerint ambo Hispani, tam Dexter quàm Biuarius, ipsi res Hispaniæ Ecclesiasticas summâ diligentiâ perquisiuerunt & illustrarunt. Quod vtinam

nam plures aliis in nationibus fecissent, ac res suarum nationum in publicam vtilitatem euulgassent! tum & pulcher veritatis candor, & insignis Ecclesiarum sanctimonia, & veræ animarum diuitiæ, multò clariùs mundo innotescerent. Fatebor equidem, nonnulla in eo Chronico ex amore patriæ, vt fit, siue ab Auctore ipso, siue posteà ab aliis, terræ Hispaniæ attributa esse, quæ videantur aliis nationibus vel æquè vel æquiùs attribui posse & debere; tamen quin Opus ipsum sit Dextri, (esto, aliqua aliunde adiecta sint, aut aliquantulum variata) non video quî possit prudenter à quoquam negari. Quare hoc nobis in Dextro faciendum erit, quod in Hieronymo, Augustino, aliisque Patribus fieri concessum est, nempe vt si quid sit improbabile, refutetur; si quid intrusum, denotetur: alioqui maneant Auctoribus Opera sua, nec ob paucas alienas opiniones omnia abiudicentur. Facit ergo contra nos apud Dextrum in Chronico ille locus ad annum Christi centesimum, & Romæ octingentesimum quinquagesimum primum, vbi legitur: *Dionysius Areopagita dicat Eugenio Marcello, dicto propter ingenij excellentiam Timotheo, libros de Diuinis nominibus.* Quæ verba, vti iacent, difficulter admitto esse Dextri, propter absurda quæ in illis continentur; magisque existimo ita fuisse à Dextro conscripta: *Dionysius Areopagita dicat Timotheo libros de Diuinis nominibus.* Nam certè illa intermedia, *Eugenio Marcello, dicto propter ingenij excellentiam Timotheo*, putidè, & ad vindicandam Eugenio Toletano Episcopo inscriptionis illorum librorum gloriam, videntur iniecta. Et quamuis daremus, verba illa esse Dextri, tamen minimè concederemus dextrè idcircò esse dicta. Quid enim minùs dextrè dici potest, quàm illud, *Dicto propter ingenij excellentiam Timotheo?* Nec enim Timotheus ingenij excellentiam sonat, sed *honorem Dei*: est enim τιμὴ *honor*, non autem *ingenium*. Deinde, cur alia atque alia M. Marcello agnomina? Si primò *Eugenius*, cur deinde *Timotheus* appellatur? Nam *Timothei* quidem iam dixi non conuenire, magisque pòst ostendetur. *Eugenius* autem vbi aut à quo est appellatus? Si Romæ & à patre suo, vtpote Romæ Præfecto, certè potiùs *Nobilis* vocatus esset Romano nomine, quàm *Eugenius* Græco. Nec dici videtur posse, id familiæ Marcellorum fuisse gentilitium nomen, nullis videlicet apparentibus, vbicumque demũ quæsieris, eius rei vestigiis, & (quod plus est) more Romano contrà stante. Ac proinde magis credibile fuerit, Auctorem illum tres Euangelij in Hispaniâ præcones in vnum confudisse, *Marcellum, Eugenium, Timotheum*. Cunctos enim in Hispaniâ fuisse, habemus partim in ipso Dextro, partim in aliis Scriptoribus. In Dextro quidem ad annum Christi 64. his verbis: *S. Paulus ad Hispanias veniens, secum fert Philemonem, Timotheum, aliosq; Discipulos.* vbi quis dubitare possit, quin Timotheum Ephesiorum Episcopum intelligat, vti & Philemonem illum ad quem vna exstat Pauli Epistola? De Marcello item constat, non tantùm è Dextro (qui ad annum Christi 50. scribit, Petrum Christi Vicarium Hispanias adiisse, *multis eum comitantibus, M. Marcello, Eugenio, Apollinari Rauennate*, &c. sed etiam è Methodio in Martyrio sancti Dionysij Areopagitæ. *Tunc*, inquit, *S. Dionysius Marcellum in Hispaniam misit.* Denique & de Eugenio liquet tam è veteribus monumentis Dionysiani cœnobij apud Parisios, quàm ex Actis eiusdem martyris à Stephano Leodiensi Episcopo ante multa sæcula, vt in Vitâ scriptum est, recognitis. Vide ibi Caput XXI. Quòd verò is Eugenius sit idem qui Marcus Marcellus, nec in illis Actis, nec in monumentis Dionysianis, nec in ipso Eugenij tumulo (cùm tamen in tumulis numquam ferè propria omittantur nomina) nec alibi denique, quàm in Dextro, vllum apparet vestigium. Nam Ioannes Mariana, rerum Hispanicarum diligentissimus explorator, libro 4. de Rebus Hispaniæ, cap. 4. cùm ad Eugenij Toletani peruenit tempora, fatetur, Hispanos nullo alio niti argumento, cur putent Eugenium esse eumdem cum Marcello, aut cum Philippo Marcelli socio, quàm quòd in antiquis Scriptoribus nulla reperiatur Eugenij mentio; & de Philippo & Marcello nesciatur quid gesserint. *Sunt qui putent*, inquit, *Philippum quemdam à Clemente in Hispaniam Episcopum amandatum, aut certè Marcellum, quem Philippo socium Dionysius adiunxit ex Galliâ (vt Michaël Syngelus est auctor) Eugeniũ ipsum fuisse, atque hoc quidem nomen ab ingenitâ nobilitate manasse; alterum autem à parentibus accepisse. Quod cùm affirmant, nullâ meliori coniecturâ nituntur, quàm quòd Eugenij nulla mentio extet in antiquorum scriptis; Philippus & Marcellus quid rerum in Hispaniâ gesserint, penitùs lateat.* Sic ille. Credibile est igitur, Dextrum, vbi recensitos reperisset multos Sanctorũ, qui temporibus Apostolorum peragrassent Hispaniam, interque alios M. Marcellum,

cellum, & Eugenium, & Timotheum; credibile est, inquam, ex caussâ omissæ distinctionis, eum existimasse vnicum esse qui tres erant. Alioqui enim, si à fidelibus (vt vult Biuarius pag. 30.) est appellatus *Eugenius*, idque ob generis sui splendorē, quòd esset ex familiâ & domo Neronis; quomodo Christiani ad eum scribentes, non eo nomine illum appellarunt quod ipsi dederant? Nam SS. Nereus & Achilleus ad eum scribentes, nullâ *Eugenij* mentione, sic tantùm inscripserunt: *Nereus & Achilleus serui Christi Iesu, fratri & condiscipulo Marcello æternam salutem.*

Quibus ille respondens, hanc vsurpauit inscriptionem: *Marcellus seruus Christi sanctis Confessoribus Nereo & Achilleo.*

Ipsas eorum litteras si quis requirat, inueniet Tomo 3. Surij, in Actis eorumdem Martyrum.

Ad eumdem Marcellum scripserunt & alij, sed hoc modo: *Eutyches, Victorinus & Maro, serui Domini nostri Iesu Christi Marcello.*

Ita nimirum in Actis Nerei & Achillei & aliorum, perpetuò *Marcellus*, numquam *Eugenius*, numquam *Nobilis* appellatur, neque in Græcis neque in Latinis exemplaribus.

Præterea peruetustus Auctor, qui S. Petri Apostoli martyrium & sepulturam descripsit (cuius verba referuntur apud Vincentium Bellouacensem in Speculo historiali, lib. 9. cap. 25.) non aliter quàm *Marcellum* appellat. *Marcellus quidam frater*, inquit, *statim corpus sanctum propriis manibus de cruce deposuit, & lacte ac vino optimo lotum, & aromatibus conditum, diligentissimè sepeliuit. In ipsâ autem nocte cùm ad sepulchrum eius vigilaret, & ardenti ipsius desiderio fleret (statuerat enim in vitâ suâ non separari à Doctoris sui sepulturâ) stetit ante eum B. Petrus, & ait: Frater Marcelle, non audisti vocem Domini dicentis: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos? Ne ergo quasi mortuum videaris sepelire & flere, sed quasi viuus viuenti & gaudenti congaudere; relinque mortuos sepelire mortuos suos, tu autem, vt per me didicisti, vade & annuntia regnum Dei.* Sic ibi. Quæ non est dubium quin de S. Marcello Petri discipulo dicta sint: præsertim cùm ipse Dexter ad annum Christi 100. notet, illum peregrinationum S. Petri indiuiduum comitem extitisse, & ex familiâ domoque Neronis fuisse; ita vt facile illi fuerit talem magistro suo curare sepulturam.

Deinde nomen *Eugenius* esse proprium, sicut & *Timotheus*, ex eo patet, quòd ab omnibus, vno excepto Dextro, semper solitaria ponantur, S. Eugenius, S. Timotheus; quod non fieret, si essent appellatiua. Quemadmodum S. Ignatius martyr agnominatus est quidem *Theophorus*, sed quòd absolutè appelletur *Theophorus*, vix reperitur. Et tamen non legimus nomen *Theophori* alteri cuipiam, vel vt nomen vel vt agnomen, adhæsisse: sicut Eugenij & Timothei multis fuerunt nomina propria.

Sed esto, S. Marcellus fuerit agnominatus *Eugenius* (de quo tantùm elucidandæ veritatis caussâ nunc disputo) id ipsum pro nobis facit, qui dicimus non agnominatum esse *Timotheum*. Facilius enim esset credere, M. Marcellum fuisse agnominatum *Timotheum*, si non fuisset agnominatus anteà *Eugenius*. Quid enim attinebat, post datum illi agnomen *Eugenij*, dare etiam posteà agnomen *Timothei?* præsertim cùm alij plures sub ea tempora nomine isto vocarentur, aut vocati essent *Timothei*. Deinde si S. Dionysius in libri sui inscriptione alium voluisset designare Timotheum, quàm illum Pauli notissimum comitem & discipulum, sanè addidisset vel nomen ipsum eius proprium, vel aliquid aliud, quod ambiguitatem appellationis tolleret: vocando autem absolutè *Timotheum*, nullum sanè alium voluit designare, quàm eum qui inter Timotheos appellatos præcipuus fuit, & in ore omnium.

Est & alius locus in eodem Flauio Dextro ad annum Christi 220. & Romæ 971. his verbis: *Extat quædam Epistola, quæ circumfertur, ad M. Marcellum Toletanum Præsulem, quem vocat filium & Timotheum, id est, Deo honoratum. Nam alter Timotheus, cùm Epistola hæc est scripta, iam in viuis esse desierat.*

Quæ verba mihi persuadere non possum esse Dextri, sed potiùs hominis plani & ignari, qui volens omni modo persuadere, eumdem esse M. Marcellum, & Timotheum illum ad quem scribit Dionysius, putidissimè hæc coagmentauit. Aduerte autem, aliam hîc dari interpretationem nominis Timotheus, quàm priùs. Dicebat enim priùs dictum Timotheum *propter ingenij præstantiam*, cùm dicere debuisset, *ob pietatis præstantiam:* nunc Timotheum interpretatur *Deo honoratum*, cùm interpretari deberet, *honorantem Deum*. Differũt enim Τιμόθεος & Θεότιμος, cùm prius actiuè, posterius passiuè capiatur. Est enim θεότιμος *Deo honoratus, valdè honorandus*, sicut περίτιμος, πολύτιμος, μεγαλότιμος, ἰσότιμος,

τιμος,& alia eiusdem sortis, siue quotiescumque pars τιμ⊚ est finis compositi; tum enim tales voces sunt passiuæ significationis. Aliter autem & è contrario res habet, cùm est initium compositi; tunc enim actiuam, vt dixi, habent significationem. Vnde τιμόπολις Euripidi, est is qui honorat ciuitatem, seu, qui ornamento est ciuitati, non autem qui ab eâ honoratur. Sic σωσίπολις Aristophani, *seruator ciuitatis*. Sic φιλόπολις, *amator ciuitatis*. Et ita de aliis. Itaque alterutrum dicendum est, vel addita hæc esse ad Dextrum, vel Dextrum nescisse litteras: posterius dicere non ausim, igitur prius. Alia, quæ in suprà dictis verbis insunt absurda, prætereo. Hoc autem passim toto libro cōstat, eum Chronici auctorem, seu è libris Hispaniæ Ecclesiasticis compilatorem, plus nimio genti suæ addictum, aliena multa in ius suum (si ius dici potest) & in propositas suæ celebrandæ patriæ laudes pertraxisse. Hactenus de Dextro: iam ad soluenda argumenta Francisci Biuarij eius Commentatoris (quem agnosco virum doctum, & proposito suo defendendi Dextri ingenuè sollerterque insistentem) accingamur.

Primum erat de S. Timotheo, quem dicit sub Domitiano Imp. mortuum. Id nego verum esse. Probaui enim in Notationibus ad Vitam S. Polycarpi, Cap. VII. sub Neruâ Imp. esse mortuum, nempe id attestante B. Polycrate secundi sæculi Scriptore, & eiusdem Ephesinæ Ecclesiæ, cuius fuit ipse Timotheus, Pontifice; qui haud dubiè ea quæ de Timothei excessu scripsit, ex ipsis illius Ecclesiæ tabulis exscripsit. Nam moris tum fuit Ecclesiis (qui mos hodieque perseuerat) Episcoporum suorum notare tempora & successiones, singulorumque ingressus & obitus, nec annos tantùm, sed etiam dies interdum ipsos sacris mandare tabulis. Miror proinde Biuarium trahere Polycratem in suas partes; imò & illud quoq; magis demiror, ipsum vocare Polycratem discipulum S. Ioannis Apostoli, cùm inter eos vnum ferè interfuerit sæculum.

Neque item in eo assentiri Biuario possum, quòd Timothei Vitam, quæ extat apud Metaphrastem, putet esse eam quæ scripta sit à Polycrate, cùm valdè inter se differant: & ista quidem nonnulla contineat, quæ multis post Polycratem sæculis contigerunt, ac prætereà de tempore genereque mortis non prorsus consentiat. Itaque nego S. Timotheum tunc fuisse mortuum, cùm B. Dionysius libros suos primò composuit; sed tunc tantùm, quádo illos post S. Ioannis ab exilio reditum, & post scriptum ab eodem Euangelium & Apocalypsim (quæ ipse ardenter desiderabat, vt eius data ad ipsum Epistola declarat) accuratiùs relegit, & locis illius Apostoli & noui Euangelistæ, partim velut gemmis quibusdam ornauit, partim velut fortissimis argumentis corroborauit. Nam & hoc frequentissimè fieri scimus, vt si post editionem alicuius Operis quidpiam noui vel à Pontifice Maximo, vel ab aliquo alio præcipuæ auctoritatis viro constituatur, aut in lucem edatur, quo nostra firmari possint, ea perquam auidè arripiamus, atque in alteram editionem immittamus.

Neque magnopere nobis curæ est, supersítne adhuc is cui liber primò dicatus fuerit, an iam obierit. Si quis igitur argumentari velit ex eo, verbi gratiâ, quòd in illo citetur statutum aliquod Pontificium abhinc tribus dumtaxat quatuórve annis editum, non potuisse eum librum vel Baronio vel Toleto, exempli causâ, dedicari, qui aliquanto antè fuerint mortui, certè infirmum ac vanum fuerit argumentum: nam prima libri dedicatio, quæ fuit multò ante illud statutum, illo adueniente nihil mutata est. Ita in Dionysij Operibus accidit: illis enim aliqua postmodum adiecta sunt, & fortasse etiam variata, sed libri dedicatio eadem mansit, & non variata. Quis porrò, si ætate vixisset Dionysij, & libros ante euulgatum Ioannis Euangelium edidisset, aliud faceret quàm fecit Dionysius? quis, inquam, post Euangelium iam euulgatum impetrare à se ipso posset, vt opus suum non retractaret, nec illud, aduocatis è nouo tanti Apostoli Euangelio auxiliis, melius faceret? Alioqui insipiens sanè esset & haberetur, si id negligeret. Talis igitur fuisset & haberi debuisset S. Dionysius, si aliter, quàm fecit, fecisset. Quòd verò & vsitata fuerit antiquitus librorum retractatio, sit etiam illa M. Tullij in Epistolis ad Atticum testificatio. Is enim cùm aliquando librum quemdam suum placere eidem Attico intellexisset, eum illi posteà misit retractatiorem, & dixit: *Quòd te Erotem non sine munusculo expectare dicis, gaudeo eam rem non fefellisse expectationem tuam. Sed tamen idem* σύνταγμα *misi ad te retractatius, & quidem* ἀρχέτυπον *ipsum crebris locis inculcatum & refectum.* Sic ille lib. 16. ad Atticum, Epistolâ 3. Ita omnino & Dionysius noster fecit. Opuscula suá crebris locis Euangelij & Apocalypseos Ioannis inculcata & refecta emisit. Erat enim ante inuentam

inuentam typographiam ea librorum retractatio, vt longè facilior, ita multò frequentior.

Quin ego ipse, nisi typographiæ mea committere statuissem, aut potiùs si nulla fuisset typographia, multis iam annis Vitam hanc sancti Dionysij & quasdam alias in lucem exire permisissem, quas nūc edo longè retractatiores. Denique ipse Flauius Lucius Dexter omnimodam historiam suam (vt ipsemet est auctor) primò emisit, & sancto Hieronymo dedicauit non admodum locupletem, posteà autem *multis locis*, vt ipsemet scribit, *auctam locupletatamq;* rursum edidit, atque in eâ tempus mortis ipsius Hieronymi descripsit, & quædam alia, quæ post eius mortem acciderunt. Sic autem locupletatam dedicauit alteri, nempe Paulo Orosio, Presbytero Tarraconensi. Faciamus igitur (quod fieri potuit, & fortè debuit) Dextrum non mutasse epistolam dedicatoriam; an ex eo, quòd in isto Opere fieret mortis sancti Hieronymi, & aliorum qui post eum fuerunt, mentio, benè sequeretur, illum Hieronymum, cui liber ille dedicatus legeretur, non esse sanctum Hieronymum Presbyterum, sed aliquem alium eo nomine esse requirendum? Minimè gentium. Cur ergo idem in Dionysio non dicimus, quod in Dextro dici potest? Ecquis enim est, aut fuit, aut erit (sepositâ Dextri auctoritate) qui auditâ inscriptione, *Ad Timotheum*, non statim illum intelligat Timotheum, qui absolutè & non aliter quàm Timotheus appellatus sit? præsertim si argumenta omnia, quæ cōtrà obiici possunt, commodè diluantur? Atqui & ab aliis ante nos, saltem ex parte, atque à nobis etiam aliquoties & quidem pleniùs id est factum. Et, quæso, iudicet sincerus Lector, vtrum sit probabilius: Dionysiúmne Areopagitam librum suum de Diuinis nominibus scripsisse anno vitę suæ centesimo primo aut secundo, an verò aliquanto antè tempore composuisse, seu primâ, quod aiunt, manu corpus ipsum libri exarasse (nempe anno ætatis circiter septuagesimo, quo integriores illi vires erāt, & quo ipse viuebat & vigebat Timotheus) sed demum anno ætatis plus minus centesimo, id tantùm, quod facilius erat, perfecisse? hoc est, acceptâ iam & perfectâ vtriusque tam Apocalypseos quàm Euangelij sancti Ioannis historiâ, locis inde assumptis adauxisse & locupletasse? præsertim cùm ipsi ferè libros nostros, non minùs quàm parentes liberos, adamemus; & cùm eorum profectum & perfectionem, magis subinde quàm illi, tam diurno quàm nocturno studio procuremus. Neque verò omnis ætas, vt liberis gignendis, sic libris edendis est idonea. Hinc rectè M. Varro, cùm de quiete à scribendo cogitaret, *Annus me*, inquiebat, *octogesimus admonet, vt vasa colligam. Si enim homo bulla, quantò magis senex?* Quod autem dixi, Franciscum Biuarium in eâ esse sententiâ, vt teneat Dionysium libros suos scripsisse anno ætatis suæ centesimo primo, id probatur ex istis eius verbis in Commentario ad Dextrum, anno Christi centesimo pag. 202. *Ad calcem*, inquit, *monere necessum est, non ideò hoc anno centesimo egisse Dextrum de libris Dionysij, quasi eo anno scripti sint; constat enim, post centesimum decimum martyrio S. Ignatij celebrem scriptos fuisse: sed quia semel de Dionysio & Marcello Eugenio sermonem inierat, placuit hoc de illis inserere, præsertim quia non dixit hoc anno id accidisse, sed per hoc tempus, nimirum principio secundi centenarij annorum Christi Domini.* Ex quibus verbis necessariò colligitur, Dionysium illos libros scripsisse anno ætatis suæ centesimo primo aut secundo. Nam Dionysius viginti quinque annorum erat tempore passionis Christi (vt ipsemet de se scribit Dionysius in Epistolâ ad Apollophanem) ita vt Christus Dionysium ætate, vt summùm, annis nouem antecederet; tot enim ferè, & non plures, intersunt inter vigesimum quintum Dionysij, & trigesimum tertium aut trigesimum quartum Christi.

Si ergo Dionysius scripsit libros de Diuinis nominibus post annum Christi centesimum decimum, vt vult Biuarius, certè scripsit anno ætatis suæ centesimo secundo: nam annus centesimus vndecimus Christi, est Dionysij centesimus secundus. Iam verò cui potest videri probabile, Dionysium libros illos scripsisse anno ætatis suæ centesimo secundo? Ætas illi scilicet librorum fecunda est. Et si librum de Diuinis nominibus scripsit anno ætatis suæ centesimo secundo, librum de Mysticâ Theologiâ quoto? nam hunc scripsisse post illum, prorsus liquet; cùm capite tertio libri de Mysticâ Theologiâ ita scribat: *In libro autem de Diuinis nominibus, quomodo bonus appelletur* [Deus scilicet] *quomodo ens, quomodo vita, sapientia, virtus, & alia, quæ ad diuinorum nominum pertinent intelligentiam, diximus.* In hasce videlicet salebras se induūt, qui vnam beati Ignatij martyris sententiam alio, quàm oporteat, sensu capiunt, &

& qui malè intrusam esse in Dionysium, non autem à Dionysio scriptam, non intelligunt. Et hæc est, quam idem Biuarius pro secundo aduersum nos argumento, velut inexpugnabilem machinam, admouet; de quâ mox dicam. Priùs enim mihi ab illo quiddam concedi volo, quod iustè recusare non potest. Nam cùm Dexter ad annum Christi centesimum notet Dionysium per hoc tempus dicasse librũ de Diuinis nominibus Timotheo, ipse Biuarius illud *per hoc tempus* vult non significare illo restrictè anno, sed posse ad vndecim annos in tempus posterum protrahi, ita vt idem sit atque si diceret, anno Christi centesimo vndecimo. Igitur ab illo vicissim peto, vt sicut ipse protrahit ad vndecim annos in tempus posterius; ita mihi liceat ad vndecim annos in prius retrahere: nimirum, vt *per hoc tempus* significet vndecim annis ante Christi centesimum, qui erit Christi octogesimus nonus, & Domitiani sextus, atque ita nihil prorsus obstabit, quin & liber ille de Diuinis nominibus potuerit esse dicatus Timotheo Pauli discipulo, primâ scilicet compositione & dedicatione; cùm satis constet, longè pòst (etiam ipsius confessione Biuarij) mortuum esse Timotheum. Nam loca Euangelij Ioannis & Apocalypseos post libri retractationem esse addita, iam ostendi: nec obstare locum Ignatij, iam ostendam, aut digitum saltem, quod dicitur, ad fontem intendam.

Secundum igitur argumentum Francisci Biuarij est, quòd S. Dionysius cap. 4. de Diuinis nominibus citet Ignatium ex Epistolâ ad Romanos scriptâ vndecimo Traiani anno, Christi autem centesimo decimo vel centesimo vndecimo. Cui argumento hîc non respondebo, quia priùs responsum est. Vide suprà Quæstionem 11. in responsione ad quartum, & in Commentario nostro ad Ignatij Epistolam, atque etiam in Notationibus ad Vitam: illis enim locis clarè ostendimus, ex illo Ignatij loco nullum desumi posse contra libros Dionysij argumentum: quandoquidem illam sententiam, *Amor meus crucifixus est*, non scriptam esse à Dionysio (cui nihil profuisset) sed intrusam in Dionysium ab homine sensus illius ignaro, monstratum est.

Quod autem à Biuario adfertur de periculo, quod Sanctorum libris immineat, si liceat aliquid proprio Marte ex illis sine alicuius antiqui codicis testimonio abradere; respondemus, nos proprio Marte non abradere, sed omnino abradendum ratione conuincere. Eam, si dignetur ipse legendis nostris, sicut nos suis legendis libenter dedimus, aliquid vacui temporis tribuere, locis iam citatis inueniet.

Alia rursus bina argumenta ex ipsis Dionysij petita libris profert in medium. Primum est, quòd cùm Dionysius sexcéties, vt ipse ait, alloquens Timotheum, referat ex vtraque Pauli ad eum Epistolâ sententias, numquam dicat, *vt rectè tibi Paulus scripsit*, aut simile quidpiam. Respondeo, aliam librorum qui ad multos spectant, aliam Epistolarum quæ singulos tangunt, esse rationem. In libris qui ad omnes diriguntur, non est moris, eum cui librum dedicamus crebrò alloqui; imò à plerisque omnibus, etsi bona se offerat occasio, tantùm in Præfatione seu dedicatoriâ Epistola fit: in epistolis autem, quæ ad vnum exarantur, id liberaliùs fit. Quæ igitur Dionysius ad Timotheum scripsit, libri sunt, non Epistolæ. Respondeo secundò, saluâ Francisci Biuarij pace, rarò aut numquam Dionysium citare sententias Pauli ex Epistolis ad Timotheũ, tunc scilicet cùm alloquitur Timotheum, longè abest vt sexcenties. Et quod dicit citari locum ex 1. ad Timotheum 1, 17. *Regi autem sæculorum immortali, inuisibili*, &c. valdè audacter dicit, cùm id non possit in Dionysio ostendere. Sed cùm *Rex sæculorum* sit vnum è diuinis nominibus, illud quoque explicat S. Dionysius cap. 5. sed nec citato Paulo, nec allatis eius verbis. Tantùm enim sic dicit: Διὸ καὶ βασιλεὺς λέγεται τῶν αἰώνων, ὡς ἐν αὐτῷ, καὶ περὶ αὐτὸν παντὸς τοῦ εἶναι, καὶ ὄντος καὶ ὑφεστηκότος, καὶ οὔτε ἦν, οὔτε ἔσται, οὔτε ἐγένετο, οὔτε γίνεται, οὔτε γενήσεται. *Hinc & Rex sæculorum dicitur*, inquit, *quòd omnibus in eo & circa eum existentibus & subsistentibus ipse neque fuit, neque erit, neque genitus fuit, neque gignitur, neque gignetur*, &c. Sed vnde habetur, inquies, vocatum esse *Regem sæculorum*, nisi ex Paulo? Respondeo, haberi ex libro Tobiæ cap. 13, 6. vbi Tobias senior sic loquitur: *Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi: Regémque sæculorum exaltate in operibus vestris.* Et ex Ioannis Apocalypsi cap. 15, 3. *Iustæ & veræ sunt viæ tuæ Rex sæculorum.* Neque item magis citatur Paulus ad Timotheum in libro de Cælesti Hierarchiâ capite secundo, quod tamen dicebat Biuarius. Denique si quis attentè Dionysium legat (quem ego ad eius Vitam conscribendam, & trahenda inde Documenta, non solùm terque quaterque, quod aiunt, volui & reuolui,

uolui, sed eò etiam sæpiùs) numquam inueniet in iis locis, quæ profert Biuarius, debuisse Dionysium Timotheo dicere, *vt rectè tibi Paulus scripsit:* nec enim ibi vllatenus congrueret, quandoquidem in illis locis totus sit vel in doctrinâ, vel in disputatione; & nulla ibi fiat mentio Timothei. Quomodo igitur induceret, *vt rectè tibi scripsit?* tales enim allocutiones tum haberent locum, si Dionysius allato Pauli ad Timotheum loco, eum moneret hortaretúrve ad quidpiam præstandum, vt fieri solet in epistolis, aut cohortationibus; quemadmodum & fecisse reperitur beatus Martyr Ignatius in Epistolâ suâ ad Ephesios, cùm citaret Pauli ad eosdem verba. *Et sitis,* inquiebat, *quemadmodum Paulus vobis scripsit, vnum corpus, & vnus spiritus: quoniam & vocati estis in vnâ spe fidei.* Si autem Dionysius in Epistolâ ad Demophilum aut ad alios citet Pauli verba ad Timotheum, sanè hoc nihil ad rem. Nec enim potest dicere scribens Demophilo, *vt tibi Timothee rectè scripsit Paulus:* esset enim inepta apostrophe. Sin scriberet, *vt rectè ad Timotheum scripsit Paulus*, tum id pro nobis faceret, non pro Dextro, neque pro Biuario.

Secundum argumentum est, quòd Dionysius Timotheum semper vocet *filium*, lib. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, c. 1. *Sanctissime fili Timothee.* & ad calcem eiusdem libri, *Ista fili tam multa.* & lib. de Cælesti Hierarchiâ c. 2. *Tu autem ô fili,* &c. & lib. 2. de Diuinis nominibus, c. 2. parte 1. *Nemo autem,* inquit Biuarius, *sanæ mentis sibi persuadebit, Dionysium filij nomine vmquam illum Timotheum vocitasse, qui ipso Dionysio antiquior discipulus, & Ephesinus Episcopus erat: quem ita nimirum Paulus honorauerat, vt sex epistolas sub suo & ipsius simul nomine inscripserit,* &c. Ita Biuarius. Quem quidem hoc loco miror modestię (quam aliàs satis videtur adamare) fines excessisse. Itáne verò? tam multi & tantâ doctrinâ viri, qui sanè, vt plus non dicam, Biuario in litteris seu sacris seu profanis nihil aut non multùm cedunt, tam multi, inquam, & tanti viri, qui sibi persuaserunt & comprobarunt Timotheum in illis locis vocari filium, sanæ mentis non fuerunt? imò verò valdè metuendum est, ne id dictum (tametsi à docto & probo viro dictum) tamen quia non omnibus horis, vt vulgò dicitur, sapimus, non videatur à sanâ mente dictum. Ecquomodò autem non vidit vir prudens, à multis viris sapientibus & sanctis isti argumento esse responsum? quomodo etiam morem illum vsitatissimum præ oculis non habuit, qui hodieque perseuerat, vt admodum senes (talis enim erat iudicio Biuarij Dionysius, dum scriberet de Diuinis nominibus, hoc est centum & duorum annorum) iuniores ætate appellent *filios*, & hi similiter illos appellent *patres.* Iam autem Timotheus respectu Dionysij erat admodum iuuenis, quippe qui Neronis tempore vocetur adolescens, & ad quem scribens Paulus dicat: *Nemo adolescentiam tuam contemnat:* tum autem Dionysius duplam circiter illius ætatem exegerat.

Secundò, filiorum appellatione censentur discipuli, & patrum nomine magistri. Ita sanctus Dionysius Alexandrinus, cùm libros de Naturâ inscriptos, Timotheo cuidam dedicaret, eum filij nomine compellauit, vti apud Eusebium Cæsariensem cerni licet libro 7. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 26. editionis Græcæ. Timotheus igitur in Philosophiâ & sæculi disciplinâ, cuius rudior erat, atque etiam in subtiliore Theologiâ (his enim aduersus Philosophos fidem nostram oppugnantes opus erat) Dionysium habebat pro magistro: & illum absens per epistolas consulebat. Nec enim parum periculi à Philosophis & sæculi sophistis Ecclesiæ imminebat. Hinc & Paulus cautum Colossensibus volens, *Videte,* inquiebat, *ne quis vos decipiat per phisosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* Tertiò, cùm Timotheus satis esset naturâ timidus & pusillanimis (quod in Notationibus ad cap. VII. Vitæ sancti Polycarpi ex ipsomet Paulo probauimus) non tantùm doctore scientiæ, sed etiam magistro virtutis & constantiæ indigebat. Miror autẽ, Biuarium non didicisse ex Pauli Epistolis, & è sancti Ioannis Apocalypsi, qualis fuerit sanctus Timotheus; vt à pueritiâ quidem pro ingenij modo in sacris versatus litteris (quippe matre Christianâ natus) atque etiam insigni pietate & sanctimoniâ præditus; ita ad res magnas animi interdum nimis pusilli, & duce atque incitatore indigentis. Nam quòd vtriusque nomine tot Epistolas scripsit Paulus, quodque eum sæpiùs & impensè commendauit, hoc non erat quòd magnâ valeret præ aliis auctoritate Timotheus, sed vt valeret. Nam & sanctus Chrysostomus, in Pauli Epistolis longè omnium oculatissimus, ideò illum coniunxisse sibi in inscriptionibus Timotheum scribit, vt

vt ei auctoritatem conciliaret, quemadmodum videre est in secundæ Epistolę ad Corinthios Commentariis.

Tertium argumentum Biuarij contra nos (quod tamen in aduersarios validè repulsum, integram nobis pariet victoriam) est illud, nempe, maioris semper fuisse auctoritatis apud discipulos Timotheum quàm Titum; vtpote quem Paulus plus honorauerit. Atqui Dionysius scribens ad Titum non vocat eum *filium*, multò igitur minùs sic debuit vocare Timotheum.

Respondeo, auctoritatem tribus rebus potissimè & vsitatissimè comparari: primò ab ætate; & hoc modo senes maioris sunt auctoritatis quàm iuuenes: secundò, rerum in nobis sitarum excellentiâ, vt scientiæ & virtutis & egregiorum facinorum: tertiò ex honore & dignitate extrinsecus adueniente. Hic autem honos vel expenditur rerum magnarum commissione, vt gubernatione vrbium, administratione prouinciarum, eiusque modi aliis: vel familiaritate alicuius & gratiâ apud magnos. Ego autem censeo & assero, hisce tribus primis modis fuisse Titum maioris auctoritatis quàm Timotheum, plusque illum, præsertim intrinsecus, momenti ad auctoritatem habuisse, quàm hunc. Primò igitur plus Tito auctoritatis erat ab ætate: quod satis potest è Pauli Epistolis & ex infrà dicendis colligi.

Secundò à scientiâ, prudentiâ, aliisque virtutibus *ad Ecclesiæ gubernationem spectantibus: vt non magnopere eguerit magistri commendatione, Paulus autem
1. Cor. 2, 12. frequenter eius auxilio. *Cùm venissem autem Troadem*, inquit Paulus, *propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eò quòd non inuenerim Titum fratrem meũ, sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.* Ecce igitur quanto Titi absentia impedimento fuerit Paulo, quò minùs Troade annuntiaret Euangelium: quia videlicet Titus Pauli erat interpres, vt quæ vnâ linguâ Paulus, ille loqueretur alterâ: & si qua Paulus obscuriora & diuiniora effatus esset, hic, vt talium intelligens mysteriorum, clarè & euidenter efferret. Atque vt Apostolo Titi absentia magno mœrori, sic præsentia magnæ consolatio-
2. Cor. 7, 5. ni fuit. *Nam & cùm venissemus*, inquit, *in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra: sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi.* Et paulò inferiùs: *In consolatione autem nostrâ, abundantiùs magis gauisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis.* Vers. 13. Et c. 8, 2. *Ita, vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam.* Et quidem quòd pluris Titum Apostolus fecerit quam ipsum Lucam Euangelistam, inde etiam probatur, quòd eodem ipso capite dicat se mittere cum illo Lucam. Igitur rogat Titum, mittit autem Lucam. *Gratias autem Deo*, inquit vers. 16. *qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi: quoniam exhortationem quidem suscepit; sed cùm sollicitior esset, suâ voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ*, &c. Et rursus capite 12, 17. *Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumueni vos? Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumuenit? nónne eodem spiritu ambulauimus? nónne iisdem vestigiis?* An etiam ex his non patet, quanti Paulus Titum fecerit? Veritus est enim dicere se illum misisse, sed tantùm rogasse, aut, vt suprà innuit, exhortatum esse vt iret, Corinthum scilicet: Lucam verò non se rogasse dicit vt iret, sed simpliciter misisse. Deinde si pluris eos facimus, magisque illis confidimus, quibus plura & maiora committimus; commissa est Timotheo Ephesus, sed Creta Tito: nempe illi vrbs vna, huic autem integra & multis plena vrbibus insula. Et ille quidem Ephesi futurus erat sub Ioannis Euangelistæ vmbrâ: hic verò aliis insulæ Episcopis instar vmbraculi.

Adde, multò duriores ad fidem recipiendam fuisse Cretenses quàm Ephesios. Hinc Paulus amborum magister, diuersos sciens illorum populorum mores, huic quidem scribens tantùm dicit, *Increpa in omni patientiâ & doctrinâ*; Tito autem, *Increpa illos durè, vt sani sint in fide.* His igitur omnibus superior fuit Titus. Fateor proinde, plus elaborasse Paulum vt conciliaret Timotheo auctoritatem, siue scribendo litteras suo & illius nomine, siue aliàs impensè commendando (magis enim indigebat:) verùm plus est habere à se auctoritatem, quàm ab alio accipere. Nec quòd duas ad Timotheum litteras scripserit, vnicas ad Titum, idcircò pluris illum quàm hunc fecit. Nam cùm eæ litteræ sint ad instructionem scriptæ, potiùs indicant (& re verâ sic fuit) maiori

maiori eguisse instructione Timotheum, quàm Titum: alioqui enim Siluanus, qui extra Pauli litteras ferè est ignotus, & ad quem nihil à Paulo est scriptũ, semper tamen Timotheo prælatus ab ipso Paulo legitur: vt 2. Cor. 1, 19. *Dei enim Filius Iesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me & Siluanum & Timotheum, non fuit* EST *&* NON, *sed* EST *in illo fuit.* Et 1. ad Thess. 1. sic habet Pauli inscriptio: *Paulus & Siluanus & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicẽsium*, &c. Itaq; ruit Biuarij fundamentum de maiori auctoritate Timothei quàm Titi.

Atque ex dictis etiam colligi potest, cur Dionysius Timotheum potiùs vocauerit filium quàm Titum: nec enim Titus tam iuuenis tamque egens consilij atq; disciplinæ fuit, quàm Timotheus. Denique vnicâ ad Titum seu epistolam seu libellum scripsit Dionysius: qui si vnicum etiam librum scripsisset ad Timotheum, nempe illum de Mysticâ Theologiâ, nihilo magis inueniremus Timotheum ibi appellatum filiũ, quàm in libro ad Titum. Quare vti in dicto libro de Mysticâ Theologiâ Timotheum non vocauit filium, ita nec Titum in alio. Quòd si tam multos ad Titum scripsisset quàm ad Timotheum, forsitan & illum peræquè filium appellasset quàm Timotheum.

Iam audienda sunt alia Biuarij verba & fortiter refutanda: ne fortè homines nostræ sentẽtiæ suis terrificis deterreat dictis, dum rursus repetit: *Nemo autem sanæ mentis credet, Timotheum illum Apostolorum cõparem, qui Pauli ad vbera nutritus, & lacte doctrinæ perpetuo, dum ille vixit, edoctus, eo de medio sublato, disciplinæ Dionysij deditũ fuisse, eiusq; factum discipulum, & viuente quoq; Apostolo Hierotheum Athenis primùm, deinde in Hispaniâ docentem sedulò audiuisse.* Sic ille. Age igitur, demus hoc gratis, nemo sanæ mẽtis credat, Timotheum, Pauli socium & discipulum, illo mortuo, deditum fuisse disciplinæ S. Dionysij Areopagitæ: cedò nunc, cuius mentis ille futurus sit, aut amentiæ potiùs, qui credat, Titum, S. Pauli interpretem, & Gręcæ insulæ Episcopum ab eodem Apostolo constitutum, mortuo illo, se dedisse in sequelam, nõ dico Dionysij (quod ne quidem de Timotheo dicimus, sed tantùm à Dionysio nonnulla edoctum esse) sed eius qui Dionysij fuit discipulus, nempe Eugenij? Igitúrne Titus mortuo Paulo (iuxta Dextri & Biuarij sententiam) secutus est Eugenium Dionysij discipulum: & Timotheus non potuit sequi ipsum magistrum Dionysium? Fac verò æquales fuisse Titum & Timotheum (non fuerunt tamen, vt ostendimus) sed fac fuisse; vtrum iam est minùs credibile? Timotheúmne secutum esse Dionysium? an Titum secutum esse Dionysij discipulum? Hoc tamen posterius audet Dexter scribere, nec reformidat Biuarius defendere.

Quæ cùm faciant, absit tamen à me, vt eos dicam non sanæ mentis, hoc tantùm dicam, non satis prudentis & consideratæ fuisse. Verba Dextri ad annũ Christi 220. sunt ista: *Titus cognomento Iustus, Episcopus factus, secutus primò S. Paulum, mox Eugenium, prædicat in Carpetaniâ, vbi eius memoria magnitudoq; miraculorum celebratur.* Atqui ille est Eugenius Dionysij discipulus, à Dionysio creatus Episcopus, & ab eo in Hispaniam missus. Illum ergo secutus est Titus scilicet. Quando autem? fortasse nobis ex Equilino suggeret aliquid Biuarius, vnde colligi possit. Sic ergo Biuarius ad dictum Christum dicti annum 220. Commentario 3. *Petrus, Equilinus Episcopus*, inquit, *in cuius opere, velut in totius vetustatis apothecâ, immensum mihi thesaurum semper inuenio, libro septimo Catalogi, capite 118. dum Vitam S. Titi, Pauli Apostoli discipuli, scribit, illud inter alia narrat, quòd Paulus Titum Cretensem Episcopum ordinauerit, ipsumq; Cretæ dimittens abiit: post duos autem annos Titus ad Paulum Romam accessit, cum quo & fuit vsque ad interfectionem eius à Nerone, corpusq; ipsius vnà cum Lucâ Euangelistâ sepeliuit.* Quando igitur, inquam, Titus Eugenium secutus est? an statim sepulto Pauli corpore? Hoc dici nõ potest: quia Episcopus fuisset secutus simplicem sacerdotem, & necdum Episcopum. Nam Eugenius demum sub Clemente à S. Dionysio in vrbe Arelatensi factus est Episcopus, cùm Titus multis antè annis ab ipso Paulo, vt dictum est, creatus esset insulæ Cretæ Episcopus. An tum igitur Titus iam senex in Episcopatu, & totius Cretæ moderator nouum secutus est Episcopum? Nemo credet (audeo hîc dicere) sanæ mentis. Quando igitur tandem? vno verbo, numquam. Ita enim planè sentiendum est, nec Timotheum vmquam secutum esse Dionysium, nec Titum itẽ Eugenium: indecens enim vtrumque, sed tamen hoc posterius magis indecens. Quid igitur de S. Timotheo dicimus? nihil scilicet aliud, quàm in rebus difficilioribus, magisque arduis consuluisse Dionysium, virum maximo ingenio, prudentiâ, scientiâ, ac præsertim philosophicâ & Theologicâ, atque etiam ob ætatem & Areopagi nomen, præcipuâ auctoritate præditum: hunc autem illius

illius & aliorum gratiâ libros eos, quos habemus in manibus, exarasse. Aliud est enim, aliquid ab altero per epistolas aut libros scriptos discere, aliud, eum sequi tanquam discipulum. Prius de Timotheo & de Tito dicimus (ad vtrumq; enim scripsit Dionysius) posterius de vtroque pernegamus. De Tito tamen secuto Eugenium tamquam discipulũ, videntur Dextri verba necessariò esse accipienda; quandoquidem eodem modo de vtriusque tam Pauli quàm Eugenij sequelâ sonet & procedant. dicit enim: *Secutus primò Paulum, mox Eugenium.* Atqui Paulum, vt discipulus & inferior, sequebatur, sic ergo & Eugenium.

Quòd si fortè tantum virum fuisse velit aliquis Eugenium, vt sequi potuerit eum Titus; eo etiam modo sequetur illud absurdum, quod cadere posse in hominẽ sanæ mentis non credit Biuarius. Nam si Eugenius fuerit maior Tito, fuerit etiam proculdubiò saltem æqualis Timotheo. Quòd si Eugenius æqualis fuerit Timotheo, non poterit sanè Dionysius Eugeniũ Timotheo æqualem magis filium appellare, quàm ipsummet Timotheum. Addam & illud, quod mihi in præsentiâ succurrit, pro nostrâ sententiâ argumentum, Timotheum & Titum fuisse Discipulos S. Pauli, cuius fuit & Dionysius; Eugenium autem non sancti Pauli, sed Petri fuisse discipulum & sectatorem, ipsius autem Dionysij exiguo tantùm tempore: quare cùm certum sit, ipso confitente Biuario, Dionysium scripsisse ad Titum Pauli discipulum, credi quoque pronissimum est, eumdem Dionysium ad alterum eiusdem Pauli discipulum, Timotheum illos scripsisse libros qui exstant, præsertim cùm in Epistolâ ad Titum Timothei faciat mentionem. Græcè item scripsit Dionysius, non Latinè: ex quo longè probabilius fit, ad Græcos scripsisse, quàm ad Eugenium hominem Romanum, qui & an Græcè sciuerit, incertum est. Nam totam ætatem suam vel in Italiâ triuit (vtpote Romanus, quod Dexter & Biuarius docent) vel in Galliâ, vel in Hispaniâ: de his enim liquet, Græciam autem si aliquando viderit, non liquet. Quamuis enim negare nolim, Græcè eum scire potuisse, tamen an sciuerit, & ita sciuerit, vt libri Græcè scripti potuerint ei dedicari, haud equidem scio. Iam autem si quis fortè cuipiam restet in re tam comprobatâ scrupulus, & stans à Biuario, maiorem adhuc Tito reputet Timotheum, atque idcircò non magis hunc debuisse filium appellari, quàm Titum; auctor ego illi sum, vt illam totius vetustatis apothecam, de quâ superiùs actum est, & in quâ immensum sibi thesaurum semper se inuenire profitetur Biuarius, ingrediatur, videatque an non talem tantumque ibi faciat Titum Equilinus Episcopus, vt vix ei comparari possit Timotheus. Nam eum quidem sanè scribit clarissimis ortum esse parentibus, & retrò vsque ad Minoa regem Cretæ, ipsius refert genus, itemque admirabili prorsus ac diuinâ vocatione ad Christi agnitionem accessisse memorat, cuius etiam passioni, resurrectioni, ascensioni in cælum adfuerit, vnaque cum discipulis Spiritum sanctum in se corporaliter descendentem receperit.

Quæ si vera sunt, vt credere videtur Biuarius, certè in dubio relinqui non potest, quin Titus & longè senior sit Timotheo, & aliquot item annis grandior ipso Dionysio (cùm enim Dionysius tempore passionis fuerit tantùm viginti quinque annorum, Titus minimùm viginti nouem, ex eodem Equilino fuisse colligitur) vt proinde à Dionysio non perinde vocari filius potuerit, quàm Timotheus. Quâ de re vide Equilinum libro 7. Catalogi, capite 108. vbi dicit Titum viginti annos natum, & Homeri carminibus, Philosophorumque libris apprimè deditum, excepisse de cælo vocem, quæ commonebat ista profana studia ipsi deinceps esse relinquẽda, & animæ saluti prouidendum: nouem verò pòst annis eumdem, lecto Isaiæ libro, tam suæ quàm aliorum salutis iam cupidiorem, missum ab auunculo suo Cretæ Proconsule Ierosolymam, ibique in Christi venisse notitiam. En igitur annos viginti nouem Titi, ante Christi passionem; quos nec Dionysius æquauit, nedum Timotheus.

Ex his, vt opinor, satis fuisse causæ apparet, quamobrem S. Timotheus vocari à B. Dionysio *puer* aut *filius* potuerit, & non item Titus: quippe qui vtroque fuerit natu maior, tam ipso Dionysio, quàm Timotheo. Quare cùm iam argumentis contra nostram communemque sententiam obiectis abundè responsum sit, & hæc tertia Quæstio sufficienter, vt mihi quidem videtur, explicata; nunc transibo ad quartam & postremam.

QVÆ-

QVÆSTIO QVARTA.

De corpore SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE, *vtrùm illud sit in vrbe S. Dionysij prope Lutetiam, an Ratisponæ in Baioariâ.*

HAVD parum facit ad nomen & gloriã alicuius Sancti, inter claros nobilesque populos de eius olim decertatum esse hodieque decertari corpore. A pietate enim populorum, & ab æstimatione sanctarum Reliquiarum, eiusmodi inter Christianos exoriri solent certamina. Sic igitur inter Francos & Germanos, siue potiùs, inter duorum celeberrimorum cœnobiorum viros Religiosos, vnius in vrbe S. Dionysij haud procul Parisiis, alterius Ratisponæ in Baioariâ, olim viguit & nunc viget de sancti Dionysij Areopagitæ sacro corpore non mediocris contentio. Nam illi se semper possedisse & possidere; hi verò istos olim quidem possedisse, sed nunc se possidere, totis viribus pugnant. Ratisponenses enim translatum ad se dicunt, tempusque & modum & commoditatem ostendunt, aut certè conantur, quoad possunt, ostendere.

Nam aiunt tempore Arnulphi Imper. hoc est sub annum Christi 890. à Gisalberto, vno ex Imperatoris Proceribus (qui specie admissi sacrilegij in cœnobium sancti Dionysij ex composito relegatus fuerit) deuinctis ibi ex amicâ & liberali consuetudine Monachis, ac semel hilari conuiuio exceptis, vinoque & somno sepultis, sanctum illud corpus clandestinò subreptum esse, atque ad Imperatorem deportatum: qui Imperator illud Ratisponę in cœnobio beati Emmerami (quod esse ornatissimum cupiebat) deposuerit. Quin & quadrata quædam saxa ibidem seruari ferunt, in quibus hoc epigramma litteris Romanis maiusculis inscriptum sit:

DIONYSIVS AREOPAGITA HIC REQVIESCIT, SVB ARNVLPHO IMPER. ET OTTONE REGE, SVB EVBVLONE ABBATE MONASTERII S. DIONYSII, GISALBERTVS FVRATVS EST QVINTO NONAS IVLII. FVRTO SVBLATVS HVC VENIT PRIDIE NONAS DECEMBRIS, TEMPORE TVTONIS EPISCOPI.

Post quæ verba sic subdit Ioannes Auentinus libro quarto suorum Annalium: *Is Gisalbertus Procerum locupletissimus fuit: ex composito sacrilegij condemnatur: de industriâ Monasterium diui Dionysij deportatus, libenter à Monachis recipitur: cum quibus frequenter benè victitans (nam & habebat quod dabat, & dabat nemo largiùs) longè gratior factus est. Vbi satis fidei sibi haberi videt, sumptus affatim suppeditans, dubiam cœnam, vinum studiosè optimum Monachis & contubernalibus omnibus Monasterij, regio luxu apparat: in noctem protrahit conuiuium; illisq; omnibus vino somnoq; sepultis, tum Gisalbertum sacrilegium perpetrasse litteris proditum est. Quin etiam ostenditur diploma datum diui Haimerami mystis à Leone IX. Pontif. Max. qui coram Oratoribus Galliæ Reginoburgij, in æde D. Haimerami, in re præsenti scrinia & monumenta vniuersi eiusdem fani perscrutatus litem diremit, sententiam dixit, tantùm cælitem è Galliâ furto sublatum, Imper. Arnulpho traditum, in Baioariâ Reginoburgij situm esse pronuntiauit. Gallos, nisi mentiri desinant, deuouet. Et quid satis est, cui hæc parum sunt? Ego cum pertinacibus digladiari nolim. Nam istis testimoniis non credere, complorata perditaq; est impudentia.* Sic ille.

Itaque præcipuum, & quo vt validissimo nituntur, argumentum est, quòd exardescente sub annum Christi 1052. eâ controuersiâ, tandem ad Leonem IX. Pontificem huius litis decisio delata sit, is verò secundùm Ratisponenses (apud quos tum ipse erat) iudicârit. Nam & diploma eiusdem Pontificis proferunt, in quo disertis verbis corpus S. Dionysij illis adiudicatur. Quod cùm exstet etiamnum, & à pluribus recitetur (nam & Baronius in suũ Tomum vndecimum Annalium, & Seuerinus Binius in Tomum tertium Conciliorum, vbi de Leone IX. Pontifice illis sermo est, retulerunt) operæ pretium videtur etiam huc inducere; tum vt videatur, quid virium pro Ratisponensibus habeat, tum vt quid contrà à Francis opponatur, aut opponi possit, innotescat. Sic igitur habet:

In Saluatôris nostri IESV CHRISTI *nomine amen.*

Leo Episcopus, seruus seruorum Dei, clarissimo filio, inclyto Regi Francorum, ac Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis in Christo filiis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, & Decanis, vniuersisque tam subditis quàm Prælatis eiusdem regni, salutem & Apostolicam benedictionem.

Deus omnipotens, qui non immeritò per Prophetam in Sanctis suis esse mirabilis prædicatur,

dicatur, mira quadam inscrutabilis consilij sui profunditate disponit: quæ dum considerare non sufficit mens humana, ipsa suimet infirmitate deficiens, in quemdam sui excessũ rapi cogitur & stuporem. Quod ipsi nos nuper experti, & vobis in Christo charissimis, & vniuersitati fidelium promulgare compellimur, vt & Dei opera pariter admiremur. Nam cùm per instantiam serenissimi Imper. Henrici III. ad partes Germaniæ visitandas, ac præcipuè ad vrbem, quæ dicitur Ratispona, vel Regenspurg, euocati essemus ad venerabile corpus B. VVolffgangi eiusdem vrbis Episcopi transferendum, hoc eâ, quâ decuit reuerentiâ & deuotione peracto, tui, Francorum Rex, in Christo fili charissime, nos Legati, tuâ tuorumq; omnium vice sollicitè rogauerunt, quatenus litem, quæ inter vos & vrbem prædictam super sacrosanctis ossibus beatissimi Dionysij Areopagitæ fuerat diutissimè ventilata, veritate discussâ dirimere curaremus: vobis quidem eadem apud vos esse dicentibus, ciuibus autem atque incolis vrbis præfatæ astruentibus è conuerso, ea per inuictissimum Arnulphum quondam Imperatorem ad Ecclesiam B. Martyris Emmerami esse translata, ibidemq; deinceps contineri. Quæ quidem Ecclesia inibi sita est, atque ab omni aliorum subiectione ac iurisdictione libera & exempta, ad ius atque proprietatem B. Petri, Apostolicæq; Sedis immediatè pertinere dignoscitur, oblatione videlicet excellẽtissimi Romanorum Imperatoris Caroli Magni ac posterorum ipsius, qui eidem hactenus successerunt, seu in imperio seu in regno. Id ipsum nihilominùs Venerabilis Abbas Reginvvardus, ac Fratres eiusdem Ecclesiæ cum vniuersâ Ratisponâ instantissimè petiuerunt fieri. Nos ergo vtriusq; partis precibus inclinati, nec volentes vlteriùs corda fidelium huius dubij ambiguo caligare, in confratrum nostrorum ac plurium Episcoporum ac Prælatorum præsentiâ & conspectu, scripta Arnulphi Augusti, ordinemq; rei diligentissimè perlegẽtes, nec eo contenti, capsas, thecas, & scrinia, in quibus sacræ Reliquiæ conditæ dicebantur, ac titulos & epigrammata eorumdem oculo tenus solerti examinatione discutiendo, nihilq; omittendo quod ad indagationem certitudinis pertinet, tam Imperialibus quàm Papalibus antecessorum nostrorum litteris sufficienter instructi, picturis quoque parietũ multiplicibus & sculpturis vetustissimis, exprimentibus indicia veritatis & notas, indubitatâ fide comperimus, dicti Doctoris & Martyris ossa venerabilia, exceptâ particulâ vnicâ, simul & minimâ manus dextræ, apud memoratum B. Emmerami cœnobium integraliter contineri. Etenim ne testimonia hominum, quæ iam diximus, non sufficerent, diuina quoque non defuere prodigia & portẽta, quæ dubium omne penitus abegerunt, quæ nos quoque conscribi iussimus diligenter, vobisq; transmitti per vestros nuntios ac legatos; necnon apud Ecclesiam prædictam perpetuò conseruari: vt & ad posteros rei gestæ notitia deducatur, & vlteriùs litigandi materia penitus conquiescat. Insuper etiam districtè præcipimus, statuentes, vt translationis ipsius veneranda solemnitas tam à Fratribus eiusdem Ecclesiæ, quàm ab vniuersis vrbis iam dictæ, annis singulis cum omni iucunditate & gaudio celebretur, totaq; tripudiet regio Germanorum, tanti Patris atque patroni aduentui non ingrata. Vos autem in Domino dilectissimi filij, Rex Francorum, tuiq; fideles, quamuis inuidendi Teutonicæ genti videamini iustam quidem habere materiam, ita, vt putatis, meritò de Alemannorum vobis lætitiâ sit dolendum; considerantes tamen & Dei omnipotentis & inuicti Martyris sui voluntatem, quem ablatum plangitis, consolationis tandem admittite placamentum, pensantes attentiùs, quòd nec vobis totus ablatus est: quippe qui charissimos prædicationis suæ & passionis consortes Rusticum & Eleutherium in dilectionis adhuc & tutelæ pignus & certitudinem dereliquit. Nec dolete, si Germanos iam visitare dignatus est vel defunctus, qui vobis adhuc viuens prædicauit, & apud vos bonum certamen certando, cursum consummãdo, fidem seruando, triumphum peregit victoriosissimæ passionis, Apostolatus sui super vos signa, tam in vitâ perficiens, quàm in morte. Cur igitur Alemanniam ipsius ossa fouere non permittatis in solatium & tutelam, quem vobis Athenæ, vt Christo lucrifaceret vos, viuum recipere, audire, & cælo transmittere permiserunt? Accedet nihilominùs consolationis & alia ratio, & auctoritas scilicet & excellentia subtractoris. Pretiosum quidem thesaurum vos perdidisse fatemur, sed ablatoris attendite dignitatẽ, simulq; Patris & Apostoli vestri gloriæ congaudete, qui cùm vos meritorum atque doctrinæ suæ gazâ ditauerit, vt Reliquiarum saltem suarum ac ossium pretiositate locupletaret Teutonicas etiam apothecas, tam deuotum furem sui corporis habuit, quàm insignẽ, auro vtique & topazio meliorem: qui sui valore ad ossa sua sanctissima subtrahenda Cæsareum etiam verticem inclinauit. Nec Maiestas Imperialis, nec Regia Celsitudo pij furis hîc notam aut nomen erubuit in Arnulpho, dummodò beati corporis opibus, vel doli, vel furti, vel sacrilegij modo satiari atque ditescere mereretur, qui fures atque sacri-

sacrilegos erat solitus condemnare. Dummodò macarij Dionysij pretioso corpore frueretur, fur ipse tunc fieri & sacrilegus non contempsit. Cùm insuper fides atque deuotio dubium etiam omne per hoc penitus amputauit, quòd non in ipsâ Româ, non in quacumque metropoli, non in vrbe qualibet regni vel arce sibi studebat eligere sepulturam, sed vbi suum se Dionysium condidisse & sciuit & lætabatur, suo se sperans patrocinio defendendum & conresuscitãdum in die nouissimo cum Beatis. Præsentibus igitur dilectionem vestram monemus attentiùs, & hortamur in Domino, districtè præcipientes, quatenus Rustico & Eleutherio piè cõtenti, non fallentes vosmetipsos & alios, beatissimi Dionysij ossa in vrbe Ratisponensium apud Ecclesiam B. Emmerami Martyris & noscatis & fateamini coruscare. Datum & actũ Ratisponæ per manus Friderici Diaconi Bibliothecarij & Cancellarij sanctæ Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, anno Domini M. L I I. anno Pontificatus Domini Leonis IX. Papæ quarto, Indict. V. Nonis Octob.

Hactenus diploma, seu constitutio, vt vocat Baronius, Leonis IX. Papæ, quam se in veteribus Pontificum Romanorum scriptis Antonij Augustini aliquantùm mendosam reperisse scribit. Fuit ille Antonius Augustinus scriptor Hispanus, & Ilerdensis Episcopus, vitâ & doctrinâ insignis, sed auctor admodum recens, qui vndiquaque Pontificum scripta & Constitutiones corrasit. Baronius porrò post adductam illam Papæ constitutionem vicissim adfert, quæ contrà adferant Franci, ac præsertim Rigordus, antiquus Scriptor natione Gothus, Regis Francorum Chronographus, qui sub Philippo Augusto Francorum Rege, & sub eius filio Ludouico floruit, & de gestis eiusdem Philippi librum edidit. Non dirimit tamen nec discutit litem Baronius, sed tamquam longo in opere fessus, atque ad extrema anhelans, tantùm hanc de sancti Dionysij corpore altercationem ei comparat, quæ inter Cassinenses & Floriacenses de beati Benedicti sacro pignore multa intercessit sæcula. Ego verò, qui labores meos, vt in longè minori itinere exercitus, ad enucleandas penitus antiquissimorum Sanctorum Vitas proferre longiùs possum, statui hanc ita controuersiam elucidare, vt qui honorare ac venerari tam sanctum ac tam salutiferum pignus velit, cognoscere ex scriptis nostris possit, vbi illud potissimùm sibi requirere debeat.

Ac pro Ratisponensibus quidem, præter ea quę superiùs in medio sunt posita, & vnius fortè atque alterius noui Scriptoris auctoritatem, nihil admodum reperio quod adiicere possim. At pro Francorum causâ permulta occurrunt, quæ aperiendæ & asserendæ veritatis gratiâ depromere habeam. Cùm enim isti fortius pro se nihil attulerint, quàm litteras, quas prætendunt, Pontificias; valerent eæ profectò permultum, si tales esse constaret, ac non potiùs fictitiæ aut subreptitiæ à magnis viris haberentur: valerent, si ex archiuo Romano emanassent, ibique à Baronio eius accuratissimo perscrutatore inuentæ essent, non autem ab eo desumptę, quem sit probabile de Ratisponensi officinâ mutuatum. Nam qui primus omnium illas epistolas in lucẽ protulit (quod quidem ego post diligentẽm inquisitionem scire potuerim) fuit Ioannes Auentinus Scriptor hæreticus, qui centum circiter antè annis scripsit: post illum autem (haud scio tamen an ex illo) Antonius Augustinus, de quo suprà; certè ex Antonio Augustino Baronius, vt ipsemet fatetur: è Baronio autem, vt pleraque alia sine alio iudicio, Seuerinus Binius, qui & in Tomos Conciliorum, vt indicaui suprà, immisit. Contra illas porrò epistolas primò facit, quod narrat Rigordus in libro de Gestis Philippi Augusti, ad annum eius quintum, & recitatur quoque à Baronio, Tomo XI. Annalium, Christi anno 1052. nempe iussam ab Henrico I. Francorum Rege inspici & aperiri capsam sancti Dionysij, præsentibus regni Proceribus, & hoc esse factum anno Domini 1050. inuentumque eiusdem Sancti corpus præter ossa duo è collo, quæ data fuerant Ecclesiæ Vergiacensi, & vnum è brachio, quod Stephanus III. Pontifex Romam olim asportauerat. Verba Rigordi sunt hæc: *Iste Henricus Rex, auditis rumoribus, quòd in Alemanniâ, in ciuitate Ratisponâ, in Abbatiâ S. Emmerami martyris inuentum fuit quoddam corpus, quod dicebant esse Dionysij Areopagitæ, misit nuntios suos ad Henricum Imper. cum litteris suis, vt diem eleuationis illius protelaret, quousque per certos nuntios, vtrùm corpus hieromartyris Dionysij Areopagitæ Athenarum Archiepiscopi, discipuli Apostoli Pauli in Franciâ, in Ecclesiâ, quam Dagobertus fundauerat, esset, vel non, plenissimè certificarentur. Quo audito, Imperator misit magnos viros & sapientes in Franciã, vt plenè rei veritatem agnoscerent. Visis nuntiis Imperatoris, Henricus Rex cõuocauit Archiepiscopos, Episcopos & Barones totius regni,*

regni, & cum Odone chariſſimo fratre ſuo ad Eccleſiam beatiſſimi Martyris Dionyſij miſit. Factâ autem oratione, allata ſunt tria vaſa argentea Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij coram omni populo, diligentiſſimè ſigillata: & aperto vaſe B. Martyris Dionyſij, totum corpus ipſius cum capite inuentum eſt, exceptis duobus oſſibus de collo, quæ ſunt in Eccleſiâ Vergiacenſi, & oſſe quodam de brachio, quod Stephanus Papa III. ſecum ad Romanam portauit Eccleſiam, & poſuit in Eccleſiâ, quæ hodie Schola Græcorũ vocatur. Hoc videntes vniuerſi populi, cum lacrymis & ſuſpiriis puras manus leuantes ad Dominum, Deo & beatæ Mariæ Virgini & ſanctis Martyribus ſe commendantes, cum gaudio receſſerunt. Tunc nuntij, qui miſſi fuerãt, ad Imperatorem citiſſimè reuertentes, ſuper his quæ viderant & audierant, Imperatorem pleniſſimè certificauerunt. Hoc fuit factum tempore Leonis Papæ I X. anno Domini M. L.

Sciebant igitur Cœnobitæ Dionyſiani, quid, & quantum, & quibus datum à ſe eſſet è Reliquiis S. Dionyſij, antequam id diploma Pontificium à Ratiſponenſibus ederetur: nempe minimùm oſſa tria, vnum Pontifici, duo Eccleſiæ Vergiacenſi, & quidem ante annum milleſimum quinquageſimum. Quomodo igitur fieri poteſt, vt fuerit integrum, exceptâ vnicâ minimâ particula manus dextræ, duobus annis pòſt, hoc eſt, anno Domini milleſimo quinquageſimo ſecundo, vt litteræ Ratiſponenſes præferunt?

Prætereà cùm ab iiſdem Cœnobitis Dionyſianis ex anno illo Domini M. L. quo viſitatæ fuerunt ſancti Martyris Reliquiæ, & apertâ coram omni populo ſacrâ thecâ, ſartæ tectæ inuentæ; cùm, inquam, cœperit illius diei ſolemnitas quotannis deinceps celebrari, & *detectio corporis B. Dionyſij* appellari (quemadmodum & in hodiernum diem appellatur & celebratur) quomodo Pontifex Stephanus (ſi quidem diploma illud contra illos fecit) non illis eâdem operâ efficaciter iſtius feſtiuitatem ſolemnitatis interdixit? Quomodo nec vllus poſteriorum Pontificum prohibuit? Nam hodieque ad nonam Iulij eam ſolemnitatem, nullo vetante, nullo repugnante, celebrant. Quin & Nicolaus II. Pontifex, Stephani IX. iam laudati ſucceſſor, in Bullâ, quam tertio Pontificatus ſui anno edidit, manifeſtè indicat, ſancti Dionyſij corpus in illo ſæpiùs nominato eiuſdem Martyris cœnobio requieſcere. Exſtat illa Bulla apud Iacobum Dublæum libro 2. Antiquitatum Abbatiæ ſancti Dionyſij, capite 9. Quin & Nicolai II. ſucceſſor Alexander II. in ſuâ item Bullâ datâ anno quarto ſui Pontificatus, Indictione IV. idem prorſus indicat hiſce verbis: *Quapropter notum facimus præſentibus & futuris omnibus, videlicet Regibus & Ducibus, Principibus & Dominatoribus, ſeu cunctis Apoſtolicæ Sedis fidelibus, quòd Venerabilis Abbas Rainerius & Monachi monaſterij beati Dionyſij Martyris, vbi ipſe Sanctus in corpore requieſcit, noſtram præſentiam adierunt, ſupplíciter poſtulantes, quatenus priuilegia eidem monaſterio à Domino Dagoberto Francorum Rege, ipſius loci fundatore cõceſſa*, &c. Vide Dublæum ibidem, cap. 10. Si igitur Stephanus IX. ſancti Dionyſij corpus Cœnobitis Dionyſianis abiudicaſſet; quâ ratione, amabò, proximi eius duo ſucceſſores adiudicarent? Denique nullo vmquam tempore ceſſarunt Reges Galliæ, ne quidem poſt illas, vt quidem appellant, Stephani litteras, ad S. Dionyſij Reliquias, tamquam in illo Dionyſiano cœnobio præſentes, adire, & opem à regni ſui Patrono & tutore expoſcere. Hinc anno milleſimo centeſimo nonageſimo, Philippus Auguſtus Rex Francorum ad Terræ ſanctæ recuperationem profecturus, priùs ad S. Dionyſium, opis impetrandæ gratiâ, profectus eſt. De quo, is qui tum viuebat, Rigordus ſic ſcribit: *Ideò Chriſtianiſſimus Rex ante corpora ſanctorum Martyrũ Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij humiliter ſuper pauimentum marmoreum in oratione proſtratus, Deo & beatæ Virgini Mariæ & ſanctis Martyribus & omnibus Sanctis ſe commendauit. Tandem cum lacrymis ab oratione ſurgens, ſportam & baculum peregrinationis de manu Guilielmi Rhemenſis Archiepiſcopi, auunculi ſui, Apoſtolicæ Sedis Legati, deuotiſſimè accepit.* Deinde anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo, Regina ipſa de mariti profectione & profectu ſollicita, pari pietate ad eadem ſacra pignora oratum vnà cum regni Proceribus accedit; & dum hîc Regina orat, tum ibi Rex Acconem, vrbem Paleſtinæ munitiſſimam, obſidet, & ſe dedere coactam capit. Rem ita narrat idem Rigordus. *Eodem anno*, inquit, *octauo Kal. Septembris, conſilio Domini G. Rhemenſis Archiepiſcopi, & Adelæ Reginæ, & omnium Epiſcoporum, corpora beatiſſimorum martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, cum puriſſimis vaſis argenteis, in quibus diligentiſſimè ſigillata continebantur, ſunt extracta, & ſuper altare poſita, adiunctis ibi alijs corporibus Sanctorum in eadem Eccleſiâ quieſcentium, vt ibi fideles*

fideles ad tam sanctum spectaculum conuenientes, cum gemitu & suspirijs, pro sanctâ Terrâ liberandâ, & pro Rege Francorum & vniuerso comitatu suo, puras manus cum Moyse leuantes, ad Dominum preces funderent: quia non in armorum potentiâ, sed in Christi virtute & miseratione Christiani confidunt; nec in se, sed in Deo virtutem faciunt, superantes populos infideles, & ad nihilum redigentes inimicos Crucis Christi. Sequenti verò festo B. Dionysij, aperto vase argenteo, in quo corpus sacratissimi Dionysij Martyris continebatur, assistentibus venerabilibus Episcopis Siluanectensi & Meldensi, & Adelâ Francorum Reginâ, & multis Abbatibus & viris religiosis, totum corpus ipsius cum capite, vt prædiximus, est inuentum, & vniuersis Dei fidelibus, qui de longinquis partibus, orandi causâ conuenerant, deuotissimè demonstratum. Vide ibi plura.

Prætereà anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, cùm Innocentius IV. Pontifex ob Friderici Imp. violentiam, ad S. Ludouicum in Franciam confugisset, idemque Ludouicus eo tempore grauissimum in morbum depositâ valetudine incidisset, ipse & Serenissima eius mater Blancha Regina ab Odone sancti Dionysij Abbate poposcerunt, vti sacratissima corpora Dionysij, Rustici, & Eleutherij, *quorum patrocinijs* (vt verbis vtar Nangij) *tota gaudet regio, regni stat potentia, de cryptâ, in quâ quiescebant* (quò suis precibus Regi sanitatem à Domino impetrarent) sine cunctatione educerêt, propalamq; collocarent. *Rex siquidem post Dominum & sacratissimam Virginem matrem* (vt idem loquitur Nangius) *in ipsis, vtpote in suis & regni sui aduocatis & protectoribus, cõfidentiùs sperabat: nec immeritò. Quid enim posset Dominus B. Dionysio denegare, qui eidem in carcere propter fidem Catholicã retruso dixerat:* DILECTIO ET BENIGNITAS QVAM HABES, SEMPER PRO QVIBVSCVMQVE PETIERIS, IMPETRABIT. Denique, vt breuiter comprehendam, quę pluribus idem Auctor persequitur, educta sunt in lucem præsentibus Carolo Nouiomensi, & Petro Meldensi Episcopis, ac propalàm venerationi exposita sanctorum Martyrum Dionysij & sociorũ corpora; quæ cùm solemni in Processione & Supplicatione populi deportarentur, ex eâ statim horâ reualescere Rex sanctus cœpit, & breuî tam ad incolumitatem & prosperitatem regni, quàm ad Terræ sanctæ subsidium (in quod & opes omnes & vitam ipsam ardenter posthac impendit) penitus conualescere. Quis nunc igitur dubitare potest, quin etiam tunc ipsum re verâ sancti Dionysij sacrum corpus in Franciâ & in dicto cœnobio esset, atque idem ipsum & non aliud à B. Ludouico & sanctissimâ eius matre coleretur?

Secundò, Litterarum Ratisponensium auctoritatem valdè infringit Otho Frisingensis, Episcopus bonus & antiquus, & fidei veritatisque studiosissimus Scriptor, quem meritò Bellarminus *insignem nobilitate, pietate & doctrinâ* prædicat, quippe Henrici IV. Imper. nepotem, Henrici V. sororium, Conradi Regis fratrem vterinum, Friderici I. Imper. patruum, qui totam hanc nobilitatem, vt Monachus fieret Cistertiensis, volens lubens Deo submisit. Christus verò eum primò Abbatem, dein Episcopum esse voluit. Is ergo, licet causæ illi non deessent, quamobrem Ratisponensibus magis faueret quàm Francis (si fauori quidem contra veritatem locus esset) nam & Germanus erat, & Leopoldi Ducis Baioariæ, vbi Ratispona est, frater; tamen hanc Ratisponensium fabulam ita perstrinxit, vt irridere eos, non ipsis credere videretur. Ita enim scripsit libro sexto Chronici, cap. 11. *Dilexit verò* [Arnulphus] *præ ceteris regni sui locis metropolim Baioariæ Ratisponam. Vnde & muros eius ampliauit, monasteriumq; sancti Emmerami pluribus ornamentis adornauit, ac largis possessionibus locupletauit. Tradunt ibi, scriptumq; monstrant, quòd prædictus Rex sanctum Dionysium à Galliis ad præfatum monasterium transtulerit. Quod vtrùm ita sit, ipsi viderint.* Ita ille. quasi dicat, *ego autem non credo.* Nam si credidisset, eodem quo superiùs sermone vtens dixisset, *præcipuè sancti Dionysij corpore è Gallijs traducto honorauit*, aut certè simili quopiam sermonis genere vsus esset. Is autem Otho longè est fide dignior quàm aut Auentinus, aut Crantzius, quos quadringentis saltem annis antecessit.

Tertiò, VVitichindus, qui annis minimùm sexcentis eosdem Auentinum & Crantzium scribendo anteiuit, & illis litteris Ratisponensibus integro sæculo antiquior fuit; is, inquam, VVitichindus libro 1. Gestorum Saxonicorum scribit, Carolum Simplicem Francorum Regem, aduersus quem sui Principes tum rebellauerant, misisse manum sancti Dionysij ad Henricum Saxonicorum Regem (nempe anno Domini 920.) amicitiæ eius sibi conciliandæ gratiâ. Verba eius sunt hæc: *Quando verò Rex Rhenum transiuerat ad dilatandum super Lotharios imperium*

suum, occurrit ei Legatus Caroli, & salutato eo verbis humillimis, Dominus meus, inquit, Carolus regiâ quondam potestate præditus, modo priuatus, misit me ad te, demandans quia nihil ei ab inimicis circumuento iocundius, nihil dulcius esse posit, quàm de tui magnifici profectus gloriâ aliquid audire, famâ virtutum tuarum consolari. Et hoc tibi signum fidei & veritatis transmisit; protulitq; de sinu manum pretiosi martyris Dionysij auro gemmisq; inclusam, Hoc, inquit, habeto pignus fœderis perpetui & amoris vicarij, &c. Vide suprà Cap. XXIX. Vitæ ipsius S. Dionysij.

Iam si verum est quod Ratisponenses asseuerant, totum se corpus sancti Dionysij accepisse ab Arnulpho Rege Baioariorum, sub annum Domini circiter 890. (nam sub id tempus regnabat) vnde habere potuit Carolus Simplex annis triginta pòst manum illam, quam ad Henricum Imper. misit? Si è Franciâ (inde enim se mittere indicat) ergo non totum corpus, exceptâ minimâ manus particulâ, iam Ratisponæ erat: sin Ratisponâ habuit, & in Saxoniam transmisit, quomodo centum pòst annis eoque amplius, hoc est, anno 1052. (vt ipsi aiunt Ratisponenses) decerni potuit, integrum apud eos corpus esse? cuius multæ partes in varia loca transportatæ iam erant, manus in Saxoniam, os brachij Romam, alia ossa in Burgundiâ, & aliæ aliò eiusdem sacri corporis Reliquiæ? De quibus vide Antiquitates Abbatiæ S. Dionysij in Franciâ, l. 1. c. 30.

Quartò, In iisdem Ratisponensium litteris furtum illud, siue potiùs nefarium sacrilegium, quo ad se translatum Dionysij corpus ferunt (si quidem res vera esset) verbis mollibus & vanis, molestamque consolationem afferentibus, & Imperatoris pietate excusatur; cùm tamen satis constet, eum longè impiissimum fuisse: quem & impij Herodis morbo ob sua flagitia periisse, cuncti ferè scribunt Historici. Luithprandus certè vir *ob eruditionem & prudentiam multæ*, vt ait Bellarminus, *auctoritatis* (is est quem Berengarius Imperator Legatum misit ad Constantinũ Imp. Grçcum) libro 1. Rerum ab Europæ Imperatoribus ac Regibus gestarum, ita de Arnulpho per letale poculum à sensibus alienato scribit: *Credo autem Arnulphum Regem iustâ seueri iudicis censurâ huiusmodi pestem incurrisse. Secundæ enim res, dum imperium huius vbique magnificarent, virtuti suæ cuncta tribuit, non debitum omnipotenti Deo honorem reddidit. Sacerdotes Dei vincti trahebantur: sacræ Virgines vi opprimebantur, coniugatæ violabantur. Neque enim Ecclesiæ confugientibus poterant esse asylum. In his namque symbola faciebant, gestus turpes, cantus ludicros & debacchationes. Sed & mulieres in eodem publicè prostituebantur.* Et paulò inferiùs de morte eius turpissimâ sic subiicit: *Profectusq; in propria, turpißimâ valetudine expirauit. Minutis quippe vermibus, quos pedunculos aiunt, vehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem, quòd præfati vermes adeò scaturirent, vt nullis Medicorum curis minui possent.* Sic ibi. Et nihilominùs illæ suprà positæ litteræ volunt, vt Rex Franciæ congaudeat Apostoli sui gloriæ, *qui tam deuotum furem sui corporis habuit, auro vtique & topazio meliorem.* Hem absurditatem! Et quidem post tanta flagitia & sacrilegia litteris ad posteritatem exarata non erubuit scriptum illud Ratisponense de illo hæc enuntiare: *Qui fures atque sacrilegos erat solitus condemnare.* Baptista item Egnatius libro 3. Romanorum Principum, eiusdem Arnulphi scelera & scelerum pœnas ita quàm breuissimè perstrinxit: *Qui aduersus Nortmannos res egregias primò gesit, mox in rapinas, templorumq; spoliationes conuersus, iustâ Numinum irâ plectitur. Nam & prior illum felicitas deserüit, & breuî pediculari morbo confectus obijt.* Simillima reperies apud Iacobum VVimphelengium in Epitome rerum Germanicarum capite decimoquinto. sic enim scribit: *Arnulphus, septimus à Carolo Magno Imperator, primò quidem strenuè sumptis armis Nortmannos rebelles perdomuit; verùm mox in Ecclesiasticos sæuiens, Dei nutu pediculari morbo, quem Græci φθειρίασιν vocant, breuî consumptus est, relicto filio Ludouico successore. Non inuenimus quempiam filios filiorum suorum vidisse, aut feliciter tandem mortuum, qui Clerum, qui Ecclesiam, qui Dei ministros persecutus damno vel contumeliis eos affecisset.* Ita ille. Quibus omnibus succinit Iacobus Pino in Serie Romanorum Imperatorum, his versibus:

Arnulphus subit, egregias qui gesit in ipso
Auspicio imperij res strenuus: inde rapinas
Sectatus, spoliat templa & donaria Diuûm:
Vnde luit pœnas, consumptus Numinis irâ
Vermiculis, nonum intereà dum clauditur æuum.

id est, expirauit exeunte nono Christi sæculo, siue sub annum Domini nongentesimum.

Quintò,

Quintò, Quomodo potuit tanti Francorum Apostoli corpus, tantâ semper curâ custoditum, tantâ populorum veneratione cultum, tanti à cunctis Francorum Regibus æstimatum, aut insciis aut dissimulantibus sancti Dionysij Cœnobitis è cryptâ suâ erui, è monasterio educi, è regno efferri, vt nullus omnino ad quemquam Francorum rapti sui Apostoli rumor aut murmur emanaret? nullus verbum vnum faceret? Nam fingere, omnes prorsus Religiosos illius cœnobij ita vino somnoque fuisse obrutos sepultosque, vt quid domi gereretur, nescirent; vt claues ad tanti subreptionem thesauri vel vltrò offerrent, vel à se tolli non persentiscerent, nimis vanum, nimis ridiculum est. Adde verò, quod caput est, extremæ id nequitiæ & improbitatis videri, audere aliquem tantum & tam horrendum sacrilegium attentare: nimirum id quod aliquo in regno tam sacrum, tam religiosum sit, id quod tanto cultu & veneratione celebretur, id quo nihil pretiosius, nihil sanctius inter cunctas eius gentis Reliquias habeatur, iustis tam longi temporis successoribus sine causâ suffurari.

Quin & hoc fortassis minimè contemnendum aliquis iudicauerit, totam Ratisponensium de hac ad se translatione fabulam, ortum habere & principium ab hominis nequam & sacrilegi dicto & iureiurando: cui potiùs creditum sit dicenti illud corpus, quod Ratisponam afferret (si quid tamen attulit) esse corpus sancti Dionysij, quàm omnibus simul Religiosis Dionysiani Cœnobij id sanctè pernegantibus, atque apud se esse palàm monstrantibus, imò & externis Regibus ac Principibus id profitentibus. Vide suprà Caput XXVII. Vitæ, vbi verba sancti Eduardi Regis Anglorum, scripta anno Domini millesimo quinquagesimo nono, laudaui, in quibus dicit, sanctum Dionysium apud Anglos quidem celebris memoriæ nominari, apud Francos autem coli & haberi. Si ergo apud Francos erat anno millesimo quinquagesimo nono, quomodo decerni potuit, anno millesimo quinquagesimo secundo fuisse olim in Germaniam translatum, atque etiamnum esse Ratisponæ? Maneat proinde, vt longè probabilius, dictum S. Dionysij corpus in Franciâ potiùs esse, quàm vspiam alibi: & hic sit Quæstionum finis.



ARGVMENTA ET TESTIMONIA PRO OPERIBVS S. DIONYSII EX VINDICIIS AREOPAGITICIS R. P. MARTINI DELRIO SOC. IESV.



Vm pleraque aduersariorum argumenta, quæ ad Operum S. Dionysij auctoritatem eleuandam obijciunt, fusè satis & accuratè à Reuerendo P. Petro Halloix Quæstione II. quæ est de Scriptis S. Dionysij, soluta & refutata sint, ne ijsdem repetendis Lectori nauseam moueamus, ex VINDICIIS AREOPAGITICIS R. P. MARTINI DELRIO *ea dumtaxat argumenta & antiquorum testimonia proferemus, ad quæ Halloix compendij causâ Lectorem remittit: & sanè tantum ponderis habent ad hæc Opera* S. DIONYSIO *vindicanda, vt nemo prudens ampliùs de iis dubitare posse videatur.*

EX CAPITE VIII.

Quî factum, vt tot annis hæc Opera Dionysij latuerint.



D nunc superest ambiguitatis: vix enim quibusdam credibile visum, tot sæculis B. Dionysij Areopagitę, tam clari & Apostolici viri libros occultari potuisse; atque suspectum est, eos tam subitò ex adeò diuturnis tenebris & abditis latebris emersisse. Nec noua quæstio est, nec intacta D. Dionysij Vindicibus, qui causas peridoneas redditerũt. Prima est Suidæ & Anastasij Bibliothecarij, quam his verbis Ioannes Saracenus proposuit Epist. ad Odonem S. Dionysij Abbatem: *Quia Catholici obtestatione S. Dionysij erant obstricti, ne imperitæ multitudini, sed solis doctis sua scripta, quasi multorum capacitatem excedentia, reuelaret: doctis autem paulatim deficientibus (culpâ eorum maximè, vt reor, qui prælationes Ecclesiarum suis quibuscumque conferunt, litteratos respuunt) quibus committerent, non habuerunt. Forsitan etiam inde Hieronymus excellentissimum Areopagitam, inter Ecclesiasticos scriptores non connumerauit, quia eius libros, tamquam eminentes, non putauit ad communem notitiam deputatos.* Sic ergo hæc prima causa, caligo & obscuritas scriptionis, quam pauci poterant dispellere, & intelligentiâ penetrare. Hinc enim nata paucitas describentium, & legentium raritas; quam secuta secordia & neglectio contemnentium non intellecta, vt fieri videmus, & Iuliano Apostatæ beatus Nazianzenus exprobrauit. Semper aliquos fuisse qui libros nouerant, ex sequentibus patebit: quare non omnibus, sed plerisque ignoti latuerunt: quod minùs mirandum, cùm plerisque Scriptoribus sciamus accidisse. Porrò D. Dionysij obtestatio illa continetur de Ecclesiasticâ Hierarchiâ Cap. 1. in principio & fine; de Diuinis nominibus Cap. 1. de Mysticâ Theologiâ Cap. 1.

Vbi nota, S. Dionysium passim Timotheo inculcare, vt solis Antistitibus sui similibus hæc scripta communicaret; & tamquam arcana quædam sacra vulgo inaccessa atq; intemerata seruaret. Quod non mirabitur, quisquis non ignarus est, quàm studiose in Ecclesiâ primitiuâ Sacramen- *Corderij animaduersio & responsio.*

cramentorum & sacrarũ cærimoniarum religionisque mysteria, nondum initiatis ac profanis hominibus abscondi soleant, ne daretur sanctum canibus, aut porcis spiritales margaritæ proiicerentur. Quare cùm Origenes, Eusebius, atque S. Hieronymus, Scriptorum Ecclesiasticorum catalogum texentes, nullam Operum sancti Dionysij mentionem faciant, non inde sequitur, hæc Opera tunc nondum extitisse, aut ex ignoratione ab ipsis omissa fuisse; quin potiùs eadem religionis studio siluisse putandi sunt, ne dum ipsorum Catalogi ad omnium passim manus deuenirent, si in iis horum librorũ (quos Ecclesia ipseque Dionysius non secùs ac mysteria quæ in ipsis accuratissimè explicantur, rudioribus abscondi cupiebat) mentio fieret, curiosis ansa præberetur, ipsos, vti in vetitum semper nitimur, studiosiùs inuestigandi, & consequenter tam eos quàm sacra mysteria in iis contenta, contra præceptum Domini, & mentem Ecclesiæ, profanis & impuris hominibus propalandi.

Hæc autem videtur mihi fuisse ratio verissima & probabilissima, cur in communem scriptorum Catalogum olim sancti Dionysij Opera non fuerint recensita. Confirmat hanc opinionem meam Epistola Nicolai Papæ ad Carolum Caluum, cuius meminit Baronius Tom. x. anno Christi 878. Cùm enim Ioannes Scotus Eremigena Athenis studuisset, & ibidem, vti curioso erat ingenio, exemplar aliquod Græcum S. Dionysij inuestigando nactus esset, suâ manu clàm descriptum secum in Gallias detulit, & à se Latinè interpretatum Carolo Caluo dedicauit ac publicauit. Hoc intellecto, Nicolaus Pontifex Maximus, quòd nimirum sub Regis Galliæ patrocinio S. Dionysij Opera, quæ hactenus in Ecclesiâ tamquam sacrum quoddam κειμήλιον apud sacros Antistites asseruabantur, publici iuris facta essent, ægrè tulit, vti par est, se inconsulto & minimè requisito id factum, & ausu temerario tentatum esse, & Carolum Regem his verbis admonuit: *Relatum est Apostolatui nostro, quod Opus beati Dionysij Areopagitæ, quòd de Diuinis nominibus, vel cælestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir Ioannes Scotus genere, nuper in Latinum transtulerit. Quod iuxta morem nobis mitti, & nostro indicio debuit approbari,* &c. Quibus verbis Pontifex Maximus haud obscurè significat, ista Opera esse S. Dionysij Areopagitæ, neque sine peculiari & expressâ Pontificis Romani approbatione euulgari debuisse. Haudquaquam sanè id Regi Galliæ scripturus, si Ecclesia, vti ceterorum Patrum Opera, ita & hæc ad manus passim omnium deuenire voluisset. Vnde patet, quàm friuolum sit argumentum istud negatiuum, quo aduersarij potissimùm nituntur, nimirum: S. Hieronymus, aliique veteres non faciunt mentionem Operum S. Dionysij Areopagitæ, ergo sunt suppositia. Licet enim per se argumentum istiusmodi ab auctoritate negatâ secundùm Logicos nil concludat; quis non videat, multò magis istud infirmari ex eo, quòd tam multæ suppetant rationes, cur prædicti Auctores hæc Opera sancti Dionysij in communem catalogum non retulerint?

Aliam quoque causam reddit idem Anastasius Bibliothecarius, cùm testatur veram esse Græcorum sententiam, perhibentium, libros Dionysij ab antiquis hæreticis per multa sæcula occultatos, donec per quemdam Petrum Romanum (vt auctor Maximus) ex Bibliothecâ Romanæ Ecclesiæ (quæ fida semper custos fuit exemplarium optimorum) deprompti, in Græciam fuerunt asportati: & sic paulatim vulgò innotuerunt, quos priùs pauci Græci nouerant, Latini vix vlli. Neque mirandum est, auctorem Græcum Græcis à Latinâ Ecclesiâ manifestatum: quia, qui principio Atheniensium, posteà Parisiorum fuit Episcopus, à B. Petro in Gallias missus; vbi corpus, ibidem & libros suos, martyrio functus, dereliquit, qui Romam è Galliis portati. Auctores qui Corinthiorum quoque Episcopum putarunt fuisse, videntur cum altero Dionysio Corinthio confudisse. Verisimillimam hanc veterum hæreticorum perfidiam mihi faciunt tria. Primò, quia nunc Lutheranos & Caluinistas videmus tanto conatu eosdem niti libros ex hominum manibus eripere, & obliuione sepelire. Secundò, quia libros hosce non inuenio ab vllis hæreticis citatos, vsque ad tempora Monothelitarum, qui primi his abusi ad suum errorem stabiliendum, vt patet ex Concilio Romano sub Martino I. & Constantinopolitano in Trullo, tempore Constantini Pogonati Imper. de quibus posteà. Tertiò, quia scribit idem Anastasius suâ in Areopagitam Præfatione, *virum* (vt vocat) *magnum & Apostolicæ vitæ præceptorem, Constantinũ Philosophum totum hunc codicem B. Dionysij memoriæ commendasse, & quantum vtilitatis eius medulla haberet, solitum auditoribus commendare, & dicere: Quòd si Sanctos,* Delrio.

vide-

videlicet priores institutores nostros, qui hæreticos vix, & quodammodò cum fuste decollauerunt, Dionysium contigisset habere, acuto proculdubio gladio eos trucidassent. innuentem profectò huiusmodi dicto, quia quorum os laboriosius, & fortaße tardius, faciliùs & velociùs obmutescere fecissent. Quod de Arianis etiam Michaël Syngelus Martyr, in Martyris nostri Encomio testatus fuit: & de nostri temporis Nouâtibus testari possũt, quotquot Dionysium legerunt, & eorum hæreses cognouerunt. Ideò nunc isti tam multa moliuntur, vt hunc nobis omni acutiorem gladio diuinum sermonem extorqueant: sed, vt dici solet, non est facile clauam Herculi extorquere.

Tertiam causam reddunt Suidas & Pachymerius, petitam à Philosophorum (quos hæreticis Tertullianus Patres assignat) ambitione. Hos enim, perspectâ librorũ Dionysij profunditate & sapientiâ, præcipuè Proclum, pro viribus eos occultasse, & ex illis celebriores sententias vsurpasse pro suis, vt ipsi tam præclarorum sermonũ auctores haberentur. Idem vsu venisse principio Euangelij S. Ioannis, magnus Basilius conqueritur. Idem de Dionysij & aliorum veterum libris deplorat Marsilius Ficinus de Religione Christi cap. 22. sic scribens: *Ego certè reperi præcipua Numenij, Philonis, Plotini, Iamblichi, & Procli mysteria, à Ioanne, Paulo, Hierotheo, Dionysio Areopagitâ accepta fuisse. Quidquid enim de mente diuinâ, Angelisq́ue, & ceteris ad Theologiam spectantibus, magnificum dixerunt, manifestè ab illis vsurparunt.*

Corderius. Idem ab antiquo quodam Græco in Scholiis S. Maximi M.S. Codicis Dionysiani, obseruationis in morem annotatum fuisse, animaduertit Lansselius his verbis:

Ἀπὸ Σχολίων τινὸς φιλοπονωτάτου ἀνδρός:

Ἰστέον, ὡς τινες τῶν ἔξω Φιλοσόφων, καὶ μάλιστα Πρόκλος, θεωρήμασι πολλάκις τοῦ μακαρίου Διονυσίου κέχρηνται, καὶ αὐταῖς δὲ ξηραῖς ταῖς λέξεσι. Καὶ ἔστιν ὑπόνοιαν ἐκ τούτου λαβεῖν, ὡς οἱ ἐν Ἀθήναις παλαιότεροι τῶν Φιλοσόφων σφετερισάμενοι τὰς αὐτοῦ πραγματείας, ὡς ἐν τῇ παρούσῃ ἀπομνημονεύει βίβλῳ, ἀπέκρυψαν, ἵνα πατέρες αὐτοὶ ὀφθῶσι τῶν θείων αὐτοῦ λογίων· καὶ κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ νῦν ἀνεφάνη ἡ παροῦσα πραγματεία πρὸς ἔλεγχον τῆς αὐτῶν κενοδοξίας καὶ ῥαδιουργίας. Καὶ ὅτι συνήθες αὐτοῖς, τὰ ἡμέτερα σφετερίζεσθαι, διδάσκει ὁ θεῖος Βασίλειος εἰς τὸ, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, ἐπ' αὐτῆς τῆς λέξεως οὑτωσὶ λέγων· Ταῦτα οἶδα, πολλοὺς τῶν ἔξω τοῦ λόγου τῆς ἀληθείας μεγάλα φρονούντων ἐπὶ σοφίᾳ κοσμικῇ, καὶ θαυμάσαντας, καὶ τοῖς ἑαυτῶν συντάγμασιν ἐγκαταλέξαι τολμήσαντας. Κλέπτης γὰρ ὁ διάβολος, καὶ τὰ ἡμέτερα ἐκφερομυθῶν πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ ὑποφήτας. Καὶ οὗτος μὲν οὕτως. Τὰ δὲ Νουμηνίου τοῦ Πυθαγορικοῦ περιφανῶς λέγοντος· Τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωσῆς Ἀττικίζων; οὐδεὶς ἀρνήσασθαι δύναται, οὐχ ἡμετέρου, ἀλλὰ τῶν ἐναντίων ὄντος, ὡς μαρτυρεῖ καὶ Εὐσέβιος ὁ τῆς Παλαιστινῶν Καισαρείας καθηγησάμενος, ὅτι οὐ νῦν μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς Χριστοῦ παρουσίας συνήθες τοῖς ἔξω σοφίας τὰ ἡμέτερα κλέπτειν.

Ex Scholiis diligentißimi cuiusdam viri:

Sciendum, aliquos externos Philosophos, & maximè Proclum, sæpè vsum fuisse speculationibus B. Dionysij, quin imò meris etiam ipsis dictionibus. Vnde ex hoc suspicari liceat, antiquiores Athenis Philosophos, huius Opera sibi vindicantes, sicut in præsenti libro commemorat, occultasse, vt ipsi diuinorum eius librorum auctores ac patres viderentur; at diuinâ dispensatione nunc præsens Opus demonstratum est, ad ipsorum vanitatem & nequitiam redarguendam. Familiare autem ipsis fuisse, nostra vsurpare, diuinus docet Basilius in illud, In principio erat Verbum, Ioan. 1. *ita super eâ dictione disserens. Hæc noui multos ex iis qui exortes verbi veritatis in mũdanâ sapientiâ gloriantur, & admirari, & scriptis suis inserere audere, diabolus enim fur est, & nostratia suis interpretibus per fabellas insusurrat. Et hic quidem sic. Hæc autem Numenij Pythagorici apertè dicentis: Quid enim est Plato, nisi Moyses Atticè loquens? nemo negare potest, cùm is noster non sit, sed aduersariorum, prout etiam testatur Eusebius Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, quòd non tantùm modò, sed etiam ante Christi aduentum pro more habuerint profani sapientes nostra furari.*

EX CAPITE IX.

Argumentum ex ipsis Dionysij libris petitum, ad probandum γνήσια *esse Opera.*



NVNC *adspice num magè sit nostrum penetrabile telum*, geminum dumtaxat, sed bono præmunitum chalybe, & probè amentatum, sumptum ex pharetrâ rectæ argumentationis, exacutum cote Lydiâ, quam prudentiores Critici semper huiusmodi controuersiis dirimendis adhibuerunt. Nihil est in Opere toto, quod indicet,

cet, illud falsò adſcribi B. Areopagitæ. ſed omnia contrarium ſuadent. Iudicium de libri auctore pendet, à ſtilo, materiâ, methodo, & aliorum teſtimoniis. Teſtimonia ſequentibus Capitibus proferentur; cetera illa iſto Capite ſunt expendenda. Si ſtilú adſpicis, nihil illo ſublimius, nihil antiquitatem & æuum Apoſtolicum, & Philoſophiæ ſacræ energiam æquè ſpirat. nec negant aduerſarij. Methodus ſimplex eſt, & quali priores illi ſcriptores Eccleſiaſtici vtebantur, myſticam Theoriam practicæ commiſcens, plus artis occultans, quàm præ ſe ferat. Si materiæ dignitatem, & Theologicæ tractationis ſublimitatem, profunditatem, myſteria abditiſſima perpendas; inuenies eſſe doctrinam reuelatam, cæleſtem, verbis grandibus æqualem, & Pauli diſcipulo digniſſimam. Nam Lutherus, VVittakerus, & Scaliger eam reprehendentes, non magis intellexerunt quàm ego Iaponicas vel Æthiopicas litteras: phreneticis ſunt ſimiles, qui ceteros deſipere, ſe ſolos ſapere arbitrantur, & pronuntiant. Iure optimo Syngelus Martyr noſtrum nuncupat ἐν θεολόγοις θεοσοφώτατον, ἐν διδασκάλοις φωτισκώτατον, ἐν ἱεράρχαις πανιερώτατον, ἐν μάρτυσι λαμπρότατον, & alia huiuſmodi, per ſingulos Dionyſij libros diſcurrens. Optarem legi diſertiſſimum illud Syngeli Encomium, quod vnum deberet Nouantium petulantiæ & ſuperbiæ retundendæ ſufficere. Deinde ipſemet auctor libri, & quis ſit, & ſuum æuum apertiſſimè manifeſtat, ac ſe B. Pauli atque Hierothei diſcipulum profitetur, de Diuinis nominibus cap. 2. & 3. ſe funeri B. Mariæ Virginis interfuiſſe ſcribit, eiuſdem lib. Cap. 3. item ſe, Chriſto patiente, admirabile illud ſolis deliquium, cum Apollophane Sophiſtâ, obſeruaſſe, Epiſt. VII. ad Polycarpum. cuius eclipſis etiam Phlegon, Euſebius, Maximus, Syngelus, & alij meminerunt. A Carpo in Cretâ exceptum ſe hoſpitio tradit, Epiſt. ad Demophilum. cuius Carpi mentio apud Apoſtolum 2. Timoth. 4, 13. Timotheum docet ſuum magiſtro Paulo condiſcipulum fuiſſe, de Diuinis nom. c. 4. Eiuſdem rogatu Opus de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, & alterum de Diuinis nominibus compoſuit, cap. 2. de Diuinis nominibus. Scribit Epiſtolas ad B. Ioannem Euangeliſtam, prædicens illi liberationem ab exilio, & mutuum conſpectum, Epiſt. X. ad Titum Timothei cōdiſcipulum ſuumq́; Epiſt. IX ad quem etiam B. Paulus ſcripſit: item ad Polycarpū Epiſcopum Smyrnæorum, cuius ætas patet, quia meminit illius Apollophanis Sophiſtæ, Epiſt. VII. Polycarpi etiam meminit B. Ignatius, & B. Irenæus docet beati Ioannis fuiſſe diſcipulum. Scribit Caio Therapeutæ Epiſtolas quatuor, quem Caium B. Lucas nominat Actor. 19, 29. & ad eum S. Ioannes tertiam Canonicam Epiſtolam miſit, & fortè meminit eius Paulus ad Rom. 16, 23. Vtitur etiam ſolis teſtimoniis illuſtrium illius ſæculi virorum, vt S. Pauli Apoſtoli, & quem Hiſpanum fuiſſe nonnulli autumant, Hierothei, locis citatis; & beati Bartholomæi Apoſtoli, Myſticæ Theologiæ Cap. 1. & Iuſti Ioſeph, cap. 11. de Diuinis nominib. cuius fit mentio in Actis cap. 1, 23. ſancti Ignatij Martyris, vt antè dictum; & Clementis Philoſophi, qui ſiue fuit Actius Clemens, ad quem ſcribit Plinius Iunior, vt cenſet Baronius; ſiue Clemens Romanus Papa, vt vult Pachymerius in Paraphraſi, conſtat eum valdè deditum fuiſſe Philoſophiæ, ex eius Epiſt. ad Iacobum fratrem Domini; & nihil eſt quod cogat nos ad Clementem Alexandrinum confugere. Citat itaque Clementem aliquem Stromatæo antiquiorem, cap. V. de Diuinis nominibus. Sed etiam cap. III. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ indicat, ſuo adhuc tempore ſolitos in Eccleſiâ fideles vno præcinēte omnes ſubſequentes canere, ſine chororum alternatione, quam primus beatus Ignatius Antiochiæ introduxit, & ſub Conſtantio Imperat. in omnes Eccleſias fuit iſta conſuetudo deriuata, vt ex Baſilio Magno & Socrate Hiſtorico Gilbertus Genebrardus notauit Tom. II. Chronographię, ſæculo 1. Sunt & alia huius generis non pauca eódem ſpectantia, ſed iſta veritatis ſtudioſo ſuffecerint.

Quid ad iſta redargutor? os hominis! iactat magno hiatu, iſta omnia fictitia eſſe καὶ ὑποβολιμαῖα. Nobis fauet præſumptio, & onus probandi in illum transfert, qui temerariâ contentione nititur adeò clara teſtimonia ſolis ſuſpicionibus infirmare. Grauiſſimè & veriſſimè Cardinalis Baronius pronuntiauit, *Indignum ac nefas eſſe ſuſpicari, tam ſublimem, ac excellentem, & mente diuinitus illuſtratâ Theologum, cæli cardines perambulantem, Angelorum choros perueſtigantē, diuinitatis thronum adeuntē, & ſecreta rimantem, ipſum, inquā, tamquam ludionē in ſcenâ, ſuperinductâ laruâ ludere, aliumq́; ab eo qui eſſet voluiſſe mēdaciter fingere, alias mentiri perſonas, multaq́; falſa voluiſſe cōponere, quæ vt vera certaq́; vellet ab omnibus accipi; idq́; magno gloriæ ſuæ detrimento. Nam immortalem illam, quam ſibi* ex

ex suis diuinis planè scriptionibus gloriam comparasset, proprio occultato nomine, & alieno superinducto, inaniter prodigere visus esset: quam si, quod decet sapientem, dixerimus contempsisse; certè multa mentiri, sapiētis non fuit, eius præsertim, qui cælestia ac diuina pertractans, à leuissimâ quoque opinione mendacij procul debet abhorrere. Hactenus ille, tot tam euidentes atque prægnantes rationes adducens, atque in vnum congerens, vt nemo sanę mentis amplius refragari debeat.

EX CAPITE X. & seqq.

Testimonia Patrum; & primum ex beato Ignatio Martyre.

GVILIELMVS Budæus, sui temporis Ἑλληνικῆς σοφίας diligentissimus, oræ exemplaris Græci Dionysij Areopagitæ, multa Patrum testimonia adscripserat, quibus inducebatur, vt germana hæc sancti Patris Opuscula cēseret; quæ loca nobis Guilielmus Morellius, in Græcis typographus Regius, editione Parisiensi an. M.D.LXII. exhibuit, quo tempore puer illis operam litteris dabam. Cogor hîc illa nunc repetere, vt clarior appareat pertinacia aduersariorum: sed addam illis alia multa. Ceterùm Budæana testimonia quædā aperta sunt, quædam obscuriora; quæ vltima in sequentibus comprehendam. Diuidam enim probationum ex testimoniis agmen in multos velut manipulos testium, propter eorum multitudinem. Hæc testimoniorum probatio semper visa fuit Orthodoxis sufficere, etiam in fidei quæstionibus decidendis; quas semper in Conciliis videmus terminari maiorum traditione, & Catholicorum Patrum sententiâ. Hac ego nitor, & pluris facio quouis nouitio acumine. Venio ad rem.

Budæus primò nitebatur nonnihil obscurâ, sed verisimili ex B. Ignatij scriptis coniecturâ, item ex scriptis Nazianzeni, Hieronymi, & Chrysostomi. Volebat ex hoc Opere quædam desumpsisse B. Ignatium Martyrem Epistolâ ad Trallianos, cùm scribit: *Etenim tametsi vinctus sim, & intelligere possim* τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰς Ἀγγελικὰς τάξεις, καὶ τὰς τῶν Ἀρχαγγέλων, καὶ στρατιῶν ἐξαλλαγὰς, Δυνάμεών τε καὶ Κυριοτήτων διαφορὰς, Θρόνων τε καὶ Ἐξουσιῶν παραλλαγὰς, Αἰώνων δὲ μεγαλότητας, τῶν τε Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ τὰς ὑπεροχὰς, τοῦ τε Πνεύματος τὴν ὑψηλότητα, καὶ τὴν Κυρίου τὴν βασιλείαν, καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸ τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ ἀπαράθετον, &c. quibus verbis appareat, non tātùm ad tradita à B. Dionysio allusisse, sed etiam ipsos loquendi modos obseruasse. Nam *res supercælestes, & Angelicos ordines, & Archangelorum & exercituum differētias, Virtutum & Dominationum discrimina, Thronorum & Potestatum distantias, Sæculorum verò magnificentias, Seraphim & Cherubim excellentias,* descripsit Cælestis Hierarchiæ Cap. VI. *Spiritus sublimitatem, Domini regnum, & præter omnia omnipotētis Dei incomparabilitatem* diuinè proposuit libro de Diuinis nominibus cap. XI I. Ex quibus duo colligo, priore loco, blasphemum fuisse Lutherum, qui non veritus dicere, de his scribentem Dionysium fuisse delirum senem, & merum somniatorem, cùm tamen videamus eadem omnia à beato Ignatio confirmari: posteriùs verò, hanc temporis Apostolici doctrinam fuisse, sensum, & loquendi modum; &, cùm Ignatius tantùm ea perstrinxerit, quæ Dionysius tam fusè explicauit, non hunc ab illo sumpsisse, sed ab hoc potiùs mutuatum illum debere iudicari.

Testimonia ex Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, & Chrysostomo.

EX his etiam arguebat Budæus, arbitratus diuum Hieronymum libro 2. Aduersus Iouinianum, seriem Angelicorum ordinum ex Dionysio nostro accepisse, his verbis: *Quare in regno cælorum Archangeli sunt, Angeli, Throni, Dominationes, Potestates, Cherubim, & Seraphim, & omne nomen quod nominatur, non solùm in præsenti sæculo, sed etiam in futuro? Sine causâ diuersitas nominum est, vbi non est diuersitas meritorum. Archangelus vtique aliorum minorum Angelorum est Archangelus: & Potestates, & Dominationes habent alia per quæ exerceant potestatem, & in quæ subiecta dominentur.* Si dicas, ex ipsomet Paulo mutuatum Hieronymum; quoad nomina facilè assentiar, non quoad illam subordinationem quam addidit, & propter quam subdit: *Hoc in cælis est, hoc in mysterio Dei, ne nos solito more irrideas atque subsannes, si Imperatores posuerimus, & præfectos, & comites, & tribunos, & centuriones, & manipulos, & reliquum militiæ ordinem.* Non arbitror aliò respexisse, quàm ad tradita & vbertimè explicata à beato Dionysio toto libro de Cælesti Hierarchiâ, præsertim Cap. VI.

Sanctus Gregorius Theologus lib. εἰς τὰ γενέθλια,

γενέθλια, in hanc ſententiam ſcripſit: *Et ita quidem Sancta ſanctorum, quæ à Seraphim conteguntur, & glorificantur tribus ſanctificationibus, quæ in vnam dominationem atq; deitatem coëunt: quemadmodum alius quiſpiam maiorum & pulcherrimè philoſophatus eſt, & ſublimiſſimè.* Quis iſte? non Iſaias, non enim vocaret *alium quempiam maiorum.* Nicetas in Annotat. de B. Athanaſio accepit, ſed neque hunc vix defunctũ videtur ſic appellaturus. Veriſimilior eſt Budæi ſententia, volentis ſignificari beatum Dionyſium Areopagitam, qui meritò ſic vocetur, & pulcherrimè ac ſublimiſſimè de his fuit philoſophatus Cæleſtis Hierar. Cap.7. Sanè Gregorium Nazianzenum fuiſſe non modò aſſiduum lectorem, ſed & imitatorem ſtudioſum noſtri Dionyſij, voluit vir optimus & doctiſſimus Billius Prunæus, Abbas S. Michaëlis, lib.1. Obſeruation. ſacrar. cap.23. cui Græcarum litterarum guſtum, credo, quiuis concedet.

Certè propter ſublimitatẽ ſcriptorum iſtorum, B. Chryſoſtomus in vltimo Sermonum ſuorum libro (ſic eum citat Anaſtaſius Bibliothecarius in Epiſt. ad Carolum Regem) Chryſoſtomus, inquam, vocauit noſtrũ Dionyſium πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ, *volucrem cæli*, eò quòd *pennâ haud metuente ſolui*, aduſque thronum Diuinitatis, ſupra Cherubim & Seraphim ſe, diuinæ gratiæ fauonio ſublatus, ſuſtulerit.

Teſtimonia ex Origene & Dionyſio Alexandrino.

Inter opera Origenis Adamantij Tomo 11. exſtant aliquot Orationes in varia noui Teſtamenti loca. Earum primâ ſcribitur: *In ipſo enim, vt os loquitur diuinum, viuimus, mouemur, & ſumus: &, vt ait magnus Dionyſius Areopagita, eſſe omnium eſt ſupereſſentia & diuinitas.* Locum habes apud noſtrum de Cæleſti Hierarchiâ c.4. Τὸ γὰρ εἶναι πάντων ἐστὶν, ἡ ὑπὲρ τὸ εἶναι θεότης. Si quis neget hanc Origenis Homiliam eſſe, antiquiſſimi ſanè ſcriptoris eſſe non negare poteſt, cùm eam pro Origenianâ Rufinus, vel quis alius ex Græco verterit. Potuit recentior interpres, vt ſcimus non rarò factũ, aliqua Origeni de ſuo addidiſſe: nam in eâ mentio fit Arianorum, qui Origene ſunt iuniores: ſaltem erit alicuius anonymi Patris antiqui.

Eodem fermè quo Origenes vixit tempore, B. Dionyſius Alexandrinus floruit, iuxta nonnullos Origenis auditor: hunc in iſta Dionyſij Areopagitæ Opuſcula ſcripſiſſe Scholia, teſtantur Anaſtaſius Sinaita Patriarcha Antiochenus, in libro quem vocat Ὁδηγοῦ, & Maximus Martyr in cap.5. Cæleſtis hierarchiæ. *Vnde refelluntur, qui Dionyſio Alexandrino hæc Opuſcula tribuere conati.* Sed cur Euſebius horum Dionyſij Alexandrini Scholiorum non meminit? Secutus inſtitutum ſuum, ne vel ſic Areopagitæ libros indicaret. Mala mens ſe prodidit, quia tacuit Alexandrini Dionyſij ſcripta, in quibus Arius tot annis antè damnationis præiudicio multabatur; contrà diligenter meminit illorum ſcriptorum, in quibus contra Sabellium acriter diſputans, viſus fuit quibuſdam Catholicis Arianiſmo fauere, non malitiâ, ſed incauto in aduerſarium feruore, vt eum accuſat Magnus Baſilius Epiſtolâ 41. ad Maximum philoſophum, quæ incipit, *Animorum imagines.* Habuerunt ergo Dionyſius Alexandrinus, & qui illum ſecuti Anaſtaſius & Maximus, hos libros pro Areopagiticis. Nam ſi Alexandrinus Dionyſius illos habuiſſet pro libris Dionyſij Corinthij, Anaſtaſius & Maximus id minimè reticuiſſent. nunc ſatis indicant quod dixi. Inter Dionyſium quoq; Alexandrinum, & Dionyſium Corinthiũ, non interceſſerunt centum anni, vt non ſit veriſimile in huius libros illum Scholia compoſuiſſe. Ceſſet itaque ſuſpicio de Dionyſio Corinthio auctore, quem S. Dei Martyrem, incredibile eſt ſic voluiſſe ſub laruâ Chriſti Eccleſiam ludificari. Quamuis autem Dionyſij Corinthij forent opera, cenſerentur antiquitate plus quàm mille & quadringentorum annorum: ſed non ſunt eius, vt dixi. Denique Euſebius & Hilduinus teſtantur, Dionyſium Corinthium in Epiſt. ad Athenienſes noſtri Dionyſij mentionem feciſſe; cui veritus fuiſſet adſcribere, de quibus tum facilè reuinceretur.

Ex B. Cyrillo Alexandrino, & B. Maximo Monacho & Martyre.

Vix Græcia nobis doctiorem dedit beato Cyrillo Alexandrino: hunc ex libris beati Dionyſij Areopagitæ quædam mutuatum, teſtatur Liberatus Afer, cuius verba dabo infrà. Mihi curæ non fuit loca in D. Cyrillo quærere, quia Græcis exemplaribus careo, & Latinis non ſatis confido; quoniam gnarus ſum, hæreticos interpretes more ſolito in beati Cyrilli verſione ſe geſſiſſe. Magna quoque Cyrilli Operum pars interiit, in quibus quæ Liberatus dicit contineri potuerunt.

B. Maximus Monachus, Philosophus, & Martyr, capitum Theologicorum Sermone 57. adducit ex Areopagitâ nostro locum: *Quod autem bono prorsus priuatum est, id nusquam vllo pacto vel fuit, vel est, vel erit, vel esse potest.* habes eum de Diuinis nominibus cap. 4. §. 20. Τὸ δὲ καὶ πάντῃ τρόπον τοῦ ἀγαθοῦ ἐστερημένον, οὐδαμῆ οὐδαμῶς οὔτε ἦν, οὔτε ἐστὶν, οὔτε ἔσται, οὔτε εἶναι δυνάται. Idem Scholia in omnes Dionysij Areopagitæ libros scripsit, quæ textui subiunximus. Idem in disputatione contra Pyrrhum Monothelitam, Patriarcham Constantinopolitanum, quâ illum ex hæresi ad fidē Catholicam conuertit, Dionysij nostri Epist. ad Caium θεραπευτὴν laudauit. Idem in Ecclesiasticâ mystagogiâ hos libros Areopagitæ adiudicat. Fuit autē Maximus iste vir summus; cuius sanctitatē res gestæ, cognitionem diuinæ & humanæ sapiētiæ illius temporis Scriptores omnes meritò celebrarunt, & libri plurimi ab eo conscripti testantur; quorum multos Photius retulit, plures Baronius Annal. Tomo VIII. anno Christi 657. ad quem te, Lector, remitto. Eiusdem Maximi nuper Opuscula multa contra Monothelitas ex versione Francisci Turriani nostri prodierunt, quæ necdum legi. Vide infrà.

Testimonia duorum Anastasiorum, & cuiusdam incerti Athanasij.

ANastasij Sinaitæ testimonium ἐν τῷ Ὁδηγῷ iam antè laudaui; qui vixit Iustiniano I. Imperatore, sanctimoniæ & doctrinæ laude clarissimus, & inuicta Ecclesiæ contra sui temporis hæreticos columna, vt docent Theophanes, Euagrius, & alij. Accedat eius alterum quoque testimonium ex lib. VII. in Hexaëmeron his verbis Latinè redditum ab Herueto: *Celeberrimus ergo, & rerum diuinarum mysta Apostolicus, Dionysius, dicit in suâ sapientissimâ Theologiâ, quòd Deus Græcè dicitur* Θεὸς, *ex eo quòd* θεωρεῖ, *contemplatur, & adspicit; Dominus autem* Κύριος, *ex eo quòd* κυριεύει *dominetur.* Quod ex cap. 12. de Diuinis nominib. non modicè immutatum, vti §. 2. pag. 866. Διὸ καὶ κυριότης, παρὰ τὸ κῦρος, καὶ τὸ κύριον, καὶ τὸ κυριεῦον. Θεότης δὲ, ἡ πάντα θεωμένη πρόνοια, ἡ ἀγαθότητι παντελεῖ καὶ πάντα περιθέουσα, ἡ συνέχουσα, καὶ ἑαυτῆς ἀποπληροῦσα, καὶ ὑπερέχουσα πάντα τὰ τῆς προνοίας αὐτῆς ἀπολαύοντα. Id est, *Quapropter Dominatio Græcè à* κῦρος *deriuato nomine, idem est quod firmum ac firmans seu ratificans. Deitas autem Græcè* θεότης, *idem est atque omnium conspicax prouidentia, omnigenâ bonitate cuncta circumspiciens continensq́; & se ipsâ complens, atque transiliens vniuersa quæ ipsius prouidentiâ fruuntur.*

Anastasius autem Nyssenus prolixas quasdam in sacram Scripturam Quæstiones composuit, alias longè à breuioribus illis, quæ B. Athanasio Alexandrino solēt adscribi. In illis multa veterum loca citauit, & inter ea quædam testimonia nostri B. Dionysij Areopagitæ, vnum prolixum q. 32. quod ita vertit Gentianus Heruetus: *Ex Dionysio, de iis qui sanctè dormierunt: Ego autem rectè noui diuina sequens Eloquia, quòd datam sibi sortem habebit vnusquisq́. Aduersus ipsum enim conclusit Deus (inquit Dominus) & referet vnusquisq́ per corpus, prout ea sunt quæ gessit, siue bona siue mala.* 2. Cor. 5, 10.
Quòd autem iustorum quoque preces etiam in hac vitâ, nec solùm post mortem, in eos tātùm operantur qui sacris digni sunt precibus, diuinorum Eloquiorum sacræ nos docent traditiones. Quid enim Sauli profuit Samuel? 1. Reg. 19.
quid populo Hebræo profuerunt Prophetæ preces? Diuinus itaque Pontifex est, vt sacra dicunt Eloquia, enuntiator Dei iustificationum. Est enim angelus seu nuntius Domini Deo omnipotentis. Didicit certè ab Eloquiis à Dei datis, quòd iis qui sanctè vixerunt, lucidissima & diuina vita redditur pro meritis à iustissimâ & diuinâ librâ, per bonitatem despiciente Dei clementiâ & benignitate maculas quæ illis ab humanâ infirmitate inustæ sunt; quandoquidem, vt diuina dicunt Eloquia, nullus est mundus à sorde. Hæc quidem Iob 15, 14
nouit Pontifex esse promissa à veris Eloquiis; petit autem vt hæc fiant, & iis qui sanctè vixerunt sacræ reddantur retributiones, simul quidem semetipsum benignè conformās ad imitationem Dei, non secùs aliis quàm sibi ipsi dona poscens ac gratias, sciens item promissiones Dei esse infallibiles, præsentibus etiam apertè declarat, illa quæ ab eo iure sacro postulantur, prorsus euentura illis qui secundùm Deum vitam consummarint. Neque enim Pontifex, interpres & enuntiator diuinæ iustificationis, ea poterit quæ non sunt Deo iucundissima & charissima, & diuina, ab eo dari promissa, petere (quamobrem hæc non sunt promissa profanis qui dormierunt) non solùm quòd à vatis seu interpretis ordine recederet, & quòd insolenter & arroganter esset ausurus aliquid ex iis quæ pertinent ad principem, non motus à principe sacri imperij; sed etiam quòd sanctum votum non assequetur à iusto Eloquio, ipse quoque, vt est consentaneum, audiens. Petitis, & non accipitis, quoniam malè petitis. Ecce vnum ex locis, propter quæ

quæ tam infensis animis noui isti Aëriani in hæc Dionysij scripta feruntur; quia vident, de oratione pro fidelibus defunctis, de iustâ retributione, & de meritis bonorũ operum, & de Pontificiâ dignitate ac munere sibi præscribi. Habes cap. 7. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ à pag. 412. Ἐγὼ δὲ, ὅτι μὲν ἀμοιβαίαν ἕξει τὴν ἀποκλήρωσιν ἕκαστος, εὖ οἶδα, τοῖς Λογίοις ἀκολουθῶν. Ἀπέκλεισε γὰρ, φησὶν ὁ Κύριος, καθ' αὐτοῦ, καὶ κομίσεται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε κακόν. Ὅτι δὲ καὶ τῶν δικαίων αἱ προσευχαὶ κατὰ τὸν τῇδε βίον, μήτιγε μετὰ θάνατον, εἰς τοὺς ἀξίους ἱερῶν εὐχῶν ἐνεργοῦσι μόνον, αἱ τῶν Λογίων ἡμᾶς ἐκδιδάσκουσιν ἀληθεῖς παραδόσεις. Ἢ τί πρὸς τοῦ Σαμουὴλ, ὁ Σαοὺλ ἀπώνατο; τί δὲ τὸν Ἑβραίων λαὸν ὤνησεν ἡ προφητικὴ προσευχή; & mox pag. 414. Ὁ θεῖος ἱεράρχης ἐκφαντορικός ἐστιν, ὡς τὰ Λόγιά φησι, τῶν θεαρχικῶν δικαιωμάτων. Ἄγγελος γὰρ Κυρίου παντοκράτορος Θεοῦ ἐστι. Μεμάθηκεν οὖν ἐκ τῶν θεοπαραδότων Λογίων, ὅτι τοῖς ὁσίως βιώσασιν, ἡ φανοτάτη καὶ θεία ζωὴ κατ' ἀξίαν ὑπὸ τῶν δικαιοτάτων ζυγῶν ἀντιδίδοται, παρορώσης ἀγαθότητι τῆς θεαρχικῆς φιλανθρωπίας, τὰς ἐγγινομένας αὐτοῖς ἐξ ἀνθρωπίνης ἀσθενείας κηλῖδας· ἐπείπερ οὐδεὶς, ὡς τὰ Λόγιά φησι, καθαρὸς ἀπὸ ῥύπου. Ταῦτα μὲν οὖν ὁ Ἱεράρχης οἶδεν ἐπηγγελμένα πρὸς τῶν ἀληθῶν Λογίων, αἰτεῖ δὲ αὐτὰ γενέσθαι, καὶ δωρηθῆναι τοῖς ὁσίως βιώσασι τὰς ἱερὰς ἀντιδόσεις, ἅμα μὲν ἐπὶ τὸ θεομίμητον ἀγαθοειδῶς ἐκτυπούμενος, καὶ τὰς ἑτέρων δωρεὰς ὡς οἰκείας ἐξαιτῶν χάριτας, ἅμα δὲ καὶ τὰς ἀψευδεῖς ἐπαγγελίας εἰδὼς ἐσομένας, καὶ τοῖς παροῦσιν ἐκφαντορικῶς ἐμφαίνων, ὅτι τὰ παρ' αὐτοῦ κατὰ θεσμὸν ἱερὸν ἐξαιτούμενα, πάντως ἔσται τοῖς κατὰ θείαν ζωὴν τετελειωμένοις. Οὐ γὰρ ἂν ὁ ἱεράρχης, ὁ τῆς θεαρχικῆς δικαιώσεως ὑποφήτης, ἐζήτει ποτὲ τὰ μὴ τῷ Θεῷ προσφιλέστατα, καὶ πρὸς αὐτοῦ δοθήσεσθαι θειωδῶς ἐπηγγελμένα (διὸ τοῖς ἀνιέροις οὐκ ἐπεύχεται ταῦτα κεκοιμημένοις) οὐ μόνον ὅτι τῆς ὑποφητικῆς ἐν τούτῳ παρατραπήσεται τάξεως, καί τι τῶν ἱεραρχικῶν αὐθάδως τολμήσει, μὴ πρὸς τοῦ τελετάρχου κεκινημένος· ἀλλ' ὅτι καὶ τοῖς ἐναγοῦς εὐχῆς ἀποτεύξεται πρὸς τοῦ δικαίου Λογίου καὶ αὐτὸς οὐκ ἀπεικότως ἀκούων· Αἰτεῖτε, καὶ οὐ λαμβάνετε, διότι κακῶς αἰτεῖτε.

Percutiuntur & alio silice ex alueo Dionysiano Nouatores nostri, quem iacit idem Anastasius quæst. 52. non addito loco libri, sed laudato simpliciter Areopagitâ, de his verbis: *Est enim à ratione alienum, & absurdum, instituti ac scopi vim non attendere, sed dictiones. Estq́ hoc proprium non eorum qui diuina volunt intelligere, sed eorum qui nudos admittunt sonos, & eos vsque ad aures suscipiunt extrinsecùs, non transeuntes, neque volunt scire quid ea dictio significet, & quo modo eam oporteat declarare per alias quæ æqualem vim habẽt & sunt significatiores dictiones: affecti sunt autem erga elementa & lineas, quæ non possunt intelligi, syllabasq́ & dictiones ignotas non transeuntes ad intelligentem eorum animæ facultatem, sed foris resonant in eorum labris & auribus.* Quis Apelles aduersariorum sapientiam spirantiore penicillo quiuisset depingere? quis acriùs interpretes sensum omnem mysticum repudiantes condemnauit? Inuenies apud nostrum Dionysium hæc omnia libro de Diuinis nominibus capite 4. paginâ 564. Ἔστι μὲν γὰρ ἄλογον, ὡς οἶμαι, καὶ σκαιὸν, τὸ μὴ τῇ δυνάμει τοῦ σκοποῦ προσέχειν, ἀλλὰ ταῖς λέξεσι. Καὶ τοῦτο οὐκ ἔστι τῶν τὰ θεῖα νοεῖν ἐθελόντων ἴδιον, ἀλλὰ τῶν ἤχους ψιλοὺς εἰσδεχομένων, καὶ τούτους ἄχρι τῶν ὤτων διαβάτους, ἔξωθεν συνεχόντων, καὶ οὐκ ἐθελόντων εἰδέναι, τί μὲν ἡ τοιάδε λέξις σημαίνει, πῶς δὲ αὐτὴν χρὴ καὶ δι' ἑτέρων ὁμοδυνάμων καὶ ἐκφαντικωτέρων λέξεων διασαφῆσαι· προσπασχόντων δὲ στοιχείοις καὶ γραμμαῖς ἀνοήτοις, καὶ συλλαβαῖς, καὶ λέξεσιν ἀγνώστοις, μὴ διαβαινούσαις εἰς τὸ τῆς ψυχῆς αὐτῶν νοερὸν, ἀλλ' ἔξω περὶ τὰ χείλη καὶ τὰς ἀκοὰς αὐτῶν διαβομβουμένας, &c.

Idem Anastasius quæst. 6. posterioris exemplaris, ex Dionysio Areopagitâ *de iis qui sanctè obdormierunt* ista descripsit: *Dico ergo, sacras Scripturas sequens, quòd omnino sunt vtiles in hac vitâ Sanctorum preces, hoc modo: Si quis donum desiderans, & ad eius participationem religiosè affectus, tamquam suam agnoscens exiguitatẽ, quempiam Sanctorum adeat; rogetq́ vt sibi adiutor & precator accedat; ex eo omnino capiet, quæ omnes exsuperat, vtilitatem. Assequetur enim ea quæ petit diuinissima dona, ipsum suscipiente diuinâ bonitate, piaq́ ac religiosâ sui agnitione, & in Sanctos reuerentiâ, & petitarum sacrarum petitionum laudabili desiderio, conuenientiq́ & diuino habitu. Est enim hoc quoque diuinis iudiciis constitutũ, vt diuina dona, iis qui digni sunt vt sint participes, decentissimo donentur ordine per eos qui digni sunt impertiri. Hunc si quis pulchrè institutum aspernetur ordinem, & ad miseram elatus de se persuasionẽ, se idoneum existimet vt cum Deo habeat consuetudinem, & Sanctos despiciat; quin etiam si Deo indignas & non sanctas postularit petitiones, & intensum diuinorum non habeat desiderium, & sibi conueniens, propter seipsum excidet à stultâ petitione.* En tertium telum pro suffragiis Sanctorum, vt per eos ad Deum adeamus, & depicta clare superbia Caluinistarum, qui miserâ de se persuasione tumidi, hunc ordinem negotiandi cum Deo

Deo per familiares Dei, deſpiciunt ac deſpuunt. En tibi verba apud noſtrum capite 7. de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ pag. 411. Φημὶ δὲ, τοῖς Λογίοις ἑπόμενος, ὡς ὠφέλιμοι πάμπαν εἰσὶν ἐν τῷδε τῷ βίῳ τῶν Ἁγίων αἱ προσευχαὶ, κατὰ τόνδε τὸν τρόπον· Εἴ τις ἱερῶν ἐφιέμενος δώρων, καὶ πρὸς μετοχὴν αὐτῶν ἕξιν ἱερὰν ἔχων, ὡς τῆς οἰκείας ἐπιγνώμων βραχύτητος, ἐλθὼν ἐπί τινα τῶν ὁσίων ἀνδρῶν ἀξιώσειεν αὐτὸν οἱ γενέσθαι συλλήπτορα καὶ συναιτέτην, ὠφεληθήσεται πάντως ἐκ τούτου τὴν πάσης ὑπερκειμένην ὠφέλειαν. Ἐπιτεύξεται γὰρ ὧν αἰτεῖ θειοτάτων δώρων, ἀποδεχομένης αὐτὸν τῆς θεαρχικῆς ἀγαθότητος, τῆς τε οἰκείας εὐλαβοῦς ἐπιγνωμοσύνης, καὶ τῆς ἐπὶ τοῖς ὁσίοις αἰδοῦς, καὶ τῆς τῶν αἰτηθέντων ἱερῶν αἰτήσεων ἐπαινετῆς ἐφέσεως, καὶ καταλλήλου, καὶ θεοειδοῦς ἕξεως. Ἔστι γὰρ καὶ τοῦτο τοῖς θεαρχικοῖς κρίμασι νενομοθετημένον, τὸ τὰ θεῖα δῶρα τοῖς ἀξίοις τοῦ μεταχεῖν ἐν τάξει θεοπρεπεστάτῃ, δωρεῖσθαι διὰ τῶν ἀξίων τοῦ μεταδοῦναι. Ταύτην οὖν εἴ τις ἀτιμάσειε τὴν ἱερὰν εὐκοσμίαν, καὶ πρὸς ἀθλίαν οἴησιν ἐληλυθὼς, ἱκανὸν ἑαυτὸν οἰηθείη πρὸς τὴν θεαρχικὴν ὁμιλίαν, καὶ τῶν ὁσίων ὑπερφρονήσοι· καὶ μὴν, εἰ τὰς αἰτήσεις ἀναξίας τοῦ Θεοῦ, καὶ μὴ ἱερὰς αἰτήσοι, καὶ τὴν ἔφεσιν τῶν θείων εἰ μὴ σύντονον ἔχει καὶ ἑαυτῷ κατάλληλον, ἀποτεύξεται δι' ἑαυτὸν τῆς ἀνεπιστήμονος αἰτήσεως.

Inter Opera D. Athanaſij Alexandrini Patriarchæ Tomo II. Commelinianæ editionis Greço-Latinæ, editus eſt libellus *Quæſtionum breuiorum ad Antiochum*; quem magni illius Athanaſij non eſſe, colligitur, quòd in iis SS. Epiphanius & Gregorius Nyſſenus citentur, illo Magno Athanaſio iuniores. Nec tamen idem videtur auctor cum illo Anaſtaſio Nyſſeno, licet fortaſſis ad eumdem Antiochum vterq; Quæſtiones ſcribat. Hic Athanaſius Quæſt. VIII. quærit, quot ſint eſſentiæ & ordines Angelorum. Et reſpondet ex D. quidem Nyſſeno, vnam & eamdem eſſe eſſentiam, ſicut etiam vna eſt eſſentia cũctorum hominum: de ordinibus verò, eſſe nouem, *Angelos, Archangelos, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes, ſex alis alata Seraphim, multis oculis ornata Cherubim, & Thronos, ſicut multùm in Theologiâ valens Dionyſius inquit:* Τάγματα δὲ, ὡς ὁ πολὺς ἐν Θεολογίᾳ Διονύσιός φησι, ἐννέα, ἅπερ εἰσὶ ταῦτα, Ἄγγελοι, Ἀρχάγγελοι, Ἀρχαὶ, Ἐξουσίαι, Δυνάμεις, Κυριότητες, τὰ ἑξαπτέρυγα Σεραφὶμ, τὰ πολυόμματα Χερουβὶμ, καὶ οἱ Θρόνοι. perſpicuè ad libros de Cæleſti Hierarchiâ reſpiciens. ſic enim ibi diſtinguuntur Cap. 6. licet alio paululùm ordine. Fieri poteſt, vt iſte Athanaſius ſit recentior aliquis Epiſcopus Alexandrinus; cuius etiam ſit *liber Definitionum*, in quo citatur Nyſſenus; & *liber Dictorum & interpretationum Parabolarum Euangelicarũ*, vbi citatur Gregorius Nazianzenus. Sed hæc ambigua ſunt: patet, ſatis antiquum eſſe Scriptorem, qui pro magno Athanaſio receptus, & Epiphanio iuniorem nullum citat.

Sophronij Catholici, Monothelitarum hæreticorum, & Schiſmaticorum Græcorum teſtimonia.

Temporibus Honorij & Ioannis IV. Pontificum Romanorum vixit quidam Sophronius Ieroſolymitanus; qui primus fermè ſe Monothelitis oppoſuit, auctor Prati ſpiritualis, circa annum Domini 638. Hic in Epiſtolâ ad Sergium Conſtantinopolitanum Patriarcham ſic ſcribit: *Chriſti verò adſerimus etiam eſſe virtutem illam, quæ dicitur Noua & Deivirilis operatio, non vnam exiſtentem, ſed diuerſi generis ac differentiæ, quam ex Areopago, à Paulo egregio diuinitus captus, aſſerüit Dionyſius.* Nónne innuit locum in Epiſt. 4. ad Caium θεραπευτὴν in fine, paginâ 75. de Ieſu? Καὶ τὸ λοιπὸν, οὐ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα δράσας, οὐ τὰ ἀνθρώπεια κατ' ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνδρωθέντος Θεοῦ, καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος. *Quod reliquum eſt, neque ſecundùm Deum* (ſubintellige hîc & in ſeqq. *tantùm*) *diuina perficiens, neque humana ſecundùm hominem; ſed Deo homine facto, nouam quamdam Dei-virilem operationẽ nobiſcum conuerſatus oſtendens.* Hunc locum pro ſe verſutiſſimi tum temporis hæretici producebant, Catholicis conſentientes de Epiſtolæ auctore Areopagitâ. Si non valet apud Caluinianos auctoritas Catholicorum Monachorum, valeat ſaltem ſententia hæreticorum. Valeret, ſi non noceret Caluiniſmo. Enúmerabo tamen hæreticos illos, vt conſtet de orbis tunc temporis de Epiſtolæ illius ſcriptore conſenſu.

Tomo III. Conciliorum, in Synodo Romæ habitâ ſub Martino I. Papâ, Secretario 3. pag. 121. exſtat Epiſtola illius Sergij Monothelitæ ad Cyrum Patriarcham Alexandrinum, quâ Epiſtolâ recipit capitulum ſeptimum Cyri, in quo hunc locum Dionyſio Areopagitæ tribuebat. Paginâ verò 123. ait Themiſtius hæreticus in Epiſtolâ ad Marcellinum Presbyterum & Stephanum Diaconum de operatione Chriſti; *Ideò Dei-virilem Dionyſius Areopagita nominauit.* Idem aſſerüit Macarius Patriarcha Antiochenus hæreticus

ticus in Synodo habitâ Constantinopoli in Trullo, tempore Pogonati Imperatoris, Act.2. in fine. *Ego*, inquit, *numerum non dico, sed Dei-virilem operationem eius, secundùm sanctum Dionysium.* Cyrus hæreticus in d. cap.7. dixerat se credere, *eumdem vnum Christum, & vnum Filium operantem Deo dicibilia & humana, vnâ Dei & viri operatione secundùm B. Dionysium.* d.Tomo III. pag.120. In quibus verbis Cyrus contextum Dionysij deprauasse,& *vnam* posuisse, pro *nouâ*, à B. Sophronio conuictus fuit,vt fatetur ipse Pyrrhus adhuc hæreticus, in libro contra dogmaticum Cyri volumen, his verbis: *Vnum autem tantùm capitulum reprehendit Sophronius reuerendissimus, vtpote testimonium beatæ memoriæ Dionysij falsantem permutatione vnius vocis: in hoc congrua dicens prædictus vir & cauta, in quibus ille asserit; sed homine facto Deo,* nouam *quamdam & Dei-virilem operationem nobis proferens.* Vnam *enim secundùm veritatem cõtinebat denominatum volumen: sed non malitiosè (absit) iuxta meum verbum: sed quoniam non potest aliter* noua *intelligi, nisi* vna; *à sanctissimo Cyro huiusmodi vox posita est: quoniam per abnegationem sublimium vnã B. Doctor confessionem construens, & hanc singulariter exprimens; quid aliud nisi vnam confiteri operationem, eò quòd vnus est Christus, per quoddam verbum luculentius tradidit?* Hactenus veternosus coluber Pyrrhus, fatetur corruptelam, quam negare non poterat,conuictus;sed ex crimine laudem quærit. Idem Pyrrhus in disputatione cum B. Maximo Monacho & martyre circa finem: Τί δὲ περὶ τοῦ ἁγίου Διονυσίου φαμὲν ἐν τῇ πρὸς Γάϊον τὸν θεραπευτὴν ἐπιστολῇ * φήσαντα, καινήν τινα θεανδρικὴν ἐνέργειαν, περὶ τοῦ Χριστοῦ πεπολιτευμένον; Turrianus vertit: *Quid prætereà dicemus de S.Dionysio, qui in Epistolâ ad Caium cultorem de Christo dixit, exercuisse nouam quamdam operationem Dei-virilem?* Habes quinque Monothelitas, & considera mihi, hanc sententiam de Dionysij Areopagitæ scriptis sæculo illo VII. in omnibus Patriarchalibus sedibus, hoc est Ecclesiâ totâ, fuisse indubitatam: nam Romæ id asserebant Martinus, Honorius, & Ioannes; Alexandriæ Cyrus, Antiochiæ Macarius,Constantinopoli Sergius, Ierosolymis Sophronius.

* *Aliàs* φήσαντος,

Vide etiam quo pacto hodie hac in re, de libris dico Areopagitæ, cum Romanâ Ecclesiâ schismatici Græci consentiunt. Cùm Stephanus Gerlachius, Martinus Crusius, & alij Lutherani Vbiquetarij VVittembergenses & Tubingenses, contra Catholicos Germaniæ Iesuitas, & alios, vndique suffragatores suæ sectæ conquirerent, iuxta illud Virgilij,

Flectere si nequeo Superos, Acheronta mouebo,

legationẽ miserunt ad Ieremiam Patriarcham Constantinopolitanum; & posteà per epistolam quæsierunt ab eodem, quænam esset totius Græciæ de hoc, de quo controuertit Scaliger, Dionysio & eius Operibus sententia. Ille per Theodorum Zygomalam scribam suum respondit in hæc verba, quæ ex libro primo Turco-Græciæ columnâ 97. desumpta, misit ad me noster Petrus Duiarricius Aquitanus: Ἀρεοπαγίτου βίον ἔγραψα, καὶ ἔπεμψα ὑμῖν, ὡς καλῶς μέμνημαι· καὶ, εἰ ζήτησεις, αὐτὸ εὑρήσεις. Ἡμεῖς δὲ, γίνωσκε, ὅτι θεῖον ἄνδρα τὸν τοιοῦτον ἔχομεν, καὶ μετὰ τοὺς Ἀποστόλους Χριστοῦ ἡ Ἐκκλησία τιμᾷ, καὶ τὸ βιβλίον αὐτοῦ ἀποδεχόμεθα, καὶ πιστὰ τὰ ἐν αὐτῷ γεγραμμένα λεγόμεν. ait: *Areopagitæ vitam descripsi, & vobis misi, id quod benè memini. inuenies etiam tu istic, modò quæras. Scito, eum virum à nobis diuinum haberi, & secundùm Apostolos Christi ab Ecclesiâ honorari, librúmque eius à nobis probari, & fide digna, quæ in eo scripta sunt, duci.* Quid ad hæc Scaliger? cachinnabitur Lutheranos, quòd Ieremiam potiùs, quàm Geneuenses & se consuluerint. Sed redeo ad nostros, hoc est antiquiores Patres.

Testimonia Theodori Presbyteri, Sergij Tempsanensis, & Antonij Melissæ.

SOphronio tres alij accedant, de quibus, quòd ignoti, quid dicam aliud non habeo. In Photij Bibliothecâ fit mentio Theodori Presbyteri, qui quando vixerit, & quid aliud egerit, scripserit, nescio. Photius ait se legisse librum illius, quo soluerat quatuor obiectiones aduersariorum (habes suprà) & probauerat hæc monumenta diuini & magni Dionysij germana esse, γνησίαν εἶναι τὴν τοῦ μεγάλου Διονυσίου τὴν βίβλον. Credant Caluinistæ Photio hæretico, tam docto quàm impio, Romanæ Sedis acerrimo aduersario.

In Concilio Lateranensi sub Martino I. consultatione 3. Sergius Episcopus Tempsanensis agnoscit dictam Epistolam ad Gaium cultorem, de quâ suprà, & illa ipsa verba quæ Cyrus in capitulo septimo proferebat, fatetur fuisse Dionysij Areopagitæ.

Antonius quidam Monachus, cuius exstat liber vocatus *Melissa*, sæpè citat nostrum

strum Dionysium. Lib. 1. Serm. 19. in fine ex eo profert hæc: *Non fieri potest, vt veniam consequantur illi, quos peccatorum non pœnitet.* & Serm. 21. *Veritas est Deus, vtpote vnum, non multa; secundùm naturam. Verum quippe vnum est, mendacium autem multiplex. Nam & Christus ait: Ego sum via, veritas, & vita.* Serm. 73. *Silentium pro consensu haberi, docetur etiam prouerbio.* Horum locorum nullum potui reperire in libris quos habemus: fieri potest, vt diligentiam meam fuerint frustrati. Libro 2. Sermone 3. citat hæc: *Qui ad purißimum accedunt Sacrificium, perpurgatos esse oportet extremis etiam animi visis & similitudinibus, atque ita pro viribus ad ipsum accedere.* hoc exstat Ecclesiast. Hierarchiæ capite 3. Τοὺς γὰρ ἐπὶ τὴν παναγεστάτην ἰόντας ἱερουργίαν, ἀποκεκαθάρθαι δεῖ καὶ τὰς ἐσχάτας τῆς ψυχῆς φαντασίας, καὶ δι' ὁμοιότητος αὐτῇ κατὰ τὸ δυνατὸν προσιέναι. Ne verò dubites hæc esse Areopagitæ, scito hunc Antoniũ, Dionysij nomen solitum ἁπλῶς nostro ttibuere: aliorum verò Dionysiorum solere patriam adiicere, vt lib. 2. Sermone 45. adfert ex Dionysio Alexandrino istud: *Fortis autem & accurata oratio, amaras etiam dicit esse dulcium causas, & laborum fructus esse voluptates. Nam sine labore nihil potest pulchri contingere.* & Sermone 72. ex eodem Dionysio Alexandrino profert, *Irasci apud nos eousq; extenditur dum peccata sedet. Irascimini, inquit, & ne peccetis. Et summum ius vitandum est, cùm dicat Ecclesiastes: Ne sis iustus multùm.* Denique scitum est apud Theologos, κατ' ἐξοχὴν Dionysij appellatione Areopagitam censeri.

Ex Eliâ Cretensi, & Andreâ Cretensi, testimonia.

Elias Cretensis disertos & accuratos Commentarios composuit in multas B. Gregorij Nazianzeni Orationes, in quibus sæpiùs meminit nostri Dionysij. vt in Apologet. Oratione I. fol. 59. & 75. dicit Nazianzenum vocem φωταγωγοὺς, *illuminantes*, ex Dionysij libris mutuatum, nempe de Ecclesiast. Hierar. Cap. 5. §. 2. pag. 356. & posteà Elias fol. 151. perspicuè alludit ad Dionysij libros hierarchicos, ita scribens: *Etenim quæ hîc in Ecclesiis celebrantur, eorum quæ in cælis celebrantur similitudines ac simulacra esse, sanctus Dionysius censet, nostramq; hierarchiam post cælestem hierarchiam collocans, comministram eam pronuntiat, illincq; pro benignitate congruentes illuminationes accipere ait, his nimirum verbis vtens: Huius igitur nostræ congruentis deificationis causâ benignus ille sacrarum cærimoniarum Principatus,* &c. quę cuncta licet legere d. Cap. 5. à pag. 355. & Cap. 6. à pag. 388. copiosiùs enarrata. Item in Commentario Orationis XIX. laudat quæ Dionysius scripsit de ritu consecrandi Sacerdotes, quæ nunc exstant d. Cap. 5. pag. 364.

S. Andreas Ierosolymitanus, Cretensiũ Episcopus & Martyr, laudatus à Glycâ, in Oratione de Dormitione Deiparæ Virginis, non solùm secutus fuit narrationem nostri Dionysij de obitu Mariæ Dominæ nostræ, sed & stilum ac verba conatus imitari; vt facilè colliget, qui Græca verba Andreæ contulerit cum Dionysianis, Tom. 1. pag. 539.

Testimonia Iuliani Ierosolymitani, Epiphanij Presbyteri, Glycæ, & aliorum Græcorum.

Sanctus Dionysius Areopagita libro de Diuinis nominibus cap. 3. in fine, sic scribit: Ἐπεὶ καὶ παρ' αὐτοῖς τοῖς θεολήπτοις ἡμῶν ἱεράρχαις, ἡνίκα καὶ ἡμεῖς, ὡς οἶσθα, καὶ αὐτὸς, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνεληλύθαμεν. Παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος, καὶ Πέτρος ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης. Εἶτα ἐδόκει μετὰ τὴν θέαν ὑμνῆσαι τοὺς ἱεράρχας ἅπαντας, &c. *Quandoquidem apud ipsos quoque nostros à Deo afflatos sacrorum Principes, quando nos quoque, vt ipse nosti, & multi ex nostris sacris fratribus, ad contuendum corpus, quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit, conuenimus. Aderat autem Dei quoque frater Iacobus, & Petrus, qui erat Theologorum suprema & antiquißima summitas. Visumq; est, vt post illud spectaculum omnes sacrorum Principes hymnum canerent,* &c.

Hoc de B. Virginis corpore Patres accipiunt communiter.

Hæc vt vera verba de se loquentis Areopagitæ, magno consensu Græci Patres receperunt; & inde in Ecclesiam traditio antiquissima manauit, morti Deiparæ Virginis omnes Apostolos, & B. Dionysium ac Timotheum interfuisse. Tempore Chalcedonensis Synodi, petentibus Marciano & Pulcheriâ, Iulianus Ierosolymitanus Episcopus id verbis hisce fuit testatus: *Tunc autem aderant cum Apostolis, sanctißimus Timotheus Apostolus & primus Episcopus Ephesiorum, & Dionysius Areopagita: sicut hic ipse magnus testatur Dionysius, in his quæ de B. Hierotheo, qui ipse quoque tunc aderat, conscripsit ad*

D.Apo-

D. Apostolum Timotheum, sic dicens: Quandoquidem, &c. subdit enim citata Dionysij verba. Hoc B. Iuliani testimonium profert Euthymius Historicus lib. 3. cap. 40. citatus à B. Ioanne Damasceno Orat. de Dormitione Deiparæ: & Nicephorus Calixtus idem refert lib. 15. Hist. c. 14. Eamdem auctoritatem & verba pro Areopagitæ gnesiis amplectuntur etiam Epiphanius Presbyter in Orat. de Dormit. Deiparæ, Simeon Metaphrastes, & Michaël Syngelus in laude Dionysij, Maximus Scholiis in Dionysium, Glycas lib. 1. Annal. & alij Græci in Cantico quodam de Deiparâ. Lege Petrum Canisium lib. 5. Marialis cap. 3. & Cardin. Baronium Tomo 1. Annal. anno Christi 48. num. 8. vbi doctè ostendit hanc veram esse Dionysij sententiam.

B. Michaëlis Syngeli & B. Ioannis Damasceni sententia.

BEatus Michaël Syngelus Presbyter Ierosolymitanus, magnâ laude sanctimoniæ ac eruditionis, scripsit quædam tẽpore non Mauritij Imperatoris, sed Ludouici Pij, Hilduini æuo, quando à Theophilo Græcorum Imp. iconomacho propter Catholicam fidem multa pertulit, vt tradit Curopalata in Histor. & laudatur à Theodoro Studitâ lib. 2. Epist. 213. Hic ergo Syngelus eodem tempore, quo B. Methodius vitam & martyrium Areopagitæ scripsit, etiam ipse martyrij amore exæstuans, disertissimum eiusdem Dionysij Encomium cõposuit, quod Parisiis Grecè fuit excusum, hoc initio, Οὐρανίαν ὄντως: in quo multa laudat vtriusq; Hierarchiæ, libri de Diuinis nominibus, Epist. ad Caium, & alia quæ sunt cuique ad manum.

Michaële paulò antiquior, & confessionis laude non ignobilior Ioannes Manzer Damascenus vixit, clarum lumen ac sidus octaui sæculi, diligens lector & candidus laudator horum Dionysij librorũ. Habes lib. 1. de Fide Orthodoxâ c. 12. Ταῦτα μὲν οὖν ἐκ τῶν ἱερῶν μεμυήμεθα Λογίων, ὡς ὁ θεῖος ἔφη Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, ὅτι ὁ Θεὸς πάντων ἐστὶν αἰτία καὶ ἀρχὴ, τῶν ὄντων οὐσία, τῶν ζώντων ζωὴ, τῶν λογικῶν ὄντων λόγος. Quæ, licet alio ordine, inuenies omnia de Diuinis nominibus Cap. 1. pag. 440. *Et hæc quidem à sacris oraculis sumus edocti, sicut ait diuinus Dionysius Areopagita, Deum omnium causam esse & principium, earum quæ sunt essentiam, viuentium vitam, & ratione vtentium rationem*, &c. Idem Ioannes eiusdem Operis lib. 2. cap. 18. vocat *sanctissimum & Theologiæ peritissimum*. Καθὼς δὲ, ait, ὁ ἁγιώτατος καὶ θεολογικώτατός φησι Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης. Πᾶσας ἡ θεολογία, ἤγουν ἡ θεία Γραφὴ, τὰς οὐρανίας οὐσίας ἐννέα κέκληκε. *Sicut autem sanctissimus & Theologiæ callentissimus ait Dionysius Areopagita: Vniuersè Theologia, id est, sacra Scriptura, cælestes essentias nouem esse dixit.* Sunt deprompta ex lib. de Cælesti Hierarchiâ Cap. 5. sub fin. Tertium profert locum in lib. De iis qui in fide obierunt: Ἔφη τοιγαροῦν ὁ πολὺς τὰ θεῖα καὶ βαθὺς Διονύσιος ἐν τῇ περὶ τῶν κεκοιμημένων μυστικῇ θεωρίᾳ, οὑτωσὶ λέξας, ἵν' ἐκ τῶν αὐτοῦ θείων καὶ σεβαστῶν λόγων πρὸς ἐναργῆ ἀπόδειξιν ἐφάψωμαι· Ὡς αἱ τῶν ἁγίων προσευχαί. *Ait rerum diuinarum magnus ac profundus scrutator Dionysius, in mysticâ de dormientibus contemplatione, sic loquens, vt ex eius diuinis & venerandis sermonibus delibem: Sanctorum preces*, &c. Locus Dionysij habetur cap. vlt. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, quem suprà ex B. Anastasio Nysseno totum exhibui eumdem laudante; ideò nec illum repeto, nec quartum addo testimonium Damasceni, ex Oratione de Dormitione B. Mariæ Virginis, vbi confirmat nostri Dionysij narrationẽ, de quâ etiam suprà: quam historiam quoque B. Michaël Syngelus eleganter dilatauit in præfato S. Dionysij Encomio.

Ex Simeone Metaphraste, & Theodoro Prodromo, testimonia.

BEatus Simeon Metaphrastes, celeberrimus apud Græcos (cuius auctoritate Synodus Florentina Oecumenica sub Eugenio IV. sess. 7. vtitur) multus est in horum librorum commendatione, confirmans eos B. Dionysij Areopagitæ esse. Primùm in Dionysij Vitâ, quam habemus in Surij Tomo v. die XI. Octobris; vbi etiam materiam librorũ, quam videmus in istis nostris, producit. Deinde eiusdem Surij Tomo IV. in Oratione de Dormitione Deiparæ ait: *Per nubem autem eius venerandos congregat discipulos, vt venerandum eius corpus mandarent sepulturæ. Ne autem videatur inane, quod dictum est de congregatione Apostolorum, quæ facta est in dormitione Virginis, satiùs fuerit ea summatim addere quæ à Dionysio Areopagitâ dicuntur in 3. libro de Diuinis nominibus ad Timotheum.* Librum pro capite seu sectione vsurpat, & subdit verba Dionysij, quæ habemus superiùs.

Adiungo Theodorum Prodromum, qui diu poſterior, vixit temporibus Imp. Andronici Iunioris; ſed adiungo, quia recenſens grauiſſimos aliquos & antiquiſſimos atque ſanctiſſimos Patres Græcos, quorum ſcriptis Eccleſia fuit illuſtrata. Primum locum tribuit noſtro B. Dionyſio Areopagitæ: huic ſubdit Magnum Athanaſium, & Baſilium, & vtrumque Gregorium, & Ephræm Syrum, & Ioannem Chryſoſtomum, & Cyrillum Alexandrinum, & Maximum noſtrum, & Ioannem Climacum, & Nilum; denique his quos dixi omnibus ſubdit, vt eorum conſortio dignum, Simeonem Metaphraſten; quare & illi ipſe nunc aſſocietur.

Ex Suidâ, & Joanne Sycopolitano, & Georgio Patricio.

SVidas ille, quiſquis fuit cuius exſtant vtilia collectanea, qui vixit poſt annum Chriſti milleſimum, agens de noſtro Dionyſio, facit illum B. Pauli diſcipulum, & Athenienſium Epiſcopum, & ex eo narrat hiſtoriam de eclipſi visâ Heliopoli, patiente Domino, cùm adeſſet Apollophanes, & citat Epiſtolam noſtri Dionyſij ad Polycarpum, quæ multorum manibus teritur; in quâ verbotenus omnia continentur quæ Suidas retulit. Poſteà ſubiicit omnem materiam libri de Diuinis nominibus ad Timotheum. Agnoſcit etiam libros Hierarchicos, & myſticam Theologiam, & Epiſtolas quas habemus omnes, & inter eas ad Caium, & ad Demophilum, quos ambo vocat *Therapeutas*. citat etiam Encomium Michaëlis Syngeli, de quo iam egimus.

Multi Prologum, qui præfigitur beati Maximi Græcis Scholiis, volunt non eſſe Maximi, ſed iunioris cuiuſdam Ioannis Sycopolitani; nec ſanè conuenit admodum cum Maximi ſtilo, qui preſſior eſt & ſimplicior. In hoc Prologo reſpondetur quibuſdam argumentis aduerſariorum, qui conantur hos libros Dionyſio Areopagitæ adimere, quæ nos argumenta iam ſoluimus, & Prologum Maximo tribuimus, cum pleriſque, cui arbitror non adimendum propter haud magnam ſtili diſcrepantiam. In eodem Prologo ſubditur index omnium Dionyſij quæ nunc exſtant Operum, & præterea multorum quæ interciderunt, quorum in nunc exſtantibus facta habetur mentio, quæ nihil opus nunc iterùm recenſere.

Denique typis prodierunt Epigrammata varia Georgij Patricij, cui Mitylene patria, in laudem librorum beati Dionyſij, de Cæleſti Hierarchiâ, de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, de Diuinis nominibus, & de Myſticâ Theologiâ.

Ex Euthymio Monacho Zigabeno.

VIxit tempore Alexij Comneni, ſæculo vndecimo, inter Græcos ſui æui eruditiſſimus & diligentiſſimus, vt patet ex libris qui exſtant; nempe Commentariis in Pſalmos omnes, & in quatuor Euangelia, & Panopliâ contra hæreſes, in quo opere multa ſatis ampla loca noſtri Dionyſij adducit, vt Areopagitæ illius Magni. Dabo nonnulla ex verſione Franciſci Zini. Ait Parte 1. Panopliæ Orthodoxæ fidei, titulo 2. *De Patre, Filio, & Spiritu ſancto diſtincta ſimul atque coniuncta diuinitatis ratio; Dionyſij Areopagitæ ex capite de vnitâ diſtinctâque Theologiâ: Patrem quidem eſſe fontem, vt ita dixerim, diuinitatis; Filium autem, & Spiritum, fecundæ diuinitatis, ſi ita dicendum eſt, germina diuinitus pullulantia, & flores quodammodò, & eſſentiâ præſtantiora lumina, ex ſacris libris accepimus: ſed quonam pacto hæc ſint, nec eloqui poſſumus, nec intelligere.* Nónne ſunt iſta? Ὅτι μὲν ἐστι πηγαία θεότης ὁ Πατήρ· ὁ δὲ Ἰησοῦς καὶ τὸ Πνεῦμα, τῆς θεογόνου θεότητος, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, βλαστοὶ θεόφυτοι, καὶ οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα, πρὸς τῶν ἱερῶν Λογίων παρειλήφαμεν· ὅπως δὲ ταῦτά ἐστιν, οὔτε εἰπεῖν, οὔτε ἐννοῆσαι δυνατὸν, de Diuinis nominibus, Cap. 2. pag. 498. Vides, quàm hæc germana ſint noſtri Dionyſij, cuius Græcam grandiloquentiam vix vlla ſermonis Latini facundia plenè queat exprimere; quod ex ceteris æquè patebit.

Item, ex Cap. 1. libri de Diuinis nominibus: *Quamobrem in omni ferè Theologicâ diſceptatione ſummam diuinitatem ſanctè celebratam cernimus; tum vt monadem & vnitatem, propter ſimplicitatem vnitatemque impartibilitatis ipſius, naturam exſuperantis: ex quâ tamquam vnificâ poteſtate vnum efficimur, diuiduiſque noſtris diuerſitatibus ſupra mundanum modum copulatis, in monadem Deiformem, vnionémque Deum imitantem, colligimur: tum autem Trinitatem, propter fecunditatis eſſentiam ſuperantis in tribus perſonis expreſſionem, ex quâ in cælo & in terrâ paternitas omnis exiſtit & nominatur.* Hæc & reliqua, quæ ſubdit omnia, exſtant in noſtro paginâ 441. Ὅθεν ἐν πάσῃ χε-

δὸν

δὸν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ, τὴν θεαρχίαν ὁρῶμεν ἱερῶς ὑμνουμένην· ὡς μονάδα μὲν καὶ ἑνάδα, διὰ τὴν ἁπλότητα καὶ ἑνότητα τῆς ὑπερφυοῦς ἀμερείας, ἐξ ἧς ὡς ἑνοποιοῦ δυνάμεως ἑνιζόμεθα, καὶ τὰς μεριστὰς ἡμῶν ἑτερότητας ὑπερκοσμίως συμπτυσσομένων, εἰς θεοειδῆ μονάδα συναγόμεθα, καὶ θεομίμητον ἕνωσιν· ὡς τριάδα δὲ, διὰ τὴν τρισυπόστατον τῆς ὑπερουσίου γονιμότητος ἔκφανσιν, ἐξ ἧς πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς ἐστὶ καὶ ὀνομάζεται, &c.

Item ex cap. 3. de Myſticâ Theologiâ iſtud: *In eo libro quem de Theologicis inſtitutionibus inſcripſimus, quæ ſint affirmantis Theologiæ præcipua declarauimus: quomodo diuina bonaq; natura vna dicatur & trina: quæ in ipsâ Patris, quæ Filij notio, quid ſignificet Spiritus ſancti Theologia: quâ ratione ex incorporeo indiuiduoq; bono intima bonitatis lumina pullulent, & à coæternâ cum ipſo pullulatione in ipſo, & in ſeipſis, & inter ſe manſione ſic exeant, vt ab eâ numquam diſcedant.* Habentur Græcè Tom. 2. Ἐν μὲν οὖν ταῖς θεολογικαῖς ὑποτυπώσεσι τὰ κυριώτατα τῆς καταφατικῆς θεολογίας ὑμνήσαμεν, πῶς ἡ θεία καὶ ἀγαθὴ φύσις, ἑνικὴ λέγεται, πῶς τριαδική· τίς ἡ κατ' αὐτὴν λεγομένη πατρότης τε καὶ υἱότης· τί βούλεται δηλοῦν, ἡ τοῦ Πνεύματος θεολογία· πῶς ἐκ τοῦ ἀΰλου καὶ ἀμεροῦς ἀγαθοῦ, τὰ ἐγκάρδια τῆς ἀγαθότητος ἐξέφυ φῶτα, καὶ τῆς ἐν αὐτῷ καὶ ἐν ἑαυτοῖς, καὶ ἐν ἀλλήλοις συναϊδίου τῇ ἀναβλαστήσει μονῆς ἀπομεμενήκεν ἀνεκφοίτητα.

Sequuntur apud Euthymium duo loci ex cap. 2. de Diuinis nominibus. Prior talis eſt: *In vnione diuinâ, ſiue naturâ illâ eſſentiam ſuperante, coniuncta quidem ſunt & communia vnicæ principaliq; Trinitati exiſtentia, eſſentiam ſuperans diuinitas, diuinitate ſuperior, bonitas bonitate præſtantior*, &c. ex illo: Ἐπὶ τῆς ἑνώσεως τῆς θείας, ἤτοι τῆς ὑπερουσιότητος, ἡνωμένον μέν ἐστι τῇ ἐναρχικῇ Τριάδι, καὶ κοινὸν ἡ ὑπερούσιος ὕπαρξις, ἡ ὑπέρθεος θεότης, ἡ ὑπεράγαθος ἀγαθότης, ἡ πάντων, &c. Poſterior autem ex eiuſdem cap. principio: *Nullus bonus, niſi ſolus Deus. Hoc & alibi à nobis expenſum ac demonſtratum eſt, omnes ſemper denominationes Deo dignas, non per partes, ſed in totâ, perfectâ, integrâ, & plenâ diuinitate in ſanctis celebrari libris, & omnes ipſas indiuiduè, abſolutè, & præter omnem diſcriminis obſeruantiam, integrâ ratione vniuerſæ integritati perfectæ & totius diuinitatis attribui.* & quæ ſequuntur multa. Οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ μόνος ὁ Θεός. Τοῦτο μὲν οὖν καὶ ἐν ἄλλοις ἐξεταθὲν ἡμῖν, ἀποδέδεικται, τὸ πάσας ἀεὶ τὰς θεοπρεπεῖς θεωνυμίας, οὐ μερικῶς, ἀλλ' ἐπὶ τῆς ὅλης καὶ παντελοῦς καὶ ὁλοκλήρου καὶ πλήρους θεότητος, ὑπὸ τῶν Λογίων ὑμνεῖσθαι· καὶ πάσας αὐτὰς ἀμερῶς, ἀπολύτως, ἀπαρατηρήτως, ὁλικῶς, ἁπάσῃ τῇ ὁλότητι τῆς ὁλοτελοῦς καὶ πάσης θεότητος ἀνατίθεσθαι, &c. En quinque ex vno titulo teſtimonia. Vereor ne moleſtus ſim, ſi ex eodem Opere cetera omnia commemorem; ſunt enim multa & magna nimis. Nam Titul. 3. continentur fragmenta viginti & ſeptem, metaphraſticè citata ex libro de Diuinis nominibus, & aliis operibus: vnum Titulo 5. ſed Titulo 7. duo ex eodem libro, vnum ex Epiſtolâ 4. ad Caium, vnum ex libro de Theologicis elementis, duo ex Cæleſti & Eccleſiaſticâ Hierarchiâ.

Ceterùm Parte 2. Titul. 18. refert Epiſt. 5. Maximi ad Nicandrum, in quâ locum illum beati Dionyſij de Dei-virili operatione ex Epiſtolâ ad Caium fusè explicuit: quæ explicatio quia pereruditа eſt, & oſtendit Maximi ſapientiam atque eruditionem, cuius inſcitiam Scaliger iactat ſe oſtendiſſe, eam hoc loco adſcribam, in Scaligeri gratiam, non Græcè, quia careo exemplari, ſed Latinè ex verſione zini. Ait ergo: *Idem de actionibus dicere poſſumus, nec tamen ob id vnicas diuinorum Patrum de ipſis actionibus voces negamus (abſit) quas vel ſanctus & diuinis in rebus explicandis excellentiſſimus Dionyſius, vel ſapiens Cyrillus, pronuntiauit; quibus diuina ſimul & humana actio ſic declaratur, vt coniunctam atque vnam eſſe appareat. Voces enim ab illis excogitatæ propter coniunctionem, & mutuam naturalium actionum inter ipſas omnino copulationem, ſunt piæ & comprobandæ. Quemadmodum & illæ quæ geminas declarant actiones propter differentiam in eſſentiâ naturáque ſubſiſtentem. Vox enim illa Theandrica, à Doctore Dionyſio compoſita, quæ diuinam humanámque ſignificat, vt vnicâ pronuntiatione duplicem naturæ duplicis actionem indicaret. Sapiens rurſum Cyrillus vnam coniunctámque dixit actionem, vt cognatam naturalium actionum copulationem doceret.* Et poſt pauca: *Quamobrem vna, vt Cyrillus ait, coniunctáque vtriuſque actio, quæ demonſtrata eſt, non aliter quàm illa Dionyſij Theandrica naturaliter actionum indicans copulationem, diuerſam & geminam earum rationem propriè demonſtrat.*

Idem Euthymius eodem Titulo cap. 83. citat explicationem clariorem eiuſdem loci Dionyſiani, traditam à B. Damaſceno con-

contra Monothelitas, quæ est ista: *Beatus Dionysius Christum nouâ quâdam theandricâ actione vsum dicit; quo quidem vocabulo non tollit actiones naturales, sed vnam ex diuinâ humanaq́ constantem actionem constituit. Sic enim & vnam naturam nouam, quæ ex diuinâ atque humanâ constat, dixerimus. Quorum enim actio vna, horum vna & essentia, vt diuini nostri Patres sentiunt. Sed cùm vellet ostendere nouum arcanumq́ modum, quo naturales Christi actiones patefactæ sunt, propter arcanam rationem, quâ Christi naturæ vicißim inter se commeant; congruè consuetudinem etiam eius, quantum ad humanitatem attinet, nouam & admirabilem appellauit: Neque enim diuisas dicimus actiones, neque naturas separatim agere, sed coniunctim vtramque cum alterius societate agere, id quod est ipsius proprium,* &c. quæ subdit, vsque; *Hoc igitur significat theandrica actio, cùm Deus homo factus sit, humanam etiam ipsius actionem diuinam esse, id est deificatam, & non expertem diuinæ eius actionis; itemq́ diuinam ipsius actionē humanæ ipsius actionis expertem non esse, sed vtramque simul cum alterâ spectari. Hæc autem loquendi ratio* περίφρασις *appellatur, cùm res duas vnâ dictione complectimur. Quemadmodum enim, vnam dicimus igniti gladij, tum incisam vstionem, tum vstam incisionem, cùm tamen alia actio sit incisio, & alia vstio, & ab aliâ atque aliâ naturâ proficiscantur, nempe vstio ab igne, incisio autem à ferro; sic etiam cùm vnam dicimus Christi theandricam actionem, geminas duarum ipsius naturarū actiones intelligimus, diuinitatis quidem ipsius diuinam, humanitatis autem humanam.*

Testimonia Nicephori Callisti, Georgij Pachymerij, & Cardinalis Bessarionis.

Nicephorus Callistus Xanthopulus Historiam Ecclesiasticam conscripsit, sanè diligenter, tempore Andronici senioris Palæologi, circiter annum Domini 1311. Hic lib. 2. cap. 22. ex nostri Dionysij, quem Areopagitam vocat, narratione, dicto Cap. 3. de Diuinis nominibus, recenset quæ in funere B. Virginis Mariæ acciderunt. Sed Cap. 21. sic de nostro loquitur: *Tanta autem fuit in Christum fides, vt non modò dignus diuino lauacro esset, sed etiam ipsius Pauli manibus Atheniensium designaretur Episcopus, mirificis prorsus atq́ diuinis charismatibus pollens. Vixit is etiam familiariùs cum diuino viro Hierotheo. quorum vtrique res summas Paulus (vt eis, in tertium cælum & Paradisum raptus, initiatus fuerat) de Theologiâ, Deiq́ verbi ratione scilicet, necnon Cælesti Hierarchiâ, rerumq́ omnium absolutißimâ dispositione atque ordinatione, communicans tradidit: quas res Dionysius posteà etiam in scripta retulit; qui vero verbo pietatis veriq́ cultus magnificè prædicando magnâ vsus est libertate, multosq́ annos in partibus Occidentalibus Christum glorificans, ad multam venit senectutem, & pro ipso martyrij coronâ est cohonestatus. Ferunt autem eum caput suum, quod gladio resectum fuerat, in manibus gerentem ad duo millia passuum tulisse, ibiq́ in quam inciderat mulieri tamquam depositum tradidisse. Quæ autem ille scripta, sublimi rerum diuinarum contemplatione, sententiis & elocutione admiranda prorsus, & excellentia, longeq́ ab iis, quæ pro hominum captu edita sunt, dißita composuerit, sic se habent.*

Primum quidem Opus de Diuinis nominibus *scripsit tredecim capitibus, in quo ad centum quoque alia capita sunt adiecta diuinæ sapientiæ plena.*

Secundus ab eo liber scriptus est, cui titulum fecit de Cælesti Hierarchiâ, *capita habens quindecim.*

Tertius de Ecclesiasticâ Hierarchiâ *capitum septem.*

Quartus de Arcanâ seu mysticâ Theologiâ, *quinque capitum.*

Reliquit etiam Epistolas decem, *quarum postrema* Euangelistæ Ioanni, *qui supra pectus Domini recubuit, est scripta. Atque hæc quidem eius scripta etiam hodie circumferuntur.*

Ipse quoque aliarum etiam lucubrationum suarum mentionem facit, quales sunt quæ ab eo Theologicæ dispositiones *sunt nominatæ. Item* Symbolica Theologia: *præterea* de Angelicis proprietatibus & ordinibus, Cōmentarius de animâ, De iusto & diuino iudicio, De diuinis hymnis, *item* De iis quæ vel intelligentiâ vel sensu deprehenduntur. *Commentarij autem isti omnino visi non sunt, neque nobis, neque his qui ante nos fuerunt cogniti.* Tantum Nicephorus, cui de scriptis Areopagitæ planè consentit

Georgius Pachymerius sub Michaële Palæologo & Andronico circa annum 1260. paulò antiquior; cuius habemus Aristotelicas epitomas, & paraphrases Areopagiticas, in libros qui exstant omnes, vt & Maximi Scholia: reliquorum, quos ait non inueniri, nomina ponit; περὶ Ἀγγελικῶν ἰδιοτήτων, περὶ Ψυχῆς, περὶ Δικαίου καὶ θείου δικαιωτηρίου, περὶ Θείων ὕμνων, περὶ

περὶ Νοητῶν καὶ αἰσθητῶν, περὶ Θεολογικῶν ὑποτυπώσεων, περὶ Συμβολικῆς θεολογίας.

Quoad superstites libros, his etiam Suidas consentit quantum ad inscriptiones: nam quoad capita variant, quod parùm refert. Sic autem recenset libros Suidas, πρὸς Τιμόθεον Ἐπίσκοπον Ἐφέσου, καὶ αὐτὸν μαθητὴν Παύλου τυγχάνοντα, περὶ Θείων ὀνομάτων βιβλία ιβ'. & capitum subiicit inscriptiones. Πρὸς τὸν αὐτὸν Τιμόθεον ἑτέρα βίβλος, περὶ Ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας, κεφάλαια ιε. πρὸς τὸν αὐτὸν περὶ τῆς Οὐρανίου ἱεραρχίας, κεφαλ. ιε. πρὸς τὸν αὐτὸν περὶ Μυστικῆς θεολογίας, κεφ. ε.

Deinde recenset Epistolas hasce: Πρὸς Γάϊον θεραπευτὴν δ'. Πρὸς Δωρόθεον λειτουργὸν α. Πρὸς Σώπατρον ἱερέα α. Πρὸς Πολύκαρπον ἱεράρχην Σμύρνης α. Πρὸς Δημόφιλον θεραπευτὴν α. Πρὸς Ἰωάννην τὸν Θεολόγον, τὸν Ἀπόστολον, καὶ Εὐαγγελιστὴν, α. Vbi vides præteritam epistolam ad Titum Episcopum, quam Maximus, Pachymerius & Nicephorus recognoscunt. Nam Maximi, siue Ioannis Sycopolitani πίναξ similis est enumerationi Pachymerianæ: nisi quòd addit loca Dionysij, vbi citat libros suos, qui non exstant.

Circa Christi annum 1371. vixerunt, iam corruente Græciâ, Georgius Trapezuntius, Theodorus Gaza, & doctissimus Cardinalis Bessarion, qui à Gazâ dissensit, & maiores suos sequens, hæc Opera tribuit Areopagitæ. Nam lib. 2. Defensionis Platonicæ cap. 3. ita scribit: *Vir sanctissimus, Dionysius Areopagita, qui primus & summus Christianæ Theologiæ auctor fuit, neminem ante se habuit rerum diuinarum scriptorem, præter Apostolum Paulum, & Hierotheum Athenarum Pontificem, quibus ipse præceptoribus vsus est.* Sic ex Budæi codice Morellius. Quæro, quæ alia de diuinis rebus Dionysij scripta laudarit hoc loco Bessarion, præter nostra. cuius ego in rebus istis iudicium decem Gazis, & centum Scaligeris non vereor præponere.

Testimonia ex Conciliis Græcorum.

IDem non per singulos tantùm Patres, sed cunctim etiam per Synodos possum probare. Nicæna Synodus Oecumenica prima, & Princeps (vt sic dicam) vniuersalium Conciliorum, in Canonibus vberioribus, quos ex nostris hominibus, Arabica secuti exemplaria, Pisanus & Turrianus ediderunt, Canone XXXI. qui est de recipiendis ex hæresi redeuntibus, ita sanxit: *Et postquam hæc fecerit Episcopus, vel Sacerdos, in cuius manibus est, debet vngere eum oratione Chrismatis, & ter signare signo Crucis, vngendo & orando super eum orationem Dionysij Areopagitæ.* Instituerat ergo formulam aliquam orandi noster. certè. Nam exstat Cap. vltimo de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, & ibi inuenies.

In Sextâ Synodo vniuersali, quæ fuit Constantinopolitana tertia, tempore Agathonis Papæ, & Constantini IV. Imp. anno 678. recipiuntur hæc Opera pro Areopagiticis. Etenim Actione 8. pag. 279. legitur: *Item relatum est aliud testimonium ex eodem codicillo sancti Dionysij Episcopi Atheniensis & Martyris, ex libro Diuinorum nominum, & collatus similiter textus testimonij, continens ita: Discreta est autem benignissima circa nos Dei operatio, per hoc quod secundùm nos ex nobis integrè vereq; humanatum est Verbum, quod est supra substantiam, & operari, & pati, quantum humanæ eius diuinæ operationi congruunt, præcipua ac probabilia. His namque Pater & Spiritus nullâ ratione communicant, nisi qui dixerit secundùm benignissimam misericordiam, voluntatem (quæ abscissa sunt ex eodem testimonio ab eisdem) & per omnem sublimissimam & ineffabilem Dei operationem, quam operatus est secundùm nos factus incommutabilis, eò quòd Deus & Dei verbum.* Citat locum è Cap. 2. pag. 496. Διακέκριται δὲ τῆς ἀγαθοπρεποῦς εἰς ἡμᾶς θεουργίας, τὸ καθ' ἡμᾶς ἐξ ἡμῶν ὁλικῶς καὶ ἀληθῶς οὐσιωθῆναι τὸν ὑπερούσιον Λόγον, καὶ δρᾶσαι καὶ παθεῖν ὅσα τῆς ἀνθρωπικῆς αὐτοῦ θεουργίας ἐστὶν ἔκκριτα καὶ ἐξαίρετα. Τούτοις γὰρ ὁ Πατὴρ καὶ τὸ Πνεῦμα κατ' οὐδένα κεκοινώνηκε λόγον· εἰ μήπου τις φαίη κατὰ τὴν ἀγαθοπρεπῆ καὶ φιλάνθρωπον βούλησιν, καὶ κατὰ πᾶσαν τὴν ὑπερκειμένην καὶ ἄρρητον θεουργίαν, ἣν διέπραξε καθ' ἡμᾶς γεγονὼς ὁ ἀναλλοίωτος, ᾗ Θεὸς καὶ Θεοῦ Λόγος.

Vis etiam aliquid ex nostris, in quibus vobis malè complacetis, Decretis Gratiani? Lege cap. 6. quod incipit, *Omnis*, *Distinct.* 38. Sed, ne nausees, scito idem haberi in Concilio Oecumenico Nicæno II. quod fuit vniuersale septimum; vbi traditur hierarchiæ nostræ essentia, posita in oraculis à Deo traditis, hoc est in veraci rerum diuinarum scientiâ & cognitione, *quemadmodum magnus ille ait Dionysius.* Sic enim concipitur canon iste 11. Οὐσία γὰρ τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας ἐστὶ τὰ θεοπαράδοτα Λόγια, ἤγουν ἡ τῶν θείων Γραφῶν ἀληθινὴ ἐπιστήμη, καθὼς ὁ μέγας ἀπεφήνατο Διονύσιος. Habes hodie cap. 1.

 Eccle-

Ecclesiast. Hierar. nisi quòd hodie καθ' ἡμᾶς pro καθ' ἡμῶν legitur, eodem sensu, & facili mutatione.

Testimonia ex Conciliis Latinorum.

IN Latinis Conciliis sæpè multi Græci, vt in Græcis Latini interfuerunt; hæc enim Conciliorum vniuersalium conditio est: sed Latina voco, quia in Occidente celebrata; Græca, quia in Oriente.

Romæ in Laterano anno 660. celebratum fuit Concilium sub Martino I. Papâ. tunc Patres hæc Opera pro germanis Dionysij Areopagitæ habuerunt, vt patet ex Secretario 3. pag. 122. Nam ibi *Martinus sanctißimus ac beatißimus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ dixit: Codicem S. Dionysij Episcopi Athenienſis hi, quorum interest, actis deducant. Theophylactus Primicerius Notariorum sanctæ Apostolicæ Sedis dixit: Secundùm iußionem vestræ Beatitudinis afferens de venerabili bibliothecâ Sedis vestræ codicem beati Dionysij præ manibus habeo; quid præcipitis? Martinus sanctißimus ac beatißimus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ dixit: Codex beati Dionysij suscipiatur, & de Epistolâ, quæ ibidem deposita est, ad Gaium directa, locus ille ordinabiliter, de quo agitur, cuius mentionem fecerit Cyrus in suo capitulo ad approbationem nouitatis eius, coram sancto Concilio relegatur. Et accipiens Paschalis Notarius regionarius Apostolicæ Sedis, de Græco in Latinam linguam interpretatum ipsum testimonium, relegit, continens ita: Sancti Dionysij ex Epistolâ ad Caium directâ, ad locum: Etiam non secundùm Deum diuina operatus, neque humana secundùm hominem; sed Deo homine facto, nouam quamdam Dei-virilem, id est θεανδρικὴν, operationem nobis ostendens.* Posteà Martinus & ceteri Patres, tamquam Dionysij verba, approbant; quæ hodie exstare in 4. Epistolâ ad Caium, iam crebrò diximus.

Generalis Synodus Octaua, sub Eugenio IV. Ferrariæ, sessione 7. recipit Simeonis Metaphrastę Orationem de diuiâ Dionysij Vitâ, in quâ (vt dictum superiùs) hæc Dionysij nostri Opera, vt germana beati Dionysij Areopagitæ referuntur.

Testimonia Gregorij Magni & Martini I. Romanorum Pontificum.

VEnio ad Romanos Pontifices Petri Apostoli successores; quibus qui abnuit credere, Petro credere detrectat; sine quorum approbatione ne generalia quidem Concilia certæ fidei habentur; si verò approbarint, Spiritum sanctum sanctitis adspirasse dogmatibus confitemur.

S. Gregorius Magnus Homiliâ 34. in Lucæ Euangelium capite 15. ita scribit: *Fertur Dionysius Areopagita, antiquus videlicet & venerabilis Pater, dicere, quòd ex minorum Angelorum agminibus foras ad explendum ministerium, vel visibiliter vel inuisibiliter mittunt: scilicet quia ad humana solatia aut Angeli aut Archangeli veniunt. Nam superiora illa agmina ab intimis numquam recedunt.* Non citat ipsa Dionysij verba, sed doctrinam Dionysij, quam explicuit libro ferè toto de Cælesti Hierarchiâ, maximè Cap. 7. 9. & 13. Dixit *fertur*; quia vel ipse Dionysium non legerat, vel quia liber vulgò Latinis nondum satis notus erat. Sanè Gregorium non hæsitanter, sed assertiuè Dionysio Opus illud tribuere, tenuit Hadrianus I. Papa, vt videbitis infrà.

S. Martinus I. gloriosus Martyr, in dictâ Lateranensi Synodo, Secretario 1. citans varios Patres, etiam nostrum laudat his verbis pag. 119. *Dionysius egregius & molem carnalem eum habere prædicat, & pondus corporeum; & cum mole ac pondere corporeo, eum incedere super aquas, non infusis pedibus: & hoc in opusculis eius de Diuinis nominibus docens, ait: Ignoramus qualiter de Virgine is aliâ lege præter naturalem formabatur, & qualiter non infusis pedibus corporalem molem habentibus, & materiale pondus, deambulabat humidam & instabilem substantiam. Atque iterùm in Epist. eius ad Gaium scriptâ ait: Et ad substantiam verè veniens supra substantiam substantiatus est, & super hominem operabatur, quæ hominis sunt. Et hoc ostendit Virgo super naturam pariens, & aqua instabilis terrenorum atque materialium pedum supportans pondus, & non obediens, sed supra naturam virtute sine diffusione consistens.* Prior locus exstat Cap. 2. de Diuinis nominibus paginâ 499. Ἀγνοοῦμεν δὲ ὅπως ἐκ παρθενικῶν αἱμάτων ἑτέρῳ παρὰ τὴν φύσιν θεσμῷ διεπλάττετο, καὶ ὅπως ἀβρόχοις ποσὶ, σωματικὸν ὄγκον ἔχουσι καὶ ὕλης βάρος, ἐπεπόρευτο τὴν ὑγρὰν καὶ ἄστατον οὐσίαν. Posterior ibid. in Epist. ad Caiũ 4. pag. 74.

Καὶ εἰς οὐσίαν ἀληθῶς ἐλθὼν, ὑπὲρ οὐσίαν οὐσιώθη, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐνήργει τὰ ἀνθρώπου. Καὶ δηλοῖ παρθένος, ὑπερφυῶς κύουσα, καὶ ὕδωρ ἄστατον, ὑλικῶν καὶ γεηρῶν ποδῶν ἀνέχον βάρος, καὶ μὴ ὑπεῖκον, ἀλλ' ὑπερφυεῖ δυνάμει πρὸς τὸ ἀδιάχυτον συνιστάμενον.

Demum Secretario 3. pag. 122. sic loquitur: *Propterea hos vobis Dominus, vt cernitis, manifestauit per hoc testimonium B. Dionysij, quod in præsenti relectum est, falsidicos luculentiùs eos ostendens, vt & de his, quod à Domino dictum est, impleatur, quo ait: Quando loquitur mendacium, de propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius. Mentita est enim iniquitas sibi, in his vtique instabilibus existentibus vt instabilis. Nam B. Dionysio asserente sicut audiuistis, dilectißimi fratres, nouam quamdam Dei-virilem operationem inter nos versatam, vterque eorum apertißimè contra Patrem mentitus est. Et Cyrus quidem in suo septimo capitulo, nouam, immutando, & vnam pro nouâ asserendo Dei-virilem operationem, quasi dixisse Doctorem perhibens: Sergius autem in Epistolâ de huiusmodi quæstione ad Cyrum scriptâ, tam immutationem nouæ cum illo confirmans, & non solùm hoc, sed & Doctoris Dei-virilem amputans penitus vocem; & vnam absolutè in Christo Deo dogmatizans operationem: facientes dolum quasi nouaculam acutam, atque minimè considerantes, quod in Psalmo scriptum est: Nónne Deus requiret ista? ipse enim nouit occulta cordis, & cogitationes talium hominum, quoniam vanæ sunt; vana enim locutus est vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde & corde locuti sunt mala: sed disperdet Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam, qui dixerunt: Labia nostra à nobis sunt, quis noster est Dominus? Nam si hæc in memoriâ retinerent, minimè ad talem iniquitatem prosilirent, id est immutationem & interemptionem paternarum traditionum & dogmatum.* Hactenus S. Papa Martinus. Quid ille nunc vobis diceret, hæretici? Si voculam vnam tollere, & aliam substituere ex isto libro B. Dionysij, est immutare & interimere paternas traditiones; quid totum librum abolere, & de gnesio spurium facere; de sancto Martyre & grauissimo Ecclesiæ Doctore, laruam, simium, suppositiuum? Videte an vos non ex illis, quorum labia dolosa, & lingua magniloqua, frena nec à Pontificibus, nec à Synodis admittentes? Videte ne Deus à vobis requirat ista, ne vos discindat, qui nouit occulta cordis & cogitationes abditissimas. Acutior est nouacula vestra, quàm Sergij & Cyri: vnicum verbum illi, vos tot opuscula conscidistis. Verba porrò Dionysij ex Epistolâ ad Caium, de quibus agitur, exhibui superiùs, & habentur in fine dictæ Epistolæ 4. ad Caium θεραπευτὴν, quod *monachum* exponunt Maximus & Pachymerius, rectè; siue *cultorem* vertatis cum Turriano, siue *medicum* cum Zino. Nam Monachi præcipuè diuino cultui & animi sui medicinę præ ceteris vacabant, & sic à purgatrice ad illuminatricem, & ab hac ad vnitiuam vitæ spiritualis viam progrediebantur, vt desinatis tandem vestros corporum Medicos cogitare.

Testimonia Agathonis Papæ, Hadriani I. & Nicolai I.

Agatho Papa in Epistolâ ad Constantinum Imper. Heraclium & Tiberium Augustos, in d. Concilio Constantinopolitano tertio lectâ, p. 252. ita scribit: *Sanctus quoque Dionysius Areopagita Episcopus Atheniensis, in libro Diuinorum nominum cap. 2. similiter docet: Discretum est autem à benignißimâ circa nos Dei operatione, hoc quod secundùm nos ex nobis integrè vereq; humanatum est Verbum, quod est supra substantiam, & operari ac pati quanta humanæ eius & diuinæ operationi congruunt præcipua ac probabilia. His namque Pater & Spiritus nullâ ratione communicant: nisi quis dixerit, secundùm misericordem & benignißimam eius voluntatem, & per omnem sublimißimam & ineffabilem Dei operationem, quam operatus est, secundùm nos factus incommutabilis, eò quòd Deus & Dei Verbum.* Locum habes hodie, & posui suprà.

Hadrianus Papa I. in scripto suo ad Imper. Carolum Magnum De colendis imaginibus, prout habes in 3. Tomo Conciliorum pag. 616. de nostro sic loquitur: *S. Dionysius Areopagita, qui & Episcopus Atheniensis, valdè nimirum laudatus est à diuo Gregorio Papâ, confirmante eum antiquum Patrem & Doctorem esse. Iste sub temporibus Apostolorum fuit, & in Actibus Apostolorum monstratur. Vnde & à prædictis sanctißimis prædecessoribus nostris Pontificibus, in sacris Conciliis eorum, eius confirmata sunt veridica testimonia pro sacrarum imaginum veneratione: inter cetera amplectentes ista ex Epistolâ S. Dionysij Episcopi Atheniensis, quæ directa est ad S. Ioannem Euangelistam.* & infrà: *Quid mirabile, si Christus verax, & discipulos iniqui de ciuitatibus eijciunt? ipsi sibi dignè iudicantes, & de sacro scelerati interdicunt recedentes?* Hæc Latina è Græco sunt castiganda.

recedentes? In veritate & manifestè imagines sunt visibilia inuisibilium. Nec enim in sæculis superuenientibus erit culpabilis ex eius iustitiâ respectus Dei. Item eiusdem, de cælesti militiâ: Prædicta enim incorporea agmina diuersis coloribus effigurantur, & compositionibus varios per colores tradidit, quatenus tacitè per nosmetipsos per sacratissimas effigies ad simplices & incorporales piâ mente transeamus. Etenim impoßibile est nostrâ mente ad inuisibilem & incorporeã illam pertingere cælestis militiæ imitationem visionemq́, nisi per elementorum poterimus per visibilem ad inuisibilem pulcherrimamq́ attingere effigiem, & visibiles odoriferasq́ imagines rationali traditione inuisibiles præfulgi, &c. Duo hæc loca inuenies in nostro; vnum Epist. 10. alterum Cælestis Hierarchiæ, quam Hadrianus sacræ Scripturæ more militiam vocat, cap. 1. pag. 3. Prioris verba sunt: Τί θαυμαστὸν, εἰ Χριστὸς ἀληθεύει, καὶ τοὺς μαθητὰς οἱ ἄδικοι τῶν πόλεων ἐξελαύνουσιν, αὐτοὶ τὰ κατ' ἀξίαν ἑαυτοῖς ἀπονέμοντες, καὶ τῶν ἁγίων οἱ ἐναγεῖς ἀποδιαστελλόμενοι, καὶ ἀποφοιτῶντες; Ἀληθῶς ἐμφανεῖς εἰκόνες εἰσὶ τὰ ὁρατὰ τῶν ἀοράτων. Οὐδὲ γὰρ ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις, αἴτιος ἔσται τῶν ἐξ αὐτοῦ δικαίων ἀφορισμῶν ὁ Θεός, &c. Inuenies hunc locum clariùs à Dionysij interpretibus traditum, quàm in Pontificiâ epistolâ; cui quid solidum respondeant fidei Dionysianæ desertores iconomachi, non video, cùm cernant hanc tam clarè tribui Areopagitæ, & affirmari hunc eumdem scriptorem à S. Gregorio Magno laudatum; & ab aliis sanctissimis Pontificibus eius libellos, de quibus controuertimus, in Conciliis, quibus Spiritus sanctus præest, vt veridica scripta confirmari. Vel vnicum istud testimonium homini Catholico deberet sufficere. Alterius verba dictâ pag. 3. Tom. 1. sunt: Διὸ καὶ τὴν ὁσιωτάτην ἡμῶν ἱεραρχίαν, ἡ τελετάρχις ἱεροθεσία, τῆς τῶν οὐρανίων ἱεραρχιῶν ὑπερκοσμίου μιμήσεως ἀξιώσασα, καὶ τὰς εἰρημένας ἀΰλους ἱεραρχίας, ὑλαίοις σχήμασι καὶ μορφωτικαῖς συνθέσεσι διαποικίλασα, παραδέδωκεν· ὅπως ἀναλόγως ἡμῖν αὐτοῖς, ἀπὸ τῶν ἱερωτάτων πλάσεων, ἐπὶ τὰς ἁπλᾶς καὶ ἀτυπώτους ἀναχθῶμεν ἀναγωγὰς καὶ ἀφομοιώσεις. Ἐπεὶ μηδὲ δυνατόν ἐστι τῷ καθ' ἡμᾶς νοΐ, πρὸς τὴν ἄϋλον ἐκείνην ἀνατάθηναι τῶν οὐρανίων ἱεραρχιῶν μίμησίν τε καὶ θεωρίαν, εἰ μὴ τῇ κατ' αὐτὸν ὑλαίᾳ χειραγωγίᾳ χρήσαιτο, τὰ μὲν φαινόμενα κάλλη, τῆς ἀφανοῦς εὐπρεπείας ἀπεικονίσματα λογιζόμενος, &c. Quæ cuncta Latinè sunt satis clarè reddita ab Ambrosio Camaldulensi, fideliùs etiam ab ipso Ioanne Scoto, qui Caroli Magni ferè contemporaneus, in hunc modum vertit: *Propter quod & sanctißimam nostram hierarchiam, perfectißima sacrorum dispositio, cælestium hierarchiarum supermundanâ imitatione dignã iudicans, & dictas immateriales hierarchias materialibus figuris & formalibus compositionibus varificans, tradidit: vt proportionaliter nobis ipsis, à sacratißimis formationibus, in simplas & non figuratas ascendamus altitudines & similitudines. Quoniam neque poßibile est nostro animo ad non materialem illam ascendere cælestium hierarchiarum & imitationem, & contemplationem, nisi eâ quæ secundùm ipsum est materiali manuductione vtatur; visibiles quidem formas inuisibilis pulchritudinis imaginationes arbitrans*, &c. Quo pacto possent ista probari nostris Iconoclastis?

Denique Nicolaus Papa I. ad Michaëlem Imper. perfidum Epistolâ ita illum affatur: *Si adhuc placet aliquid de hoc nosse quod delectet, antiqui Patris & venerabilis doctoris Areopagitæ Dionysij ad Demophilũ verba vobis recitari præcipite; qui etiam in causâ pietatis delinquentem Sacerdotẽ nefas sancit à minoribus vel inferioribus iudicari: ne fiat in Ecclesiâ Dei aliquid inordinatum, & status eius in aliquo confundatur.* Hodie ista Epistola inscribitur Demophilo Therapeutæ (hoc est Monacho. vide suprà.) & est Epistolarum Dionysij numero octaua: in quâ continentur quæ citat Nicolaus: Οὐ θεμιτὸν ἱερέα πρὸς τῶν ὑπὸ σὲ λειτουργῶν, ἢ τῶν ὁμοταγῶν σοι θεραπευτῶν εὐθύνεσθαι: *Nefas est Sacerdotem à ministris, vel, qui eiusdem tecum ordinis sunt Therapeutis, iudicari.*

Testimonia Liberati Afri, & Deusdedit Episcopi Caralitani.

PRoduxi testes ex Asiâ & Europâ, producam etiam vnum ex Africâ; produxi ex continente, producam vnum ex insulâ Sardiniæ. In omnes enim orbis partes, per terram & oceanum, hæc sententia penetrauit, & præualuit.

Liberatus Afer in Breuiario, de causâ Nestorianâ & Eutychianâ cap. 10. ita scripsit: *Cyrillus quatuor libros scripsit, tres aduersus Theodorum & Diodorum, quasi Nestoriani dogmatis auctores; & alium de Incarnatione librum. In quibus continentur antiquorum Patrum incorrupta testimonia, Felicis Papæ Romani, Dionysij Areopagitæ Corinthiorum Episcopi, & Gregorij Mirabilis,* Θαυματουργοῦ *cognominati.*

Contra hoc testimonium duo possent ab aduersariis obiici. Primò, quòd Catholici quidã negarint hos libros esse D. Cyrilli;

rilli; ducti eâ ratione, quia Cyrillus viuis hæc testimonia non obiecerat; ergo Cyrilli hoc Opus non videri. Responderi potest, tunc demum obiecisse, quia priùs illorum non recordatus, posteà in mentem venerunt: item illis mortuis hoc opus composuisse, contra quos viuentes non disputarat adhuc iunior. disputauit autem contra discipulos eorum Nestorium ac Theodoretum.

Secundò potest obiici, locum esse mendosum, & τὸ *Areopagitæ* inducendum. Velim consuli vetusta exemplaria. fieri enim potest, vt locus mendosus minimè sit, sed Liberatus in eorum errore fuerit, qui Dionysium Areopagitam censuerunt, post Atheniensem cathedram ad Corinthiam translatum, priusquam in Gallias migraret.

Adeodatus, siue Deusdedit venerabilis Episcopus Ecclesiæ Caralitanę insulæ Sardiniæ in Synodo Lateranensi sub Martino I. consultatione 3. sic locutus: *Verbum consummatum & breuiatum accipiens à Domino vestra veneranda beatitudo, compendiosè pariterq; diligenter, tam falsiloquium & nouitatem, quam operati sunt apertissimè Cyrus & Sergius aduersus sanctos Ecclesiæ Catholicæ Patres atque dogmata, per ea quæ prudentissimè in præsenti allocutus est, nobis demonstrauit, ostendens eos hæreticorum irretitos confessione, per hoc quòd* vnam *iuxta execrabiles Themistium & Seuerum, Dei-virilem operationem esse denuntiant, & non mirificam in hoc atque mirabilem, quoniam in vnione indiuisâ, duas vnius eiusdémque Christi Dei naturales operationes inconfusè ostendit, id est, diuinam & humanam, in approbatione verissimâ, Deum eumdem esse naturaliter & hominem; quod vtique, sicut B. Dionysius ait, omnium est nouitatum supereminens nouum. Nec enim vtriusque interemptionem, sed indiuisam vnitatem, per hanc compositam eius vocem memoratus Pater edocuit. Veram namque vnitionem ostendere voluit, sed non deminutionē quamlibet naturarum, quæ in vno Christo Deo substantialiter saluantur, aut naturalium eius operationum, quas videlicet per propria scripta, quæ in præsenti relecta sunt, Cyrus & Sergius denegantes, & propterea sanctorum quoque Patrum adulterantes testimonia, meritò à vestrâ Apostolicâ piâ sententiâ condemnati sunt, quos & nos consonanter cum eâ propterea condemnamus: nec non & Pyrrhum Sergij successorem, quoniam & ipse nihilominus cum Sergio Cyrum recepisse dignoscitur, & studuit ei aduocare in prædenominato septimo capitulo, & hoc cùm in scripto testatur contra eum, quoniam immutauit dictionem beati Dionysij, & quoniam iustè reprehensus est pro huiusmodi immutatione à Beatæ memoriæ Sophronio, ita enim scribit in vnum dogmaticum eius volumen Pyrrhus. Vnum autem tantùm capitulum reprehendit Sophronius reuerendissimus, vtpote testimonium Beatæ memoriæ Dionysij falsantem permutatione vnius vocis: in hoc congrua dicens prædictus vir, & cauta, in quibus ille asserit:* Sed homine facto Deo, nouam quamdam Dei-virilem operationem nobis proferens: *vnam nempe secundùm veritatem pro nouâ continebat denominatum volumen: sed non malitiosè (absit) iuxta meum verbum, sed quoniam non aliter potest noua intelligi, nisi vna, à sanctissimo Cyro huiusmodi vox posita est: quoniam per abnegationem sublimium vnam beatus Doctor confessionem construens, & hanc singulariter exprimens, quid aliter nisi vnam confiteri operationem, eò quòd vnus est Christus, per quoddam verbum luculentius prodidit? Ecce apertissimè per suos sermones Pyrrhus, & falsatam à Cyro dictionem beati Dionysij professus est, & reprehensum propterea eum meritò ostendit,* &c. Agit de illo Dionysij loco Epist. ad Gaium quartâ, quo Monothelitæ deprauato à se, & malè citato, contra veritatem geminæ in Christo voluntatis abutebantur.

Hæretica Pyrrhi verba.

Testimonia ex Hilduino, Hincmaro, Anastasio Bibliothecario, & Hugone de S. Victore.

Hilduinus Abbas monasterij B. Dionysij prope Lutetiam Parisiorum, vbi corpus beatissimi Martyris creditur asseruari (licet Ratisponenses contendant in suam ciuitatem dono Franciæ Regum translatum, hodie in sancti Emmerani nobili monasterio haberi) Hilduinus, inquam, ad Ludouicum Pium Imper. Caroli Magni filium scribens, testatur, horum librorum Scriptorem genere nobilissimum, & Philosophiæ magisterio insignem, Athenis claruisse: ac probat ex Apostolicis Actis; & Aristarchi Græci Chronographi Epistolâ ad Onesiphorum primicerium, de situ Athenarum; à quo dicit narrari *ortum prosapiæ & doctrinam eius, atque cōuersationis ordinem, seu ætatis tempus, nec non & ordinationem ipsius, & prædicationem, subrogationem etiam Episcopi in locum suum; & aduentum illius Romam.* Ibi inter cetera de his libris ita scribit: *Ceterùm de notitiâ librorum eius, quos patrio sermone*

sermone conscripsit, & quibus petentibus illos composuit, lectio nobis per Dei gratiam, & vestram ordinationem, cuius dispensatione interpretatos scrinia nostra petentibus reserant, satisfacit. Authenticos autem eosdem libros Græcâ linguâ conscriptos, quando Oeconomus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & ceteri missi Michaelis, legatione publicâ ad vestram gloriam Compendio functi sunt, in ipsâ Vigiliâ solemnitatis S. Dionysij, pro munere magno suscepimus. Quod donum deuotioni nostræ, ac si cælitùs allatum, adeò diuina est gratia prosecuta, vt in eadem nocte decem & nouem nominatissimas virtutes in ægrotorum sanatione variarum infirmitatum, ex notissimis, & vicinitati nostræ personis contiguis, ad laudem & gloriam sui nominis, orationibus & meritis excellentissimi sui martyris, Christus Dominus sit operari dignatus. Post hæc Hilduinus Bedæ & Gregorij Turonensis de hoc Dionysio nostro lapsum ostendit; & iis respondet, qui Bedæ ac Gregorij auctoritate conati fuerant istorum librorum alium Dionysium Corinthium facere auctorem. Denique idem Hilduinus in passione beati Dionysij Areopagitæ, quam ex Græcis se collegisse profitetur, ponit summam eorum quæ tractantur in libris quos hodie habemus, & quo habentur editi ordine.

Hincmarus Episcopus Rhemensis, Hilduini discipulus, Carolo Caluo Imperatori scribens, probat ea quæ Hilduinus ex Græcis Scriptoribus tradiderat, testimonio B. Sanctini, qui primus Carnutẽsium, & posteà Meldensium Episcopus, & Dionysij Areopagitæ discipulus fuit, à quo eius Acta atque martyriũ, ex vetustissimis membranis se Hincmarus ait descripsisse, & exemplar Carolo Caluo transmittere. *Vt si quæ sunt* (ait) *eorum Reliquiæ, qui negabant Dominum & Patrem nostrum, Patronum vestrum Dionysium, esse Areopagitam, à B. Paulo Apostolo baptizatum, & Atheniensium ordinatum Episcopum, & in Gallias à B. Clemente directum, ex his quæ Græca testificatio, & sanctæ Sedis Romanæ attestatio, & Gallicana intimat contestatio, ratum, & in hac causâ, quod longè ante nos dictum est, recognoscant: quia veritas sæpiùs exagitata, magis splendescit in lucem.* Tribus argumentis probat, quibus & nos vsi, & vtimur. I. Græcorum testificatione, nempe Legatorum Michaëlis Imperatoris, quibus addidi decurias aliquot Patrũ. II. Sanctæ Romanæ Sedis attestatione, nempe per Anastasium Bibliothecarium, de quo statim; quibus addo clara testimonia Gregorij Magni, Martini I. Hadriani I. Nicolai I. & Agathonis. III. Gallicanâ contestatione, nempe Hilduini, &, de quâ posteà, Ludouici Imperatoris. Beati Sanctini de aduentu B. Dionysij nostri in Gallias verba fuerunt: *S. Dionysius Areopagites egregiâ B. Pauli Apostoli prædicatione, fidei veritate illuminatus*, &c. *per reuelationem ordinatâ sibi commissâ Ecclesiâ Romam venit*, &c. *& à B. Clemente Petri Apostoli successore, amabiliter & honorabiliter susceptus, post aliquod spatium temporis cum aliis ad eroganda diuini verbi semina in Gallias est directus, qui prædicando, & sermonem confirmando sequentibus signis, Parisios ducente Domino peruenit.* vbi & martyrium perpessus. ideò (quod notauit Hilduinus) apud Græcos interrupta aliquamdiu eius memoria fuit.

Anastasius Bibliothecarius Romanæ Sedis, cuius Historiam noster Ioannes Busæus Moguntiæ curauit imprimi, ad eumdem Carolum Caluum Epistolâ scripsit, contra eos qui asserebant B. Dionysium, primum Parisiorum Episcopum, non esse Areopagitam: & contendit, fretus Græcorum codicum & Latinorum auctoritate, eumdem esse, & Græco sermone celsa sua scripta contexuisse: quæ scripta (sodes) nisi hæc ipsa, quæ ab Erigenâ conuersa in Latinum iubente Ludouico, & à se correcta Anastasius Ludouici filio Carolo, cum passione B. Dionysij à se ex Methodio conuersâ, dedicauit? de quibus videlicet in aliâ ad eumdem Carolum Epistolâ sic scripsit: *Notandum est, quòd licet tantæ gloriæ, tantæq; scientiæ, siue antiquitatis iste S. Dionysius fuerit, numquam tamen aliqua Opuscula eum edidisse, nisi fallor, quæcumque Orthodoxorum scripta traditio prodit, priusquam Romani Pontifices, Gregorius, Martinus & Agatho, dictorum eius in conscriptis suis mentionem fecerunt.* & mox: *Vnde ego veram esse Græcorum opinionem coniicio, perhibentium, libros eius à prioribus hæreticis occultatos, donec longo pòst tempore, ex Opusculis eius, solus codex, qui nunc habetur, est Romæ repertus: cæterisq; nondum inuentis in Græciam asportatus.* Sic ille: sed docui, quibusdam Græcis, etiam ante diuum Gregorium Papam, hæc Areopagitica Opera fuisse cognita: illud verum est, post Gregorium communi consensu recepta, donec isti terræ filij, & cælestium perduelles, antiquam illam anonymorum querelam tumidâ & graui, sed ingratâ & inutili coaxatione, in limo lacustri renouarunt.

Hugo de S. Victore, Canonicus regularis,

ris, sui temporis tam clarum lumen, vt alter Augustinus fuerit vocatus; primus Latinorum ausus fuit explicationem Cælestis Hierarchiæ magni Areopagitæ, vsus versione Ioannis Scoti, & eam decem libris comprehensam dicauit Ludouico Francorum Regi, filio Ludouici Grossi; & in Prolegomenων cap. 4. causam reddit, *cur Theologus & narrator hierarchiarum & potestatum sacrarum Dionysius* (sic eum vocat) opus illud Cælestis Hierarchiæ sibi censuerit componẽdum. Claudat agmen Patrum Hugo. nam ij, quos subdam, à disputandi accommodatiore scholis ratione, *Scholastici* sunt vocati.

Testimonia Scholasticorum.

PEtrus Lombardus, qui vulgò Magister sententiarum vocatur, in 2. libro, & eum secuti Scholastici, pro indubitatis Areopagitæ Operibus habuerunt; & ideò dicta eius de Hierarchiis cælestibus, & de Diuinis proprietatibus, & alia, pro ratis & summoperè venerandis semper laudarũt: nec, præter Thomam de Vio, ipsorũ legi vllum, qui de Opusculorum istorum auctore vel leuiter dubitarit. Patet eorum consensus (quem communem omnium vocat Dionysius Carthusianus Præfatione in nostrum) ex eo quòd Alexander de Ales in p. 2. à quæst. 36. Albertus Magnus in 2. Sent. distinct. 9. & 10. B. Thomas in 1. part. q. 108. & passim, B. Bonauentura in dict. distinct. 9. & 10. Durandus, Scotus, Richardus, Gabriel, & alij ibidem, sine vllo addito, per antonomasiã, semper Dionysium vocarunt: neque sic vocaturi, neq; tanti facturi, si pro incerto, dubio, vel suppositītio habuissẽt. Eâdem fiduciâ & reuerentiâ S. Bonauentura, eius imitatione & vestigiis hærens, eruditum librum de Ecclesiasticâ Hierarchiâ composuit, & sanctus Thomas edidit Commentaria in lib. de Diuinis nominibus; vt etiam in Hierarchiam Angelicam Robertus Grossetesté Linconiensis Episcopus. Pro Areopagiticis etiam habuit Alfonsus de Madrigal Tostatus Episcopus Abulensis, Commentariis in Iosue cap. 10. q. 88.

Recollectio auctoritatum, singulis Operibus D. Dionysij accommodata.

QVia controuersia ista, quæ mihi cum Iosepho Scaligero est, ab auctoritate & antiquâ præscriptione potissimùm pendet; visum in libri calce suffragia per recapitulationem recolligere, vt æqui Iudices habeant vno intuitu, quod illos ad iustè *Vindicias* addicendas vel abiudicandas queat permouere.

Pro Scaligero (qui se primum putat dubitasse) fuerunt olim quidam Græci, sed anonymi, incertum an Catholici, an hæretici. In Franciâ quoque nonnulli, regnantibus Ludouico Pio & Carolo Caluo, sed & ipsi quoque anonymi. Auorum nostrorum memoriâ sepultum errorem effoderunt, & pro nouo venditarunt, Theodorus Gaza & Laurentius Valla Grammatici, Desiderius Erasmus incertæ fidei, Caietanus Catholicus, sed Erasmo nimis credulus, Lutherus hæresiarcha cum suis, Caluinus alter hæresiarcha cum suis; & his annis Iosephus Scaliger, & Desiderius Heraldus. Rarum manipulum cernitis, & rorariorum.

Stat ex aliâ parte densa & inuicta planè legio, robur triariorum, ex Asiâ, Africâ, Europâ euocatorum: Concilia vniuersalia, Pontifices Romani, Patriarchæ, Episcopi, Doctores Ecclesiæ, Theologi, Historici, Philosophi, omnes in terris olim celebres, nunc in cælis multi gloriosi.

Horum nonnulli omnes quos habemus Dionysij libros, alij quosdam vt germanos beati Dionysij Areopagitæ receperunt.

Omnes quidem libros receperunt, quotquot in eos Scholia ediderunt, vt Maximus Martyr & Pachymeres Græci; vel Latio donarunt, vt Scotus, Hilduinus, Anastasius Bibliothecarius, & alij: vel eorum Pinacas contexuerunt, vt Ioannes Sycopolitanus, Suidas, Simeon Metaphrastes, Nicephorus, & Hilduinus; vel qui ex professo affirmarunt esse Dionysij Areopagitæ, vt Theodorus Presbyter, & iidem Anastasius ac Hilduinus, Guilielmus Budæus, Matthæus Galenus, Alanus Copus, Cardinalis Baronius, & noster Cardinalis Bellarminus, quibus addere licet Ieremiã Constantinopolitanum, & alios complures; vel qui ex Opusculis hisce promiscuè testimonia desumentes, Theologica axiomata inde comprobarunt, vt cum Magistro Sentent. SS. Bonauentura & Thomas, & reliqui Scholastici omnes, itẽ qui simpliciter scriptorum Areopagitæ meminerunt, vel ex incertis locis fragmenta quædam collegerunt, vt D. Cyrillus suprà, Liberatus, SS. Sanctinus & Hincmarus, Anastasius Nyssenus, Antonius Melissa, Theodorus Prodromus, Cardinalis Bessarion, & Synodus Ferrariensis Generalis VIII.

Certa verò & definita exstantium libellorũ loca produxerunt plurimi. Exempli gratiâ: *de Cælesti Hierarchiâ*, B. Ignatius Martyr, S. Hieronymus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Chrysostomus, S. Dionysius Alexandrinus, S. Athanasius Alexandrinus, Origenes Adamantius, S. Michaël Syngelus, S. Ioannes Damascenus, Georgius Patricius, Euthymius Zigabenus, S. Gregorius Magnus, Hadrianus I. Papa, Hugo de S. Victore, & Robertus Episcopus Linconiensis.

De Ecclesiasticâ Hierarchiâ, Anastasius Nyssenus, Elias Cretensis, S. Michaël Syngelus, S. Ioannes Damascenus, Georgius Patricius, Euthymius Zigabenus, Synodus Nicæna I. Synodus Nicæna II. Cap. Omnes. dist. 38. ex Decreto Gratiani, S. Bonauentura.

Ex lib. *de Diuinis nominibus*, S. Ignatius Martyr, S. Maximus Martyr, S. Anastasius Sinaïta, S. Andreas Cretensis Ierosol. Episcopus, Glycas, Iulianus Episcopus Ierosolymitanus, Euthymius Historiographus, S. Ioannes Damascenus, S. Simeon Metaphrastes, Nicephorus Callistus, Epiphanius Presbyter, S. Michaël Syngelus, Græci in quodam de Deiparâ Cantico, Georgius Patricius, Euthymius Zigabenus, Synodus VI. generalis, S. Papa Martinus I. Agatho Papa, diuus Thomas de Aquino.

Ex libro *de Mysticâ Theologiâ*, Georgius Patricius, & Euthymius Monachus ille Zigabenus.

Epistolarum omnium meminerunt, qui omnia recensent Opera; quarumdam verò sigillatim ac speciatim sequentes hoc pacto:

Epistolæ quartæ ad Caium Therapeutã, S. Sophronius Episcopus Ierosolymitanus, S. Maximus, S. Michaël Syngelus, S. Ioannes Damascenus, Euthymius Zigabenus, Synodus Lateranensis sub Martino I. S. Martinus Papa I. Sergius Tempsanensis, Deusdedit Caralitanus. Hi omnes Catholici. Ex Monothelitis verò quinque habes, Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium, Patriarchas, & Themistium Philosophum.

Epistolæ ad Demophilum Therapeutam, Nicolaus I. Papa.

Epistolæ ad S. Ioannem Euangelistam, Hadrianus I. Papa. Satísne multi & probi? His igitur copiis fretus in aciem prodij: hac nube testium obumbratus, Salmonei fulmina, aut Claudiana tonitrua non formido. Testes produxi, qui multorum sæculorum, & totius orbis Christiani, prudentissimi, sanctissimi, sapientissimi fuerunt: multi in Conciliis Oecumenicis Spiritu sancto inspirante locuti: multi Beatorum numero adscripti, martyriis & miraculis illustres, &c.



DE

DE S. DIONYSIO AREOPAGITA EIVSQVE SCRIPTIS DISPVTATIO APOLOGETICA

PETRI LANSSELII *Societatis* IESV *Presbyteri.*

NON est vt mirandum sit alicui, si post multas doctissimorum hominum lucubrationes, qui summâ laude & ingenij gloriâ Vindicias Areopagiticas in lucem emiserunt, nos ad eamdem disputationẽ aggredimur. Nam vt omittam, quòd singuli non omnia persecuti sint, quodque, vt ait cælestiũ hymnorũ Vates, *dies diei eructat verbum*; sanè pertinet ad editionẽ hanc nostram, quam ornatam suisque numeris absolutam esse cupimus, vt remoræ omnes extinguantur, turbulentæ obiectionum vndæ placentur, quò recto cursu hic mercium Atticarum cataplus, in Galliam à B. Dionysio inuectus, ad doctorum omnium intelligẽtiam appellat. Neque verò hîc complectar omnia quæ in hoc genere dici potuissent: magnam partem obiectionum, quas amantes nouitatis solent opponere, S. Maximus aliique exhaurient, qui Dionysij Vitam summo iudicio perscripserunt. Quorum docta monumenta quoniam sunt in manibus, & à nobis in hoc etiam Opere collocantur, hoc proinde loco silebitur de Apollinari, nihil dicetur de vtroque Dionysio, tum Corinthio tum Alexandrino, nihil de iis minutis quasi tragulis, quas scioli homines & curiosi in communem iam omnium nationum opinionem coniiciunt, ne in illis otiosè refellendis actum agere, & bis cramben reponere videamur. Grauior mihi semper visa Turonensis Gregorij auctoritas, quâ freti eruditissimi quidã huius temporis Theologi, fieri minimè posse dicebant, vt is foret Areopagita Dionysius, quem homo Gallus, in Galliæ rebus versatus, deque notissimis rebus memorans, sub Decio Lutetiam Parisiorum venisse confirmat. Eoque magis in eâ ipsâ re audiendum esse putabant, quod cum eius narratione atque sententiâ Martyrologium vetus Romanum, vt ipsi quidem rentur, conspiret. Sancti viri locum è Francorum Historiâ depromptum, quandoquidem lubet excutere & examinare paulò subtiliùs, ad latebram totius difficultatis illuminandã, totum hîc apponam. Ita igitur habet libro 1. cap. 30. *Huius tempore septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut historia passionis sancti Saturnini denarrat: ait enim, sub Decio & Grato Consulibus, sicut fideli recordatione retinetur; primum ac summum Tolosana ciuitas sanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo missi sunt: Turonicis Gratianus Episcopus; Arelatensibus, Trophimus Episcopus; Narbonæ, Paulus Episcopus; Tolosæ, Saturninus Episcopus; Parisiacis, Dionysius Episcopus; Aruernis, Stremonius Episcopus; Lemouicinis, Martialis est destinatus Episcopus.*

Equidem hunc Antistitem non agri modò Turonensis decus, sed totius Galliæ lumen, tanti facio, quanti par est eum, qui clarissimis monumentis gloriosi nominis famam obtinuit: sed in hac re tamẽ non plus habet momẽti eius oratio, quàm illa ipsa passio Saturnini quam laudat, quamque in mæandris antiquitatis relegendis Helicen vnam & Cynosuram sequitur. Atque hoc ipso introitu in disputationẽ videre mihi videor, quis eum flatus in erroris scopulos illiserit: nam cùm in eâ Saturnini rerum gestarum historiâ, vidisset egregium illum Christi bellatorem sub Decio venisse in Galliam, existimauit etiam alios claros viros, quos deinde nominat, fidei duces & propagatores, eâdem ipsâ ætate Galliæ regnum vitæ innocentiâ & doctrinâ illustrauisse. Itaque vt in tenebris micans & incertus, nullum profert Romanum Pontificem totius Ecclesiæ gubernatorem, à quo illi primipili religionis ad triumphantem vbique impietatem coërcendam sint dimissi. Sunt igitur duo quædam mihi obiter & breuissimè ostendenda: inprimis, fuisse plures, etiam ex iis quos enumerat Gregorius, Christianæ fidei buccinatores in Galliâ, priusquam Decius imperij habenas moderaretur: deinde, neminem eorum Scriptorum, qui

Ecclesiæ nascentis memoriam posteritati transmiserunt, Martyrumque natales dies collegerunt, de B. Dionysio confirmasse, eum vnà cum Gratiano, Saturnino, ceteris in Galliam fuisse legatum: è quibus liquidò, opinor, constabit, quàm leuis, atq; falsa, quàm inanis sit Gregorij Turonensis opinatio, quàm vanum denique sit ingeniosorum hominum commentum, qui antiquo Romano Martyrologio niti eius opinionem, robustioremque fieri existimant. Vtrumque verò ex iis Scriptoribus, qui Martyrologia summâ curâ & labore concinnarunt, non est operosum ostendere. Nam vt à Gratiano inchoëmus, vetus Romanum Martyrologium, & deinceps Ado 18. Octobris, nec quo tempore sit missus in Galliam explicant, nec socium B. Dionysij fuisse contendunt. Par vtriusque silentium de Trophimo, quem alioqui *discipulum Apostolorum* vocant. De illo verò hæc Adonis verba notari velim, cùm de festiuitatibus Apostolorum, *Natalis*, inquit, *sancti Trophimi, de quo scribit Apostolus ad Timotheum: Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Hic ab Apostolis Romæ ordinatus Episcopus, primus ad Arelatem vrbem Galliæ ob Christi Euangeliũ prædicandum directus est. Ex cuius fonte, vt B. Papa Zosimus scribit, totæ Galliæ fidei riuos acceperunt: qui apud eamdem vrbem in pace quieuit.* Idem confirmat in Chronico ætate sextâ, anno Christi 59. Gaguinus libro 9. de Carolo V. Rege scribens, hæc de Trophimo refert: *Arelatem Regni Burgundorum primariam ciuitatem & caput fuisse, imperioq; paruisse certum est: quã, vt Geruasius scribit, Aram latam prisci appellabant; nam in eo loco prope ciuitatem, qui Rocheta dicebatur, duæ columnæ extructæ erãt, & super eas ara imposita, vbi quotannis ad Kalendas Maias frequens vndique populus, humanas hostias pro suâ sospitate mactare consueuerat. Itaque tres iuuenes publicâ pecuniâ emptos anno toto saginabãt, quos constituto die ad ipsam aram immolabant, victimarum sanguine circumstantem populum aspergentes, quem ritum D. Trophimus, ex septuaginta duobus Christi discipulis illò ex Iudæâ missus, sustulit; docens, non cruore mortalium hominum, sed Christi Sanguine illos debere aspergi.* Hunc igitur, ad rudes animos religione imbuendos, sub Decio venisse in Galliam putemus?

Sequitur tertio loco Narbonensis Antistes Paulus, de quo, si eadem vetustatis monumenta scrutari, & peruolutare Martyrologia velimus, sic reperiemus, nullam Decij mentionem, nullam cum Dionysio nostro in peregrinando societatem adhiberi. Vetus Romanum 22. Martij disertè ipsum *discipulum Apostolorum* indigitat. Ado de Festiuitate Apostolorum: *Natalis S. Pauli, quem beati Apostoli ordinatum vrbi Narbonæ Episcopum miserunt. Quem tradunt eumdem ipsum fuisse Sergium Paulum Proconsulem, virum prudentem, à quo ipse Paulus sortitus est nomen, quia eum fidei Christi subegerat, quiq; ab eodem sancto Apostolo, cùm ad Hispanias prædicandi gratiâ pergeret, apud præfatam vrbem Narbonam relictus, prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis coronatus sepelitur.* Illustrissimus Baronius hanc ipsam historiã purpurâ orationis conuestiuit & ornauit, quam huic panno minimè attexo, hoc vnum contentus ostendisse, tot sæculorum ætatumque iudicio, Martyrologij testimonio, Scriptorum illustrium cõsensione, Gregorij Turonensis opinionem abiectam & repudiatam fuisse.

Numerat deinde Saturninum, de quo etiam quid vetus memoria prædicet, videamus. Vetus quidem Romanum Martyrologium plane silet, nec in Vitâ quam Surius Tomo 6. posuit, discipulus fuisse Dionysij nostri dicitur: quin Græcus scriptor nullus reperietur, qui dicat Saturninum sancti Dionysij socium, Tolosanum fuisse Episcopum. Adde, neminem memorare, mortem illum occubuisse sub Fescennino Sisinnio, atque adeò, nisi me mea memoria fallit, non extare apud vllum qui res veteres litterarum monumẽtis mandarit, vllam mentionem cuiusdam Præsidis Sisinnij, qui tempore Decij Imperatoris floreret. Latini verò qui deinceps Saturnini meminerunt, cùm in eadem vestigia sint ingressi, quæ palàns antè Gregorius impresserat, non est mirum, si cum eodem de viâ deflexerint. Meritò igitur illa ab Hilduino dicuntur pag. 69. *Et quòd Gregorius Turonensis, sicut in passione S. Saturnini legisse se dixerat, sub autumatione memoret istum ipsum tempore persecutionis Decij sub B. Sixto cum aliis sex Episcopis, quorum vitæ vel passiones nequaquam eius dictis in ratione temporum consonant, in has regiones fuisse directum.*

Quinto loco Dionysium nostrum recenset, quem, vt delectum Argiuum virũ, ad ipsorum heroum classem Gallicamque expeditionem aggregat. Proferemus igitur Martyrologium, quod totum ab eo esse volunt. Ita verò habet 3. Octobris: *Athenis, Dionysij Areopagitæ, sub Adriano diuersis tormentis passi, vt Aristides testis est in Opere quod de Christianâ religione com-*

composuit, &c. Et 9. eiusdem: *Parisiis Dionysij Episcopi cũ sociis suis à Fescennino gladio animaduersi*. Ex his locis quidã existimarũt, quod è priuatis eorum literis cognoui, perspicuè duos distingui Dionysios, notatâ loci & diei varietate. Sed, quod pace illorum sit dictum, vitreum illud est & fragile fundamentũ, ex quo effici nihil aliud possit, quàm solemnes dies festos vni & eidem variè consecratos. Neque verò est quòd Athenarum mentio conturbare vllius animũ debeat: nam Athenis quidem S. Dionysium diem extremũ obiisse, non ciuitatum imperiorumque Annales, non commemoratio vlla antiquitatis, non excellentium hominum Commentarij significant; liquidò autẽ repugnant illi omnes, qui eius Vitam scriptis illustrarunt suis, quos diligenter exceptos studioso Lectori suo loco proponimus. Quòd si quis autẽ rationem exquirat, cur vetus Romanum Martyrologium, Beda & Ado agant 3. Octobris de Areopagitâ Dionysio, die verò 9. de Dionysio Parisiorũ, cæcus sim & deuius à ratione, si me putem in eo genere aliquid melius aut elegantius excogitare, quàm quod præstitit clarissimus Baronius, vndequaq; magnus, de quo non dubitem id Laconum pronũtiare, Θεῖος ἀνὴρ οὗτος.

" Sic verò ille disputat: Quòd autem Beda & Ado de Dionysio Areopagitâ agũt tertiâ die Octobris, die verò nonâ de Dionysio Parisiorum, quasi hic sit diuersus ab illo, dicimus à Græcis mutuatos exemplũ, eâ enim die Græci de Areopagitâ agunt, Romæ autem hac die ex antiquis Ecclesiarum monumentis agi solitum certum est, aliâ fortasse de causâ. Sæpè enim accidisse vidimus, vt aliâ ratione Græci, aliâ verò Latini eiusdem Sancti agant celebritatẽ: imò inter ipsos Latinos eamdem inuenies diuersitatem, quòd nimirum alij celebrẽt diem natalem, inuẽtionis seu translationis alij, vel fortè dedicationis Ecclesiæ; quâ etiam ratione de vno eodemque Sancto iterùm agi solemnitatem, facilè inuenies. Adhæc si attentiùs considerentur quæ Beda & Ado eâ die tertiâ Octobris dicãt de Dionysio Areopagitâ, iidem nostræ potiùs fauere videntur causæ, quàm contradicere, cùm testentur, sanctum Dionysium sub Adriano Imperatore martyrium consummasse. quo quidem tempore Atheniensi Ecclesiæ præfuisse Quadratum Episcopũ, & huius præcessorem Publium, Dionysij successorem, certum est: id etenim Eusebius Historiæ libro 4. cap. 22. id etiam sanctus Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Quadrato, id denique ceteri Historici ea tempora prosecuti testantur. Quin si fidem præstamus Hippolyti libello de Septuaginta-duobus discipulis, Narcissum discipulum Domini ante prædictos post Dionysium Athenis sedisse, dicere opus est. Quænam ergo causa esse potuit, vt Dionysio adhuc superstite, vsque ad tempora Adriani tres Episcopi, vel saltem duo, in eius locum fuerint subrogati? Haud equidem credendum est, talem tantumque virum, Ecclesiæ columnam, in maximis illis Ecclesiæ angustiis sedi nuntium remisisse, vitamque otiosam transegisse. Sicque nihil est quod conuenientius dici posse videatur, quàm (quod eius acta significant) eum ad maiorem Prouinciam subeundam à S. Clemente Papâ in Gallias amandatum: quo exemplo factum apparet, vt & S. Polycarpus suorum discipulorum plerosque eódem ex Asiâ miserit, cùm tam ingens ostium ad Euangelium propagandum patere videret, & in multâ messe operarios esse perpaucos. "

Hactenus Baronius: qui cùm S. Clementem nominat, fortissimum meâ quidem opinione suggerit argumentum ad eamdem rem comprobandam. Neque enim in Vitis Pontificum reperietur ab alio missum in Galliam Dionysium, quàm à Clemente, qui idem publicus administer Religionis, soliique Romani præses, pari consilio & auctoritate B. Dionysij commilitones amandauit, à quibus Itali Germanique, tum qui in Hispaniâ sunt populi, fidei lucem exceperunt. Quos populos futili existimatione delusos, hactenus in summâ ignoratione iacuisse necesse est, inanemque omnem maiorum traditionem esse putandam, anilia denique esse commenta quæ in Archiuis Ecclesiarum Tabulariisque continentur, si Dionysius Areopagita, si qui eius feruntur socij, numquam ad eas oras appulerunt. Atque hoc ipsum erit etiam, opinor, illustrius, si consideremus quid varia Breuiaria, quæ communem fidem nationum de tutelaribus sanctis conseruant, de Dionysio deque eius sociis repræsentent. Multos igitur cõmunium precum Codices seu Breuiaria diuersarum Ecclesiarum nobis concessit R. D. Florentius Vander Hare, Canonicus & Thesaurarius Ecclesiæ Collegiatæ sancti Petri Insulis, vir diligentissimus veterum rerum indagator, idemque humanissimus, in quibus perspicuè notari video in Galliam eos venisse. Breuiarium Parisiense impressum anno 1492. Burgense anno 1502. Morinẽse 1519. Brugense 1520. Rhe-

Rhemense 1549. Hildesimense 1516. ipsum asserunt à Clemente Papâ in Gallias missum, Parisiis capite diminutum. Hildesimense verò adiungit ei socios SS. Saturninum, Lucianum, Marcellum. Vnde patet, Latinos etiam Scriptores peruetustos censuisse, Saturninum longè ante Decij tempora, in Galliis fidem religionemque vulgasse. Parisiense quidem certè in Vitâ S. Eutropij asseuerat, illum cum sancto Dionysio venisse; sed Burgense anno 1502. editum, rem omnem magnificentiùs explicat: sic enim S. Eugenij Vitam proponit:

Postquam B. Dionysium Paulus Apostolus ad fidem Christi conuertit, & Athenarũ præfecit Episcopum, Romam rediјt, vbi non longè pòst martyrium sumpsit: cuius desiderio B. Dionysius illuc pergens, B. Petrum ac eumdem Paulum martyrio coronatos inuenit, sanctumq; Clementem Apostolicæ Sedis infulâ sublimatum reperit, cuius benedictione roboratus, Apostolatuq; ab eo totius Galliæ suscepto, cum pluribus Coëpiscopis & Presbyteris & Diaconibus Arelatensium ciuitatem vsque peruenit. Comministros sibi traditos destinauit, videlicet, B. Lucianum Beluacensibus, Marcellum Bituricensibus, aliosq; quãplures suis in locis, Eugenium verò Toletum mittere studuit: prædictus itaque Dionysius cum sociis suis Rustico & Eleutherio vrbem adiјt Parisios, vbi illos contra incredulos dimicantes Fescenninus Sisinius reperit, eosq; multis afficiens tormentis, ad vltimum decollari iussit. Hi sancti viri S. Trinitatem confitentes, trinũ pariter compleuerunt martyrium. Intereà dum hæc aguntur, B. Eugenius, cuius inclyta vita in Ecclesiis extat bonorum operum forma, postquam gentilem populum Toletanæ Prouinciæ exemplo honestæ vitæ, Catholicâ prædicatione, miraculorum confirmatione ad fidem Christianam conuertit.

Huic historiæ lucem feret splendida P. Ioannis Marianæ è Societate nostrâ animaduersio, ex libro 4. de Rebus Hispaniæ capite 4. circa annum Christi 97. *Omnino per hæc tempora Eugenius primus Toletanus Præsul occisus est. Missus fuerat in Hispaniam à Dionysio Areopagitâ (sic pro cõstanti traditur) ex Galliâ, vbi Euangelium propagabat: & Christi religione in eâ Prouinciâ, ac Toleti præsertim, fundatâ, studio Dionysium inuisendi, in interiorem Galliam penetrauit, cùm à Sisinij Præfecti satellitibus comprehensus, in vestigio est occisus. Corpus in Marcasium lacum coniectum, Galliâ demum Christi sacris populariter imbutâ, Hercoldus vir primarius diuino monitu in Diolum pagum lacui vicinum delatum, templo eius nomine dicato coluit. Inde in templum Dionysiacum migrauit, & Rege Castellæ Alfonso, qui Imperator est nuncupatus, eius brachium primum Toletum relatum est, Ludouico VII. Galliæ Rege concedente in soceri Regis gratiam, & Raymundi Toletani Præsulis. Nam quo is tempore Eugenio III. Romano Pontifice ad Rhemensem Episcopum cõuentum festinabat, ex itinere rem omnem de Hispanorum memoriâ obliteratam præsens explorauerat. Reliquum inde corpus nostrâ ætate à Carolo IX. Rege Galliæ, Philippo II. Hispaniæ Regi datum, atque in vrbem Toletum inuectum, Principali ac verò incredibili apparatu ante viginti annos, maiori religione colitur. Sunt qui putent, Philippum quemdam à Clemente in Hispaniam Episcopum amandatum, aut certè Marcellum, quem Philippo socium Dionysius adiunxit ex Galliâ (vt Michael Syngelus est auctor) Eugenium ipsum fuisse: atque hoc quidem nomen ab ingenitâ nobilitate manasse, alterum autem à parentibus accepisse. Quòd cùm affirmant, nullâ meliori coiecturâ nituntur, quàm quòd Eugenij nulla mentio extet in antiquorum scriptis: Philippus & Marcellus quid rerũ in Hispaniâ gesserint, penitus lateat. Ex eo suspicantur, nominibus permutatis eumdẽ Eugenium & Philippum fuisse aut Marcellum.*

Quòd verò dicat, Syngelum censere, S. Marcellum adiunctum S. Dionysio socium eumdem esse cum Eugenio, in Syngelo desideratur. Quare arbitror ipsum existimasse auctorem martyrij S. Dionysij fuisse Syngelum: alius tamen fuit, nimirum S. Methodius. Cuspinianus p. 423. in Consules Cassiodori affirmat, se legisse in vetustis Annalibus anno Domini CXXI. *Apud Parisios Dionysius Episcopus martyrizatur.*

Sed hæc libasse de B. Dionysio sufficiat, ad infringendam Gregorij Turonensis auctoritatem; qui pergit, & his Episcopis subnectit *Stremonium*, de quo Vetus Romanum, Ado, Beda, &, vt breui dicã, omnes qui Martyrologia confecerunt, planè tacent. Martyrologium dumtaxat Romanum Baronij ita meminit: *Aruernis Austremonij primi eiusdem ciuitatis Episcopi.* quo tempore floruerit non dicit. Demochares p. 42. *S. Astremonius seu Austremonius, quem inter Christi discipulos numerant.*

Extremo in loco ponitur Martialis. Et de tempore quidem quo hic venit in Gallias, nullum, quod sciam, prodit Martyrologium; obseruat autẽ Baronius, Petrum in Catalogo l. 6. c. 29. tradere, eum dudum obiisse

obiisse anno tertio Vespasiani. Demochares pag. 43. ita scribit: *S. Martialis, vnus ex septuaginta discipulis Domini, anno Domini 47. has quatuor sedes Episcopales in honorem Dei & beatæ Mariæ Virginis, Aniciensem, Ruthenam, Aruernam, Mimiatensem ædificasse ac dedicasse dicitur. Idem quoque sub nomine ac titulo B. Stephani protomartyris, quinque has Ecclesias Cathedrales, Lemouicensem, Bituricensem, Cadurcensem, Agenensem & Tolosanam construxisse fertur. Sunt & qui eidem tribuunt trium Ecclesiarum Episcopalium harum, Pictauiensis, Xantoniensis, Engolismensis in honorem sancti Petri Apostoli erectionem. Nec desunt qui eumdem dicant Ecclesiam Burdegalensem in honorem S. Stephani ac S. Andreæ Apostoli consecrasse.*

Hæc propemodum mihi satis esse videbantur, vt ostenderem, Gregorij Turonensis leuiorem esse opinionem, quàm vt receptam & contestatam omnium sæculorum ætatibus sententiam possit conuellere. Sed quoniam tantùm sub Decio, fide primùm imbutam Galliam ornatamque significat, age nunc ostendamus, quod sumus iam ab initio polliciti, ante illam Decij Imperatoris tempestatem multos claros & religione præstantes in Imperio Gallicano fuisse, quos Gregorius vt ignotos homines præteriit, & de quibus verbum nullum fecit. Non erit certè Gallis hominibus hæc inutilis aut ingrata commemoratio, cùm videbunt, iam inde ab inuento Christiano nomine, tam variis tamque odoratis flosculis coronatam fuisse Galliam, tot veluti stellis clarissimis distinctam, tot diuini spiritus tubis resonantem.

Occurrunt mihi inprimis Rhemenses Archiepiscopi tres magnæ viri auctoritatis & sanctimoniæ, sanctus Sixtus, sanctus Sinicius, sanctus Amantius, B. Petri Apostoli discipuli, qui sub Nerone morte obitâ, gloriosissimè triumpharunt, 1. Septembris.

S. Memmius Catalaunensis Episcopus Romanus, B. Petri discipulus, hic apud Dionantum ædem beato Stephano consecrauit, vbi & sanctus Maternus Tungrensis beatæ Mariæ alteram ædem dedicauit anno Domini 120. I. Placentius in Catalogo Episcoporum Tungrorum, & Breuiarium Rhemense pluribus de eodem agunt.

S. Maternus Episcopus Tungrorum, 14. Septembris, discipulus sancti Petri Apostoli, de quo Demochares: *sanctus Maternus anno Domini 101. Oratorium viâ publicâ Christo Saluatori nuncupauit, apud Traiectenses & Tungros ædem Deiparæ Virgini consecrauit, & anno 102. apud Huuos ad montis vmbraculum, quem Mosa alluebat, ædem Virgini matri dedicauit. Deinde Dionantum profectus, vbi inuenit sanctum Memmium Episcopum Catalaunensem, ædem sanctæ Mariæ consecrauit, alteram Memmius sancto Stephano. Ideò quoque Namurci destructo idolo, ædem beatæ Mariæ inscripsit, præter eas quas passim aliis in locis dicitur dedicasse.*

S. Regulus Siluanectensis Episcopus, 30. Martij, discipulus sancti Ioannis Euangelistæ. Vide Petrum in Catalogo libro 4. cap. 15. de quo ita Demochares: *Siluanectensium Episcopus primus B. Regulus, qui Missam celebrauit à B. Ioanne Euangelistâ edoctus, à beato Clemente confirmatus. Siquidem de eo legimus in Catalogo Sanctorum capite decimoquinto, libro quarto, ad hunc modum: Regulus Episcopus natione Græcus, Ioannis Euangelistæ apud Ephesum discipulus fuit. Quo in Patmos insulam relegato, Athenas veniens, Dionysio adhæsit, cum quo Romam perrexit, & vnà secum, & cum sanctissimis Rustico & Eleutherio, à beato Papâ Clemente ad Gallias prædicationis gratiâ destinatur, qui primùm Arelatum deuenit: vbi à sancto Dionysio Christi nomine inuocato, idolum Martis destruitur, & multis conuersis templum illud in honorem Apostolorum Petri & Pauli consecratur. Missis ergo sociis suis ad diuersas vrbes, ipse Dionysius sancto Regulo Arelatensi ciuitati ordinato Episcopo Parisios accessit, vbi cum Rustico & Eleutherio martyrij palmam suscepit. Eodem autem die quo passi sunt, dum Missam Regulus in Arelato celebraret, & nomina istorum Martyrum inaduertenter in Canone cum aliis Sanctis recitasset, miratus quod dixerat, vidit in altari tres columbas ipsorum Martyrum nomina conscripta in rostris habentes. Quâ visione cognoscens Sanctos per Martyrium migrasse, commisso populo cuidam Felici Episcopo Parisios accessit, & à Christianâ matronâ olim Dionysij discipulâ Catullâ nomine hospitio susceptus, Martyres Christi eâdem die quâ visionem viderat, passos fuisse comperit, & super eorum corpora Basilicam ædificauit. Inde Siluanectensem ciuitatem ire disponens, in villâ Lauriâ idolum Mercurij baculo comminuens, populum conuertit, & Basilicam Dei Genitricis ibidem construxit. Et in ciuitate Siluanectensium ad sui ingres-*

gressum idola corruerunt, & Templum in honorem beatæ Virginis dedicauit, & omnem populum ad fidem suâ prædicatione & miraculis conuersum baptizat. Hæc ibi.

Sanctus Sauinianus aut Sabinianus Episcopus Senonensis, 31. Decembris, missus cum sancto Potentiano in Gallias à sancto Petro. Petrus de Natalibus lib. 1. cap. 25. Ado in Martyrologio: *Item apud Senonas, natale beatorum Sabiniani & Potentiani, qui à beatis Apostolis ad prædicandum directi, præfatam vrbem martyrij sui confeßione illustrem fecerunt.*

Sanctus Peregrinus Episcopus Antisiodorensis, 16. Maij, ciuis Romanus, à Sixto Papâ ad Gallias missus, sub Alexandro Imperatore Martyr, apud S. Dionysium in Franciâ quiescit. Vincentius libro 10. cap. 119. Antoninus pag. 1. titul. 7. cap. 5. Petrus in Catalogo libro 5. capite 5. Ciaconius in Vitâ sancti Sixti anno Domini 129. dicit: *Peregrinus Româ missus in Galliam, vnde ibidem fide firmatâ Romam rediuit, vbi in loco eodem in quo Christus sancto Petro cum cruce apparuerat, supplicio affectus est.*

Sanctus Sanctinus Episcopus Meldensis, 22. Septembris, à sancto Dionysio Areopagitâ Episcopus ordinatus. Petrus in Catalogo lib. 8. cap. 108. Antoninus Parte 1. tit. 6. cap. 8. & ante omnes homines hos Hincmarus, cùm agit de sancto Dionysio Areopagitâ.

Sanctus Nigasius aut Nicasius, Episcopus Rhotomagensis, 11. Octobris, à beato Clemente in Gallias missus cum B. Dionysio, & ceteris, cuius rei fidem faciunt adhuc, inquit Demochares, & locus martyrij huius percelebris, & sacer, reliquiæ & templa sub huius nomine clara à Rupeforti non multùm distantia. Vide Baronium.

Sanctus Crescens aut Crescentius Episcopus Viennensis, 27. Iunij, beati Pauli discipulus, & Martyr. Vide Baronium ad hunc diem.

Sanctus Maximus aut Maximinus, Episcopus Aquiensis, 8. Iunij, qui cum sanctis Lazaro, Mariâ Magdalenâ, marthâ sororibus, & Cedonio post ascensum Christi in cælum, classe Massiliam appulit. Petrus in Catalogo libro 5. cap. 101. & 102.

Sanctus Vrsinus aut Vrsicinus, Episcopus Bituricensis, 9. Nouembris: hunc quidam dicunt Nathanaëlem. Petrus in Catalogo cap. 9. lib. 1. & cap. 41. lib. 10. Ado. *Item eodem die apud Bituricas sancti Vrsicini, qui Romæ ordinatus à successoribus Apostolorum, primus eidem vrbi destinatur Episcopus.* sunt ipsissima verba sancti Gregorij Turonensis de Gloriâ Confessorum, cap. 80.

Sanctus Eutropius Episcopus Santonensis, 30. Aprilis, *à B. Clemente Episcopo*, inquit Ado, *directus in Gallias*, &c. Beatus Gregorius Turonensis de Gloriâ Martyrum cap. 56. *Eutropius quoque Martyr Santonicæ vrbis, à B. Clemente Episcopo fertur directus in Gallias*, &c. Petrus Catalogo lib. 4. cap. 105. Breuiarium Parisiense dicit missum fuisse cum sancto Dionysio à B. Clemente.

Ne tibi, Lector, molestus sim, si diutiùs in reliquis te detineam, finem imponam, vbi nomina reliquorum Sanctorum, qui Gallias ante Decij tempora lumine fidei illustrarunt, indicâro. Tu de illis Baronium & alios consules.

Sanctus Taurinus Ebroicensis Episcopus, 11. Augusti.

Sanctus Lucianus Bellouaci, 8. Ianuarij.

Sanctus Valerius Treuerensis, 29. Ianuarij.

Sanctus Iulianus Cenomanensis, 27. Ianuarij.

Sanctus Zacharias Viennēsis, 26. Maij.

Sanctus Martinus Viennensis, 10. Iulij.

Sanctus Verus Episcopus Viennensis, 1. Augusti.

De his, vt dicebam, omnibus nihil penitus dixit Gregorius, quorum tamen res nec paruæ nec obscuræ fuerunt, vt qui sanctos Ecclesiæ cœtus publicasque cærimonias multos annos sint moderati. Ergóne de B. Dionysio quæ dixit, docti homines tamquam Sibyllæ folium excipient, & verissima esse contendent? Quid quòd multa sunt ab eo perscripta, quæ à choro intelligentium omnium repudiantur? Libro 1. Mirac. cap. 28. de Apostolatu magni Petri, quem noster Dionysius *coryphæum & sublimem Theologiæ verticem* nominat, sic habet, *Petrus Apostolus, qui ab Apostolis ceteris Episcopus ordinatus, Romæ cathedram locauit.* Quod ita durum est, vt ni commodâ expositione molliatur, ferri nequeat. Cap. 29. *Paulus verò*, inquit, *Apostolus, post reuolutum anni circulum, ipsâ die quâ Petrus Apostolus passus.* An sectatores hac in re habet multos, qui contrariam omnibus propè Historicis sententiam tueantur? Quâ de re videndi eruditissimi viri Baronius & noster Deekerius. Libro 1. Historiæ cap. 30. docet, Sixtum Pontificem Romanum, & Laurentium Archidiaconum sub Decio passos.

passos. Atqui illi signiferi pietatis sub Valeriano Romæ in excelso & illustri loco purpurea trophæa posuerunt, quod Baronius clarè è S. Cypriano demonstrat, & noster Mariana lib. 4. de Rebus Hispaniæ, cap. 10.

Nulli igitur mirum videatur, Hilduinum hanc erroris S. Gregorij Turonensis, & aliorum posteriorum originem adferre. *Fieri enim potest, vt diximus, quòd textum paßionis ipsius sancti Domini ex authenticis scriptum non habeant, & ideò in hoc errent, quia & nos plures codicillos exinde vidimus, qui in quibusdam sensu videbantur concordare, sed litteraturâ admodum dissonare, in quibusdam autẽ nec sensu nec orationis tenore poterant sociari: quod manifestum est, huius venerabilis & antiquißimi Patris vetustâ longinquitate, & ignotæ atque peregrinæ linguæ, vbi de eius notitiâ maximè scriptum erat, inscitiâ, seu deuotione fidelium accidisse, qui non studuere ad priscas historias pro cognitione eius recurrere, sed ea quæ auditu collegerunt, vt Gregorius Turonensis, non votiuo errore fallens, videntes insignia magnifica atque innumerabilia per eum fieri, prout vnicuique sensus abundauit, curauerunt scriptis cõmittere: sic & de sanctorum Apostolorum gestis ac paßionibus factum legimus, & de aliis quibusque historiis Ecclesiæ necessariis manifestè comperimus.* Et paulò pòst: *Ceterùm parcendum est simplicitati viri religiosi, Gregorij Turonensis Episcopi, qui multa aliter, quàm se veritas habeat, æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis ac simplicitatis voto literis commendauit. Patenter & quidem noscere possumus, non adeò quædam solerter eum inuestigasse, quin ei contemporalis existens vir prudens, & scholasticißimus Fortunatus, qui plura & frequenter ad eumdem scripserat, hymnum rythmicæ compositionis pulcherrimum de isto gloriosißimo Martyre composuerit: in quo commemorat, eum à B. Clemente destinatum, sicut in Latinorum paginis didicit: de natione autem eius, & ordinatione Episcopatus mentionem non facit, quia linguæ Græcæ penitus expers fuit.*

Longius fuit hoc cum S. Gregorio Turonensi certamen, quippe Achilles Aduersariorum habitus fuit, turrisq; belli: ceteri vt velites atque nudi, leuiori contentione fundentur. Aiunt Primò: Nicephorum, qui nomina Episcoporum, qui suas sedes reliquissent, cùm accuratè recenseret, de sancto Dionysio tacuisse; certum igitur, videri Athenis illum vitâ functum. Sed perfacilis huic est responsio; clarè etenim ipse dicit plurimos se omisisse.

Secundò: Seuerus Sulpitius B. Martini discipulus, qui circa annum Domini 400. floruit, testis est, *persecutione demum quintâ martyria in Galliis visa fuisse, seriùs trans Alpes Dei religione susceptâ.* Atqui ad hoc tempus, vt vir clarissimus Nicolaus Faber scribebat, Dionysius Areopagita peruenire non potuit, nec eius martyrium stare sub Domitiano vel Traiano, in quod tẽpus id reiiciunt qui diutissimè vixisse volunt in Galliis, si primùm ibi quintâ persecutione visi Martyres fuère. Sanè hoc telum quod acerrimum quidam putant, eruditissimi Fabri quasi amento & auctoritate cõtortum, ita leue debileq; iudico, vt nihil videatur hebetius. Nam Seueri quidẽ Sulpitij dictum, quod meo iudicio Faber non comprobat, non potest non indoctæ plenum vanitatis temeritatisq; videri, nisi opportunâ explicatione condiatur. Quid enim? verum illud esse queat, ante quintam persecutionem, id est ante annum centesimum septuagesimum, nullos in Galliâ Martyres visos? Quid igitur faciemus generosissimis illis Ecclesiæ primæ proceribus, quos veterum historiarũ fides discipulos Apostolorum facit, qui variis in locis Galliæ de perfidiâ, immanitate, superstitione, gloriosissimos triumphos retulerunt? An fortè Martyres ij dici minimè possunt, quorum in patiendo nobilitata constantia, ferri aciem, vncos, equuleos, & omne genus carnificinæ superauit? Cùm ergo scribit Sulpitius, persecutione demum quintâ martyria in Galliis visa fuisse, non vult dicere, nullos penitus fuisse Martyres, sed tum primùm, velut patefactis subitò carceribus, illam immanem tyrannorum tempestatem fuisse effusam, quâ Lugduni & Viennæ Vetius, Photinus, Irenęus, aliisq; in locis innumerabiles, alij inter medios cruciatus coronati vixerunt.

Tertiò: A Græcis fraudẽ eam manasse contendunt, qui cùm ambirent Regum Franciæ societatem, quos in bello potentissimos esse videbant, & eorum gratiam & munificentiam aucuparentur, sanctum Dionysium, quem in Galliâ celebrari didicissent, finxerint esse Dionysium Areopagitam. Respondeo, grauem & non ferendam toti Græciæ fieri iniuriam, in quâ cæci omnes cupiditate fingantur, nullus patriæ veritatisque studiosus, cùm nemo hactenus illam suorum leuitatem inanitatemque arguerit. Deinde si beati Dionysij corpus in sinu Græciæ positum fuit, cur in tantis diser-

disertorum hominum monumentis nulla ipsius memoria, mirum potiùs silentium? cur nemini vmquam Imperatori è lipsanis eius quidpiam concessum, aut Romæ ornandæ, quâ in vrbe Magister eius Paulus situs est, aut ad Byzantium aliúdve oppidum è pio more cohonestandum?

Quartò. Cur Stephanus Papa, S. Dionysij beneficio sanitatem consecutus, os sacrum è brachio sumptum Parisiis Romam detulit, extructúmque in eius honorem Templum Græcis Monachis augustâ religione celebrãdum dedit? an non priùs inquirendum fuit, num vspiam Athenis Areopagitæ Dionysij exuuiæ conquiescerent, nisi foret illa communis & peruagata omnium regionum populorúmque opinio, eum thesaurum, gazâ omni & flauissis opulentiorem, Parisiis tantùm reperiri?

Quintò. Cur perenni cumplurium sæculorum decursu, cùm tot homines Græciam peragrarint, tot Græci, captâ præsertim Constantinopoli, Romam venerint, Italiamq; omnem suis scriptis retulerint, nullus tamen sit inuentus hactenus, qui corpus S. Dionysij coli in Gręciâ, Parisienses longè suâ opinione deceptos esse diceret?

Sextò. Infinita prope miracula patrata sunt Dionysij nostri meritis & gratiâ apud Deum: euelli non potest aut exuri ex animo hæc opinio, Areopagitam hunc esse Dionysium, quem omnium ordinum homines legitimis honoribus celebrãt. Estne verisimile, si alius quispiam sit Dionysius qui Lutetiæ Parisiorum præsederit, eum honore spoliari, laudem eius transferri in alium, tot annis inter suos ignotum iacere? Nam tametsi sanctissimi viri qui cũ Deo felicitate potiuntur, laudibus nostris & gratulatione non indigent, pertinet tamen ad diuinæ mentis prouidentiã, vt Cælites, quorum Reliquię in terris multa prodigia operantur, liquido gaudio & humanissimâ voluptate non careant, quam ex hominum cognitione & grati animi significatione percipiunt. Cur igitur tot sæculorum labentibus iam annis, hunc ignotum Dionysium esse voluisset, suppostitium autem cultu & honore perfrui?

Sed remotâ disputandi subtilitate, lubet in historiam intueri, quæ nuntia est vetustatis, abditarúmque rerum testis. Sunt in manibus mediæ ætatis Scriptores, qui res Galliæ hominum memoriæ consecrauerũt, eoque excepti à doctis cupidiùs, quòd Pithoei V.C. auspiciis lucem vident. Ij tãtò antè, nisi refractaria esset hominũ mens, dubitationem fortè omnem & iactantem sese liberiùs contentionum libidinem sustulissent. Nam cùm tempore Leonis Papæ IX. anno Domini M. L. Ratisbonæ in Germaniâ corpus fuisset inuentum, tacitæ religionis plenum & sanctitatis, quod nonnulli Dionysij Areopagitæ esse dicebant, mittuntur nuntij ab Imperatore in Franciam, qui rescirent, num Parisiis in eo templo, quod Dagobertus ædificauerat, Dionysij corpus Areopagitæ D. Pauli discipuli esset, an non esset. Galliæ Rex Hẽricus, Imperatoriis nũtiis comitatus, iussit adesse Archiepiscopos, Episcopos, & Barones totius regni cum Odone charissimo fratre suo, ad Dionysij martyris templum. Cumque preces demississimè Deo obtulissent, allata sunt argentea vasa tria, Dionysij, Rustici, & Eleutherij sigillis munita, & in totius populi conspectu posita. *Et aperto vase beati martyris Dionysij, totum corpus ipsius cum capite inuentum est* (verba sunt Rigordi scriptoris) *exceptis duobus ossibus de collo, quæ sunt in Ecclesiâ Vergiacẽsi, & os quoddam de brachio, quod Stephanus Papa III. secum ad Romanam portauit Ecclesiam, & posuit in Ecclesiâ quæ hodie Schola Græcorum vocatur. Hoc videntes vniuersi populi, cum lacrymis & suspiriis puras manus leuantes ad Dominum, Deo & beatæ Mariæ Virgini, & sanctis Martyribus se commendantes, cum gaudio recesserunt.* Sed quid ego scriptorem vnum commemoro? quotus quisque de Gallorum rebus gestis, & tã inclyti dominatus antiquitate quidpiam prodidit ad perennem hominũ memoriam, in quo non extent nostri Dionysij haud obscura & expressa testimonia? Quoties in bello & in pace, publicè, priuatim, in omni fortunæ cõditione S. Dionysius, ille, inquam, Areopagita Dionysius, inuocatus adfuit, seq; mirabilem & Deo charum ostendit? Quin gentes quædam sunt in Galliâ atque familiæ, veteri prosapiâ & illustri generis claritate omni vetustate corroborata, quæ hoc vno gloriẽtur, quòd à S. Dionysio Areopagitâ primæ fuerint sacro fonte ablutæ, ab eodem institutæ, & veri Numinis religione ornatæ. Facerem omnino iniuriam religioni & veritati, si gentis Montmorantiorum amplissimum decus, & vetustæ pietatis clarissimum testimonium hîc dissimulem, quæ pietas à sanctissimo nostro Dionysio in agro Parisino primùm insita, subitò mirabiliter effloruit, purpureasque veluti rosas omni gratiâ & amœnitate vberes in cælum emisit. Stirps illius gentis fuit Lisbius, quem veterum historiarum Annales Parisia-

Parisiacæ vrbis nobilissimum & splendidissimum virum nominant, qui primus aduentátem Lutetiam Parisiorum Areopagitam Dionysium excepit, ab eo primus Christi fidem & religioné hausit, eidem primus locum dedit ad pium templum exædificandum. Huius Principis & religiosissimi viri filius Visbius, sui parentis, & B. Dionysij gloriosum fatum literis commendauit, quod opus Hilduinus ante octingentos ferè annos, vt oculati testimonium fidum & ingenuum vehemẽtissimè commendabat. Atque vt omni posteritati nobilissim viri pietas ad sempiternam hominum memoriam proderetur, omnium consensione tributum fuit, vt primus Baro Christianus Franciæ, Montmorantius diceretur: & posteri gentilitio in stemmate, siue insignibus familiæ, nota elogia duo ferrent, Gallicum vnum, *Dieu aide au premier Chrestien*, hoc est, *Primum Christianum Deus iuuet:* alterũ Grecum, Ἄπλανος, *erroris expers*, quòd Lisbius, Montmorátianæ familiæ progenerator, inter Gallos, tum deuios à religione, primus in agro Pariensi lucem & veri numinis cognitionem exceperit. Et quidem in clarissimam illam familiam, Dionysij nostri pietaté penitus insitam & illiminatam fuisse, qui postea consecuti sunt magni heroës, claris facinoribus & perenni Catholicæ religionis propugnatione declarauerũt. Sciunt hoc omnes, & prædicant vno ore Galli, & etiamnum in Belgio nostro videmus eiusdem generis nominisq; multos, qui partim armis inclyti, partim moderatores Reipub. incredibili sapientiâ, consilio, fide, partim Antistites præsidesq; religionis, auitæ pietatis hunc ardorem in omnium luce atq; prædicatione collocant. De quibus nihil dicam amplius, cum D. Raphaël Beauchamp, pius & doctus Benedictinæ familiæ Monachus Marchianensis, Synopsin Lisbiacam in manibus habeat, vbi & de Lisbio rem omnem accuratè & copiosè, & Montmorãtiorum familiæ decora persequitur. Quæ diserti hominis cõmentatio ad veterem pietatem illustrandã idonea, propediem, opinor, lucem videbit.

Post argumenta tam multa, tamq; illustria, quibus cælo terraq; fauentibus, Areopagitam Hierophantam in Galliam deduximus, an expectemus dum solũ ipsum, dum parietes atque tecta vocem mittant & exclament, & hominum (vt modestissimè dicam) plus nimio sibi tribuentium opinionem refutent? nihilne vetustissimum Græcorũ templum extructum Parisiis, nihil S. Dionysij carcer & defossa specus, nihil tot loca latè sparsa, tum Dionysij nostri tum Discipulorum eius notata vestigiis, pietate, sanguine, laureisq; ornata, ad fidem faciendam valebunt? Illustris mihi in hoc genere visa fuit oratio D. Bocherij, Doctoris Theologi Sorbonici omni genere literarum exculti, quam integram hîc tibi Lector repræsentandam putaui, ne si vel minimum ego commutauero, aliquid de tanti viri sapientiâ & elegantiâ dematur, eoque faciam id libentiùs, quòd clari viri disputationem Doctor singularis Andreas Duuallius, Sorbonæ lumen, suo iudicio comprobauit. Ille igitur à me super hac quæstione rogatus, ita per literas respondit:

QVod à me petis, imò flagitas, mi Lansfeli, de vtroq; circa Areopagitam Dionysium (tuúmne dicam an nostrũ? sed veriùs nostrum atq; tuum) problemate quid sentiã, altero, sitne hic noster, id est Parisiorũ, idem qui priùs Athenarum Episcopus, altero, an γνήσια, quæ nomine eius censentur Opera atq; scripta (quorum alterum ante annos septingentos agitatum ac decisum; sæculi nostri nonnullorum de rebus quantumuis claris dubitandi nodúmne, vt dicitur, in scirpo quærẽdi κακοήθης renouauit; alterum dudum sopitum Nouatorum sibi à tali auctore iure metuentium sic recoxit impietas, vt peperisse videatur) facis tu quidem sic amicè & familiariter, vt vicissim me fateri familiaritas iubeat, si iudiciũ meum tantùm quæris, perinde id me accipere, ac si aperto claroq; Sole quæras, noctémne ánne diem esse putem. Sin vt lucis aliquid addam, perinde ac si iubeas, lychnum me Soli admouere. Quippe qui in re tam longâ sæculorum memoriâ tam acribus iudiciis indagata, tot eruditorum ac sanctorũ confessione, Græcorumq; ac Latinorum consensu credita & probata, nec modò Principum atque adeò Imperatorum & Regum, & qui in Oriente & qui in Occidente rerum potiti sunt, sed & Pontificum Romanorum auctoritate suffulta & roborata, miraculis denique cõfirmata, quid multa? nullo non præscriptionis genere stabilita ac munita, Pyrrhonicũ istud denuò seu ἐποχίας seu σκέψεως æmulari genus (nedum negare ἁπλῶς, & cornicum, vt dicitur, oculos configere) tam peruicacis animi esse putem, quàm id probare velle amplius, inutilis operæ ac laboris. Maximè verò, ex quo post clara priorum sæculorum Ecclesiæ lumina, & quos Oriens tulit, Syngelos, Methodios, Metaphrastas, & quos Occidens Hilduinos & Hincmaros, à quibus hæc dudum tam accuratè disceptata, discussa, decisa sunt, qui nouissimè sæculo nostro prodierunt,

 dierunt,

dierunt, Genebrardi, Galeni, Baronij, amplissime verò Delrij, causam hanc sic illustrarũt, imò peruicerunt, vt quidquid istud amplius in vtroq; problemate controuersiæ, seu potiùs φιλονεικίας & ambitiosæ contentionis erit, non tam ad id dissoluendum ratione aut iudicio, quàm sensu opus esse videatur. Planè, vt si iis qui negant vel dubitant me adiungam, tam in vitio futurus sim, quàm si iis qui aiunt affirmantq;, aliud nihil ampliùs egero, quàm vt Poëtæ id vsurpem,

—— Vitaui denique culpam,
Non laudem merui. ——

Nicepb. l. 2 cap. 21. Nisi verò, quod ad prius spectat, quod apud Anastasium S.R.E. Bibliothecariũ S. Methodius Constantinop. Episcopus, apud Lipomanum B. Michael Syngelus, apud Suriũ Simeon Metaphrastes, magni illius Areopagitæ Vitæ scriptores, & cum iis Nicephorus, Græci omnes, eiusdem in Gallias aduentum vno ore astruunt: & quòd apud Hilduinum Tarasius Patriarcha Constant. & ipse Græcus, sollicitâ adhibitâ inquisitione, id pro certo tandem ac comperto habet; & quòd apud Hincmarum Hilduini discipulum, ac Rhemensem Archiepiscopum, Carolo Caluo Regi scribentem S. Sanctinus Meldensis Episcopus, S. Dionysij discipulus, & historiæ martyrij scriptor, quã se idem Hincmarus ex vetustissimis mẽbranis descripsisse, & exemplar eius ad Carolũ Caluum mittere ibidem scribit, hunc Areopagitam S. Pauli discipulum per reuelationem ordinatâ sibi commissâ Ecclesiâ Romam venisse, & à B. Clemente Papâ in Gallias directum fuisse, Parisiosque adeò venisse, disertis verbis ait: quodq; iis amplius est, & superioribus bellè quadrat, quòd apud Eusebium Dionysius Corinthiorum Episcopus Dionysio Areopagitæ Publium, Publio Quadratũ, qui vtiq; ad Hadriani Imperatoris tempora pertinent, in Episcopatu Athenienfi testatur successisse: non commissuro vtique magno illo Apostoli Pauli vt doctrinæ sic sanctitatis discipulo, vt de statione decederet, nisi diuina vrgeret vocatio, vberioris in eâ regione messis colligendæ causâ, ad quã Græciæ Orientisq; vt eruditionis, sic pietatis diuitias conferri præordinatum diuinitus erat. Hæc, inquam, omnia tam exigui põderis sunt, vt præ vnius dormitantis aliquando, quod vel bono, id est quantumuis sagaci & attento, Homero accidat, Gregorij Turonensis dicto (pace tanti viri dixerim) qui ad Decij tẽpora Dionysium nostrum refert, nihil debeant æstimari. Vt ei scilicet, quem viro, quantumuis erudito & sancto, in opere non tam longo quàm multiplici & vario, fas fuit somnum obrepere, quemq; adeò obrepsisse, cùm alia multa, tum Trophimi Arelatẽsis, qui Pauli Apostoli discipulus fuit, in Actis Apostolorum & secundâ ad Timotheũ Epistolâ memoratus: itemq; Pauli Narbonensis, qui fuit Sergius Paulus Proconsul à sancto Paulo baptizatus, & Martialis Lemouicensis, qui Stephani Protomartyris consanguineus, puerq; ille fuisse traditur, qui quinq; panes hordeaceos & duos pisces in deserto habuit: missio ad hæc ipsa Decij tempora ab ipso relata clamat, quam sub eiusdẽ Clementis Pontificatu fuisse, cùm temporis quo vixerunt ratio, tum Martyrologia omnia docent, plus quàm tot oculatissimis ac vigilantissimis Orientis & Occidentis luminibus credere sapientes homines oporteat.

Eufeb. l. 4. cap. 23.

Quàm enim verum sit, diuinas istas de Oriente in Occidentẽ conuehi debuisse merces, quamq; de Orientis pharetrâ promi, quæ mittendæ de manu potẽtis in corda Gallorum sagittæ, id est Euangelici verbi prædicatores erãt, ob idq; id ita fieri Deo placuerit, præterquàm quòd id veri Solis pendentis in Cruce Christi, Occidentem, atque adeò Galliam intuentis, in eamq; oculos (nam & prædicatores oculi sunt) ab Oriente dirigentis, ac velut radios vibrantis, neque id tantùm, sed & eius qui Christum proximè referebat Petri de Oriente in Occidentem venire à Deo nominatim iussi, vt refert Metaphrastes, Galliamq; speciali affectu complectentis, mysterium exigebat, docent varijs temporibus, in varia Galliæ loca, præter Dionysium istũ, Christianæ sementis è Graciâ & Oriente cultores missi, vt qui de Polycarpi Smyrnẽsis Episcopi scholâ Lugdunum Irenæi, Augustodunum Andochij & Thyrsi: qui ex Atticâ Arelatem Aegidij, & qui in Hannoniâ Belgicæ Galliæ prouinciam de Episcopatu Athenienfi Gisleni: quinetiam & qui ex Armeniâ, atq; adeò de Archiepiscopali fastigio, Tornacum Chrysolij, & qui Sanctonas Aquitaniæ vrbem, de regio Persarum sanguine Eutropij, Græci videlicet sermonis & eruditionis omnes, Euangelicâ nos face collustrarunt.

Quod & in nostro Dionysio tãtò illustrius, quòd non vt Episcopum tantùm, sed & vt Apostolicæ Sedis Legatum à S. Clemente missum esse, ostendunt ij quos ille ad diuersa loca intra & extra Galliam Episcopos destinauit. Quales S. Lucianus, S. Petri discipulus Bellouacum, S. Sanctinus, qui & Vitam eius scripsit, Meldas Episcopi missi. Qualis & Arelate missus ab eo Toletum in Hispaniam Archiepiscopus Eugenius eius discipulus, qui & ad inuisendum aliquo pòst tempore magistrum suum Parisios veniens, ibidẽ martyr occubuit. Cuius etiam impetratæ nuper, concedente Carolo IX. deq; S. Dionysij cœnobio leuatæ à Philippo II. Hispaniæ Rege Reliquiæ, regiis humeris in Ecclesiam Toletanam

nam

nam anno M. D. LXV. magnâ celebritate, & regiæ pietatis significatione illatæ sunt.

Vt ne interim paucula hæc omittam, quæ nec suo in hac causâ põdere caritura esse nonnemo, vt credo, fatebitur. Primùm, quòd S. Caraunum Dionysij nostri discipulum (Cheronem Galli dicunt) in agro Carnutensi in Galliâ martyrem factum, idq́ per latrones in viâ, dum ad magistrum inuisendum iret (vnde & monasterio, quod in eius honore prope Carnutum constructum est, nomen S. Caraunus de viâ) *ad Domitiani tempora Martyrologia referunt, 28. Maij. Item & supradictũ Lucianum, à Clemente cum Dionysio missum 8. Ianuarij. Deinde, quòd qui Athenis itineri se socium Romam primùm, deinde in Galliam Dionysio dedit, S. Ion Presbyter (Ionam Martyrologia 22. Sept. nominant) vir Græci vt sanguinis sic nominis, in Galliâ pago Castrensium (vulgo* Chastres sous Montlehery) *Martyr factus, nominis illic sui memoriam, in monte qui sancti Ionis dicitur, Græcanicæ vtiq́ missionis testem, vsque nunc dereliquit.* (Pet. de Natal. lib. 8. cap. 106.) *Amplius, quòd de tribus antiquissimis Lutetiæ Parisiorum basilicis, quæ à S. Dionysio cõditæ traduntur, quarum prima sub inuocatione SS. Trinitatis, quæ nunc collegiata S. Benedicti Ecclesia, altera B. Mariæ matris Dei, quæ vulgò* nostra Domina de Campis, *nunc Discalceatarum de Carmeli Ordine virginũ cœnobium; tertia S. Protomartyris Stephani, quæ* Græcorum *hodieq́ dicitur: de tribus iis, inquam, duæ, prima & postrema, veritatis huius signa non pœnitenda habent. Illa quidem per vitream antiquissimi operis fenestrã, vbi verba hæc inscripta sunt:* IN HOC SACELLO S. DIONYSIVS COEPIT INVOCAPE NOMEN SS. TRINITATIS. *Altera, quod vel ipsum Græcorum etiam hodie superstes nomen, eius à quo ædes illa condita est nationem ac genus prodit, non minùs quàm quod à Stephano Papâ, ob memoriam acceptæ in Galliâ ad sancti Dionysij corpus de morbo difficili curationis, conditum Romæ sub inuocatione S. Dionysij monasteriũ, Græcis monachis, vtique S. Dionysij gentilibus, ab eodem traditum est.* (Baron. ex Hilduino Tom. 2.) *Amplius verò, quòd & illic pone altare maius antiquissimi operis oratorium, quod S. Dionysij fuisse tradunt, adhuc visitur. Vt taceã de carcere, deq́ loco tam cruciatuum in ciuitate, quàm supremi extra vrbem supplicij, extructisq́ ibi totidẽ Ecclesiis, quarum prima* S. Dionysius de Carcere, *altera* S. Dionysius de Passione, *tertia* Martyrum sacellum, *in eo qui olim* Mons Mercurij, *nunc* Mons Martyrum *dicitur, ac stupẽdis quæ in martyrio hoc acciderunt miraculis. Quæ si quis omnia ad Decij tẽpora, hoc est ad annum Christi 253. quo Decius Imperare cœpit, differat, cùm necesse sit, si quidem S. Dionysius primus fuit Parisiorũ Episcopus, ad hunc vsque annum Episcopo caruisse Parisios, ab eo meritò quærendum erit, Quî fiat, vt cùm iam inde à tempore Apostolorum, ex quo scilicet Sauinianus, Potentianus & Altinus, qui de lxxij. discipuli erant, à S. Petro in Gallias missi, Episcopalem sedem Senonibus primùm (vnde & primatus Senonẽsis) deinde Carnuti & Trecis posuerunt, ac per vicina totius illius regionis loca Parisiis, Aureliani, Altisiodori, Niuerni prædicando effusi sunt, fides Christi in Parisiensi territorio sic viguerit, & vno eius vico, cui nomen* Christolium, *qui Parisiis duabus leucis distat, Agoardi & Agluberti innumerabiliumq́ cum ipsis promiscui sexus Christianorum martyriũ ipso S. Ioannis Baptistæ die 24. Iunij in Parisiensi Breuiario celebretur: idq́ vsque adeò antiquum (ac ipso etiã S. Dionysij in Galliam aduentu prius) vt quasi ex vico hoc fides Christi in Galliâ esse cœperit, datus sit per allusionem nominis eius ad Christianismum prouerbio locus,* Cresteil premier village de Chrestienté, *hoc est,* Christolium primus Christianitatis vicus: *quî fiat (inquam) vt longo tempore, intra quod Carnutenses sextum iam Episcopum nomine Seuerum numerabant, hoc est, ab anno 46. Christi, fundatæ verò Romanæ Ecclesiæ secundo, quo dictos Sauinianum, Potentianum & Altinum in Galliam Româ Petrus misit, vsq́ ad primum Decij annum ducentis ac septem annis, soli sine Episcopo & pastore Parisij, & quidem sic feruentibus in eâ religione Christianis, esse potuerint.*

Adde, quod nec id sine argumẽto est, quòd qui sextus à S. Dionysio Parisiorum Episcopus fuit, nomine Victorinus, inter Patres Agrippinensis Synodi, quæ sub Iulio Pontifice, anno 346. facta est, absens licet, fuisse memoratur. (Democh. l. 2. Concil. Tom. 1.) *Nec id quidem absque significatione contractæ ex senio infirmitatis, propter quam adesse non potuerit, in eo quòd ipso non præsente, sed* consentiente & mandante, *Synodi decreta dicuntur confirmari. Nam cùm ab anno 1. Decij, qui fuit 253. vsque ad dictum annum 346. intersint tantùm 93. anni, ex quibus si demas 24. quibus Parisius sedit Dionysius (quem centenario maiorem obijsse ex historiis constat) reliqui sunt tantùm anni 69. tum verò id certum, breuiorem esse numerum hunc annorum, quàm vt sequentibus quinque post Dionysium Episcopis, qui fuerunt* II. *Mello,* III. *Massus, qui & historiã martyrij S S. Dionysij & sociorum scripsit,* IV. *Marcus,* V. *Aduentinus, &* VI. *Victorinus, possit sufficere. Idq́ pro eâ, quam tum fuisse nascente adhuc Ecclesiâ pastorum longæuitate, obseruat Baronius in Martyrologio & Annalibus anno 76. & 109. Sic vtique dispen-*

dispensante Deo, vt quæ ipsi longioris ætatis experimẽto didicissent ac vidissent, efficaciùs testarentur, ac posteris transmitterent. Quod & experimento in aliis Ecclesiis compertum. quale illud, quod Carnuti, qui post Auentinũ, primum eius sedis Episcopum, qui anno 63. obijt, primi quinque fuerunt Episcopi, II. Optatus, III. Valentinus, IV. Martinus Candidus, V. Auianus, VI. Seuerus, annos ducẽtos & septemdecim, hoc est ab anno 63. vsque ad 280. quo Castor VII. Episcopus electus est, compleuisse reperiuntur. Ex quo etiam intelligitur, quantò probabilius sit, numerum ducentorum 27. annorum, qui ab anno 119. qui primus Adriani fuit, quo & mortuus est Dionysius, vsque ad 346. qui fuit Synodi Agrippinensis, lapsi sunt, à quinque illis dicti Dionysij successoribus Episcopis, & quidem VI. illo, id est Victorino, defectæ iam, vt dictum est, ætatis viro, completum esse, quàm vt eorum vita ad 69. annos restringi arctariq́ possit aut debeat.

Nam quòd nonnulli παραδοξότερον *adhuc ad ipsa etiam Diocletiani tempora, qui Decio annis triginta duobus iunior est, Dionysium reijciunt, cuiusmodi sunt qui S. Piatum seu Piatonem, quem sub Diocletiano & Maximiano cum S. Quintino & sociis Româ in Belgium venisse, ac Tornaci passum esse cõstat, à S. Dionysio Presbyterum factum, & ab eo*
Petrus de Nat. l. 11. cap. 36.
Tornacum missum dicunt; inter quos mirum est esse Petrum in Catalogo, quod & in Breuiarijs quibusdam obtinuit, cùm hoc nihil aliud, quàm purum ac putum mendum sit, non aliunde fortè natum, quàm si quis per errorẽ pro Domitiano, sub quo fuit Dionysius, Diocletianum, sub quo Piatus, similitudine vocis deceptus, posuerit, mirabili certè ἀναχρονισμῷ, *cum alter altero ducentis annis iunior sit, non alio hîc remedio, quàm simplici liturâ opus esse iudicamus. Postremò, quòd cùm in eo, vt benè obseruauit Illustrissimus Baronius, nec ipsa rerum suarum tam rigida æmulatrix & vindex Græcia reclamet, queratúrve Gallis datum, quos audiens Areopagitâ Dionysio tam impensè gloriantes, sic illis id concedit vltrò, vt de eo ipsis etiam gratuletur, non factura vtique, ni veritas cogeret; tantò magis à ratione alienum erit, si Galli ipsi tantum boni à se vltrò ac gratis velint vel studeant amoliri.*

Quæ de priori problemate cùm dicta sint, quoad alterum, quod de vero librorũ horum auctore est, quod sopiti etiam hîc dudum anonymorum quorumdam per Theodorum Gazã, Laurentium Vallam, Erasmum & Erasmi sequacem Caietanum primum, deinde per Lutherum rediuiui facti, hodie etiam per nouatores, maximè autem Scaligerum, cineres excitãtur, Et veterem, *vt ait ille,* in limo ranæ cecinere querelam, *vt suppositum Areopagitæ partum, vt pseudo-Dionysium, &, vt loquitur Scaliger,* ὑποβολιμαῖον *dicant: eodem vtiq́ spiritu ac schemate, quo Sibyllinos olim de Christo scriptos versus (quos à D. Paulo* Strom. l. 6.
tamquam γνησίους *approbatos, ab iis quibus prædicabat legi iussos esse, grauissimus auctor est Clemens Alexãdrinus) ab Ethnicis, quòd eorum se auctoritate premi à Christianis viderent, non tantùm in dubium reuocatos ex Valeriani Imperatoris apud Vopiscum ad Senatum Epistolâ, sed etiam damnatos vetitosq́*
Iust. Orat. ad Anton. Pium.
Christianis fuisse, ex Iustino martyre constat. Quemadmodum & fictitios esse propterea sibi Cicero persuasit, quòd rem minùs ipsi gratam, quamq́ nec capere homo Ethnicus poterat, continerent, venturum esse Regem, cui parêre necesse esset omnes qui salui esse vellent.
Lib. 2. de Diuin.
Addo &, quo Vetus Testamentum Carpocrates, Cerdon, Seuerus & Manichæus; Euangelia Matthæi, Marci & Ioannis idem Cerdon; Epistolas Pauli Ebion; Machabæorũ libros, Ecclesiasten, & quam stramineam pro suâ modestiâ vocat, Iacobi Epistolam, Lutherus cum suis gregalibus reijcere præsumpserunt: quodq́ mirere non minùs, quo etiã hodie S. Remigij testamentum, & Gregorij Magni Epistolas; & quo nihil sub Sole illustrius terra vidit, Lateranense Concilium, recentes quidã ex seipsis nati Aristarchi, quibus dulce contra torrentem niti, templumq́ Dei replere fumo, falsi insimulant, vnoq́ nomine id solemne hæreticis, ac nouis semper id genus de abyssi puteo erumpẽtibus locustis, vt quam sibi quisque, id est furori suo Scripturam cõtrariam videt, hanc audeat impudentissimè traducere, imò etiam expungere, tãtum abest vt propter ἀθυρογλώττους *istos, cymbala Dodonæa, fœtum hunc auctori suo, hoc est Areopagitæ Dionysio, dubitem asserere, vt hoc potiùs nec leui argumẽto ducar, quòd tenebrionibus istis ac verè terræ filiis id non placeat, negentq́ contentiùs, veram hanc eius atque indubitatam prolem esse. Quippe tam dignã Aquilâ hac, siue, vt loquitur Chrysostomus,* De Sacer. lib. 4.
πετεινῷ τοῦ οὐρανοῦ, *quæ in arduis ponit nidum suum, Solemq́ firmis & immotis oculis intuetur, quamq́ propterea æmulari qui studeat, de eo id iure dici possit:* Iob 39.

——— ceratis ope Dædalæâ
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Quàm dignus hic vicissim, cui probato ex hoc signo grandior illa Aquila, imò Aquilarum mater Paulus, qui sapientiam loquitur inter perfectos, sua arcana illa in tertio cælo audita verba, quæ nõ licet homini, id est terram sapienti, loqui, huic iam non homini, sed 1. Cor. 2. 2. Cor. 12.
θείῳ, *id est diuino, vt loquitur Damascenus; & vt inter suos idem gentilis adhuc audiebat,* Damasc. de Fide, &c. lib. 1. cap. 12.

bat, θεοσόφῳ; vt verò idem Damascenus alibi vocat ἁγιωτάτῳ καὶ θεολογικωτάτῳ; vt
Lib. 2. de Fide c. 18. Michaël Syngelus & Andreas Cretensis, μεγάλῳ Ἀγγέλῳ, denique ex omni parte γνησίῳ καὶ γνησίῳ ἀετιδεῖ, hoc est generoso ac germano aquilæ pullo, dicatur credidisse. Vt nec mirum esse debeat, si quantum lucernam hanc ardentem ac lucentem oderunt ac fugiunt noctuæ hæ, tantum in eius luce ac splendore, qui filij lucis sunt, debeāt exultare.

Nam quòd hîc fortè quis obiiciat, ex c. 13. Cælestis Hierarchiæ, Auctorem hunc (licet id non tam suo, quàm aliorum, vt ipse confitetur, sensu) supremi ordinis Angelos ad inferiora hæc mitti sic negare, vt hoc quidquid
Isa. 6. est de missis apud Isaiam Seraphinis, non aliter quā vicariâ per minores Angelos, maiorū personam gerentes, operâ factū velit (scitum enim quàm vix id Theologorum schola probet, quippe reclamante non Scripturâ tātùm, quæ omnes administratorios spiritus in ministerium missos, propter eos qui hereditatē
Heb. 1. capiunt salutis, esse ait; imò quæ Michaëlē,
Iosue 5. Gabrielem & Raphaëlem missos refert, quos
Dan. 8. de minoribus Angelis esse nullo pacto dici
Luc. 1. potest; verùm etiam de ratione ipsâ, quæ nihil
Iob 12. indignum Angelis, quantumuis magnis, esse docet, quod vel in se Angelorum creator &
Malach. 3. Dominus, Angelus ipse & Apostolus &
Hebr. 3. missus nominatus, Iesus Dei Filius admiserit)
Ioan. 9. præterquàm quod dici potest οὐκ ἀπλῶς istud, ἀλλ' ὡς ἐπὶ πολὺ à Dionysio nostro dictum esse, cùm certum sit, vt minores Angeli superiorum personam aliquando agant, sicuti & gregales homines Principū in theatro, nihil hoc prohibere, quin & magni Angeli, quemadmodum & Principes, suas ipsi per se obeāt operas & functiones (nisi potiùs hoc totum, sicuti alibi, vt scis, in meo de Arcâ testamenti Syntagmate explico, non tam Angelicarum ὑποστάσεων, quàm rei Angelis superioris, id est Christi passionis & sacrificij, signū ac mysterium est) absit vt hoc, quidquid est, tanti momenti esse debeat, vt fidem libris his, quasi Areopagitæ non sint, debeat abrogare. Quasi verò, quod Prophetis etiam accidere post diuū
Greg. sup. Ezech. Gregorium auctor est D. Thomas, vt cùm non
D. Thom. semper actu adsit eis Spiritus Dei, quædā sint
22. q. 171. art. 2. quæ vel ignorent ipsi, vt de se Eliseus confitetur, vel de suo aliter quàm res est (Scripturæ
4 Reg. 4. auctores hîc excipio) citra Spiritus prophetiæ præiudicium interdum eloquantur, non huic simile hic aliquid, citra eius, ex quo illa hausta mysteria sunt, Paulini spiritus iniuriā ac diminutionem potuerit contigisse. Sed & absit hoc multò magis, vt pro iis, quæ hîc tā multa & præclara sunt, tantum sit apud nos Nouatorum pondus, vt in eorum gratiā, propter ea quæ ipsi contra Catholicæ Ecclesiæ fidē, de libero arbitrio, de peccato originis, de Ecclesiæ Hierarchiâ, ac primatu Petri, de fide atq; operibus, de Sacramento Olei, de Eucharistiâ & Missæ Sacrificio, de panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi cōuersione, de eius in Eucharistiâ adoratione, de vitâ Monasticâ, de Festis, de ieiuniis Quadragesimæ, & aliis, de sacrarum Imaginū in templis vsu, de Angelorum ac beatorum spirituū inuocatione, deniq; Reliquiarū veneratione, garriunt blaterātq; tam improbè: quorum omnium, vt & olim consubstantialitatis Ariani, tam pulchrè hîc causam peroratam vident, vel ipsis, quàm id malè eos habeat, quamq; Areopagitica hæc arma horreant fatentibus, seq; adeò, vt olim omissione ac silentio Eusebius, sic iudicio suo & garritu velut sorex prodentibus, ac mysterium aperientibus, Luthero primùm, qui delirum senem & merum somniatorē, Auctorem hunc dicere non est veritus, deinde Caluino, ac nouissimè Scaligero; propter hæc (inquam) scutum hoc, quod ignea talium vereq; igne digna tela restinguat, hanc plusquam Phocionis securim, quæ infelices arbores has excaudicet ac rescindat, hoc fulmen quod absumat extirpetq; radicitus, hunc Solem qui tenebras istas discutiat, & bestias has ad sua lustra remittat & compellat, denique hanc plusquam Herculis clauam, quæ Hydrā hanc, ac renascentia nouitatum capita tam potēter demetat ac conficiat, de manu vel vltrò abÿcere, vel eripi nobis pati debeamus. Cui rei si assentiar, aut vt fiat non repugnem, non me eorum tantùm qui tot sæculis floruerunt, ac libros hos sub Areopagitæ nomine citauerunt, sanctorum Patrum & Scholasticorum, imò & Conciliorum, quorum indicem Delrius tam pulchrè ac diligenter texit, premat damnetq; auctoritas, sed & diligentissimi ac perspicacissimi nostri sæculi totius Græcæ sapientiæ indagatoris & arbitri, ciuisq; adeò & gētilis mei (ne domesticum hoc præiudicium sileam) G. Budæi censura reprehendat, qui Ignatios, qui Hieronymos ac Chrysostomos fontē hunc sapientiæ delibasse, sic agnoscit, vt suas eos illinc de abditissimis rebus, & quas D. Paulo acceptas iure quis ferre debeat, sententias deprompsisse non obscurè fateatur.

Hæc habui, quæ, tibi vt facerem satis, de vtroque à te proposito problemate non tam dicerem, quàm aliunde pænè hausta repeterem. Quæ si me fixum ac firmum eorum qui aiunt affirmantq;, præ illis qui negant vel dubitant (vt apertè quod sentio loquar) probatorem laudatoremq; dixero, tam iure id fecero, quàm illorum erudita atque firma, horum ieiuna ac planè nulla, seu argumenta seu momenta esse, ratio ipsa monstrat. Vale, meq;, vt facis, amare perge, & Sacrificiis commendatum habe. Tornaci Neruiorum Kalendis Maij M. DC. XV.

Hæc sapientis & copiosi Theologi disputatio, non modò perspicuè Areopagitam Dionysium Galliæ, sed ipsi Dionysio scripta sua vindicat, quæ pars erat nostræ disputationis secunda: quam necesse est constabiliamus hoc loco atque firmemus, ne quem adhuc in errore versari patiamur. Sunt enim etiam in hac parte haud pauciores, meâ opinione, inimicissimi sancti Dionysij hostes, obtrectatores inuidi, bono alieno mœrentes atque virtute, qui Commētarios diuinissimè scriptos, quosque omnis mirata est antiquitas, Apostolico spiritu & primigeniâ pietate indignos contendant. Lutherus iampridem, Beza, Caluinusque, tum qui deinde pullularunt eodē satu benè multi, in eosdem non ridiculè minùs quàm furenter declamitarunt. Nuperus scriptor in Batauiâ, Scaliger, cùm se minimè hypobolimæum dici & existimari velit, audet tamen nostrum Dionysium ὑποβολιμαῖον nominare. Iisdem in libris Illyricus genuinum infixit, Erasmus arrosit, Laurentius Valla carpsit, innumeri alij de grege nouorum ἀλαζόνων, qui nefarium bellum indixerūt pietati, hęc quoq; B. Dionysij monumenta repudiauerunt. Ego verò neminem posthac tam mente captū, tam præposterum, tam proiectum ad audendum futurum puto, qui hos libros Areopagitæ Dionysio velit deripere, si modò animum, vacuamq; malitiâ mentē, vel ad vnicam rationem accōmodarit. Nam cùm horum Commentariorum scriptor Paulo præceptore glorietur atque Hierotheo, spectatorem se fuisse dicat exorientis Ecclesiæ, & tum primùm ad Orientem efflorescentis, si is non sit Dionysius Areopagita, quem Doctor gentium ab inani superstitione reuocauit, quem interpretem Religionis esse voluit Athenisque Episcopum, certè necesse est hominem fuisse monstrifico genere è diuersissimis naturis conglutinatum: hinc virum sanctum, ingeniosum, moderatum, in Theologiâ summum, qui mysteria ceteris hominibus arcana viderit, sapientiæ fontes aperuerit, cælestium rerum admirabilitatem magnifico genere orationis & planè diuino explicarit: hinc contra planum, malitiosum, γόητα, qui personatus quasi post siparium delitescens spectatorum animos deluserit, in cothurno alieno incesserit, cæcâ & inani imitatione è mustaceo lauream nescio quam petere voluerit, qui cùm ψεῦδος probè sciret ἔξω τοῦ θείου χοροῦ poni, fabulam tamen subornarit, mendaciorum indignissimâ varietate & fœdissimâ sutelâ contextam. Hîc autem illud Cassianum audiri velim. Cui bono? aut quid tandem eo ingenio vir & doctrinâ, è putidâ illâ fraude sperare potuisset? Atque hanc rationem doctè, vt solet, & elegantissimo iudicio explicuit P. Leonardus Lessius Societatis nostræ Theologus, quem non næuo aliquo, sed clarissimis editis Operibus iam eruditorum chorus agnouit. Illius sapientiam cùm tamquam Pythium Apollinem super hac re consuluissem, breues litteras ad me dedit, quas libens cum Lectore meo communicabo. Fuerunt autem scriptæ in hæc verba:

REVERENDE
IN CHRISTO PATER.
PAX CHRISTI.

Litteras Reuerentiæ vestræ datas Parisiis 14. Aprilis accepi 24. eiusdem. Miror, post Patris Martini Delrio Vindicias Areopagiticas, adhuc superesse aliquos, qui de hoc Opere dubitent, an Auctori illi sit vindicandum: dissolutis enim aduersariorum ratiunculis, tot profert veterum Auctorum (inter quos multi Summi Pontifices, & viri sanctitate illustres) testimonia, quibus scripta illa S. Dionysio Areopagitæ tribuuntur, vt vix putem esse aliquod antiquorum Patrum scriptum, quod pluribus testibus suo auctori possit vindicari. Mihi verò res adeò perspicua videtur, vt, etiamsi eiusmodi testimonia minimè suppeteret, non putem ei, qui attentiùs expenderit Operis conditionē, de auctore ambigendum. Hac enim vnicâ ratione facilè conuincetur, quâ & ego, ex quo Auctorem illum legi, conuictus sum. Si Opus illud non esset magni illius Dionysij Areopagitæ qui temporibus Apostolorum vixit, sed alicuius posterioris, vt Dionysij Alexandrini, vel Corinthij, vel cuiusdā qui aliquot sæculis posteà temporibus Iustiniani II. circa annum Domini sexcentesimum nonagesimū vixerit, vt vult Scaliger; auctor eius esset mendax, hypocrita, & impostor. Ait enim, præceptorē & institutorem in rebus diuinis se vnà cum Timotheo habuisse S. Paulum, deinde S. Hierotheum, vt videre est libr. de Ecclesiasticâ Hierarch. c. 2. Par. 1. & de Diuinis nom. c. 3. & c. 7. Adfert obiectionē Elymæ magi tamquam æqualis & contemporanei, de Diuinis nominibus cap. 8. Item cap. 3. ait se interfuisse cœtui Apostolorum & fratrum, qui conuenerant ad contuendum corpus Beatissimæ Virginis: ibidem adfuisse Petrum & Iacobum; eiusq; rei Timotheum esse probè consciū. Hierotheum præceptorem ibi post Apostolos excelluisse in laudandâ diuinitate: scribit Epistolam ad Polycarpum, aliam ad Titum,

aliam

aliam ad S. Ioannem Euangeliſtam in Patmo exulantem, & in eâ narrat ſibi reuelatam eius liberationem & reditum in Aſiam. Scribit ad Apollophanem, hortatur eum ad fidem Chriſti, & commonet eclipſis quam ſimul viderint in Aegypto tempore paſsionis Dominicæ; quomodo eam conſpexerint, quæ verba inter ſe commutarint. Hæc & alia ſcribit ille Auctor: quæ omnia falſa eſſent & meræ impoſturæ, ſi iſte non eſſet magnus Dionyſius Apoſtolis σύγχρονος, ſed iunior alius. Atqui prorſus incredibile eſt, auctorem illius Operis voluiſſe tam fœdè mentiri, & hominibus imponere: hoc enim non cadit in virum probum & ſapientiâ conſpicuum. Nam conſtat, auctorem illius Operis tantâ fuiſſe ſapientiâ & rerum diuinarum cognitione, vt ſummis Theologis, ex quo in lucem prodijt, fuerit admirationi, & nemo poſt Apoſtolos ei putetur præferendus, vel etiam æquandus; nemo de naturâ diuinâ, eiuſq́; perfectionibus & operationibus ſcripſit ſublimiùs aut copioſiùs: nemo Angelorum ordines, Hierarchias, actus hierarchicos, omnemq́; diſpoſitionem, præter illum nobis deſcripſit: nemo Scripturas ſacras, earumq́; ſenſus arcanos, ſublimiùs interpretatur. Ille nobis primus Theologiam ſymbolicã & myſticã tradidit. Excidit tamen Opus illud de Symbolicâ Theologiâ, & ſolũ diuerſis locis eius dat aliquod ſpecimẽ; ex quo poſſumus conijcere, quàm admirabile & ſublime Opus illud fuerit. Excidit & aliud Θεολογικαὶ ὑποτυπώσεις inſcriptum, cuius ipſe meminit varijs locis. Nemo eorum quæ in Sacramentis geruntur myſteria, & occultas ſignificationes, profundiùs aut copioſiùs patefecit. Iam verò quã ſana vbique in tantâ ſublimitate Theoriæ de maximis Chriſtianæ religionis dogmatibus, doctrina, vt de tribus in ſimpliciſsmâ Diuinitate hypoſtaſibus ſeu perſonis, de earũ proceſſione & diſtinctione, de vnitate eſſentiæ, de indiuisâ operatione, de admirabili vnione naturæ diuinæ & humanæ in vnâ hypoſtaſi Verbi, de naturâ mali, de efficaciâ Sacramentorum, de auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, quod ex ſententiâ ſui inclyti Præceptoris (Paulum vel Hierotheum intelligens) dicit eſſe τελετῶν τελετὴν, quaſi dicas Sacramentorum omnium perfectionem. Quod ad elocutionem attinet, eam quoque Angelicam potiùs dixeris quàm humanam, adeò ſublimis eſt; nimirum vt conceptionum ſublimitatem orationis ſublimitas exæquet. quis poſt Apoſtolos vmquam de diuinis ita locutus eſt, Τριὰς ὑπερούσιε καὶ ὑπέρθεε, καὶ ὑπεράγαθε, κ. τ. λ. πᾶσα θεία πατριὰ καὶ υἱότης ἐκ τῆς πάντων ἐξῃρημένης πατριαρχίας καὶ υἱαρχίας δεδώρηται). Τὸ θεαρχικὸν Πνεῦμα. Πρὸς τὸν ἀρχίφωτον Πατέρα. Πρὸς τὴν ὑπεράρχιον ἀρχήν. Τὴν ἀρχικὴν καὶ ὑπεράρχιον τοῦ θεαρχικοῦ Πατρὸς φωτοδοσίαν ἀΰλοις, καὶ ἀτρεμέσι νοὸς ὀφθαλμοῖς εἰσδεξάμενοι ὑπερουσίως· οὐσιώθη θεανδρικαὶ ἐνέργειαι. & mille alia non coacta, non laborioſe quæſita, ſed ſponte ex altiſsimâ contẽplatione fluentia. Legi S. Auguſtinum de Trinitate, & multa S. Gregorij cognomento Theologi Opuſcula, & aliorum Patrũ doctiſsimos Tractatus, nemo tamen ex illis viſus eſt mihi Dionyſium vel doctrinæ ſublimitate, vel dicẽdi maieſtate æquare. Quam ob cauſam mirantur illum non ſolùm omnes Doctores Scholaſtici (quorum aliquot etiam Commentarijs illum illuſtrarunt) ſed & SS. Patres qui illum legerunt, vt S. Ioannes Damaſcenus, S. Maximus, Michaël Syngelus, & alij multi quos recenſet Delrio. Ex quibus conſtat, auctorẽ iſtius Operis fuiſſe eminentiſsimæ ſapientiæ & magnæ ſanctitatis virum, vt qui totus in rebus diuinis & Angelicis contemplationibus vbique verſetur, & Timotheum paſsim ad rerum diuinarum aſsiduam theoriam, relictis omnibus quæ ſub ſenſum cadunt, hortetur. Quis talẽ ac tantum virum credat tam putidè voluiſſe mentiri, & tam abſurdâ hypocriſi falsâ quadam ſpecie antiquitatis & Apoſtolicæ conſuetudinis, mundo impoſturam facere? Non cadunt iſta in virum probum & ſanæ mentis, multò minùs in ſapientiſsmum & ſanctiſsimum. Denique, quo fine hæc omnia feciſſet, & ſe alium finxiſſet quàm reuerà fuit? an vt labores ſuos, & gloriam illis debitã, per ſcelus & amentiam perderet? Poterat enim nomen ſuum & veritatem patefaciendo, maximam ſibi gloriam toto orbe & omnibus ſæclis duraturam comparare, & maximis Doctoribus Eccleſiæ æquari, vel etiam præferri. Poterat omnium Theologorum qui vmquam futuri ſunt, admirationem, amorem & benedictionem ſibi conciliare, & illuſtriſsima ingenia ad ſui imitationem prouocare. Quorſum per mendacia & improba facta, per hypocriſim & impoſturas indigniſsimas & inauditas voluiſſet tanto ſe bono priuare, & nomen ſuum æternis tenebris inuoluere?

Hæc ratio me ita cõuincit, vt nihil de auctore huius Operis poſsim dubitare: nec quiſquam, opinor, dubitabit, qui lecto diligẽter Opere iſta expenderit. Legi ſæpiùs, & accuratè omnia expendi, itaq́; mihi placuit, vt hunc Dionyſium iam à trigintaſex annis in Patronum delegerim, & ſemper in Sacrificio Miſſæ nominatim inuocarim, mihi eius ſapientiam & ſpiritum imprecans. Dolui ſubinde, quòd non meliùs eſſet conuerſus, nec vis verborum eius multis locis expreſſa, ſed alia ſubſtituta, quæ Lectorem poſſent in errorem conijcere, vt plurimis exemplis poſſem oſtendere. Quam ob cauſam ſtatui ego aliquando illum transferre; & in eum finem multa annotaui. Verùm per alias occupationes numquam ſat otij ſuppedi-

peditauit. Gaudeo,& gratulor tibi, quòd hunc laborem susceperis, eoq; nomine omnes Theologi, præsertim qui Græcæ linguæ non satis sunt periti, tibi multum debebunt, si facilem illis aditum ad tanti Auctoris lectionem & intelligentiam patefeceris. Vale mi Pater, mei memor. Louanij 25. Aprilis 1615.

R. V. Seruus in Christo
LEONARDVS LESSIVS.

Potentissima quidem est, vt aiebam, hæc eruditissimi viri argumentatio, neque desunt aliæ rationes quæ eodem orationis cursu hîc à me ponerentur, si certorum hominum voluntates rationibus duci posse constaret. Sed hærent in sententiâ firmiter, & tamquam in arce causæ multis præsidijs septi & circumuallati, nisi turres & propugnacula quatiantur, nisi diluantur obiectiones & refellantur, abduci à pristinâ opinione non possunt, vt obstinati & multarum palmarum gladiatores se dimoueri de suo gradu nō sinunt. Age igitur, videamus quæ obijciunt, & si non æquâ cum superioribus felicitate, pari sanè facilitate refutemus.

Stylū inprimis Dionysij nostri arguunt atque lacerant, quem obscurum & inuolutum esse aiunt, tum etiam tumentibus ampullis inflatum, quem negant conuenire in illud tempus, in quo Religionis Christianæ simplicitas moderatioq; lucebat, & minimè omnium quadrare in eum virum, qui dictus est Areopagita. Primùm lubens ab ijs Doctoribus quærerem, quemnā esse hominem velint, & qualem tandem Areopagitam Dionysium. Audio quid Laurentius Valla dicat, quid Erasmus, quid alij quidam ex eadem officinâ fuliginosi. Volunt enim vel ciuem fuisse Atheniensem vnum de grege, qui à certo loco vrbis, Areopagitæ nomen tulerit, vel certè de numero Iudicum fuisse vnum, quasi vnū de Centumuiris apud Romanos fuisse dicas. Rident proinde de Catholicis magnos viros, qui Dionysium Philosophum nominauerunt. Hinc Abrahamus Scultetus Solis defectionē siue eclipsim, quam se vidisse ait Dionysius, *fabellam* indigitat. Itaq; hominem pingunt propè idiotā, πραγματικὸν, veluti quemdam rabulam fori, togatum vulturium, qui pauculas modò Solonis leges tenuerit, qui Axonas manibus peruolutarit, cetera similis aliorum. Mentior si ab ore viri docti quidquam exire potuit insulsius. Ille etenim Dionysius, quem domi nobilem & ornatum, quē principem in vrbe virū, quem in eo domicilio litterarum sapientē fuisse accepimus, de quo nobis tam multa ad commemorationē sancti Patres & Historiarum monumenta reliquerunt, solus nihil viderit, nihil audierit, in Academiam nūquam aut Lyceum venerit, non ad Platonicos vmquam, non ad Stoicos, aliasque sectas Philosophorum accesserit? Ergóne in eo concursu omnium nationū, quæ Athenas omnium disciplinarum emporium confluebant, eâ maximè tempestate, cùm, vt in sacrâ B. Lucæ historiâ perscribitur, aliud nihil studerent tum Athenienses, tum aliarum gentium peregrini, quàm vt aliquid noui audirent aut dicerent, vbi omnes *caupones fuerunt sapientiæ & facundiæ*, vt Tertulliani verbis vtar; in eo æstu & ardore quotidianarum scholarum & eruditissimarum disputationum, Dionysius noster solus plumbeus, solus ἄμυσος, & communium litterarum expers fuit, patriæq; institutionis? Cur igitur non vt claudus sutor domi desedit, cur potiùs adfuit, cùm D. Paulus cum Stoicis & Epicureis disputaret? cur tāto studio σπερμολόγον illum audiit, cur maturo exquisitoque iudicio primus omnium vim diuinæ Religionis agnouit? Apage tu Valla, tu Erasme conuitium, vtriusque linguæ vitium insolentis. Erit nobis Dionysius Areopagita qui semper fuit à tēporibus Apostolorum, dignus Atheniensis Musæi alumnus, Atticæ cultor Mineruæ, omnium doctrinarum choragio ornatus & sapiens. Qui aliud sentit, non meo, sed omnium intelligentium iudicio sit ὄνος πρὸς λύραν.

Hic vir tantus (iam accedo propiùs ad propositam obiectionem de stylo) hic Areopagi splendor eâ grauitate & auctoritate, hic in omni parte litteraturæ perfectus, de quo Empedocleum illud meritò dicam,

—— σοφίας ἐπ' ἄκροισι θαμίζων,

diuinitus afflatus, mustea dogmata quæ magno animo conceperat, resque planè diuinas atque cælestes, litteris mādare voluit, hominumque iudicio committere. Nego scribi de illis rebus potuisse meliùs aut sapientiùs, quàm quo modo scripsit magnus Dionysius, hoc est *obscurè*, & supra communem modum *magnificè*. Quis enim nescit, hoc in more positum olim apud sapientes fuisse, vt cùm abditas arcanasque res, & indoctæ multitudinis sensum & intelligentiam superantes, vellent tradere, eas de industriâ cæcarent oratione atque inobscurarent, & sapientiæ velum obtenderent, seu, vt illi ipsi loquebantur, τὰ τῶν λόγων προκαλύμματα: Id Synesius politissimi vir ingenij, clarusque Antistes, ἀρχαῖον καὶ λίαν Πλατωνικὸν esse ait, κρύπτειν τὰ ἐν φιλοσοφίᾳ σπουδαῖα: communem illam adfert rationem, neque peritè sunt à doctis hominibus excogitata, pereant, neque tamē ab imperi-

tâ

tâ multitudine, vt à profanis sancta, contaminentur. Maximus Tyrius aliam rationẽ attulit, nimirum conciliandæ venerationis gratiâ & maiestatis: θρασεῖα γὰρ ἐστὶν ἡ ἀνθρωπίνη ψυχὴ, τὰ μὲν ἐν ποσὶν ἧσσον τιμᾶν, τοῦ δὲ ἀπόντος θαυμαστικῶς ἔχει. *Ea enim humanæ mentis imprudentia est, vt quæ exposita sunt atque prompta minoris faciat, quæ abstrusa, vehementer admiretur.* Itaque apud Philosophos & Poëtas πάντα μεστὰ αἰνιγμάτων ἐστί. Et quidem Lycei parens Aristoteles maiorum veluti gentium Philosophus, cùm bipertitò suas Commentationes tribuisset, populares sermones, quos θυραίους λόγους nominant, aureo genere orationis, & Gratiis Veneribusque instructos sic emittit, vt ab omnibus capi facilè & cognosci queãt; sed μυστικοὺς, καὶ ἐν οἷς τὰ τέλη ἱερὰ, *mysticos, & qui sacras initiationes continẽt*, sic inobscurauit, ὅπως καὶ ἔχοντες, μὴ ἔχωσιν ἀμύητοι, vt sapientem memini scribere Themistium. Qui aliter facerent, non modò inepti futilesque oris homines, verùm etiam in philosophiam ingrati, in mysteria impij iudicabantur. Clemens certè Alexandrinus in variegato illo Opere suo mirabilis, Hipparchum ait Pythagoreum accusatum, quòd σαφῶς *apertè* scripsisset decreta Pythagoræ, expulsum è scholâ fuisse, & propter ipsum veluti iam mortuum factam esse columnam. Sed periti id studiosissimè obseruabant, si quando foret de Deo, de religione, de arcanis cælestibusque mysteriis disputãdum. Demetrius Phalereus illud verè, τὰ μυστήρια ἐν ἀλληγορίαις λέγεται πρὸς ἔκπληξιν καὶ φρίκην, ὥσπερ ἐν ἀδύτῳ καὶ νυκτί. *Mysteria*, inquit, *allegorijs exprimuntur ad terrorem & horrorem tamquam in adyto & nocte*. Itaque videmus sanctissimos viros, Religionis Catholicæ mystas, & pietatis interpretes, cùm augustiora illa pertractant, quæ non sit vtile cognosci ab omnibus, tenebras offundere orationi, &, vt verbo vtar S. Hieronymi, obliquos esse in dicendo. Sanctus Ioannes Abbas Raythu Scholijs in Climacum, ad Gradũ 27. id sapienter animaduertit. *Non clarè*, inquit, *narrauit contemplationem Sanctus, eò quòd noluit omnibus talia reuelare*. Quid igitur facere is debuit, qui Athenis, hoc est è sinu ipsius Philosophiæ ad scribendum prodiens, de abditis sanctæ Theologiæ arcanis disputationẽ instituebat? qui in eius vrbis luce commentabatur, vbi tam multi curiosi atque maliuoli, tam multi subsessores doctrinarum, tam multi aucupes nouitatum, qui vt diuturnam sitim explere cupientes, quæ dicebantur, quæq; litteris mandabantur, auidissimè excipiebãt? An dubitabimus quale sapientissimi Dionysij consilium hac in re fuerit, qualis mẽs & voluntas, nec audiemus quæ ipse perspicuè significauit? Nam priusquam ad Hierarchiam Ecclesiasticam proponendam aggrediatur, monet Timotheum, ne diuina illa enuntiet profanis & euulget, sed clausa teneat, & veluti & honorifico parapetasmate inuoluta, habeat in pretio & veneratione; se quidem illa tegere, doctum à Theologiâ, οὕτω γὰρ ὡς ἡ Θεολογία τοῖς θιασώταις ἡμῖν παραδέδωκε. Desinãt igitur noui Censores hanc grauissimi Dionysij obscuritatẽ impetere vt insolentem, vt tanto viro indignam, vt heroicis illis & Apostolicis temporibus non conuenientem. Imò potiùs mecum expendant quid de illâ ipsâ sentiat, quidve scribat scholę Magister S. Thomas, ille Theologiæ apex, qui nodosas difficilium rerum quæstiones faciliùs quàm nodum Gordium Alexander soluebat. Illius verba mihi quidẽ auro contrà Erythræisque gemmis cara, tibi quoque non iniucunda Lector futura, hîc apponam. *Est autem considerandum, quòd B. Dionysius in omnibus libris suis obscuro vtitur stylo. Quod quidem non ex imperitiâ, sed ex industriâ, vt sacra & diuina dogmata ab irrisione infidelium occultaret. Accidit etiam difficultas in prædictis libris ex multis. Primò quidem, quia plerumque vtitur stylo & modo loquendi, quo vtebantur Platonici, qui apud modernos est inconsuetus. Secunda autem difficultas accidit in dictis eius, quia plerumque rationibus efficacibus vtitur ad propositum ostendendũ, & multoties paucis verbis, vel etiam vno verbo eas implicat. Tertia, quia multoties vtitur quadam multiplicatione verborum, quæ licet superflua videantur, tamen diligenter considerantibus magnam sententiæ profunditatem continere inueniuntur.*

Dixi de obscuritate, consequens modò est vt de styli magnificẽtiâ videamus. Eius enim orationem aiunt esse ὀγκώδη, inflatã, peregrino tumore crepantem, insolentem, vel, vt obiectat Illyricus, Asiaticam & redundantiorem, quàm vt in eam ætatem & scribendi rationem quadret. Cui hæretico, è Nouatorum castris hominem vnũ possem opponere Isaacum Casaubonum, qui tametsi in oppugnandâ veritate sit infelici & timendo fato immortuus, vt erat tamẽ non derelictus ab ingenio, nec lectionis cõplurium Auctorum expers, Dionysium nostrum vidit diuinum quemdam esse hominem & antiquissimum, idque ipsum sæpè est non sine præfatione honoris professus, de cuius in scribendo ratione ita laudans, & micantis vndique excellentiæ magnitudine obstupefactus prædicat: *Fingit voces nouas, & compositiones format inusitatas, inauditas, mirificas: quæ simpliciter verbo vno*

 aut

aut altero dici poterant, diffundit in plures voces admodum ſonoras & magnificas, atque vt verè obſeruat Maximus, διὰ πολυπληθίας λέξεων σκοτοῖ τὸν λόγον, *congeſtis verbis multis obſcurat ſermonem.* Et alio in loco ait, multos Patres, eximiè verò præ ceteris Dionyſium Areopagitam, de Sacramentis nouo quodam & inuſitato dicendi genere ſcripſiſſe, quod à cothurno tragico, vel dithyrambicis ampullis, non multùm videatur diſtare. Huius ob os, Illyricus, credo, os aperire ſuum non audeat. Quamquã Illyrici quidem temeritatẽ ieiuniq́ue animi iactationem, iampridem Matthæus Galenus, vir præſtãtis eruditionis, compeſcuit: docet enim, vnâ etiam in ætate, ſtyli varietatẽ in diuerſis Scriptoribus eſſe potuiſſe; Philonẽ Iudæum, quem Atticum, & vnum omnium elegantiſſimum omnes ſciunt, cùm temporibus iiſdem floreret, ita nonnumquam dicendo incitari, vt propiùs abſit à magno Dionyſio, quem proinde meritiſſimò Euſebius τῷ λόγῳ πλατέα, ταῖς διανοίαις ὑψηλὸν καὶ μετέωρον appellat: id ipſum quod ſcioli quidã reprehendãt à ſanctiſſimis Patribus, qui totius Græciæ facilè principes olim audierint, exquiſitâ laude celebrari, quippe à Gregorio Nazianzeno dici viro eloquentiſſimo, & in rerum grauiſſimarum intelligentiâ verſato, ſcripta fuiſſe à Dionyſio κάλλιστά τε καὶ ὑψηλότατα. Hęc & alia vir ille doctus copioſiſſimè exponebat. Sed ſi lubet pedem propiùs iam cõferre, quid eſt vt magnopere mirandum eſſe videatur, ſi noſter Dionyſius eâ ingenij ſubtilitate, quod, vt verbum à Poëtâ mutuer, tenues limarant Athenæ, eâ inſtitutione atq; doctrinâ, quæ clariſſimum illud domicilium litterarum ſaperet, iis doctoribus vſus, quià tertio vſque cælo deuocatam cæleſtium rerum cognitionem in eius animum inſtillaſſent, cũ maximè religio & diuinus amor eius animi inflammationem exſuſcitant; ſi Dionyſius, inquam, ſapientum Athenienſium primitiæ, in eo ardore pietatis, delibutus liquido gaudio & voluptate, quâ diuinæ mentis illapſu perfruebatur, humum deſerüit, extulit ſe ſupra ſe, verba ad animi dominantem affectionem accõmodauit, nouâ & inuſitatâ dicendi ratione euolauit altiùs, quàm nos humi ſtrati queamus ſuſpicere?

Si iam Hierothei ſacros hymnos videremus, quos olim, æſtu quodam ingenij raptus & pietatis, admirabiliter cecinit, ſic vt illi qui aderant, vix arcanos orationis ſenſus intelligentiâ conſequerentur; repudiaremus, credo, & aſpernaremur, quòd ſublimia illa atque magnifica in eam tempeſtatem non caderent, quòd non trito & conſueto genere orationis fuiſſet vſus?

S. Ignatius neque Athenis diſputans, neque hymnos pertexens, aut in mediis cæleſtium animarum choris beato lumine circumfuſus, ſed Epiſtolas ſcribens, nonnumquam tamen impetu orationis efferueſcit, compoſitiones verborum habet granditate ſonantes, nouitate mirabiles, ſtructurâ ſpecioſas, vt vel initium Epiſtolæ ad Romanos fidem facit. Quis enimuerò eſt tam moroſus in probando, tam in iudicando ſtolidus atque procax, qui Apoſtolicis temporibus eas Epiſtolas ſcriptas neget?

Nemo miratur cùm Platonem videt, Socratem, alioſque in conuiuio, cùm probum laudant ſpecioſis amoris inuolucris redimitum, incitari mente, ſtylo aſſurgere, ἐνθουσιασμὸν pati, furere, vaticinari, βακχεύειν: hanc animã diuini Amoris igne colliqueſcentem, Deo plenam, ſupra res omnes adſpectabiles Amoris alis euectam, diuinæ bonitatis vim, varietatem, mirabiles & inexplicabiles machinationes canẽtem, nouo & ſingulari genere dicendi attollentem, non feramus? Id qui volet, tribuat excellentiſſimi Dionyſij genio & conſilio, qui cùm eſſet à naturâ non modò ad ſingularem animi conſtantiam & grauitatem, verùm etiam ad magnificum & illuſtre genus dicendi inſtructus, in myſteriorum iſtâ explicatione, aliquid etiam ad conſuetudinem adiunxerit ornatus & magnificentiæ, ne à profanis hominibus facilè attingerentur.

Ego verò ſic ſentio, diuini Numinis imperio & motione hæc ab eo fuiſſe perſcripta. Deus profectò rerum omnium opifex, qui illo æuo rara quædã & inuſitata patrabat, Dionyſij mentem atq; linguam habuit pro calamo ſcribæ velociter ſcribentis: illius ductu atque lumine non politiam modò omnem Chriſtianæ religionis, verùm etiam cæleſtium mentium ordines peragrauit. Ille Spiritus qui Dionyſio conceſſit, vt indicta ceteris inauditaque pangeret, verba etiam & mirificum orationis contextum, quo illa ipſa exponeret, ſuppeditauit. Quare vt Gracchho olim oranti, fiſtulâ eburneolâ puer litteratus vocis contentionem & tonum moderabatur, ſic diuina mens periti inſtar phonaſci, ſanctiſſimo Dionyſio noſtro dedit, vt inflaret altiùs, & cum diuiniſſimo Paulo mente excederet. Certè clariſſimus idemque religioſiſſimus Billius, cuius induſtriâ & fructuoſiſſimis laboribus, tot eximios è Græciâ Patres explicatos & illuminatos habemus, dicere ſolebat, hoc opus Areopagitæ

pagitæ Dionysij, hunc stylum adeò esse θεόπνευστον atque diuinum, vt si quotquot in Europâ sunt acerrimo ingenio & grauioribus scientijs imbuti, in vnum coëant, & simile quidpiam meditentur, vix omni animi contentione atque viribus, sint tantam altitudinem atque præstantiam imitando consecuturi. Quod acroama ex ore tanti viri excepit D. Richardus Stephanus Doctor Theologus, vir summâ humanitate, vt mihi nuper in familiari sermone memorabat. In eadem sententiâ fuit Marsilius Ficinus, lumen æui sui, variâ abundantique doctrinâ, cuius aureum pronuntiatum non possum quin totidem verbis hîc ponam, vt honorificum nostræ disputationis emblema. Sic igitur habet: *Dionysij Dei numen, Theologi veteres & Platonici, separatarum mentium ecstasim & excessum esse putant, quando partim amore natiuo, partim instigante Deo, naturales intelligentiæ limites supergressæ, in amatum Deum mirabiliter transformantur, vbi nouo quodam nectaris haustu, & inæstimabili gaudio velut ebriæ (vt ita dixerim) debacchantur. Hoc genus Dionysiaco mero Dionysius noster ebrius exultat passim, effundit ænigmata, concinit dithyrambos. Itaque quàm arduum est profundos eius sensus intelligentiæ penetrare, tam difficile miras verborum compositiones, & quasi Orphicum dicendi characterem imitari, ac Latinis præsertim verbis exprimere. Idem profectò ad id facilè consequendum necessarius omnino nobis diuinus est furor*, &c.

Hæc de stylo satis: quid aliud aduersus Dionysij nostri monumenta obiiciatur videamus. Ecce tibi Scaliger sanè infesto animo incurrit in Dionysium: hos libros supposititios ex eo probat, quòd de Monachis agant, qui nusquam tum fuerunt: non enim, vt Tertullianus aiebat, Christianos *siluicolas esse aut exules vitæ*: id genus vitæ à Paulo primùm Eremitâ institutum: ὑποβολιμαῖον hunc scriptorem in fraudem fuisse inductum ab Eusebio, qui Monachismum ad nascentis Ecclesiæ tempus reuocauisset: per Dionysij nostri θεραπευτὰς, exules illos vitæ intelligendos, se primum è Trullanâ Synodo aperuisse gloriatur. Sed Thrasonem hunc gloriosum, κενῆς οἰήσεως ἔμπλεων ἀσκὸν, insultantem audaciùs, & in Trullo bullientem, suâ confutarunt truâ periti non in Theologiâ modò homines, sed in omni litteraturâ elegantissimi, Martinus Delrio in primis è Societate nostrâ Theologus, deinde Ioannes à sancto Francisco Fuliacensium Prior apud Lutetiam, linguarum cognitione præcellens, in quo nescias ἐγκυκλοπαιδείας mireris potiùs scientiarum, an virtutum. Ac videtur mihi quidem Scaliger meticulosos imitari peregrinos aut cerritos, qui quidquid increpuerit, quæ res cumque tandem in aures oculosque se iniecerit, hostem putant, laruam, infortunium. Sic ille, cùm Monachorum genus omne & Religiosorum Vatiniano quodam odio prosequeretur, si quod tenue Religiosi pareat indicium, subitò exhorrescit, Monachum adesse putat in cucullo siluicolam, exulem vitæ, μανδρείτην. Scripsit sanctus Dionysius, Γαΐῳ θεραπευτῇ: Scaliger, quasi in siluestrem Faunum incidisset, Panico terrore furit, Monachum exclamat. Minuamus, si fieri potest, homini timorem, eumque à siluis & deserto loco in vrbem ducamus. Neque enim Therapeutam cùm nominat Dionysius, eum intelligit qui in vastâ quapiam solitudine oberret, aut qui planè atque omni ratione eorum vitæ rationem imitetur, quam in Palæstinâ primùm atque Ægypto, mox ad orientem latè Solem & occidentem, piorum hominum greges celebrarunt. Ista magna & mirabilia non subitò omni perfectione cumulata solent existere: leuioribus principiis ea quæ perennant non naturâ modò, verùm etiam & gratia prætexit. Quid verò temporibus illis θεραπευταὶ fuerint, si quis modò legat, animumque accommodet, non est operosum è Dionysio ipso Doctore cognoscere. Diuidit enim cœtum omnem seu populi Christiani complexum duas primùm in partes, in sacros videlicet homines, atque laicos.

In illis Hierarchæ sunt Episcopi, Presbyteri, & Liturgi. In his ordinibus tribus distincti, in primo Catechumeni, Energumeni, Pœnitentes; in secundo populus sanctus, in tertio Monachi. Ex his gradibus diuinâ quadam ratione conserta & composita Ecclesiastica Hierarchia, mirabiliter secum ipsa consentit: nam sacrorum hominum functiones in purgando, aut illuminando, aut perficiendo occupantur, quare ordinem Liturgorum καθαρτικὴν τάξιν appellat, *purgantem*; Presbyterorum φωτιστικὴν, *illuminantem*; Episcoporum τελειωτικὴν, *perficientem*. Quibus inferiores tres respondent gradus. Et Catechumenorum quidem, Energumenorum & Pœnitentium ordinem nominat τάξιν καθαιρομένων, *pur-*

purgatum, populi sancti θεωρητικὸν, seu φωτιζόμενον, *illuminatum*; Monachorum denique τετελεσμένον, *perfectum*. In hoc igitur partium concentu, & velut in cantu & fidibus harmoniâ, Monachos locat in numero laicorum, sed qui tamen quasi μεθόριοι quidam existimari possint, sic vt neque in populi humilitate iaceant, neque rursus ad Hierarcharum ordinem attollantur, itaque ad adyti ianuam consistunt, reliquâ omni multitudine superiores, inferiores Liturgis. Eorum proprium fuit, maiorem quamdam vitæ sanctimoniam profiteri, piis precationibus dare operam paulò studiosiùs, ab inanium rerum tumultu recedere, in medio cœtu Christianorum ita viuere, vt longè quàm vulgus religiosiùs consecrauisse Deo vitam constaret. Nec Monachi ideò nuncupantur, quòd lucem fugitantes hominumque societatem, in spelæa sese abderent, vmbrosasque siluas, sed quòd mentem atque voluntatem, quantum fieri posset, ab omni caducarum rerum cupiditate abstraherent, colligerent animi vires omnes atque potentias, seque verè ἑνιαίως in vnius Numinis prouidentiâ collocarent. Hoc eleganter & diuinè, vt omnia, exponit Dionysius capite 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ: Μοναχοὶ ὀνομάζονται ἐκ τῆς ἀμερίστου καὶ ἑνιαίας ζωῆς, ὡς ἑνοποιούσης αὐτοὺς ἐν ταῖς τῶν διαιρετῶν ἱεραῖς συμπτύξεσιν εἰς θεοειδῆ μονάδα καὶ φιλόθεον τελείωσιν. Iidem ipsi non seclusum habebant vllum locum in quo cœtus celebrarent suos, sed cum ceteris diuinis Liturgiis intererant: & tametsi loci honore vt & vitæ gradu anteirent ceteros laicos, velo tamen atque ianuâ à Liturgis disiungebantur, quibus dignitate cedebant, vt in Epistolâ ad Demophilum Therapeutam ab Auctore nostro explicatur. Atque hæc, opinor, Scaligero, & eiusdem sectæ hominibus, ni iniquiores sint, possunt sufficere, quæ in Gallicâ P. Ioannis à sancto Francisco Apologiâ longè vberiùs ornatiusq; dicuntur. Nunc breuiter, vt in cursu orationis, Abrahamum Sculterum modestiæ commonefaciamus, qui Medullam Patrum velut ex carnificatione direptam, pestilenti veneno infecit. Is de scriptis Dionysij Areopagitæ disputans, *De vndecim*, inquit, *Epistolis, quæ eidem tribuuntur, nihil attinet multa dicere, cùm nihil memoratu dignum contineant, nisi fortè cuipiam fabella de eclipsi Paßionis Dominicæ arrideat, quam Dionysius Heliopoli Aegyptiorum se vidisse scribit Epistolâ ad Polycarpum.*

Græci veteres mare aiunt φύσει καθαρτικὸν εἶναι, labes animi corporisque tollere: sed ne quidem Germanicum omnem Oceanum putem hanc effusi hominis temeritatem expurgare posse. Nam si numquam eas Epistolas in manus sumpsit, cur repudiat, & cæco iudicio aspernatur? Si legit & peruolutauit aliquando, quâ fronte, quo superbientis animi fastidio ea dicit quæ à quolibet, qui oculis modò atque ratione præditus sit, & refelli & importunæ vanitatis conuinci possint? Nam vt omittam, sanctum Dionysium semper sui esse similem, illo è Sole diuinitus illuminato, tum maximis tum mediocribus in rebus, radios spargi rutilantis sapientiæ, vbique ab eo sublimium rerum cognitionem attingi, certè Epistolis VI. & VII. de tradendis fidei mysteriis communicandisque agit, re videlicet omnium grauissimâ; de viâ & ratione tenendâ in disputando, vbi hæreticum agendi modum incredibili orationis venustate coarguit, de tolerandis æquo animo iniuriis. Doctam prætereà, veram, & exquisitam de Solis cursu & naturâ disputationem pertexit, tum Scripturæ sacræ auctoritate, tum luce rationis comprobatâ.

Hæc igitur sani vllius iudicio, vana, futilia, & explodenda videantur? Epistolâ VIII. Christianam mansuetudinem eximiè commendat, priuatam exomologesin docet, nocturnis precationibus lucem adfert, Ecclesiastici fori maiestatem exponit, de pœnitentibus mœrore confectis in Ecclesiæ gremium recipiendis monet. Ne hæc quidem censorio illo supercilio sint digna? Epistolâ IX. plurima illustrat diuinæ paginæ loca, in magnâ obscuritate posita, Traditionum vim & auctoritatem explicat. Hæc nimirum παίγνια sunt homini hæretico. Epistolâ X. animi felicitatem, dura & acerba Dei causâ tolerantis, summis laudibus in cælum vehit.

Sed iam è dumis spinetisque disputationum egrediens oratio, gestit euolare liberiùs in amœna vireta sanctissimorum Patrum, atque hortulos omnigenâ florum varietate conuestitos, è quorum dictis, velut rosis atque liliis, coronamenta plectam Dionysio nostro, Magno, Inclyto, Victori, verè Areopagitæ, verè Gallico, de inuidiâ hominum, de sæculorum omnium vetustate gloriosissimè triumphanti. Nec longè abiero: nam ecce mihi cum plenis calathis

R. P.

R. P. Petrus Cotonus è Societate nostrâ, homo eloquentissimus, & magnarum artium cognitione instructissimus, qui Dionysium nostrum, conquisitis summâ industriâ ex omni antiquitate testimoniis, exornauit & defendit. Eius grauem & eruditam disputationem religio sanè esset hîc omittere, cùm tot symbolæ sint mihi aliunde quæsitæ ad conuiuij huius apparatum. Ponam igitur illam vt mel & saccharum & extrema bellaria, in quibus mens tua, Lector, conquiescat, & totidem verbis repræsentabo, prout Latinam fecit vnus è nostro Ordine, qui Gallicam elegantiam Romani styli suauitate æquauit. Sic igitur ille primo libro Institutionis Catholicæ.

Sed vnius Dionysij Areopagitæ auctoritas, qui de Cælesti Hierarchiâ librum diuinè contexuit, quique mysticæ Theologiæ lumen, & eximius Doctor fuit Ecclesiæ Christianæ, rem conficiet, dummodò constet, eum Dionysium, qui de Cælesti Hierarchiâ scribit, esse verum & genuinum Areopagitam, Pauli discipulum, de quo in Actis Apostolorum memoratur. Cuius rei probationes lubet hîc apponere, è flore hominum sapientissimorum depromptas, qui quoque sæculo à nato mundi Seruatore ad hanc ætatem floruerunt.

Act. 17. Euseb. l. 4. c. 23. Sæculo I. D. Lucas eius nobis describit nomen, conditionem, & ad fidem Christianam conuersionem. In II. Dionysius Corinthi Episcopus ait illum Antistitem fuisse Athenarum. III. Dionysius Alexandrinus, Origenis auditor, luculentos in eius Opera scripsit Cōmentarios, vt Maximus vir doctissimus prodidit. (S. Maxim. in c. 5. Cæl. Hier.) IV. Diuus Gregorius Nazianzenus eumdē haud obscurè designat, vbi scriptoris antiqui meminit, qui præstabili quadam sapientiâ disputasset de Seraphinis qui Tabernaculum operiunt, & τερσάγιον magno animi ardore decantant, cùm certum sit, magnū Dionysium librum composuisse περὶ τῶν θείων ὕμνων, de diuinis hymnis, cuius meminit sub finem capitis septimi de Cælesti Hierarchiâ. (Orat. 38.) In eodem sæculo S. Ioannes Chrysostomus eleganter eum nominat πτηνὸν τῆ οὐρανῆ, vt legitur in Epistolâ Anastasij Bibliothecarij ad Carolum Caluū. V. Si Liberato Afro, qui anno 520. floruit, adhibemus fidem, S. Cyrillus Alexandrinus Antistes eum laudat, in Theodorum & Diodorum agens Nestorianorum Primipilos, quod etiam fecit libro de Incarnatione. (Liberatus Afer Diaconus in Breuiario de causâ Nestor. & Eutych. cap. 10.) Sæculo VI. Anastasius Episcopus Antiochenus, dictus Sinaita, vir exquisitæ eruditionis, & exemplar sanctitatis, vt auctor est Euagrius, in eximio quodam Commentario quem inscripsit *Cōtemplationes anagogicas in Hexaëmeron*, illum indigitat celeberrimum rerum diuinarum Mystam, Apostolicum Dionysium. D. Gregorius Magnus antiquum venerandumque Patrem nominat, vtiturque eius auctoritate, vt probet Angelos tutelares ex infimo esse ordine vltimæ Hierarchiæ. (Homil. 34. de Drachmâ perditâ.) VII. hoc est circa annum Domini 640. floruit Maximus, excellenti artium cognitione verè maximus, & singulari auctoritate apud Heraclium Imperatorem, qui se lubens à Comitatu Palatioque subduxit, quòd pestem in eo grassantem Monothelitarū videret, & religiosis se claustris addixit, in quibus placidâ quiete perfruens, animique tranquillitate, multos edidit confecitque libros, inter quos Scholia sunt in Opera Dionysij Areopagitæ: tandem ipsi lingua euulsa fuit, hæreticorum factione impioque maleficio, inclytusque martyr è sordibus custodiæ & pædore, ad beatæ æternitatis vsuram euolauit. Eodem sæculo vigebat Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus, qui ad Sergium Constantinopolitanum item Patriarcham scribens, literas quæ in vndecimâ Actione Synodi VI. inseruntur, Dionysij auctoritatem adhibet ad confutandos errores Monothelitarum, eumque Dionysium à diuino Paulo captum ait ex Areopago, Deoque mancipatum. (Tom. 3. Concil.) Eadem etiam erat vsus auctoritate Macarius Archiepiscopus Antiochenus, eâdem hæresi imbutus, vt constat ex fine Actionis secundæ, vbi tametsi vehementer Imperator vrgeret, distinguere tamen noluit & explicare, quemadmodū intelligeret operationem hominis Dei, quam Dionysius θεανδρικὴν in Epistolâ ad Caium nuncupauerat. Octauo S. Ioannes Damascenus lux & decus eorum Theologorum, qui à præstanti eruditione Scholastici nomen habent, Opera sæpè illius laudat, neque id ferè vmquam sine prefatione honoris, meritoque præconio, quippe nominat *diuinum Areopagitam, sanctissimum & eloquentissimum Dionysium*. Et Tractatu de iis qui in fide quiescunt, *diuinis rebus abundantem profundumq́ Dionysium*. (Damasc. Or. de Fid. defunct.) Secundum Generale Concilium Niceæ celebratum, anno septingentesimo vigesimo septimo, sub Adriano Papâ, citat eumdem, & *magnum* Dionysium appellat. (C. 2. tom. 3 Concil.) Idem Pontifex Maximus scribens ad Carolum Magnum, vocat Areopagitam, *Episcopum Athenarum, hominem Apostolicum*: ait dictum fuisse à san- (Adrian. Pap. ad Carolum Magnum to. 3. Concil. ep. 3. c. 36.)

ſanctiſſimo Gregorio *antiquum Patrem & Doctorem*, à ſacris item Conciliis & Deceſſoribus ſuis comprobata illius fuiſſe Opera, ex iiſdem fuiſſe laudatas promptaſq; ſententias, & præſertim ex Epiſtolâ quam ad D. Ioannem ſcribit, ad imaginum cultum & religionem tuendam.

Libri autem tanti viri miſſi in Galliam fuerunt circa nonum ſæculum à Michaele Imperatore Conſtantinopolitano, qui eos velut magnificum regiumque munus Ludouico Imperatori Occidentis cognomento Pio dedit, cùm didiciſſet, quantâ obſeruantiâ & religione magnum Dionyſium proſequeretur, quam etiā videretur habere quaſi propriam atq; hereditariam, cùm eumdem auus atauuſque Imperator Carolus Magnus & Pipinus coluiſſent: Ludouicus Pius ſummâ lætitiâ exceptos eueſtigiò miſit ad Hilduinum Monaſterij S. Dionyſij Abbatem in Franciâ. Michael Syngelus qui tum viuebat rē publicâ laudatione celebrauit, & Methodius Græcâ linguâ confecit Acta in eius honorem, quæ vſque in hodiernam diem reperiuntur. Ioannes Erigena Scotus Græcis quoque Latiniſq; litteris doctus paulò pòſt eos Libros primus in Latinum vertit, idq; iuſſu Caroli Calui, qui in imperiū paternamq; pietatem ſucceſſerat, anno ferè octingenteſimo ſexageſimo. Anaſtaſius, qui eodem æuo Bibliothecarius fuit ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ad eumdem ſcripſit Imperatorem litteras, quarum initium eſt, *Inter cetera ſtudia*, vbi apparet quantum ſtudij induſtriæq; poneret ſummus ille Galliæ & totius Occidentis moderator, in ſcriptis beati Dionyſij legendis & intelligendis. Decimo ſæculo Simeon Metaphraſtes, cuius viri auctoritas in Oecumenico Florentino Concilio ſeſſ. VII. adducitur, S. Dionyſij Vitam litteris mandauit, & libros qui in manibus ſunt, vt veros & germanos agnouit. Suidas qui eodem ſcribebat ſæculo, de eius Vitâ moribuſq; ſimilia memorat, nec in libris recenſendis diſſentit. Vndecimo fuit Euthymius cognomento Zigabenus, inter doctos ſuæ ætatis clariſſimus in Græciâ, qui in Panopliâ ſententias ſæpè atque floſculos è Dionyſio noſtro decerptos delectoſq; laudat. Quod etiam duodecimo ſæculo multò ſępiùs facit Hugo à S. Victore, qui ſub Ludouico Iuniore florebat, dictus vulgò ſecundus Auguſtinus, propter vberrimam elegantiſſimamq; doctrinam & ingenij præſtantiam: hic autem ſplendidiſſimos & ſuauiſſimos Commentarios in cæleſtem Hierarchiam edidit, quos eidem Regi dedicauit. Decimo tertio Georgius Pachymeres inter Græcos, politâ & excultâ paraphraſi Dionyſij libros illuſtrauit: & è Latinis D. Thomas celſiſſimus apex Theologiæ, libros de Diuinis nominibus luculenter expoſuit, & in Theologicâ Summâ, aliiſq; in locis, citat eos frequenter, ad abſtruſiſſima quæque myſteria & reconditas fidei quæſtiones comprobandas.

Tom. 4. Concil.

Sæculo XIV. Nicephorus Callixtus Xanthopulus, qui Eccleſiaſticam hiſtoriam memorabili operâ contexuit ſub Andronico Palæologo, inter alia, quæ de viro ſancto memorat, ait illum & lauacro ſalutari tinctum, & Athenis Epiſcopum renuntiatum manibus D. Pauli: tum indicem proponit, & eorum voluminum quibus fruimur, quæque temporum iniuriâ deſiderantur.

Centum pòſt annis ſæculo XV. Cardinalis Beſſario doctrinâ ſuâ quàm purpurâ ſplendidior, eadem ſcripta vera & legitima eſſe defendit: Marſilius Ficinus in Latinum conuertit librum de Diuinis nominibus, & quem de Myſticâ Theologiâ ſcripſit, & rem omnem illuſtrauit Commentariis. Iiſdem ferè temporibus Ioannes Picus Mirandulanus, cuius ingenij magnitudo atque excellentia orbem vniuerſum obſtupefecit, illum ſuis laudibus ad cælum extulit, præſertim eo libro quem doctiſſimè elucubrauit *de Ente & vno.*

XVI. eruditiſſimus Budæus manuſcriptum vnum reliquit, curis vigiliiſque ſuis diligenter emendatum, Notiſque illuminatum, quæ Pariſiis deinde in lucem prodierunt. Petrus Faber Stapulenſis libros eoſdem perpetuis Annotationibus illuſtrat: Ioachimus Perionius in Latinum vertit. Præſtantiſſimi viri atque illuſtriſſimi, Genebrardus, Baronius, Bellarminus, aliique eorum obiectiones doctè refutarunt, qui & Auctorem, & eius ſcripta in dubium reuocaſſent.

Apud Gulielmum Morelium an. 1562.

VA-

VARIANTES LECTIONES IN LIBRO DE CAELESTI HIERARCHIA.



CAPVT I. §. I. Πρὸς Τιμόθεον Ἐπίσκοπον.] Ch. addit Ἐφέσου.

Οὐρανίας Ἱεραρχίας.] Ch. οὐρανίου.

Ἀνατατικῶς ἡμᾶς ἀναπληροῖ.] Ch. D. S. P. & Pachymeres, & MSS. Cæsaris, quod magis placet, ἀναπλοῖ. Veteres interpretes, & alii libri ἀναπληροῖ.

Συναγωγοῦ Πατρός.] Impressi libri, πνεύματος. cui lectioni aduersantur veteres omnes libri, interpretes Latini & Græci.

Ἐξ αὐτοῦ πάντα.] Ch. D. P. τὰ πάντα. itaque in Paulo, cuius hæc verba sunt, scribitur.

§. 2. Τὸ ὄν, τὸ ἀληθινόν.] In Budæi codice erat vitiosè, τὸ ὄντα ἀληθινόν. itaque emendauit ὄντως ἀληθινόν. Pachymeres notat legi sine distinctione τὸ ὂν τὸ ἀληθινόν, & cum distinctione, vtrumque exponens.

Καὶ ὑπάρχιον.] Ita legendum.

Ἑνικῆς ἑνδότητος.] Memmij liber ἑνότητος, quam lectionem secutus est Scotus & Sarracenus.

Πρὸς ἀναγωγικὴν δέ.] Ch. D. P. Sar. πρὸς ἀναγωγὴν δέ.

Μένει τε ἔνδον ἑαυτῆς ἀοράτως.] M. Μένει ἔνδον ἑαυτ ἀοράτως. sed mendosè, opinor, cùm nullâ auctoritate aliâ nitatur.

Αὐτῆς ἕνωσιν.] Budæus aspirauit, αὑτῆς.

Μὴ τῇ ποικιλίᾳ.] B. Εἰ μή. Interpretes *nisi* vertunt.

§. 3. Τῷ καθ' ἡμᾶς νοΐ.] Ch. D. P. νῷ.

Ταῖς αἰσθηταῖς.] Articulum non habent Ch. D. P.

Ὅπως ἂν ἡμᾶς ἀναγάγοι.] D. ἀνάγοι.

CAP. II. §. 1. Τὰς οὐρανίας ἱεραρχίας.] D. οὐρανίοις. In hoc nomine variant ferè exemplaria. quod semel admonuisse sit satis.

Ἑπομένως δὲ τούτοις.] D. P. Ἑπομένος τε. quod Sc. sequitur.

Πλασμάτων ἁπλότητα.] M. ἀπλασότητα. Scotus vertit *Veritatem*.

Τοῖς οὐρανίοις καὶ θεοειδεῖς νόας.] Coniunctionem καὶ non habet Ch. nec veteres interpretes. Duo reddunt καὶ θεοειδεῖς.

Λεόντων θηρομορφίαν.] Ch. D. P. θηριομορφίαν.

Πρὸς αἐτῶν ἀγκυλόχηλον εἶδος.] In vetustissimo Memmii corrigebatur ἀγκυλοχείλων.

Ἐπὶ τῶν ἀσχηματίστων νοῶν.] Variant libri in accentu νοῶν. quidam enim, vt Ch. & D. νόων scriptum habent. Bud. suâ manu scripsit νοῶν. Semel hoc monuisse sufficiat; nam frequens hoc verbum occurrit.

§. 2. Ἐν τοῖς Λογίοις εἰκονογραφίας.] M. ἱερογραφίας. cui lectioni Scotus adstipulatur.

Οἰκείοις αὐτὰ καὶ ὡς δυνατόν.] Αὐτοῖς, D. vt ad θεολόγοις referatur.

Καὶ αὔλων ποσῶς.] M. πῶς.

Προτιθέντας πολυμορφίας.] Ch. & D. περιτιθέναι.

Ἀθέσμως ἐξυβρίζειν δυνάμεις.] D. ἐξυβρίζει. M. οὐκ ἐξυβρίζειν. & οὐκ ἀποπλανᾷν. Budæi codex, οὐκ ἐξυβρίζειν. quod ille correxit οὐκ ἐξίβειζε, & οὐκ ἀπεπλάνα. Ita habet & S. P. in priori parte non habet negationem. Scotus negationes vertit, Sarracenus omittit.

Ὀρνιθείας ἀγελαρχίας.] M. ὀρνιθητικῆς. C. ὀρνιθίας.

Ἀλλ' ἢ τῆς ἀληθείας.] Lege in nominandi casu, consensu exemplarium, ἡ.

Καὶ συμφυῶν ἀναγωγιῶν.] Ch. & D. ἀναγωγῶν.

§. 3. Εἰς τὸ παντελῶς ἀπεοικός.] D. παντελές.

Καὶ ὡς φῶς.] Præponit Budæus ποτὲ δέ, quod nulli codices alij aut Interpretes habent.

Ποτὲ γὰρ, ταῖς ἀνομοίοις.] D. & Ch. addunt καὶ, sic, ποτὲ δὲ καὶ ταῖς ἄν.

Τιμῶσι τοιγαροῦν.] M. antiquissimus liber, & Sc. καὶ νῦν τοιγαροῦν.

Ὅτι δὲ καὶ τὸν ἡμέτερον νοῦν.] B. Ἔπι δὲ καὶ ὡς τὸν ἡμέτερον. Cùm pro ὅτι hic liber haberet ἔπι, ea deprauatio fecit, vt ὡς addiderit Budæus, vt orationis καταλληλότης constaret.

Εἰς μὲν γὰρ τὰς τιμιοτέρας.] Μὲν D. non habet. nec certè aliquid sequitur quod respondeat.

Καὶ πλανηθῆναι.] Ἀποπλανηθῆναι, Ch.

Καὶ χρυσοειδεῖς.] Hæc verba desunt in Ch. vt quod sequitur, C. siue καὶ φωτοειδεῖς. nec posteriora vertit Scotus.

Ἠμφιεσμένοις ἐσθῆτα φαεινήν.] Φαεινὴν, D. P. ἐσθῆτ' ἀφανῆ, M.

Καὶ ὅσοις ἄλλοις ὁμοιοτυπώτοις μορφαῖς.] Ch. Καὶ ὅσαις ἄλλαις, καὶ ὅσοις ἄλλοις ὁμοιοτυπώτοις κάλλεσιν ἢ, D. P. & in margine M.

Ὡς μὴ θεμιτοῦ μηδὲ ἀληθοῦς.] D. Μήτε θεμιτοῦ, μήτε ἀληθοῦς. P. μήτε θεμιτοῦ, μηδὲ ἀληθοῦς.

§. 4. Ἔστιν οὐδὲν πάντων.] Addit Ch. & P. τούτων.

Ἐρῶντα θεῖον αὐτὴν ἐννοῆσαι.] M. non habet αὐτήν. nec quod sequitur, λόγων καί.

Καὶ τὴν ἀπλανῆ καὶ καλλοποιόν.] M. & Sc. ἀφανῆ. at Ch. ἀπλανῆ καὶ θείαν εὐπρέπ.

Πρὸς μηδενὸς ἐκκόπτεσθαι.] Ch. D. S. P. ἐγκόπτεσθαι.

§. 5. Καὶ ἀνιέρων ἀχράντως.] M. ἀχράντων.

Ὡς ἐναπομεῖναι.] M. ἀπομεῖναι.

Οὐ γὰρ ἂν ἴσως.] Ch. D. P. οὐδὲ γάρ.

Εἰς ἀναγωγήν.] M. ἀγωγήν.

CAP. III. §. 2. Ἔσοπτρα διειδέστατα.] Bud. ἐσοπτρέτε.

Τοῖς τῶν ἱερῶν τελεσαῖς.] Ch. D. P. S. τελεσταῖς. cui lectioni veteres adstipulantur interpretes.

Καὶ πρὸς αὐτὴν ἱεροπρεπῶς.] Ch. ἱερῶς.

Τοῖς μὲν, τελεῖσθαι.] Ch. D. τελειοῦσθαι.

Ἁρμόσῃ κατὰ τόνδε τὸν τρόπον ἡ θεία.] Ch. aliter legit & distinguit. ἁρμόσει, διὰ τόνδε τὸν τρόπον ἡ θεία.

Ὑπὲρ φῶς προτέλειος, αὐτοτελεταρχία.] Ch. ὑπέρφωτος. S. & M. adiungunt post προτέλειος, verbum αὐτοτέλειος, quod Scotus etiam reddit.

§. 3. Τοῖς τετελεσμένοις.] S. P. D. τελεσμένοις.

Τελεῖν τοῖς τελουμένοις.] D. Τελειουμένοις.

Καὶ ὑπερφυῶς ἑνοῦντα.] M. ὄντα.

Καλῶς ἡμῖν ὁρισθείσης.] D. ἡμῖν non habet.

Cap. IV. §. 1. Πρῶτον ἁπάντων.] D.P. πρῶτον δ' ἁπάντων.

Ἔστι γὰρ τοῦτο.] Ἔστι δὲ, D.

Ὡς ἑκάστη τῶν ὄντων.] Ὡς ἑκάστῳ, S.P.D.Ch.

Τὰ μὲν οὖν ἄζωα πάντα, τῷ εἶναι.] Τοῦ εἶναι, S. D. Ch. Pro ἄζωα, M. ζῶα habet mendosè. Hic autem locus ab Origene citatur Homiliâ quadam in Ioannem, vt vel hinc Auctoris antiquitatem agnoscas.

§. 2. Προσεχεῖς μὲν οὖσαι.] Ch.D.P. μένουσαι.

Κρυφίοις ὁράσεις.] D.S.P. κρυφίας.

§. 3. Διὰ δή τινων.] Δὴ non habet D.

Ὡς ἐν μορφώσει τῶν ἀμορφώτων.] M. ἐκ τῶν ἀμορφώτων.

Ὅπως ἂν ἡμᾶς ἀληθῶς μυήσαιτο.] Ch. D. P. μυήσῃ τὸ θείας, &c. M. θείας in accusandi casu legit. sequitur enim καὶ ἱερὰς ὑποτυπώσεις. quod Scotus vertit, *Diuinos eam esse & sacros characteres.*

Μύστας καὶ χειραγωγούς.] Ch. μύστας τε.

§. 4. Τοῦ Ἰησοῦ ἱερουργίας.] Ch.D.P.S. θεουργίας. quod etiam Scot. reddit.

Τὸν Ἰωσὴφ ἐξεπαίδευσεν.] Ch.D. ἐξεπαίδευεν.

Πρὸς τὰς ὑπὲρ ταύτας.] D. ὑπὲρ ταύτας.

Ἀλλ' ἀπειθῶς.] Ch. ἀλλὰ καὶ ἀπειθῶς.

Δι' Ἀγγέλων διατυπώσεων.] D. ὑποτυπώσεσι.

Cap. V. §. 1. Ὡς ἡ καθ' ἡμᾶς.] D.S. non habent articulum ἡ.

Αὐτοῖς Λογίοις.] Lege ἐν τοῖς.

Τῶν ὑπερκοσμίων αὐτῶν.] D. ὑπερκειμένων.

Ἐλλάμψεις καὶ δυνάμεις.] Ch. ἐλλάμψεις τε καὶ, itaque Sarrac. vertit.

Αὐτὰς ὑπερκειμένων.] Budæus corrigit αὐταῖς.

Ἀρχὰς, ἢ Θρόνους.] Chart. add. post Ἀρχὰς, Ἐξουσίας.

Cap. VI. §. 1. Καὶ οἷοι τῶν ὑπερουρανίων οὐσιῶν.] M.S.P. ἐπουρανίων.

Τὴν θεοπτικὴν αὐτῶν τελεταρχ.] D. θεωρητικήν. quod verbum Scotus interpretatur.

Καὶ τὴν ἱερὰν αὐτῶν.] Ch.D. καὶ τὴν ἑαυτῶν ἱεράν. ita etiam Scot.

§. 2. Ἀμέσως ἐκεῖθεν παραδιδομένην.] M. S. παραδεχομένην.

Ἀμέσως ἱδρύεσθαι.] Ch. D. P. ἱδρῦσθαι.

Παραδιδόναι τὴν τῶν ἱερῶν.] M.S. παραδιδόναι τε.

Ὁ κλεινὸς ἡμῶν ἔφη καθηγεμών.] S. κοινός. Scotus adstipulatur.

Ἧς οὐκ ἔστιν ἑτέρα θεοειδεστέρα.] D. θειοδεστέρα.

Cap. VII. §. 1. Τῶν Σεραφὶμ ὀνομασίαν.] Subiungunt Ch. D.S.P.Sc. φασιν.

Τὴν δὲ Χερουβίμ.] D.P.S. τῶν Χερουβίμ.

Τῷ περὶ Θεόν.] Ch.D.S.P.M. τὸ περὶ Θεόν.

Ἀναπεπλασμένων.] Ch.D.P.S. Sc. Sar. ἀναπεπλησμένων. C. ἀναπεπλησμένον.

Τὰ πάσης ἀκριβῶς ἐξηρῆσθαι.] D. ἀμιγῶς.

Καὶ πάσης ἐχαπας.] Ch. καὶ τὸ πάσης.

Τὸν μὲν γὰρ ἁπάσης.] D.S.P.Ch. τὸ μὲν γὰρ, ἁπάσης.

§. 2. Ὡς οἰκείαν οἰητέον.] Ὡς non habet Ch. S. P. Sc. Sar. ἐοικυῖαν, M.

Καὶ τῆς οἰκείας αὐτοκινήτου.] Ch.D.P. ἀεικινήτου.

Οὐχ ὡς αἰσθητῶν συμβόλων νοερῶν.] Ἢ νοερῶν, Ch.D. P.Sc.

Τῷ ἐπ' αὐτὴν ἀμέσῳ.] D. P. S. ἀμέσως, quam lectionem Scot. expressit.

Καὶ κατὰ παναρρεπές.] Ch.D.P. πᾶν ἀρρεπές.

Μυοῦνται πρὸς αὐτῆς τελεταρχίας.] Ch. μυοῦνται καὶ τελοῦνται πρὸς αὐτῆς τῆς τελεταρχίας. Cuius lectionis vestigium est in veteri Sc. tralatione.

§. 3. Τὸν Κύριον εἶναι τῶν οὐρανίων.] Τὸ, Κύριον εἶναι, Ch.D.S.

Ἄγαμαι δὲ, ὅτι καὶ τῶν ἐπουρανίων.] Ch.D.S. θαυμάζω δέ. Ch. ὅτι τῶν οὐρανίων. D. ὑπερουρανίων.

Τῇ κατ' ἀξίαν.] Ch. D. S. P. τῇ κατὰ τάξιν. Veteres translationes consentiunt.

Τὴν οὐ πρότερον ἐποπτεύσασαν.] D. ἐποπτεύουσαν.

§. 4. Ὡς φωνὴ ὑδάτων πολλῶν.] Non habet πολλῶν M.S.P.Sc.Sar.

Τῶν ὑπερουρανίων νοῶν.] Οὐρανίων, M.Scot.

Cap. VIII. §. 1. Ἐκφαίνει τοῦ θεοειδοῦς ἰδιότητας.] Ch.D.S.P. ἐμφαίνει.

Ὑποπεζίας ὑφέσεως.] Ch. περιπεζίας.

Πάσης μειωτικῆς δουλοποιίας.] Ch. δουλοπρεπείας.

Καὶ τὰ μετ' αὐτήν.] Ch.D. μεθ' ἑαυτήν.

Πρὸς οὐδὲν τὸν εἰκῆ.] Ch. καὶ πρὸς οὐδέν.

Ὁλικῶς ἐπιτετραμμένην.] D.P.S. ἐπεστραμμένην.

Θεοειδείας.] D.S.P. ἀγαθοειδείας.

Τὰς κατ' αὐτῶν θεοειδεῖς ἐνεργείας.] Ch. D. P. κατ' αὐτήν.

Δυνατῶς ἐπὶ τὸ θεομίμητον.] Ch. ἀλλὰ δυνατῶς.

Καὶ θεοειδῶς προϊοῦσα.] Ch. προϊοῦσαν. Sc. & Sar. assentiuntur.

§. 2. Καὶ τὰ μετ' αὐτήν.] D. καὶ τὰ μετὰ ταύτην.

Σύμβολον ποιησώμεθα.] S.P.D.Ch. ποιησόμεθα, veluti Sc. etiam interpretatur.

Εἶναι τελειοτέρας.] Ch. D. τελεωτέρας.

Διὸ καὶ πρὸς τῆς ἡμῶν ἱερατικῆς παραδόσεως.] In Chart. alio lectio notatur, ἱεραρχικῆς.

Ὡς δι' αὐτῶν.] M. non habet.

Ἐπεικῶς ἐπανήγαγεν.] Ch.D.P. ἐπανήγεν.

Ὁ Ζαχαρίας.] Articulum non habet D. & P.

Πρὸς ὑπάντησιν.] D. ἀπάντησιν.

Πατρικὴ φιλανθρωπία.] Στρατηγική, M.Scot.

Οἱ τοὺς πελέκεις εἶχον.] Articulus deest in M.

Καὶ δοῦναι τὸ σημεῖον.] Τὸ non habent Ch.D.P.

Ἐφ' οὓς ἐστι σημεῖον.] Ἐφ' οἷς, D.

Ἐμβάλλει τὸ πῦρ.] Ἐκβάλλει, D.

Ἢ ὅσα ἄλλα.] Καὶ ὅσα, Ch.

Cap. IX. §. 1. Λοιπός.] V. λοιπόν.

Τὴν ὑπερούσιον αὐτῆς ταξιαρχίαν.] Αὐτήν, D.

§. 2. Τῶν θείων ἐλλαμπομένων.] Θείως, P.S.D.

Καὶ μᾶλλον πρὸς ἡμῶν, &c.] In D. locus ita legitur, καὶ μᾶλλον πρὸς ἡμῶν ἐκφαντορικοὶ τῶν προτέρων, Ἄγγελοι οἰκειότερον ὀνομαζόμενοι. Sicque Sar. reddit. in P. καὶ μᾶλλον πρὸς ἡμῶν Ἄγγελοι παρὰ τοὺς προτέροις ἐκφαντορικοὶ τῶν προτέρων οἰκειότερον ὀνομαζόμενοι.

Ἱεραρχίας ἐμφανέστερον.] Ἐκφανέστερον, Ch.D.

Τῆς δὲ μετ' αὐτήν, κρυφιωδέστερον.] D. κρυφιοειδέστερον.

Ταῖς ἀνθρωπείαις ἱεραρχίαις.] Ἀνθρωπίναις, Ch.D.P.S.

Καὶ μετ' εὐκοσμίας.] Coniunctio καὶ nō est in D.Ch.

Καὶ ἄλλως ἐθνῶν ἑτέρων.] M. ἄλλων ἐθνῶν ἑτέρως. Scotus in codice suo habuit, καὶ ἄλλοις ἐθνῶν ἑτέροις.

§. 3. Ἀναλόγως.] Ἀναλόγῳ alia lectio in Ch. & D.

§. 4. Τυπωθεισῶν ὑπὸ τῶν Ἀγγελικῶν ὁράσεων.] Τυπωθεισῶν ὑπὸ τῶν Ἀγγέλων, Ch.S. ὑπὸ τῶν non est in D.

Τῆς μιᾶς ἁπάντων.] Ἁπάντων non habuit Ch. πάντων, D.

Ταῖς τῶν οἰκείων Ἀγγέλων.] Ch. ἁγίων Ἀγγέλων.

Ἐπ' αὐτὴν ὡς οἰκείαν.] Ὡς ἐπ' οἰκείαν, D.

Cap. X. §. 1. Ἀμέσως ἀνατείνεσθαι.] Ἀνάγεσθαι. M. & tralatio Scoti.

Κρυφιωτέρα καὶ φανοτέρα.] In M. in nominandi casu leguntur ista, κρυφιωτέρα καὶ φανοτέρα. & mox item, κρυφιωτέρα μὲν, ὡς νοητοτέρα, καὶ μᾶλλον ἁπλωτικὴ καὶ ἑνοποιός· φανοτέρα δὲ, &c. cui lectioni tralatio Scoti adstipulatur.

Ὡς διὰ δὴ κεχυμένη.] M. κεχυμένην.

§. 2. Καὶ τεταγμένης ἀγωγῆς.] Ἀναγωγῆς, Ch.D.P.Sar.

Ὅτι ἢ αὐτὴ τῶν ἱεραρχιῶν ἑκάστη.] Bud. corrigit in dandi casu ἑκάστῃ. Ch. & S. habent αὐτῇ. Sar. adstipulatur.

Εἰς τὰς πρώτας.] Articulus deest in Ch. D. S.M.

§.3. Κεκραγέναι, σαφῶς.] M.σαφῶς coniungit cum κεκραγέναι.

Καὶ καθ' αὑτόν.] D.καθ' ἑαυτὸν, eodem sensu.

CAP.XI. §.1. Κοινῶς ἐπὶ πάσαις κεχρημένοι.] Alia lectio notatur in Ch.ἐπὶ πᾶσι.

§.2. Δυνάμεις ἀποκαλοῦμεν.] Lege ἀποκαλοῦμεν.

CAP. XII. §. 1. Καὶ γὰρ ἀμέθεκτα.] Ita habebat M.& S.Alij codices Ch.D.P. εἰ γὰρ ἀμέθεκτα. Interpretes ita legerunt.

Ὑπὸ τῶν Λογίων.] Ὑπὸ τῶν θείων Λογίων, Ch.

§.2. Ὡς οἶμαι προδιωρισμένοις.] Τοῖς διωρισμένοις, Ch.D.S.P.

Μετέχουσι μὲν καὶ αὐταί.] Αὗται, D.P.S.

§.3. Καὶ τοὺς παρ' ἡμῶν.] Παρ' ἡμῖν, Ch.S.P.D.Sc. Sar.Ver.

Καὶ τῆς θεϊκῆς ὁμωνυμίας.] Ch. καὶ τῆς θείας.

CAP.XIII. §.1. Καὶ γὰρ ἀπορήσειέ τις.] Ch. ἀπορήσειεν ἄν τις.

Οὐσίαις ἐνάριθμος.] Ἐναρίθμιος, P.D.

§. 2. Ὡς ἱερουργὸν τῆς τοῦ Προφήτου.] Ὡς non habent M.P.B. Sc.

§.3. Ὑπὲρ τῆς παρούσης ἐκστάσεως.] Παθέσης, M.S.Budæi item codex: sed παρούσης correxit.

Καθαρτικὴν ἱερουργίαν.] Ἀποκαθαρτικὴν, Ch.

Ἐπὶ τὴν πρωτουργὸν ἱεραρχίαν.] Ἐπὶ τὴν πρώτην, Ch Sar.

Καὶ τὴν οἰκείαν φωτοδοσίαν.] Καὶ τὴν οἰκείαν ἅμα φωτοδοσίαν, Ch.D.

Εἰς τὰς ὑποβεβηκυίας αὐτῇ ἀκόσμως διαδίδωσι.] Εἰς τὰς ὑποβεβηκυίας ἑαυτὴν ἀκόσμως διαδίδωσι, D.αὐτὴν, S.ἑαυτὴν, P.αὐτὴ ἀκόσμως αὐτὴν, M.cum P. Scotus facit, cum impresso Sar.

Ἡ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος.] Ὅτι ἡ τῆς ἡλιακῆς, P.

Πρὸς φωτοδοσίαν.] Φωτοδοσίας, S.P.D.Sc.Sar.

Πρὸς τὸ τελείως σχεδόν.] Τελέως, D.

Πρὸς δὲ τὰς ἀντιτυπεῖς ἐναντίας.] Τὰς ἀντιτύποις ἢ ἐναντίας, S.P.D Ch Sa.

Αὗται πρὸς τὸ ἐφάμιλλον.] Αὗται, S.P.D.Ch.

Ἀναλόγως προνοίᾳ.] Ἀναλόγῳ, D.Ch.

Ἔστιν οὖν.] Ἔστι μὲν οὖν, Ch.

Θέσει δὲ, καὶ θεομιμήτως.] Θέσει δὲ, καὶ θεοειδῶς, M.θεοειδῶς δὲ καὶ θεομιμήτως, S.Sc.

Καὶ εἰς ἡμᾶς.] Εἰς non est in D.P.Ch.

§ 4. Ἐπὶ τὴν νοερὰν ἐκείνην θεωρίαν ἀνατεθῆναι.] Τὴν ἱερὰν, Ch.D. Sc. Sar. ἀναπαθῆναι, M.S.P.D. Ch.Sar.

Ὑπὸ Θεὸν καὶ μετὰ Θεοῦ.] M.tantùm habet, καὶ μετὰ Θεὸν, quod sequitur Sc.

Ἐν μέσῳ τῶν ὑποβεβηκυιῶν.] Ὑποβεβηκυιῶν, P.D.Sar.

Ἐμάνθανεν ἐν τοῖς ὁρωμένοις.] Εἰρημένοις, D.

Ἀσυγκρίτως ὑφίδρυτο.] ὑφίδρυται, Ch.

Ἀπὸ ἀρχήν.] Καὶ ἀρχὴν, D.Ch.

Εἰς τὴν ὑψηλοτέραν.] Εἰς τὴν τῶν ὑψηλοτέρων, D.

Διαυγείας ἀγνότητος.] Καὶ ἁγνότητος, D.&Bud.V. διαυγίας ἀγνότητος: ἀγνοῦντος, M.corruptè opinor.eius lectionis tamen vestigium est in tralatione Scoti vertit enim *Incognita*.

Αὐτὴ δέ] Αὕτη, Ch.D.

Τελεσιουργουμένη.] Τελεσιουργουμένη, D.

Ἡ τῶν ἐσχάτων ἡμῶν νοερῶν.] Ἡ τῶν ἡμῶν, M.P.Ch. Sc.Sar. ἢ τῶν περὶ ἡμῶν, D.V. τῶν ἐσχάτων ἢ τῶν μέσων νοερῶν.

Τῷ πάσης καθάρσεως εἶναι αἰτίαν.] Εἶναι αἰτία, D.S.P. εἶναι αἰτία καὶ ἀρχὴ, Ch.V. εἶναι αἴτιον.

Τελετουργῶν Ἄγγελος.] Τελεσιουργῶν, Ch.

Αὐτὸς κινῶν.] Καὶ αὐτὸς κινῶν, S.P.D. Ch. Sc. Sar. αὐτοκινῶν, M.Ch.

Ἡ θατέραν τῶν εἰρημένων.] Θατέρα, Ch. D. θατέρων εἰρημένων, S.Bud.codex: correxit tamen, θατέρα τῶν. *Alteram* vertunt Sc.& Sar.

Εἰ γὰρ οὐδέ τε ἦ.] Ἡ non est in Ch. videtur legendum εἴη.

CAP. XIV. Εἰς ἑαυτοὺς ἐπανακυκλοῦσα.] Ἐς ἑαυτὴν, M.quod sequitur Sc.

CAP.XV. §.1. Περὶ τὰς ὑψηλὰς θεωρίας.] Περὶ τὰς ἑνικὰς καὶ ὑψηλὰς, P. D. Ch. V. περὶ τὰς ἑνικὰς ὑψηλάς.

Ὑπὸ τῶν πρεσβυτέρων λέγομεν.] Ἐλέγομεν, S.P.D.Ch. Sc.Sar.

Τὰς ἐν τοῖς Λογίοις.] Λόγοις, M.

Καὶ τὸ τῆς περὶ τὰ δ' ἅπερ.] Τῇ περὶ τὰ, S.P.D.Ch. Bud.

§.2. Σχεδὸν παρὰ πάντας.] Παρὰ πάσας, D. περὶ πάντας, P.

Καὶ ἄνδρας ὥσπερ ἐξαστράπτοντας.] Ὡς πῦρ, S.P.D. Ch.Sc.Sar.

Θρόνους δὲ πυρίνους.] Πυρίους, M.S.P.D.

Ὡς ἐν ὁρατοῖς εἰκόνας.] Ὡς non est in D.

Καὶ τὰ ἐν οἷς ἂν εἴδωνται, πρὸς τὴν οἰκείαν ἄγον εἰρήνην.] Participium ἄγον non habent M.S.P.B. Itaq; Budæus correxit, καὶ τῶν ἐν οἷς, vt ad ἀλλοιωτικὸν referatur. Eodem modo accipit Pachymeres, & τὰ ἐν οἷς construit cum ἀλλοιωτικὸν, vt fit ἀλλοιωτικὸν κατὰ τὰ ἐν οἷς ἂν εἴδωνται. Carthusianus & Dionysianus codex, item antiquæ omnes tralationes ἄγον habent, & punctum ante ἀλλοιωτικόν.

Τῷ ζωοπύρῳ θερμότητι.] Ζωπύρῳ, D.S.B.

Ἀνωφόρον, ὀξύπορον.] Ἀνώφορον, D.Ch B. ὀξυπόρον, P. Vtrumque in agendi significatione Sc. & Sar. exponunt.

Πρὸς τὰς ὑποδεχομένας.] Καὶ πρὸς, S.P.Ch.Sc.Sar.

Καὶ αὖθις ἀκαταλήπτως ἀφιστάμενον.] Ἀφιστάμενον, M.

Ἀμείωτον ἐν πᾶσι.] Ἐν πάσαις, D.P. Θεαρχικῆς ἐνεργείας.] Ch.addit articulum τῆς θεαρχικῆς.

§.3. Τὰς δὲ τῶν ὀσφραντῶν.] Ὀσφραντικῶν, M.Sc.P.

Ζωτικῆς δυνάμεως.] Subdit Ch. νέον.

Διαιρεῖ καὶ πληθύει.] Πληθυσμῶς, P.D.Ch.

Ἐμφαίνειν τὸ ἀδάμαστον.] Ἐμφαίνει, M.

§.4. Καὶ νοερῶς ἐλλαμπόμενον.] Ἡ νοερῶς, S.P.D. Ch.Sc.

Καὶ τὰ μυστικά.] Τὰ non habent P.D.Ch.

Εἰς αὐτὴν ἐνιαίως.] Εἰς ἑαυτὴν, S.P D.Sc.

§.5. Καὶ οἰκοδομητικὸν καὶ τὸ τελεσιωτικόν.] Καὶ οἰκοδομικὸν καὶ τελεσιωτ. D.

Τῆς ἀναγώγου.] Legendum ἀναγωγοῦ.

Τῶν δὲ πεισάσεων.] Πεισάσεως, D.Ch.Sco.

Ἀχρόνως δὲ ἤκουσε ποίησιν.] Πτῆσιν, D.Ch.at explicatio est illius, ex Maximi scholio.

Φωτὸς ὑπερκοσμίως ἀποπληρουμένοις.] Φωτὸς ὑπερπληρουμένοις, M.

Πρωτοφάνειαν.] Φωτοφάνειαν, D.

§.7. Κατὰ τοὺς ἀποδοθέντας λόγους.] Ἀποδεδομένους, Ch.

Τῶν τυπικῶν εἰκόνων.] Τυπωτικῶν, S.P.D.Sar.

§.8. Ἀνεκπιμπάτῳ πρὸς ὁλῷ.] Ἀνεκπιμπτώτως, M.S. correctum tamen in hoc τῳ.

Καὶ τοὺς νοεροὺς αὔλακας.] D. in genere feminino, τὰς νοεράς.

Τὸ βασιλικὸν, καὶ ὑψίφορον.] Ὑψιφόρον, S.P.D.Ch.Sc.

Σύμμικτον δὲ πρὸς λευκόν.] Καὶ πρὸς λευκῷ, D.

Ἐπιστρεπτικῶς ἢ περινοητικῶς.] Ἐπιστρεπτικὸν, D.

§.9. Τὰ δὲ ἅρματα τὴν συζευκτικὴν τῶν ὁμοταγῶν κοινωνίαν.] Τὴν ζευκτικὴν, D. τῶν ὁμοιοτήτων, M.Sc.B.

Κατὰ Ἑβραϊκὴν φωνήν.] Καθ' Ἑβρ. P. S.Ch. κατὰ τὴν Ἑβραϊκ. D.

Τοσαῦτά μοι περὶ τῶν ἱερῶν.] Καὶ περὶ τῶν ἱερῶν, S.P.D. Ch.Sc.Sar.

Πρὸς τὸ μηδὲ ταπεινῶς.] Μὴ ταπεινῶς, P.D. μήτε ταπεινῶς, S.

Τοῦ φωταγωγοῦντος, τοῦ μυοῦντος δεόμεθα.] Καὶ τοῦ μυοῦντος, P.D.Ch.

IN LIB. DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

CAP. I. §.I. Ταῖς νοεραῖς καὶ ἀοράτοις γνώσεσι.] Ταῖς ἱεραῖς.

Ἐγγύτεροι μὲν αὐτοὶ γινόμεθα.] Ἐγγυτέρω μὲν αὐτοὶ γενοίμεθα, D.Ch. γινώμεθα, M.S.P.Bud.corrig. γενώμεθα.

Καὶ θεαρχικὴν αὐτήν.] Corrigit V. maior, αὐγήν. V. minor, ἀρχήν.

Φωτοειδεῖς καὶ θεουργικοί.] Καὶ θεουργοὶ, V.minor, Ch.P.

Καὶ κυριοτήτων τε καὶ θείων.] Prius καὶ non habent D.Ch.P.S.B.

§.2. Τὴν κατ' αὐτοὺς ἱεραρχίαν ὑμνηκότων.] Κατ' αὐτὰς, D.P.S.B.Sc. Ἀνυμνηκότων, V.min. & maior, Ch.P.

Καὶ ὡς δυνατὸν, ἑτέροις ἡγεῖσθαι.] Ἑτέρως εἰσηγεῖσθαι, M.S. B. corrigit ἑτέροις.

Ποικιλίᾳ πληθυομένην.] Πληθυνομένην, V. minor, D.Ch.

Πάντες οἱ θεοειδεῖς.] Ἑνοειδεῖς, V.maior, D.Ch.P. Sc.Sar.

§.3. Κατὰ τὸ σεπτὸν τῆς ἡμῶν παραδόσεως.] Κατὰ τὸ σεπτὸν τῆς ἡμῶν ἱερᾶς παραδόσεως, Vien.mai.D.P.S. Sc.Sar. νοερᾶς, Ch.

Ἱερῶν λόγος, καθολικωτάτη.] Ἱερωσύνης λόγος, ἡ καθολ. Ch.D.M. ἱερὸς λόγος, P.Sar.

Ἡ λογικὴ σωτηρία καθ' ἡμᾶς.] Τῶν καθ' ἡμᾶς, D.P.S.

Ἁπάσης δὲ τοῦτο κοινὸν ἱεραρχίας.] In dandi casu ἁπάσῃ ἱεραρχίᾳ, V.min.Ch.D.S.

Λέγωμεν τοίνυν.] Λέγομεν, P.D.Ch.

§.4. Ἀπαρακαλύπτοις νοήσεσιν.] Ἀπερικαλύπτοις, D.Ch.

§.5. Τῆς τῶν μετ' τοὺς ἀναγωγῆς καὶ θεώσεως.] Τῶν μετ' αὐτοὺς, D.Ch.S.P. itáque legendum.

Ἡμῖν ἔδοξε.] Παρέδωκαν, D.

Εἰς τοὺς ἔτι τελουμένοις.] Τελουμένους, D.P.

Θεοπαραδότως νομοθέτηται.] Θεοπαραδότων, Ch.

Ἄλλων τε ἱεραρχικῶν.] Ἱεραρχικῶς, D.

Ἡ πρὸς τὸ τῶν ἄλλων ἱερολογιῶν.] Τῶν ἀΰλων, Ch.

CAP. II. P. I. Ἐπιτηδειότητα μορφοῦσα, τὰς ψυχικάς.] Ἐπιτηδειότητα, Ch.P. τὰς φυσικὰς, Ch.D.

Εἰ γὰρ τὸ εἶναι θείως.] Τοῦ εἶναι, Ch.

Ὑπάρξαι δεῖ.] Ὑπάρξαι δεῖν, M.

Ἐπὶ τὴν θέαν ἴετω.] Ἴετω, Ch.P.

Τὸν δὲ Ναδαύ.] Τὸν Ναδὰβ δὲ, Ch.P.

Ἀπεχρήσαντο.] Ἀπεχρήσατο, M.S.Sar.

P. II. §.I. Ἅπαντας ἀνθρώποις θέλων σωθῆναι.] Πάντας ἀνθρώπους ἐθέλων, D.Ch. πάντας & ἐθέλων, P. ἅπαντας & ἐθέλων, S.

Ὡς ἡμᾶς εὐτόνως ἀφικέσθαι.] Εὐτόνως non habent M.P.D.S.Sar.& Vien.Cæſ.

Πρὸς θέωσιν.] Πρόσθεσιν, M. vbi correctum πρόσθεσιν. & ſic vertit Sc. item S.

Οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκός.] Subdit Ch. οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρός.

§.2. Ὁ τούτων ἀγαπήσας.] Ὁ δὲ τούτων ἀγαπήσας, P.Ch. D.Sc.Sar.

Τελευταῖον δὲ ὅμως, ποιήσει τὸ αἰτηθέν.] Τελευταῖον δὲ ὅμως, Ch.P. ἐποίησε τὸ αἰτηθὲν, M.V.vterque.

§.3. Ἐσέφθη πρῶτα καὶ ὑμνεῖ.] Ἐσέφθη μὲν, D.P.S. Sar. ὡς ἔφημεν, πρῶτα μὲν ὑμνεῖ, M. Sc. ἐσεβάσθη μὲν, Vien.minor.

Μαρτύρεται μὲν αὐτῷ.] Μαρτυρεῖ, M.

§.6. Ὑπολύει μὲν αὐτόν.] Ἀπολύει, Ch.

Ἐπὶ δυσμαῖς προσέχοντα, καὶ τὰς χεῖρας ἀπωθοῦντα.] Ἐπὶ δυσμῶν, Ch. ἐπὶ δυσμὰς, D. ἀνωθοῦντα, M.

Τὴν ἀποταγὴν μαρτυρόμενος.] Μαρτυράμενος, Ch.D. V. μαρτυρούμενος.

Ὁμολογήσαντα τρὶς τοῦτο.] Τοῦτον, Ch. αὐτὸν, P.

§.7. Χεῖρα πρὸς αὐτὸν χειραγωγούμενος.] Καὶ πρὸς αὐτὸν, M. πρὸς αὐτῶν, Ch. D. Sar. χειραγωγούμενος χεῖρα, S.

§.8. Παραλαβόντες δὲ αὐτόν.] Καὶ παραλαβόντες αὐτὸν, Ch.D.P.S.Sar.

Αὖθις ἀπάγουσιν.] Ἄγουσιν, Ch.D.P.S.Sar.

Ἱεροτελεστικωτάτης εὐχαριστίας.] Ἱεροτελεστάτης, M.

P. III. §.I. Αὕτη μὲν οὖν, ὡς ἐν συμβόλοις.] Οὖν non habent P.Ch.D.S.Sc:Sar. & 3.Vien.

Τελετὴ θεογενεσίας.] Τελετῆς θεογενεσία, M.Sc.

Οὐδὲ τῶν αἰσθητῶν.] Ἐκ τῶν αἰσθητῶν, M.Sc.

Εἰκονιζομένα· τί γὰρ ἂν φανείη.] Εἰκονιζομένη· κατὰ τί γὰρ ἂν, M.Sc. ἐνεικονιζόμενα, S.P.

Αὕτη δ' οὖν, εἰ καὶ μηδέν.] Ταύτῃ, M.Ch.D.P.S. & duo Vien.

§.2. Ταῖς κατὰ μέρος τάξεσι τὴν ἐναρμόνιον ἀναγωγήν.] Ταῖς ἀνιέροις τάξεσι τὴν ἐναρμόνιον ἀγωγήν.

§.3. Λέγωμεν τοίνυν.] Λέγομεν τοίνυν, Ch.D.Sar. & duo Vien.

Εἴτ' οὖν ἀποστείη.] Εἴ τις οὖν, M.P.Sc.

Οὐδὲ ἀνιέρῳ τῆς προτέρας.] Hunc locum ita habet M.& vertit Sc. Οὐδὲ ἀνιέρως τῆς προτέρας ἀποστασίας, ἢ ἀμεβίας μηδὲν ἀεὶ χρώμενον, ἀλλ' ἐνθέως ἀεὶ τοῖς περιοῦσι.

§.4. Ἀλλ' ἐπείπερ.] Ἀλλ' εἴπερ, S.B.Sc.Sar.

Τῆς Θεοῦ δὲ τελετωτάτης.] Lege τελεωτάτης. V. τελεωτάτης.

Κατὰ βραχὺ δὲ διὰ τῶν αὐτοῦ.] Δι' αὐτῶν, M.Sc.& mox pro ἐπὶ τὰ, ἔπειτα.

Ἐπὶ τὴν ἀκρότητα ἐν τάξει καὶ ἱερῶς.] Ἐπὶ τὴν ἀκροτάτην θεαρχικὴν, M.Sc.P. Pro ἐν τάξει, S. & P. τάξιν habent.

Τῆς εὐκόσμου.] Ἐγκόσμου, M.Sc. εὐκοσμίου, P.Sar.

Τὸν δ' οὕτως ἀναγόμενον.] Δὲ non eſt in S.P.D.Ch. Sar. Μεταδίδωσιν mox legendum.

Ἑραστὴν ἀληθῆ.] Ἐραστὴν τῆς ἀληθείας ἀληθῆ, S.P.B.

§.5. Ἅμα μετέχειν.] Μετασχεῖν, P.

Τὴν οἷον προτέραν.] Οἱονεὶ, D.Ch.

Σχέσεων ἀπολύσασα.] Ἀποδύσασα, S.P.B.

Καὶ τῇ τῶν χειρῶν ἀπώσει.] Ἀποτάσσει, M.Sc.

Πρὸς ἕω μετάγει.] Πρόσω μετάγει, M.Sc. *in conſpectū*.

Ἐν συντονίᾳ πρὸς ἕν.] Πρὸς τὸ ἕν, S.D.Ch.

Ὅση δύναμις.] Ὡς ἡ δύναμις, M.Sc.

Ἐπὶ τὰ τελειότερα.] Τελεώτερα, D. Ch. τελεώτατα, M.Sc.

§.6. Ὁ μὲν γὰρ θεοειδής.] Γὰρ non habent M.Ch. ἀγαθοειδὴς, M.

Ὑπ' αὐτῷ τελοῦσι.] Ἐπ' αὐτῷ, P.Sar.

Ὡς καλῶς εὐπρεπῆ.] Εὐπρεπὴς, M.Sc.

Ὡς θείοις ὁ τελούμενος.] Θεὸς, M.Sc.

Ἐμμένει δέ.] In futuro ἐμμενεῖ, S.P.Ch.D.B.Sar.

Καὶ κατ' αὐτάς.] Μετ' αὐτὰς, P.

§.7. Οὐ τῆς οὐσίας ἀνυπαρξία.] Οὐ τῆς οὐσίας αὐτῆς ἀνυπαρξία, P.& V.

Ἀλλ'

Ἀλλ' ἡ τῶν ἡνωμένων διάκρισις.] Ἡνωμένων δὲ, M.Sc.
Καθ' ἑτέραν τινὰ τῶν σωματοειδῶν ἀλλοιώσεων.] Præponunt ἡ, S.P.D.B.Sc.Sar. ἀλλοίωσιν habet Ch.
Τρισὶ καταδύσεσι.] Addunt Ch.D.S.P.Scot. Sar. καὶ ἀναδύσεσι.
Τὴν τοῦ Λογίου.] Λόγου, Ch.Sar.
Οὐδὲν εὕρηκεν.] Εὗρεν, P.
CAP.III. P.I. Ὅτι ταῖς τῶν ἄλλων ἱεραρχικῶν συμβόλων μεθέξεσιν.] M.& Scot. τὰς & μεθέξεις.
Καὶ τελειωτικῶν ἐπὶ δωρεῶν.] M.& Sc. δωρεῶν ἐπὶ.
Ἀτελὴς μὲν οὖσα.] Μένουσα, S.D.Ch.& Bud. ita correxit.
Διὰ τὸ ἀτέλεστον.] Ἀτελέστατον, D.Sc.
Τὸ δὲ τέλος ἁπάσης.] Ἁπάση, P.D.Ch.
Εἰ γὰρ καὶ πᾶσι κοινὸν τοῖς ἱεραρχικοῖς.] Εἰ γὰρ καὶ τοῖς ἄλλοις κοινὸν, Ch.& V. πᾶσι τοῖς ἄλλοις κοινὸν ἱερ. D.P.
Τὸ πρώτως ἰδεῖν.] Πρῶτον, M.Sc.Sar.
Ἐπὶ τῶν ἄλλων.] Πρὸς τὴν τῶν, D.Sar.
Φωταγωγοῦμαι.] Χειραγωγοῦμαι, S.B.
Ἱεροῦ χοροῦ.] Interpretes Sc.& Sar. χοροῦ.
Ψαλμικὴν ἱερολογίαν.] Ψαλμῳδικὴν, P.
P.II. Ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας.] Ὑπομνήσας, S.B.
Καὶ νοητοῖς θεάμασιν.] M.Sc. νοεροῖς.
P.III. §.1. Τοῖς ἔτι τελουμένοις.] Τελουμένοις, P.
Ψυχαγωγίαν εἰπών.] Εἴπω, S.P.B.Sc.
Ἀνόητος αὐτοῖς.] Ἀνόνητος, Ch. D. S.P. Sar. & Vien.2.
Μέχρι τῶν ἐκτός.] Καὶ μέχρι τῶν, S.P.D.B.Sc.Sar.
Καὶ πρός γε τούτου τῶν παντελῆ.] Καὶ πρός γε τούτοις ἐντελῆ, M.Sc.
Ὡς ὁμοβόροις.] Ὁμοτρόποις, Ch.S.P.B.
§.2. Αὐτάρκη καταλείποντες.] Καταλιπόντες, Ch. D. B. correct. in S.
Ἰησοῦ φωταγωγοῦντος.] Τοῦ φωταγωγοῦντος, S.P.
§.3. Ἐντὸς παρεῖναι.] Ἐντὸς γὰρ εἶναι, P.D. Ch.Sar.
Τῶν πανιέρων, οἴομαι, τὸ νοητόν.] Τῶν πανιέρων, καὶ τὸ νοητὸν, M.Sc. ὡς οἴομαι, καὶ Bud. corrigit.
Μετ' εὐκοσμίας ἰόντα.] Εὐκοσμίας, D.S.B.
Ὑπ' αὐτοῦ.] Αὐτὸ, D.S.Sar.
Ἱερῶν κοινωνίαν.] Ἱερὰν κοινωνίαν, Ch.B.S.Sar.
Καὶ πᾶσι δὲ τοῖς θεοειδέσιν.] Καὶ non est in P. D. B. Sar.
Μέχρι πάσης χωρεῖ.] Χωρεῖ, S B.
Τῆς θεαρχικῆς εἰκονογραφίας.] Ἱεραρχικῆς, P.B.
Κατὰ τὸ αὐτὸν δὴ θεοειδῆ.] Δὲ, D.M.Sc.
Εἰ καὶ τὴν ἑνιαίαν αὐτῆς τῆς ἱεραρχίας ἐπιστήμην.] Ἑαυτοῦ, M. Sc. ἱεραρχικὴν ἐπιστήμην, D. τῆς θεαρχίας, P.
§.4. Οὐκ ἤμελλεν ἀπηρτίσθαι τῶν πάντων ἱεραρχικωτάτου.] Ἀπηρτῆσθαι τοῦ ἀρχικωτάτου, D.& V. πανιεραρχικωτάτου, Sal.
Τῶν ἀνιόντων.] Ἀνιόντων, Sc.Sar. ita corrigit Bud. & Vien.2.
Ἰησοῦ θεουργίας.] Θεαρχίας, D.
§.5. Τὰς ψυχικὰς ἡμῶν ἕξεις.] Φυσικὰς, P.D.Ch.
Τῶν ἱερῶν χορείᾳ.] Χαρᾷ, M.Sc.
Τῶν ἁγιογράφων ζωτάξεων.] Ἀπογράφων, M.Sc *professarum*.
Μίαν σύμπνοιαν.] Ἔμπνευσιν, Ch.D.M.Sc.Sar.
Ὑφ' ἑνός.] Ἐφ' ἑνὸς, P.
Τῆς θεογνωσίας.] Θεογονίας, M.
Καὶ θεωρίας.] Θεουργίας, D.
§.6. Εἰσὶ γὰρ ἀμέθεκτοι.] P. subdit πάντες.
Τὴν κατὰ θείαν ὑπόδειξιν.] Κατ' ἀξίαν, P. ὑπόδειξιν, M. Scot.
Καὶ ζωοποιοῖς μορφώμασι.] Ἔτι ὁποίοις μορφώσεσι, M.Sc.
Καὶ μακαρίαν προσαγωγήν.] Προαγωγὴν, P. D. Ch. διαγωγὴν, M.S.B.
Τὸ φῶς ἐνεργεῖν.] Ἐνεργήσειν, Ch. ἐνεργήσει, S.B.Sar.
Πρὸς τὰ φωτοειδῆ καὶ τελεσιουργικά.] Πρὸς τὸ φῶς θεοειδῆ καὶ τελεσιουργικὴν, M. Sc.
§.7. Ἡ τῶν πανιέρων θεία καὶ κοινωνία.] Θεία κοινωνία, M. S.
Πρὸς τὴν τῆς οἰκείας.] Πρὸς τὸ, M.P.Sc.
Ὡς ἡ τῶν ἱεραρχικῶν.] Ἱεραρχῶν, Ch.
Καὶ ἐνεργοῦντες. οἱ πρῶτοι δέ.] Καὶ ἐνεργούμενοι· πρῶτοι δ' οὖν, D.P.Ch.S. & V.
Ἀποκρύπτεται.] Ἀποκρύπτεται τὸ μὴ, &c. Bud. suâ manu correxit, & vertit Sar.
Ἀξίως κοινωνοῖς.] Ἀξίοις, Ch.
Ἐπειδὴ τοῦ θείου.] Ἐπεὶ δὲ, D.Ch.
Ὑπερκειμένης αὐτοῖς.] Bud. correxit αὐτοῖς.
Οἱ πρὸς τὰ τῶν ἐναντίων δείματά τε.] Δείματά τε, M.Sc.
Οἱ πανίεροι.] Τότε οἱ πανίεροι, M.D Ch.Sc Sar. οἱ δὲ πανίεροι, B. corr. Ὑμνολογία legendum.
Ὑμνολογίαν καλοῦσιν.] Ὁμολογίαν, P.D.Sar.& Vien. minor.
Ἱεραρχικήν.] Ἀρχικὴν, D. ἱερατικὴν, P.
Ἱερῶν δώρων.] Δωρεῶν, P.
§.8. Ἄρτος προστίθεται.] Προστίθεται, M.Sc.Sar.
Ἑνοποιηθῶμεν.] Ἑνοποιηθείημεν, D.S.
Πρὸς τὸ κατὰ φύσιν ὁμοειδές.] Ὁμοειδὲς, Ch.Sc.
§.9. Μακαρίαν ἕξιν lege.
Ἱεροῖς ἀνατέθειται, D.Ch.B.
Κατὰ τὴν ἐν Θεῷ τετελεσμένην.] Ἐνθέως, P. τὴν ἐν τῷ Θεῷ, D.
Ἀμετάστατον γνῶσιν.] Ἀμετάπτωτον, D.Ch.
§.10. Σεβασμίων συμβόλων.] Σεβασμιωτάτων, Ch.
Ἁγιωτάτων συμβόλων.] Ἁγίων συμβόλων, Ch.
Ἐσχάτων ἑαυτοῦ.] Ch.
Δι' ἧς ἀκροτάτης.] Bud. scribit, δι' ἧς τὸ ἀκροτάτης.
Ὁ μὲν ἱερὸς λυτήρ.] Ὁ μὲν οὖν, M.Sc.
Καλὰ νόμον.] Κατὰ τὸν νόμον, D.
Φανοτέρας γάρ.] Φανερωτέρας, Ch.D. γὰρ non est in M.& Sc.
Τῶν ὁμοιοειδῶν ἐσόπτρων.] Ὁμοειδῶν, Ch.D.P.B.
Ἐφιέντων διεῖναι.] Ἀφιέντων, S. B. διιέναι, Ch.S. M.P.
Ἐν τοῖς αὐτῆς πανεπισκόποις.] Ἑαυτοῦ, P.
Ἀδεκάστοις κρίσεσιν.] Ἀνακρίσεσιν, P. Budæus notauit aliam lectionem, κλίσεσιν.
Καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα. τίνας μὲν εἶναι.] Καὶ ἐπ' ὄψιν, Bud. ὑμνηθέντα, τίνας μὲν οὖν εἶναι, D.
Ἀρωγὸν ἐπικαλεσάμενοι.] Ἀγωγὸν, M.Sc.
§.11. Ταῖς οἰκείαις ῥοπαῖς.] Hæc verba hoc loco non habent S.P.D.Ch.B.Sar. sed post τῶν θείων ἀγαθῶν.
Οἰκτρῶς ἐμπεπτώκει.] Ἐνεπεπτώκει, Ch. ἐκπεπτώκει, M.S.B.
Ἀγαθουργὸς μετεσκεύασατο.] Μετασκευάζουσα, S.P.D, Ch.Sar.& Vien.
Ὑπερκόσμιον δεῖξασα.] Ὑποδείξασα, P.B.
Ἱερολογίαις τῆς καὶ ἱερουργίαις.] Θεολογίαις, P.
Τοῦτο οὖν ποιοῦμεν.] Τοῦτο γὰρ, Ch.D.S.B.
Ἐν νοεροῖς ὀφθαλμοῖς.] Νοητοῖς, S.P.Sar.
§.12. Πληθυνθείς.] Πληθύνει, Ch.S.P.B.
Ἀναλλοιώτως ἀγαθότητι.] Ἀναλλοιώτῳ, M.Sc.
Ὡς μέλη σώματι.] Σώματος, S.B.
Καὶ ὑγιέστατα lege.
Καὶ τῇ πρὸς αὐτήν.] Πρὸς αὐτὸν, M.P.
§.13. Τοῖς ἱερῶς δρωμένοις.] Ἱεροῖς, M.Sc.
Κατ' ἄκρον ἐνάρετον.] Κατ' ἄκαιρον, M.Sc.
Κατὰ τὸ θεῖον κρυφίως.] Τὸ θεῖον, Ch.S.P.B.
Ἐξ ἡμῶν εἰδοποιούμενον.] Εἰς φύσιν ἡμῶν, M.Sc.
Τὸ ἀνθρώπειον φῦλον.] Ἀνθρώπινον, S.P.
Ζωῆς, πρὸς αὐτήν.] Τῇ πρὸς αὐτὴν, Ch.D.S.P.B.

Ἀποτε-

Ἀποτελεσθησόμεθα.] Ἀποτελεσμάτων ἐσόμεθα, M.Sc.
§.14. Ἔκφυτοι πάντῃ.] Ἔκφυλοι, S.P.D.Ch.Sc.Sar. & Vien.
Ὑπερχεόμενον φῶς.] Ὑπερεχόμενον, M.Sc.
Ἡλιοειδῶς μετοχετεύουσιν.] Ἐποχετεύουσιν, S.P.D.Ch. B.Sar.
Καὶ θείου παντός.] Θείου φωτὸς, P.
Πρὸς τῆς θείας ἐπιπνοίας.] Θείας ἁρμονίας, Ch.
Ἀγκυλόχειλον, *Curuo rostro*. Græcus Interpres σκολιόχειλον· ἀγκυλον enim idem est quod σκολιόν, id est *curuum, obliquum*, χεῖλος autem est *labium*, & in auibus *rostrum*. Cælest. Hierarch. cap. 2. §. 1. vbi per vocem illam intelligit faciem aquilæ apud Ezechielem cap. 1. vers. 7. Figuram Euangelij S. Ioannis qui per Aquilam denotatur in visione illâ mysticâ, per Angelum Prophetæ repræsentatâ.

Ἀγλαΐα, *Splendor, fulgor*. Myst. Theol. cap. 1. §. 1.

Ἀγνωσία, *Indemonstrabilitas, incognoscibilitas*. Est propriè negatio cognitionis quæ per demonstrationem ac ratiocinationem accipitur.

Ἄγνωστον, *Ignotum, indemonstrabile*. Γνῶσις enim Aristoteli propriè est scientia per demonstrationem accepta. Hinc diuina dicuntur ἄγνωστα, quia de iis non est demonstratio, sed fides quæ non parit scientiam. De Diuin. nominib. cap. 1. §. 1.

Ἀγνώστως, *Indemonstrabiliter*, id est absque demonstratione quæ scientiam parit. Ibidem, & Myst. Theol. cap. 1. Vbi vide nostras Annotationes.

Ἀδελφόθεος, *Dei frater*. Sic vocat S. Iacobum, qui frater Domini dictus est, scilicet Christi. de quo Apostolus ad Galatas cap. 1. vers. 19. ait: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini*. Hic etiam S. Dionysio visus fuit in exequiis Deiparæ, vti scribit Diuin. nom. cap. 3. §. 2.

Ἀδελφοκτόνος, *Fratricida*. Sic vocat Cain. Epist. VIII. §. 1. vtpote qui primus homicida fuit, & quidem fratris, vti habetur Genesis 4. vers. 8. ad quod alludit S. Dionysius loco suprà citato.

Ἀδιανόητον, *Inexcogitabile*, id est quod cogitatione percipi nequit. Diuin. nomin. cap. 1. §. 1. Ἀδιανόητα propriè vocantur mysteria, quæ verbis aperta, occultos sensus habent. Ita Quintilianus lib. 8. cap. 2.

Ἀδίδακτον, *Indocibile*, id est quod non docetur magisterio humano, sed sublimiori modo, per sancti Spiritus inspirationem accipitur; qualis est Mystica Theologia. Diuin. nomin. cap. 2. §. 9. Vide Isagogen nostram ad Myst. Theol. cap. 2.

Ἀδρὸν, *Firmum, robustum, validum, forte*. Diuin. nom. cap. 4. §. 25.

Ἀδυναμία, *Impotentia, imbecillitas*. Diu. nom. cap. 4. §. 23.

Ἄδυτον, *Inaccessum*. Sic per excellentiam vocabatur, Sanctum sanctorum. Ordinariè autem locus quilibet sanctus qui vulgo non patet. Eccl. Hier. cap. 3. P. 3. §. 2.

Ἀεικίνητος, *Semper mobilis*, siue qui perpetuò mouetur. Cælestis Hierarchiæ cap. 15. §. 9. Sic apud Prophetas ait Angelos vocari Mysticas rotas propter ἀλήκτον κίνησιν, id est *perennem & continuum motum*, quo circa bonum voluuntur, quamobrem etiam cum alis pingi solent.

Ἀετοῦ μορφὴ, *Aquilæ figura*. quid mysticè, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 8.

Ἄζωον, *Vitâ carens*. De Diu. nominib. cap. 4. §. 32.

Ἀθέσμως, *Illegitimè, temerè, illicitè, nefariè*. De Diuinis nominibus c. 2. §. 1. Græcus Interpres παρανόμως.

Ἀθλοθεσία, *Certaminum institutio*, scilicet spiritalium aduersus mundum, carnem, & diabolum. Intelligitur per hoc etiam vita Euangelica, quæ certamen quoddam spiritale est. Ἀθλοθέτης autem seu *Munerarius* vocatur Christus, qui nobis certamen hoc spiritale instituit, eiusdem nobis Dux est, & remunerator vincentium. Eccles. Hierar. cap. 2. Parte 3. §. 6. vbi vocat eum ἀθλοθεσίας δημιουργόν, *certaminis & propositionis præmiorum effectorem*, eumdemque ait vt sapientem, eius legem tulisse; vt pulchrum, digna præmia iis qui vicerint constituisse; denique vt bonum, in numero Athletarum fuisse, & cum iis sanctè contra mortis & corruptionis vim roburque dimicasse. In sacrâ autem vnctione docebantur initiati, euocari se ad certamina, & vnicuique esse faciendum vt summi Agonothetæ legibus imperiisque obsecundet, magno animo diuinorum pugilum ducem & principem vnctionis imitetur, πρὸς καλῶν ἐπάθλων ἐλπίδα βεβαίως ἔχων, *spe præclarorum præmiorum fretus & corroboratus*. Hoc Pontifices, & ministri cærimoniarum Liturgi, Christianis nouis inculcabant, & brauij in omnem partem magnifici atque regij ostentatione, ad luctam & contentionem erigebant.

Ἀθύρω, *Ludo, nugor*. De Diuinis nominibus c. 8. §. 6. Hinc ἄθυρμα, *lusus*. Græcus Interpres κόσμιον, παίγνιον, σκίρτημα, id est aliquid *comptulum, ludicrum, subsultorium*.

Αἴσθησις, *Sensatio, sensus*. De Diuin. nominib. cap. 4. §. 10.

Αἰσθη-

Α'ισθητὸν, *Sensile, sensibile*, siue id quod sensu perceptibile est, siue quod sensu præditum existit. De Diuinis nominibus c. 4. §. 11. & sæpè alibi.

Α'ιών, *Æuum, sæculum*. quomodo de Deo dicatur, vide de Diuinis nominibus c. 10. §. 3. & ibidem Annotationes, vbi explicatur quomodo Angelis competat, &c.

Α'κακία, *Innocentia, simplicitas*. Epist. VIII. §. 1. Græcus Interpres ἀγαθωσύνη, *benignitas*.

Α'καλλὲς, *Indecorum*, id est non habens vllum decorem vel pulchritudinem. De Diuinis nominibus cap. 4. §. 32. Græcus Interpres ἄμορφον, *deforme*.

Α'καταγνώστως, *Irreprehensibiliter, sine notâ*. Eccl. Hier. cap. 6. P. 3. §. 2.

Α'καταλήκτως, *Iugiter, indesinenter, absque cessatione*. Cæl. Hier. cap. 8. §. 1. Græcus Interpres ἀπαύστως, *incessanter*.

Α'κατάσειστον, *Inconcussum, constans*, quod minimè nutat. Ecclesiast. Hierarchiæ cap. 3. Parte 3. §. 4. Græcus Interpres ἀσάλευτον, βέβαιον, ἑδραῖον, id est *inquassatum, firmum, stabile*.

Α'κηλίδωτον, *Immaculatum*. Eccl. Hier. cap. 3. Parte 3. §. 10. & de Diuinis nominibus cap. 4. §. 22.

Α'κλινῶς, *Irreflexè*, id est rectâ, nusquam declinando aut obliquando. De Diuinis nominibus cap. 2. §. 1.

Α'κοινώνητον, *Incommunicabile*, id est quod communicari nequit. Diuin. nomin. cap. 1. §. 2.

Α'κολασία, *Dissolutio, intemperantia, lubricitas*. Diu. nom. cap. 4. §. 19.

Α'κόλαστος, *Lubricus, dissolutus*. Ibid.

Α'κραιφνὲς, *Purum*. Græcus Interpres καθαρὸν, διαυγὲς, τέλειον, ἄθικτον, id est *purum, dilucidum, perfectum, illibatum*. Diuin. nom. cap. 4. §. 22.

Α'κρότης, *Apex, vertex, summitas, cacumen, fastigium*. Accipitur autem à Dionysio pro eo quod qualibet in re summum & præstantissimum existit. Sic cap. 1. Cælestis Hierarchiæ §. 3. ea quæ in cælestibus suprema sunt, vocat οὐρανίων ἱεραρχιῶν ἀκρότητας, id est *cælestium apices Hierarchiarum*. Item cap. 3. de Diuinis nominibus, vocat S. Petrum ἀκρότητα τῶν Θεολόγων, id est *verticem seu columen Theologorum siue Apostolorum*. & cap. 1. Mysticæ Theologiæ petit à Deo dirigi ἐπὶ τὴν τῶν μυστικῶν Λογίων ἀκροτάτην κορυφὴν, id est *ad mysticorum supremum apicem oraculorum*. Hinc contemplatricis vitæ Doctores id quod in animâ menteque purissimum est, mentis apicem appellant. Quin & Proclus lib. 1. in Theologiam Platonicam cap. 3. id quod in animâ præstantissimum existit, vocat τὴν ἀκρότητα τοῦ νοῦ, καὶ ὥς φασι, τὸ ἄνθος, id est *mentis apicem, &, vt aiunt, ipsum florem*.

Α'λληλουχία, *Mutua connexio, mutuus complexus, cohærentia mutua, series rerum inter se connexarum, compago*. Diuin. nomin. cap. 4. §. 12.

Α'λλοιωτικὸν, *Alteratiuum*, id est alterandi & immutandi vim habens. Cælestis Hierarchiæ cap. 15. §. 2.

Α'λλοτριοεπίσκοπος, *Alienus Episcopus*, id est alienorum inspectator, seu curator, curiosus alienarum rerum. Composita est vox ab ἀλλότριος, id est *alienus*; & ἐπίσκοπος, id est *inspectator*. Accipitur autem pro eo, qui cùm in suis erratis sibi ignoscat, aliorum commissa grauiter persequitur. Epist. VIII. §. 1. in fine.

Α'λογία, *Irrationabilitas*, id est quod ratione attingi nequit, & omnem superat ratiocinandi capacitatem. Diu. nom. cap. 1. §. 1. Accipitur item pro *irrationalitate & carentiâ rationis*. Cæl. Hier. cap. 2. §. 4.

Α'λογον, *Ratione carens*. De Diuinis nominibus cap. 4. §. 32.

Α'λώβητον, *Integrum, non mutilatum*. Diu. nom. cap. 4. §. 22.

Α'λώβητος, *Illæsus, inuiolatus*. De Diuinis nominibus cap. 8. §. 5. Græcus Interpres ἀνύβριστος, ἀβλαβὴς, ἀμώμητος, id est *contumeliæ, noxæ, maculæ expers*.

Α'μβλωθρίδιον, *Abortiuum*, seu *partus mortuus*. Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 3. Parte 3. §. 6. Græcus Interpres ἔκβρωμα. Hesychius, τὸ παιδίον, νεκρὸν ἄωρον, ἐκβολὴ γυναικός, id est *puer mortuus, immaturus, eiectio mulieris*.

Α'μέθεκτον, *Intactum*, quod non potest commune fieri, nec à quouis tangi. Eccles. Hierar. cap. 1. §. 1. vbi scribit ad Timotheum, vt quæ ad fidem ac Religionem pertinent, teneat ἀμέθεκτα, nec aliis passim euulget, præsertim illa mystica quæ in libris suis tractat.

Α'μεθέκτως, *Imparticipatè*. Diuin. nomin. cap. 2. §. 5.

Α'μεθεξία, *Imparticipatio*, id est quod à nullo participatur. Diu. nom. cap. 2. §. 5.

Α'μείλικτον, *Seuerum siue rigidum*, scilicet in bonam partem. Græcus Interpres ἀκολάκευτον, ἀπαρέγκλιτον, id est *non cedens adulationi, quod inclinari nequit*, scilicet ad id quod non deceat. Cæl. Hier. cap. 2. §. 4. & cap. 8. §. 1. Vide ibidem Scholia S. Maximi.

Α'μείωτον, *Indiminutum*, id est minimè mutilum, sed integrum. Diuin. nomin. cap. 2. §. 2. Sic S. Dionysius Ecclesiast. Hierarchiæ cap. 3. Parte 3. §. 3. ait, Pontificem, atque adeò omnes qui populo instituendo, & à vitiis reuocando operam dant, cùm ad alios erudiendos ab aris & deuoti animi quiete quasi foras prodierint, redire continuò debere ad ea quæ muneris sunt propria, quæque ad intimam animi sanctitatem pertinent, idque ἀμειώτως, hoc est, *nullâ in re imminutos*, nullâ iacturâ factâ pietatis atque virtutis, nullâ polluti vitiorum labe ac sordibus, néve ardore piæ mentis vllâ ratione debilitato; ne dum aliis prodesse cupiunt, sibi nocuisse videantur.

Α'μερία, *Impartibilitas*, id est quod partibus caret, adeoque in illas diuidi nequit. Diu. nom. cap. 1. §. 4.

Α'μερῶς, *Impartitè*, id est non per partes, neque participatè, sed totaliter, integrè. Diu. nom. cap. 2. §. 1.

Α'μοιβὴ, *Vicissitudo, vicaria relatio, retaliatio, mutatio*. Epist. VII. §. 3.

Α'μορφία, *Informabilitas, infigurabilitas*. Diu. nom. cap. 1. §. 1.

Α'μόρφωτον, *Infigurabile*, id est quod per nullam formam vel figuram exprimi potest. Cæl. Hier. cap. 15. §. 2.

Α'μυδρούμενον, *Subobscuratum*, id est tenuiùs relucens. Dicitur propriè de radiis luminaribus ac

ac visualibus, qui quantò à Sole aut candelâ & oculo remotiores sunt, tantò quoque pro proportione distantiæ remissiores sunt, donec tandem extremum sphæræ actiuitatis suæ attingentes, vlteriùs planè euanescunt. Cæl. Hierarch. cap.8. §.1.

Ἀμύητος, *Profanus, non initiatus.* Eccl.Hier. cap.3. P.3. §.6. Græcus Interpres, ὁ ἀμέτοχος τῶν μυστικῶν, *expers rerum mysticarum.*

Ἀμύνω, *Vlciscor, vindico, defendo.* Ep.VIII. §. 1.

Ἄμυστος, *Rudis, sacrorum imperitus*, id est, qui nondum sacris initiatus, aut doctrinâ Christianâ imbutus est, qui expers est mysteriorum, & ab iis excluditur. Myst. Theol. c.1. §.2. vbi vide Annotationes nostras, & Scholia S. Maximi.

Ἀμφίβιον, *Amphibium*, seu *ancipiti vitâ*, id est, quod tam in aquâ quàm in aëre viuit. Diu.nomin.cap.4.§.2. Vide ibidem Scholia S.Maximi.

Ἀναγωγὴ, *Anagoge*, id est sensus oraculorum mysticus ac reconditus, qui nos in cælum meditando subuehit, propeque Deum ad cælestia cernenda contemplantibus præbet. Cæl.Hierar. cap.1. & alibi sæpè.

Ἀναγωγικῶς, *Anagogicè*, id est sursum agendo seu impellendo, & à terrenis ad cælestia traducendo. Hinc sensus Scripturæ *Anagogicus* appellatur, qui cæleste quidpiam insinuat. Cælest. Hier.cap.1.§.2. & passim alibi.

Ἀνάδοχος, *Susceptor*, seu sponsor ac fideiussor baptizandi. Eccl.Hier. cap.2.P.2.§.5. Vide ibidem nostras Annotationes, & Scholia sancti Maximi de eius officio & obligatione.

Ἀναζέον, *Ebulliens* seu *referuescens*. Cæl.Hierarch. cap.7.§.1. à verbo ἀναζέω, *ebullio, scaturio.*

Ἀναζωπυρεῖν, *Resuscitare*, & quodammodò ignem seu calorem vitalem reuocare. Propriè enim est ignem iam conditum ac sopitum suscitare. Cæl.Hier. cap.7.§.1.

Ἀνακάθαρσις, *Anagogici sensus explicatio*, à verbo ἀνακαθαίρομαι, id est *repurgo, explico.* Græcus Interpres, διάνοιξις, διασάφησις, ἐπίλυσις, διάκρισις, id est *patefactio, declaratio, resolutio, distinctio.* Cæl.Hier.cap.15.§.1. Significat etiam solaris eclipseos repurgationem, dum videlicet Luna sub Sole transiens nobis lumen Solis, quod obscurauerat, restituit. Sic S.Dionysius vocem illam accipit in Epistolâ ad Polycarpum, vbi admirandum Solis deliquium, quod Christo de cruce pendente contigit, describit.

Ἀναισθησία, *Insensibilitas, sensuum priuatio ac stupor.* Cæl.Hier.cap.2.§.4.

Ἀναίτιος, *Causa carens*, quem nulla causa anteit, nullam causam agnoscens. Diu.nom.cap.4. §.32. Significat etiam innocentem, nullius culpæ reum, crimine vacantem.

Ἀνακαινισμὸς, *Renouatio.* Diu.nom. cap.1. §.3.

Ἀνακήρυκτον, *Deprædicabile, commendabile.* Epistol.VIII.§.1.

Ἀνακηρύττω, *Deprædico, commendo.* Ibidem.

Ἀνακυκλισμὸς, *Reuolutio.* Cæl.Hier.cap.15.§.9. à verbo ἀνακυλίω, id est *replico, reuoluo, sursum voluo.*

Ἀναλίξασθαι, *Enodare, explicare.* Diuin.nomin. cap.2.§.7.

Ἀναλλοίωτος, *Inuariabilis, immutabilis.* Diu. nom.cap.2.§.6. Græcus Interpres, ὁ ἀεὶ αὐτὸς ὢν, μὴ δεχόμενος ἀλλοίωσιν. *Qui semper idem est, non admittens mutationem.*

Ἀναλογία, *Proportio, proprietas, similitudo, comparatio*, &c. Eccl.Hier.c.3.P.3.§.6.

Ἀναμαρτησία, *Impeccantia*, id est summa vitæ puritas, ab omni peccato aliena, qualis erat Christi, B.Virginis, & quorumdam Sanctorum. Eccles.Hier.c.5.P.3.§.4. quod Perionius & Lansselius vertunt *peccandi priuationem.* Sed veriùs in Christo erat non tantùm priuatio peccati, sed positiua impeccabilitas, & absoluta impotentia peccandi, propter vnionem hypostaticam, vt docent Theologi.

Ἀναμόρφωσις, *Reformatio.* Diu.nom.c.1.§.3.

Ἀνανεύσωμεν, *Suspiciamus*, seu *aspiremus*, scilicet cum animi nutu ac propensione. ἀνανεύω enim componitur quasi ex ἄνω, id est *sursum*, & νεύω, id est *nicto, annuo, respicio.* Græcus Interpres, ἀνακύπτω, *emergo, sursum oculos attollo.* Insinuat igitur S.Dionysius, ad res diuinas ex intimâ animi propensione attendendum esse; hæc enim propensio & promptitudo voluntatis, multum confert ad eas faciliùs capiendas. Cæl.Hierar. cap.1.§.2. Hinc

Ἀνάνευσις, *Suspectio*, id est ad superna adspiratio. Cæl.Hier.cap.15.§.3. vbi exponit Angelorum τὴν πρὸς τὰ θεῖα φωτὰ διειδεστάτην ἀνάνευσιν, *perspicacissimam ad diuina lumina suspectionem.* quod minùs propriè vertit Perionius, *clarissimam diuinorum luminum assensionem.* quem hoc modo corrigit Lansselius, *clarissimam versus diuina lumina* (cognitionis) *suspectionem.* Scotus, *ad diuina luminaria clarissimum respectum.*

Ἀνανεωτικὸν, *Renouatiuum*, id est renouandi vim habens. Cælest.Hier. cap.15.§.2.

Ἄναντες, *Anterius*, scilicet in sensu S. Pauli, qui ad anteriora se extendens intelligit perfectiora, magis sublimia, magis ardua, &c. Hæc enim vis significationis huic voci inest. Græcus Interpres explicat πρόσω, ἄνω, ἐπὶ τὸ προκείμενον, id est *antrorsum, sursum, ad propositum scopum.* Cæl.Hier. cap.15.§.1.

Ἀναπεπταμένον, *Patulum, apertum*, à verbo anomalo πετάννυμι, *pando, aperio.* Cæl. Hierar. cap.15.§.3.

Ἀναπίμπλημι, *Repleo.* Diuin.nom.cap.4.§.30.

Ἀναπλοῖ, id est *simplificat*, scilicet cum relatione quapiam ad sursum, ac si compositum sit ex ἄνω, id est *sursum*, & ἁπλόω, id est *simplifico:* deriuatum enim est ab ἁπλόος ἁπλοῦς, quod est *simplex.* Lexicographi τὸ ἁπλόω καὶ ἀναπλόω interpretantur *expando, explico*, prout vertit Lansselius. sed S.Dionysius manifestè accipit pro *simplifico*, vti patet ex titulo & c.1.Cæl.Hierar.§.1. vbi vide Annotationes nostras.

Ἀναποδίζω, *Sisto, remoror, impedio*; item *retrogradior, retroago.* Epist.VII. §.2.

Ἀνάπτυξις, *Explicatio*, à verbo ἀναπτύσσω, *explico.* Græcus Interpres, διασάφησις, *declaratio.* Cæl.Hier.cap.15.§.1.

Ἀναπτύσσω, *Explico, expono, aperio.* Diuin.nomin. cap.2. §.7.

Ἀνάῤῥησις, *Euocatio*, seu nominis pronuntiatio, quâ ordinandi citantur & euocantur, ordine quisque suo, & respondent, *Adsum.* Eccl.Hierar. c.5. P.2.in fine, & P.3.§.1. Vide S.Maximum ibidem.

Ἄναρχον,

Α'ναρχον, *Sine principio*, id est, quod non habet principium. Diu.nom.cap.4.§.8.

Α'νασκαλδω, *Suscito*. Eccl.Hier. cap.7. P.3. in fine.

Α'νατατικῶς. Hoc Lexicographi exponunt *minaciter*, *imperiosè*, *extensè*: sic ἀνάτασιν *extensionem* interpretantur, quasi ab ἀνατείνω, id est *extendo*, *eleuo*, scilicet cum relatione quadam ad ea quæ sursum sunt: hæc enim significatiua vis inest compositis cum præpositione ἀνὰ, vt manifestum est in vocibus ἀναγωγὴ, ἀναγωγικῶς, &c. Vnde ad hanc vocis huius vim exprimendam, ἀνατατικῶς ἡμᾶς ἀναπλοῖ verto, *Ad supera nos reuocando simplificat*. Cæleſt. Hierar. cap.1.§.1.& 2. Vide ibidem Annotationes meas. Vocem hanc vertit Scotus *restituens*, Sarracenus *suscitatiuè*, Ambrosius *vi intentionis præcipuæ*, Perionius *excitando*, vti & Lanſſelius.

Α'ναφαίνω, *Exhibeo, demonstro, manifesto*. Eccl. Hier.cap.5.P.1.§1.

Α'ναφὲς, *Intactile*, id est quod tangi aut palpari nequit. Mystic. Theolog. cap.1.§.1. Hoc de vnione mysticâ dicit, quæ vt supra sensum & intellectum est, sic & tactum cùm sensitiuum tum intellectualem in se non habet: vel de Deo intimè in animam illapso, quod eodem recidit.

Α'ναφὴς, *Intactilis*, *sensum tactus effugiens*. Græcus Interpres, ἄψαυστος, ἀψηλάφητος, ὁ μὴ ἐψηλαφημένος, *Impalpabilis*, *intangibilis*, *qui non potest attrectari*. Diu.nom. cap.1.§.1.

Α'νδροπλασία, *Viriformatio*. Epistol.IX. §.1. Compositum ex nomine ἀνὴρ, *vir*, & verbo πλάττω, *formo*, *fingo*.

Α'νδρωθεὶς, *Vir factus*, seu *virilis*. Epistol.IV. Græcus Interpres, εἰς ἄνδρας ἐγγραφεὶς, id est propriè *maiorennis*, *qui iam inter viros annumeratur*; siue adolescens, qui iam tutelæ suæ permittebatur, qui Romanis virilem etiam togam sumpsisse dicebatur.

Α'νέκλειπτον, *Indeficiens*. Cælestis Hierarch. cap.15.§.9.

Α'νεκπομπεύτως, *Sine ostentatione*, id est absque fastu, absque pompâ & iactantiâ. Cæleſt. Hierarch.cap.15. Significat etiam *secretè*, vel *arcanè*: nam ἐκπομπεύω idem quoque est quod *secreta pando*.

Α'νεκφοίτητον, *Inegressibile*, id est quod foras non emanat, neque se prodit. Diuin. nomin. cap.2. §.4.

Α'νεμος, *Ventus*. Quid mysticè designet, vide Cæl.Hier.cap.15.§.6. & ibidem Annotationes & Scholia.

Α'νεμποδίστως, *Expeditè*, sine impedimento, nullo compede remorante. Cæleſt. Hierarch. cap.15.§.8.

Α'νένδοτον, *Constans*, scilicet quod flecti nequit ad id quod deterius est. Sic ait Angelorum amorem esse ἀκλινῆ καὶ ἀνένδοτον ἔφεσιν, id est *flecti nescium & constans desiderium*. Cæleſt. Hierarch. c.2.§.4.

Α'νενδότως, id est *bonâ fide*, *citra vllum figmentum*. Græcus Interpres, ἀπηκριβωμένως, σπουδαίως, ἐπιεικῶς, id est *accuratè*, *diligenter*, *sufficienter*; quando nimirum fit aliquid non perfunctoriè, nec translatiuè, sed exactè, & enixè, ac toto opere. Ita Budæus in Annotationibus.

Α'νενεργησία, *Inefficacia*. Vtitur hoc vocabulo de eo qui domitas habet passiones, ita vt ampliùs non noceant. Eccleſ.Hier.cap.5.P.3.§.4.

Α'νεξάλλακτος, *Immutabilis*, *constans*, qui non est variabilis. Eccleſ.Hier.cap.1.§.1.

Α'νεξέλεγκτον, *Irrefutabile*, id est quod confutari non potest, aut redargui, vel conuinci. Epistol.VI. & VII. §.1. Item apud Thucydidem, idem est quod nullis nitens argumentis, nullam habens demonstrationem.

Α'νεξερεύνητον, *Imperscrutabile*, id est quod perscrutando inueniri aut intelligi non potest. Diu.nom.cap.1.§.2.

Α'νεξιχνίαστον, *Ininuestigabile*, id est quod inuestigatio assequi non potest. De Diuinis nomin. cap.1.§.2.

Α'νεπιθόλωτος, *Serenus*, id est minimè turbatus, aut confusus, aut intricatus. Diuin.nomin. cap.2.§.7.

Α'νεπίστροφος, *Irremeabilis*, *irreuertibilis*, id est qui non retrograditur, nec respicit retrò. Cæl. Hierarc.cap.15 §.9. Græcus Interpres ἀμελὴς, id est *incuriosus*.

Α'νθρωπομορφία, *Hominis efformatio*. Quid mysticè in Angelis designet, vide Cæleſt.Hierarc. cap.15.§.3.

Α'νθρωπόμορφος, *In formâ hominis*, id est specie humanâ depictus, vti Angeli solent pingi speciosâ formâ iuuenili. Cæleſt. Hierarchiæ cap.15.§.3.

Α'νθρωποπρεπῶς, *Hominidecenter*, id est vt hominem decet, humanitus, humanè. Cæl.Hier. cap.7.§.3.

Α'νθρωποφυϊκὸν, *Quod homini natiuum est*, seu *naturale*. Mystic.Theol.cap.3. vbi pulchrè ait ὑπερούσιον Ἰησοῦν ἀνθρωποφυϊκαῖς ἀληθείαις οὐσιωθῆ, *supersubstantialem Iesum humanæ naturæ veritatibus substantiatum esse*, hoc est connaturales homini proprietates verè assumpsisse.

Α'νίδρυτον, *Instabile*, *inconstans*, *fundamento carens*. Diu.nom.c.4.§.32.

Α'νοησία, *Inintelligibilitas*, id est quod omnem superat intelligendi capacitatem. Diu. nomin. cap.1.§.1.

Α'νόητος, *Inintelligibilis*. ibid. Aliàs ordinariè significat stultum, stolidum, ac imprudentem.

Α'νόμματος, *Exoculatus*, *carens oculis*. Diu. nom. c.4.§.1.

Α'νόμοιον, *Dissimile*. Quid in Deo, vide Diuin. nom.cap.9.§.7.

Α'νομοιότης, *Dissimilitudo*. De Diuin. nomin. cap.4. §.7.

Α'ντιπεριαγωγὴ, *Retroactio*, *retrogradatio*. Epistol.VII.§.2.

Α'ντιτείνω, *Reluctor*, *repugno*, *resisto*. Epiſt.VIII. §.1.

Α'ντίτυπον, *Reluctans*, *refractarium*. Diu.nomin.c.2.§.6.

Α'ντωπεῖν, *Obtueri*, *obtutum directè obuertere*. Eccl.Hier.cap.2.P.1.in fine. Diu.nomin.cap.3. §.3. Græcus Interpres ἀντοφθαλμεῖν καὶ ἀντιβλέπειν, *Oculis contraniti*, *contrà aspicere*.

Α'νυπαρξία, *Annihilatio*. Eccl. Hierar. cap.3. P.3.§.11. compositum ex α priuatiuâ, & ὕπαρξις, id est *substantia*.

Α'νυπόπτως, *Insuspicanter*, *sine suspicione*, *confidenter*, *securè*. Epiſt.VIII.§.1.

Α'νῳκισμένον, *Sursum habitans*. Dicitur pro-

priè

priè de eo quod ſemotum eſt, & abſtruſum aut obſcurum. Diuin. nomin. cap. 4. §. 1. Suidas ἀνῳκισμένος interpretatur, ἐν τοῖς ἀνωτάτω γεννηθεὶς ἢ ἄνω ὤν, id eſt *in ſummo natus, vel ſurſum exiſtens.*

Ἀνώνυμος, *Anomius*, ſeu *anonymus*, id eſt ſine nomine. Sic Deum vocat, quia quid ſit, nullo nomine exprimi poteſt. Diuin.nom.cap. 1. §. 5. vide ibidem Annotationes.

Ἀολλῆ ποιεῖ, *In vnum copulat.* Græcus Interpres τὸ ἀολλῆ exponit συνηθροισμένα, ἡνωμένα, id eſt *coaceruata, adunata.* Dicit hoc de Sole, qui inde ἥλιος Græcè dicitur. Diuin.nom.cap. 4. §. 4. vbi vide Annotationes & Scholia S. Maximi.

Ἀόρατον, *Inuiſibile.* Myſt. Theol. c. 1. §. 1.

Ἀοριστία, *Infinitas*, quæ definiri nequit, nec vllis limitibus circumſcribitur. Cæleſt. Hier. cap. 2. §. 3. Diu.nom. c. 1. §. 1.

Ἀπαμφιέννυμι, *Exuo*, ſeu ſpolio veſtibus. Eccl. Hier. cap. 2. P. 2. §. 6.

Ἀπαναίνεσθαι, *Renuere, renuntiare, deſerere, refugere.* Cæleſt. Hier. cap. 2. §. 5. Diuin. nomin. cap. 2. §. 3.

Ἀπαξιόω, *Dedignor.* Epiſt. VII. §. 3.

Ἀπαρακάλυπτος, *Patulus*, minimè obuolutus aut tectus. Eccl. Hier. c. 1. §. 4.

Ἀπαρατηρήτως, *Sine reſeruatione*, id eſt ſine obſeruatione vllius differentiæ, per quam contrahatur aut determinetur ad quidpiam particulare aut ſpeciale. Diu.nom. cap. 2. §. 1.

Ἀπατηλόν, *Fallax.* Epiſt. VII. §. 1.

Ἀπαυθαδιζόμενος, *Præſumptuoſus, contumax, proteruus*, id eſt inſolenter aliquid attentans ſupra vires. Diu.nom. c. 1. §. 2.

Ἀπαυθαδιάζω, *Inſoleſco, arroganter me gero.* Epiſt. VIII. §. 1.

Ἀπειρία, *Infinitas.* Diu.nom. cap. 4. §. 10.

Ἄπειρον, *Infinitum.* Diu.nom. c. 4. §. 10.

Ἀπειρόγνωστος, *Infinitiſcius*, ſiue infinitâ præditus ſcientiâ. Sic Cæl. Hier. c. 14. vocat ἀπειρόγνωστον σοφοποιΐαν, *infinitorum conſciam creatricem ſapientiam*, vel, ſi dictu fas ſit, *infinitiſciam ſapientificentiam.* quod vertit Sarracenus, *infinitæ cognitionis ſapientificationem:* Ambroſius, *immenſæ auctorem ſcientiæ atque ſapientiæ fontem:* minùs rectè Perionius, *Sapientiæ effectricem*, omittit enim primam partem; & Lanſſelius, *infinitæ cognitionis principium*, non enim id totum exprimit quod eſt in Græco.

Ἀπειροπρόσωπον, *Infinitarum facierum*, id eſt innumeras facies habens. Eccl. Hierar. cap. 4. P. 3. §. 7.

Ἀπεμφαῖνον, *Diſſimile*, ſcilicet quod non refert id cuius imago eſt. Cæleſtis Hierar. cap. 2. §. 2.

Ἀπερικαλύπτως, *Apertè*, quod nimirum ſymbolis & figuris minimè velatur. Cæleſt. Hierarch. cap. 2. §. 4. Perionius vertit, *perſpicuè*; Scotus, *circumuolutè*; Sarracenus, *non circumuelatè*; Ambroſius, *abſque vllo velamine.*

Ἀπερίληπτον, *Incomprehenſibile*, id eſt quod comprehendi nequit, neque teneri. Cæl. Hierar. c. 15. §. 2.

Ἀπερισάλπιγκτοι, *Non citati per tubam*, id eſt nō inuitati, neque admiſſi ad ſacra, atq; adeò penitus ignari myſteriorum: intelligit enim homines profanos, qui ad ſacra non inuitantur neque admittuntur. Alludit ad tubas vel campanas, quibus ſignum dari ſolet Chriſtianis futuri Sacri, ad quod tubæ vel campanæ ſonitu inuitantur. Eccl. Hier. cap. 3. Par. 3. §. 6. vbi vertit Perionius, *Omnino ignari*; Scotus, *Non circumtubicinantes*; Sarracenus, *Qui quidem buccinas non ſenſerunt*; Ambroſius, *Qui omnino rudes ſunt*; Gallus, *Ceux là qui n'ont du tout point voulu entendre publier*; Lanſſelius, *Quibus nihil omnino Apoſtolorum tubâ innotuit.*

Ἀπερίσκεπτον, *Incircumſpectum*, ſeu *inconſideratum.* Cæleſt. Hier. c. 2. §. 4.

Ἀπήχημα, *Sibilus vltimus ſoni*, vbi echo quaſi deſinit. Cæl. Hier. c. 2. §. 4.

Ἀπιλέω, *Minor, comminor, minas intento.* Epiſtol. VIII. §. 1.

Ἀπλωτικός, *Simplificatiuus*, ab ἁπλόος ἁπλοῦς, id eſt *ſimplex.* hinc vnionem animæ cum Deo vocat ἁπλωτικὴν ἕνωσιν, id eſt *ſimplificatiuam vnionem*; mens enim noſtra in iſtâ cum Deo coniunctione à diſtractionibus ac diuiduis imaginationibus abſoluta, quodammodò ſimplificatur, cùm per beatiſſimam illam vnionem ſimpliciſſimis Dei perfectionibus communicat ſupra omnem multiplicitatem, ſimplici Deo tota per amorem ſupernaturalem ſimpliciter inhærens. Cæl. Hier. c. 1. §. 2.

Ἀπογράψασθαι, *Deſcribere.* Dicitur id propriè, cùm nomina in catalogum referuntur, vt fit in Eccleſiâ, dum baptizandi & ordinandi annotantur. Eccl. Hier. c. 2. P. 2. §. 6.

Ἀποδειλιάζων, *Animum deſpondens, exanimatus.* Diu.nom. c. 3. §. 3.

Ἀποδέον, *Deficiens*, id quod non aſſequitur neq; attingit perfectionem rei propoſitæ. Cæl. Hier. c. 2. §. 3. Hinc ait cap. 12. §. 2. ὅτι τῆς ὁλικῆς καὶ ὑπερκειμένης τῶν πρεσβυτέρων διακόσμων δυνάμεως ἀποδέουσιν οἱ τελευταῖοι, *Nouiſſimas antiquiorum diſpoſitionum integram & eminentem virtutem non attingere.* Quod vertit Perionius, *Totam atque ſummam ſuperiorum ordinum vim inferiores requirere*; Scotus, *Ab vniuerſali & ſuperpoſitâ maiorum ornatuum virtute relinquuntur vltimi*; Sarracenus, *Totalem & ſuperpoſitam digniorum ornatuum virtutem non habent poſtremi*; Lanſſelius, *A totali & eminenti ſuperiorum ordinum virtute, poſtremos abeſſe.*

Ἀποδιαστέλλω, *Segrego, ſeparo.* Eccl. Hierarch. cap. 5. P. 1. §. 1.

Ἀπειροδύναμος, *Infinitipotens.* Diuin. nom. cap. 8. §. 3.

Ἀποκάμνων, *Labori cedens, fatigatus.* Diu.nomin. c. 3. §. 3.

Ἀπόκαρσις, *Tonſura.* Eccleſ. Hier. cap. 6. P. 3. §. 3. vbi ait, in conſecratione Monachorum fieri τριχῶν ἀπόκαρσιν, *capillorum tonſuram*, eamque ſignificare vitam καθαρὰν καὶ ἀσχημάτιστον, *puram & candidam, nullo vitio & artificio fucatam*, impedimentis omnibus nudam & ſpoliatam, & in quâ libera mens, & vndique expolita, è domicilio capitis Deum ſpectet, atque ad illum ſtudio ardenti & honeſtiſſimo contendat.

Ἀποκλήρωσις, *Sortitio*, ſeu attributio munerum, quæ ſigillatim vnicuique, & quaſi ſortitò fieri ſolet, id eſt vices fungendi officij attributæ. *Vocationes* vulgò appellant. Eccleſ. Hierar. cap. 5. P. 1. §. 1. Vbi vide Scholia S. Maximi.

Ἀποκληρόω, *Ablego, exheredo.* Eccl. Hier. c. 5. P. 1. §. 1.

Ἀπο-

Α᾽πόκλισις, *Propensio, seu inclinatio*. Cæl. Hier. cap. 2. § 4.

Α᾽ποκρυφὴ, *Latibulum*. Mysticæ Theologiæ cap. 1. §. 2.

Α᾽πολακτίζω, *Calce ferio, repello*. Epist. VIII. §. 1.

Α᾽πολισθαίνω, *Decido, corruo*, scilicet impingendo in aliquod offendiculum. De Diu. nominib. cap. 1. §. 2.

Α᾽πολίσθησις, *Lapsus, aberratio, exorbitantia*. Diu. nom. cap. 4 §. 24.

Α᾽πολύτως, *Absolutè*, id est sine restrictione. Diu. nom. cap. 2. §. 1.

Α᾽πομόργματα, *Expressiones*, siue illa quæ expressa sunt, v. g. à sigillo, vt sunt signaturæ. Diu. nom. cap. 2. §. 6.

Α᾽πομύω, *Claudo, occludo*. Diu. nom. cap. 4. §. 23.

Α᾽ποπεράτωσις, *Terminatio*, seu *limitatio*, vt dum certis limitibus & terminis quidpiam definitur ac circumscribitur. πέρας enim *terminus* est. Cæl. Hier. cap. 15. §. 6.

Α᾽ποσοβέω, *Arceo, prohibeo, excludo*. Eccl Hier. cap. 3. P. 3. §. 7.

Α᾽ποταγὴ, *Abrenuntiatio*, scilicet quæ fit satanæ in Baptismo & exorcismis. Eccl. Hier. cap. 2. P. 2. §. 6.

Α᾽πότομον, *Rudem* seu *inconcisum*. Cæl. Hier. cap. 2. §. 2. Vide ibidem Scholia Maximi.

Α᾽πόφασις, *Negatio*, seu sententia quæ per negationem effertur, vt v. g. cùm dicitur, *Deus non est lapis*, &c. Græcus Interpres explicat λόγος ἀποφατικὸς, ἀπόφανσίς τινος ἀπό τινος. id est *sermo negatiuus, negatio alicuius de aliquo*. Huic opponitur κατάφασις, quæ est *affirmatio* alicuius de aliquo. Cæl. Hier. cap. 2. §. 3. Mysticæ Theol. cap. 3. vbi docet Τίνες αἱ καταφατικαὶ Θεολογίαι, τίνες αἱ ἀποφατικαὶ, id est *quæ sunt negantes Theologiæ, & quæ affirmantes*.

Α᾽προνόητον, *Improuidum*. De Diuin nominib. cap. 4. §. 33.

Α᾽προσδεὲς, *Minimè egenum*. Cæl. Hier. cap. 15. §. 2.

Α᾽πρόσιτον, *Inaccessum*, id est ad quod accedi non potest. Diu. nom. cap. 4. §. 11.

Α᾽πτικαὶ δυνάμεις, *Tactiles facultates*. Quid mysticè designent, vide Cælest. Hierar. cap. 15. §. 3.

Α᾽ραρότως, *Stabiliter*. Cælest. Hier. cap. 1. §. 2. Græcus Interpres ἁρμοζόντως, ἢ παγίως, ἑδραίως, id est *congruenter*, vel *solidè, firmiter*.

Α᾽ργυροειδὴς, *Argentiformis*, id est argenti speciem habens. Cæl. Hier. cap. 15. §. 7.

Α῞ρματα, *Currus*. Quid mysticè, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 8.

Α᾽ρμοστὴς, *Concinnator*, qui omnia concinno & pulchro ordine disponit. Eccl. Hier. cap. 3. P. 3. §. 14. Ita propriè (vt ait S. Maximus) vocat τὸν ἄρχοντα τῆς Ε᾽κκλησίας Ε᾽πίσκοπον, *Episcopum Ecclesiæ Principem*, ad consuetudinem Lacedæmoniorum alludens, qui Præfectos vrbium nominabant ἁρμοστὰς, vt Athenienses ἁρμοστῆρας, qui ad benè & præclarè viuendum alios dirigerent.

Α᾽ρρενοπῶς, *Viriliter*. Ecclesi. Hierar. cap. 2. P. 3. §. 5.

Α᾽ρρεπῶς, *Constanter, stabiliter, viriliter*. Cæl. Hier. cap. 15. §. 1.

Α᾽ρχετυπία, *Primæua formatio*, seu *forma primitiua*. Cælest. Hier. cap. 2. §. 4. Diuin. nomin. cap. 2. §. 6.

Α᾽ρχέτυπον, *Forma primigenia*. Ecclesi. Hierar. cap. 3. P. 3.

Α᾽ρχὴ παραδειγματικὴ, *Principium exemplare*; τελικὴ, *finale*; ποιητικὴ, *efficiens*; εἰδικὴ, *formale*; στοιχειώδης, *elementare* seu *materiale*. Diuin. nom. cap. 4. §. 10.

Α᾽ρχιερωσύνη, *Pontificatus, principale sacerdotium*. Epist. VIII. §. 1.

Α᾽ρχιστρατηγὸς, *Militiæ Princeps*. Cæl. Hierar. cap. 2. §. 1.

Α᾽ρχισύμβολον, *Primum symbolum*. Sic vocat Ven. Sacramentum, quòd inter symbola seu Sacramenta primatum teneat. Eccl. Hier. cap. 3. P. 3. §. 1.

Α᾽ρχισυναγωγὸς, *Primus collector, Princeps synagogæ*. Diu. nom. cap. 4. §. 4.

Α᾽ρχίφωτον, *Principium lucis*. Sic Deum Patrem appellat, qui principium est omnis lucis. Vox composita est ex ἀρχὴ, id est *principium*, & φῶς, id est *lux*. Cælestis Hierarchiæ cap. 1. §. 2. Vide ibidem Annotationes & Obseruationem Generalem VII.

Α῎σκοπον, *Scopo carens*, id est vagum, erroneum, inconsideratum. Diu. nom. cap 4. § 32.

Α᾽σχημάτιστον, *Infigurabile*, id est quod per figuram aliquam repræsentari nequit. Cæl. Hierar. cap. 2. §. 2. Diu. nom. cap. 1. §. 1.

Α῎σχετος, *Incomprehensibilis*. Vide S. Maximum in Scholiis ad cap. 7. Cælest. Hierarch. §. 4. in fine.

Α᾽συμμετρία, *Improportio*. Diuin. nom. cap. 4. §. 32.

Α᾽συμμιξία, *Impermixtio*. De Diuin. nominib. cap. 4. §. 7.

Α᾽σύμφυρτον, *Impermixtum*. Ecclesi. Hierarch. cap. 1. §. 5.

Α᾽σύστατον, *Inquietum*, id est quod nullam habet consistentiam, aut statum fixum, sed semper mutat & variatur. De Diuin. nominib. cap. 2. §. 6.

Α᾽τελεύτητον, *Sine fine*, id est quod non habet finem. Diu. nom. cap. 4. §. 8.

Α᾽τευξία, *Frustratio, aberratio*. Diuin. nom. cap. 4. §. 34.

Α᾽τέκμαρτον, *Obscurum*, id est quod visus siue intellectualis siue sensitiuus penetrare non valet. Diu. nom. cap. 4. §. 11.

Α᾽υθαίρετον, *Arbitrij libertas*, siue potestas per se eligendi quidpiam. Ecclesi. Hierarch. cap. 2. P. 3. §. 3.

Α῎υλος, *Immaterialis* seu expers materiæ, ex α priuante particulâ, quæ negat id quod post se relinquit, & ὕλη, id est *materia*. Sumitur autem pro re spiritali, quòd spiritus quàm maximè à materiâ & omni materiali concretione segregatus sit. Hinc mentis oculos, quibus spiritalia contemplamur, ἀΰλους vocat. Cælest. Hierarch. cap. 1. §. 2.

Α᾽υτενέργητον, *Per se operans*. Diu. nom. cap. 4. §. 14.

Α᾽υταγαθότης, *Ipsamet bonitas*, siue per se bonitas, quæ essentiâ suâ talis est, & non ab alio vel per participationem, vt sunt creatæ bonitates hominum & Angelorum. Diuin. nomin. cap. 2. §. 1.

Α᾽υθαγιότης, *Per se sanctitas*. Diu. nom. c. 12. §. 1.

Α᾽υτο-

Αὐτοζωή, *Per se vita*, id est non ab alio vitam habens vti nos, sed à se & per se. Diuin. nom. cap. 2. §. 8. Vide etiam cap. 6. & ibidem Annotationes nostras, & Scholia S. Maximi.

Αὐτοκαλλοποιός, *Per se pulchrificus* Diu. nom. cap. 11. §. 6.

Αὐτοκρατητικόν, *Per se victoriosum*, id est per se potens aliquid redigere in suam potestatem. Cæl. Hier cap. 15. §. 2.

Αὐτομετοχή, *Per se participatio*. Diuin nomin. cap. 5. §. 5.

Αὐτοομοιότης, *Per se similitudo*. Diuin. nomin. cap. 5. §. 5.

Αὐτοσοφία, *Per se sapientia*. Diuin. nomin. cap. 5. §. 5.

Αὐτοϋπερούσιον, *Per se supersubstantiale*. Diuin. nom. cap. 5. §. 1.

Αὐτοφυές, *Natiuum*, quasi per se natum. Myst. Theol. cap. 2.

Αὐτόφως, *Per se lux*, id est non ab alio lucem accipiens, sed à se & per se talis. Diuin. nom. cap. 2. §. 8.

Ἀφαίρεσις, *Ablatio*, seu *negatio*. De Diu. nominibus cap. 2. §. 4. Illam celebrat in Mysticâ Theologiâ, c. 2. vbi omnia de Deo negat. vbi vide exempla ablationis.

Ἀφθεγκτον, *Ineffabile*, quod effari & explicari nequit, &c.

Ἀφθέγκτως, *Ineffabiliter*, Diu. nom. cap. 1. §. 1.

Ἀφιερόω, *Consecro, dedico*. Ecclesiast. Hierar. cap. 1. §. 1.

Ἀφορίζεσθαι, *Definire*. Diu nom. cap. 4. §. 7.

Ἀχάρακτον, *Infiguratum*, id est tabula rasa, cui nihildum insculptum est aut inscriptum. Diu. nom. cap. 2. §. 6.

Ἄχραντον, *Intemeratum*, quod polluere aut violare nefas est; qualia sunt mysteria quæ propalari non possunt. Eccl. Hier. cap. 1. §. 1.

B.

Βάθος, *Profunditas*. Quid in Deo sit, vide Diu. nom. cap. 9. §. 5.

Βάρος, *Grauitas, densitas*. Hinc βάρος τοῦ σκότους vocat *densitatem tenebrarum*. Diu. nom. cap. 4. §. 5.

Βασιλεὺς βασιλέων, *Rex regum*. Quomodo Deus, vide Diu. nom. cap. 12. §. 3.

Βέβηλος, *Impurus, profanus*. Epist. IX.

Βλέφαρα, *Palpebræ*. Quid mysticè designent, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 3.

Βοὸς μορφή, *Bouis forma*. Quid mysticè, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 8.

Βουλητόν, *Expetendum, desiderabile*. Diu. nom. cap. 4. §. 32.

Βραχύλεκτος, *Breuiloquus*, siue breui sermone expositus. Myst. Theol. cap. 1. §. 3. vbi ex sententiâ S. Bartholomæi docet, quòd bona omnium causa, siue Deus, sit πολύλογος καὶ βραχύλεκτος, id est quòd exprimatur multo sermone vel conceptu, & pauco atque etiam nullo. de quo vide Annotationes nostras ad dictum locum, & Scholia S. Maximi.

Βραχύτης, *Breuitas, tenuitas*. De Diuinis nominibus cap. 4. §. 4.

Γ.

τὸ Γαῦρον, *Animositas, superbia*. Diu. nomin. cap. 4. §. 25.

Γεηρός, *Terrenus, terrestris*. Epist. IV.

Γειτνιάω, *Appropinquo*. De Diuinis nominibus cap. 4. §. 30.

Γεννησιουργόν, *Generatiuum*, id est generandi vim habens. Diu. nom. cap. 4. §. 20.

Γευστικαὶ δυνάμεις, *Gustandi facultates*. Quid mysticè designent, vide Cæl. Hierarch. cap. 15. §. 3.

Γεωμετρικὰ σκεύη, *Geometrica instrumenta*. Quid mysticè designent, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 5.

Γνόφος, *Caligo*. Quid sit mystica caligo, vide Myst. Theol. cap. 1. & 2. & Epist. 1. & V. & ibidem Annotationes nostras, & Scholia S. Maximi. Vocat autem S. Dionysius γνόφον ἀγνωσίας, id est *caliginem incognoscibilitatis*, quia in seipsâ nullam intellectualem lucem aut cognitionem admittit: *verè* autem *mysticam* appellat, quia intima est, & occulta illa coniunctio, vt nulla mens eius rationem comprehendere possit. Si verò Deum per caliginem intelligas (vt reuerà intelligi potest) is quidem caligo ignoscibilitatis dicitur, quòd vt in seipso est, à nullâ creatâ mente in hac vitâ cognosci valeat.

Γνῶσις, *Notio, notitia, scientia*. Propriè in rigore Philosophico accipitur pro scientiâ per syllogismum ac demonstrationem ratiocinando acquisitâ. Myst. Theol. cap. 1. §. 2. & 3. Vide ibidem Annotationes & Scholia Maximi.

Γνωστικὴ ἀντίληψις, *Scientifica apprehensio*. Myst. Theol. cap. 1. §. 3. vbi γνωστικὰς ἀντιλήψεις, Perionius & Ambrosius vertunt *cognitionis & scientiæ præsidia*; Marsilius, *cognitorias perceptiones*; nostra, *scientificas apprehensiones*, id est notiones omnes, aut conceptus qui animo scientiam & cognitionem ingerere possunt.

Γονιμοποιόν, *Fecundans* seu fecundandi vim habens. Cælest. Hier. cap. 15. §. 8.

Γόνιμος, *Fecundus, genitalis*. Ibidem.

Γονιμότης, *Fecunditas*. De Diuinis nominibus cap. 1. §. 4.

Γυμνασία, *Exercitatio*. Per Metaphoram ab exercitiis palæstricis, quæ à nudis fiebant. Diu. nom. cap. 2. §. 9.

τὸ Γυμνόν, *Nuditas*. Quid mysticè significet, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 3.

Δ.

Δευτεροφανῶς, *Secundariâ apparitione*, id est remissiore illustratione, & quasi luce refractâ. Quantò enim illustratio per plures transit atque portenditur, hoc remissior fit & minùs luculenta in inferioribus, & à primilucâ irradiatione magis distantibus, vti pulchrè ostendit S. Dionysius Cæl. Hier. cap. 7. & 8. & 15. §. 6.

Διαβάλλω, *Criminor, traduco*. Diuin. nomin. cap. 4. §. 11.

Διαβομβέω, *Strideo, tinnio, inanem sonitum edo*. Diu. nom. cap. 4. §. 11.

Διαιρετικόν, *Diuisiuum*, id est diuidendi vim habens. Cæl. Hier. cap. 15. §. 5.

Δια-

Διακεκριμένον, *Distinctum*, &

Διακεκριμένως, *Distinctè, non confusè.* Diu.nomin.c.2.§.2.

Διακόσμησις, *Adornatus*, seu *adornatio*, à verbo κοσμέω, id est *orno, ordino*. Hinc sanctus Dionysius cælestes Hierarchias & ordines Angelorum vocat ἱεραρχίας διακοσμήσεις, quòd videlicet pulcherrimo ordine à Deo ordinatæ sint atque adornatæ. Cælest.Hierarch. cap.2. §.1. Eamdem ob causam S. Dionysius Ecclesf. Hierarch. c.2. Clerum vocat ἱερὰν διακόσμησιν, *sacrum ornatum*, pulchritudinem, ordinem speciosum, partibus suis aptum & concinnum; vt quasi instructum & paratum exercitum intelligamus, & castrorum aciem ordinatam, quadrato veluti agmine gradientem. Sicut enim in militiâ varij ordines sunt, gradusque pugnantium, quorum alij sunt inferiores & reguntur, aliorum autem nutu & imperio bellicæ res administrantur; sic in hac militiâ Clericatus & Ecclesiæ bellantis expeditione similiter fieri videmus.

Διάκρισις, *Distinctio.* Diu.nom.c.4.§.7.

Διακριτικαὶ δυνάμεις, *Discernendi vires.* Cæl. Hier.c.15.§.3.

Διάμετρον, *Ex opposito.* Est autem diameter linea rectam figuram, quâ longissimè patet, ex æquo secans atque dimetiens. Epistol. VII. §.2. Græcus Interpres exponit, τὸ ἀπὸ πέρατος εἰς πέρας κατὰ πλάτος διάστημα, id est *à fine vsque ad finem secundum latitudinem distantia.*

Διαπορθμευτικὸν, *Permeatiuum*, id est quod permeandi habet facultatem, à verbo διαπορθμεύω seu διαπορθμεύω, id est *traiicio, transueho, transfundo.* Græcus Interpres τὸ διαπορθμεύεται exponit διακομίζεται, διαφέρει, διαπορεύεται, id est *traijcit, transmeat, transformat.* Cæl.Hierar.cap.15. §.6.

Διασκεδασμένον, *Dispersum, dissipatum, distractum.* Diu.nom.c.4.§.4.

Διειδέστατον, *Perspicacissimum*, vel maximè perspicuum, dilucidissimum. Græcus Interpres exponit διαφανέστατον, καθαρώτατον, διαυγέστατον, λαμπρὸν, id est manifestissimum, purissimum, splendidissimum, clarum. Cælest.Hierarch. cap.15. §.3.

Διαφερόντως, *Excellenter, eximiè.* Diuin.nomin. c.4. §.12.

Διεξοδικὸν, *Diffusum*, id est latè patens, explicatum. Sanctus Dionysius διεξοδικὰς ἱερὰς μαθήσεις, id est *diffusas sacras disciplinas*, intelligit illas quæ prolixè explicant illa quæ succinctè & breuiter, per internam illustrationem aut diuinam reuelationem intellecta sunt. Cælest. Hierarch. cap.1.§.3. Vide ibidem Scholia sancti Maximi.

Διεξοδικώτερον, *Fusiùs, prolixiùs.* Eccl. Hier. cap.1.

Διευκρινημένον, *Benè digestum, benè distinctum, benè ordinatum.* Diuin.nomin.c.3.§.2.

Δίκαιος, *Iustus.* Diu.nomin.c.4.§.10.

Δικαιοσύνη, *Iustitia.* Quid sit, & quæ eius munia, vide Diuin. nomin. cap.8.§.9. vbi ex professo agit de hac virtute.

Δόρατα, *Hastæ.* Quid designent, vide Cælest. Hier.c.15.§.5.

Δραστήριον, *Efficax*, id est efficiendi vim habens, à verbo δράω id est *facio*, quod verbum simul connotat aliquam fortitudinem & efficaciam in expeditè exequendo id quod fit. Hinc δραστηρίως Græcus Interpres exponit ἐνεργῶς, ἐργαστικῶς, πρακτικῶς, id est *efficaciter, operanter, practicè*. quæ omnia connotant effectum actioni coniunctum, ita vt actio minimè irrita sit. Cælest.Hier.c.15.§.2.

Δύναμις, *Virtus, potentia.* Sumitur etiam pro ordine Angelico secundæ Hierarchiæ, & pro parte Hierarchicâ. Cælest.Hierar. cap.3.§.1. & cap.8.& 11. Vbi vide Annotationes & Scholia sancti Maximi. Vide etiam Diuin. nomin. c.8. §.1.2. Nota, S.Dionysium Cæl. Hier.cap.10. §.3. docere, quamlibet cælestem & humanam mentem in se continere πρώτας καὶ μέσας καὶ τελευταίας δυνάμεις, id est *primas, & medias, & vltimas virtutes* seu facultates. Cap. 11. autem dicit, omnes diuinas mentes in tria diuidi, scilicet εἰς οὐσίαν, καὶ δύναμιν, καὶ ἐνέργειαν, id est *in substantiam, & in virtutem, & in actionem*, hoc est, ad earum perfectionem requiri ista tria, inter quæ hic est ordo, vt primò sit ipsa natura seu substantia; secundò, virtus seu potestas agendi; tertiò, ipsa actio. Quare (vt benè in suis Documentis annotat Halloix noster) non intendit ibi S.Dionysius afferre diuisionem generis in suas species, aut aliam similem, sed tantùm diuisionem & ordinem rerum necessariarum.

Δυναμοποιὸς, *Potentificus*, seu qui potentem facit ad aliquid agendum. Sic Deum vocat ὑπερούσιον καὶ δυναμοποιὸν δύναμιν, id est *superessentialem ac potentificam virtutem*. Cæl. Hierarch. c.8. §.1.

Δυναμωνυμία, *Potentiæ nominatio.* Diuin.nom. c.8.§.1.

Δυοειδὴς, *Biformis*, id est duas formas habens. Diuin.nom. c.4.§.21.

Δυσχέρεια, *Absurditas, indecentia.* Diu.nom. c.4.§.12.

Δυσχερέστερον, *Durius, absurdius.* Diuin.nomin. cap.4. §.12.

E.

Ἐγκάρδιον, *Cordiale*, quod est in corde. Mysticæ Theol. cap.3.

Ἐγκόσμιος, *Mundialis*, id est qui in mundo est. Diu.nom.c.1.§.6.

Ἕδρα, *Sedes, sessio.* Quid in Deo, vide Diuin. nomin.c.9.§.8.

Ἐθναρχία, *Gentilis principatus.* Epist. VIII. §.1.

Εἴδωλον, *Imago, figmentum.* Diuin.nom. c.4. §.12.

Εἰδοποιὸν, *Formificum*, id est quod formam tribuit. Diu.nom. c.4.§.18.

Εἶδος, *Forma, species.* Diuin. nomin. cap.4. §.10.

Εἰκονογραφία, *Descriptio*, scilicet per imagines vel figuras. Cæl.Hier.c.15.§.9.

Εἰρήνη, *Pax.* Quid de Deo, vide Diu. nom. cap.11. §.1.

Εἰσαγωγὴ, *Introductio.* Ecclesf. Hierar. cap.2. P.3.§.1.

Εἰσαγωγικῶς, *Introductoriè.* Ecclesf. Hierarch. c.5.P.1.§.2.

Ἐκδειματόω, *Terreo.* Ecclesf. Hierarch. cap. 6. P.1.§.1.

Ἐκθεωτικὸν, *Dei expressiuum.* Diuin. nomin. c.2. §.7.

Ἐκπομπεύειν, *Publicare, euulgare, arcana prodere.* Epist. VIII. §.1.

Ἔκπτωσις, *Dilapsio.* Diu.nom. c.4. §.12.

Ἔκστασις, *Excessus*, scilicet mentis, dum præ amoris vehementiâ, & intellectus intentione quis vsu sensuum destituitur, rei amatæ contemplatione totus absorptus, vti contemplatiuis sæpè accidit. Spiritalis autem vitæ scriptores ecstasim definiunt animæ abstractionem à potentiis sensitiuis, & aliquando etiam intellectualibus, seu earumdem suspensionem, diuinæ gratiæ vi, quâ anima maximis luminibus, seu diuinarum rerum cognitionibus illustratur. Vide Diuin.nomin. cap. 4. §. 13. & caput 1. Mystic. Theolog. & ibidem Annotationes & Scholia S. Maximi.

Ἐκστατικὸς, *Ecstaticus*, id est ecstasim faciens aut patiens. Diuin.nom. c.4. §.13.

Ἐκτύπωμα, *Figura expressa*, v.g. signatura sigilli. Diu.nom. c.2. §.5.

Ἐκφαίνω, *Patefacio, manifesto, enarro.* Vtitur autem ferè hoc verbo Dionysius, cùm de mysticâ aliquâ manifestatione agitur, siue per symbola siue per intellectilem irradiationẽ arcani quidpiam cognoscitur, quod anteà ignotum & occultum erat, & humanum captum naturalem excedebat. Cæl.Hier.cap.1 §.2. & cap. 5. vbi Angelos vocat virtutes ἐκφαντορικὰς, *diuinorum internuntias atque interpretes.* cuius viri sapientiam doctè exponens B. Maximus, diuinitus in hunc modum pronuntiat: Angeli sacros homines attollunt ἐπὶ τὰς ἐγνωσμένας αὐτοῖς θείας αὐγὰς, *ad cognitos sibi diuinos splendores.* Quod non modò capiendum est de fidei arcanis, in quibus sapienter intelligendis iuuant maximè Religionis Antistites, &, vt ait idem S. Maximus, παιδαγωγικῶς χειραγωγοῦσι, *Pædagogi in morem instruunt*, & veluti manu ducunt; verùm etiam illud ipsum beneficium ad omnium ordinum homines referendum est, quibus vt tutelares præfecti sunt.

Ἐκφαντορία, *Explanatio*, seu *manifestatio.* Vide suprà verbum ἐκφαίνω, à quo deriuatur, & Scholium S. Maximi in Cæl.Hierarch. cap.2. §. 1.

Ἐκφαντορικῶς, *Explanatoriè.* Diuin. nomin. c.1. §.4.

Ἐλευθεροπρεπῶς, *Liberaliter*, id est vt liberum decet. Cæl.Hier. c.8. §.1.

Ἑλικοειδὲς, *Obliquum.* Quid in Deo, vide Diuin.nom. c.9. §.9.

Ἑλικοειδῶς, *Obliquè.* Diu.nom. c.4. §.9.

Ἔλλαμψις, *Illustratio.* Hoc modo Scripturam appellat, tum quia per diuinam inspirationem & Spiritus sancti illustrationem dictata & conscripta est, tum quia mentem hominum illuminat & illustrat, de rebus diuinis illam instruens, & de agendis ac omittendis erudiens. Cælest. Hier.cap.1. in titulo. Vide ibid. Annotationes.

Ἔλλειψις, *Defectio.* Diu.nom. c.4. §.20.

Ἐμπαθὴς, *Passionatus*, seu vitiosis passionibus implicatus & addictus. Sumitur enim in malam partem, v.g. de affectionibus irrationalibus & inordinatis hominem dedecentibus, & diuinæ ac naturali legi aduersantibus. Cælest. Hier. c.2. §.4.

Ἐμπρηστὴς, *Incensor.* Cæl.Hier. c.15. §.2.

Ἐμφέρεια, *Similitudo.* Propriè dicitur de internâ similitudine, v.g. spirituali, qualis est animæ ad Deum, quæ intrinsecus in mentis apice maximè relucet, præsertim gratiæ donis supernaturalibus ornata: quæ similitudo ad Deum cùm intus circumferatur, pulchrè ἐμφέρεια nuncupatur. Cælest.Hier. c.2. §.3. Diuin.nomin. cap.2. §. 8.

Ἐμφερὴς, *Similis.* Diu.nom. c.2. §.7.

Ἐμφυσῆσαι, *Insufflare.* Dicitur propriè, cùm Exorcista dæmonem coniurat. Eccles. Hierar. c.2. P.2. §.6.

Ἓν, *Vnum.* Quomodo de Deo dicatur, vide Diu.nom. c.13. §.2.

Ἐναγὲς, *Impurum, execrabile*, opponitur καθαρῷ, id est *puro*, seu mundo. vide Mystic.Theol. cap.1. §.3. Vbi nota, per *pura* res intellectuales accipi, vtpote ab omni corruptibilis materiæ fæce expurgatas; per *impura* verò res corruptioni obnoxias.

Ἐναγέστατον, *Sacerrimum*, id est maximè detestabile. Eccl.Hier. c.3. P.3. §.7.

Ἐναπομόργνυμαι, *Imprimo, inculco, instillo.* Epistol. IX. §.1.

Ἐναρμονίως, *Concinnè, congruenter*, id est *concinnâ proportione.* Eccles.Hierarch. cap.3. P.3. §.5. Diu.nom. c.1. §.2.

Ἐναρχία, *Principium vnitatis*, seu *vniprincipatus*, à quo nimirum omnis vnitas proficiscitur. Diuin.nomin. cap.2. §.4. vbi vocat Deum ὑπὲρ ἐναρχίαν ἑνότητα, *vnitatem quæ est supra principium vnitatis.*

Ἐνδότης, *Intimitas*, formatum ab ἔνδον, quod est *intus*, coniunctum autem cum voce ἑνικὴ idem significat quod *intima vnitas*, quæ rebus spiritalibus cumprimis congruit, quorum splendor omnis ab intus est, & maximè vnitæ sunt & gaudent vnitate ac simplicitate. Cælest. Hier. cap. 1. §. 2. Vide ibidem Scholia sancti Maximi.

Ἐνδυναμον, *Validum, potens.* Diuin. nom. c.4. §.32.

Ἐνέργεια, *Afflatio*, & quasi interna quædam spiritus inoperatio, siue à bono spiritu illa existat, siue à malo. Vnde à dæmone obsessi vocantur ἐνεργούμενοι. Eccl. Hierar. cap.1. §.1. Aliquando etiam Angelos vocat ἐνεργείας, id est *operationes*, scilicet spiritales, & ipsam Hierarchiam definit esse τάξιν, ἐπιστήμην, καὶ ἐνέργειαν, id est *ordinem, scientiam & operationem.* Vide de his cap.3. Cælest.Hier. §1. & ibid. Annotationes ac Scholia S. Maximi.

Ἔνθεος, *Diuinus, diuino numine afflatus*, qualis propriè est quilibet Mysticus Theologus, dum cum S. Paulo excedit è se Deo, & à semetipso rebusque omnibus extrinsecis amotus, per amorem & affectum totus est in Deo, & Deus in ipso; quod vox illa significanter insinuat Cælest. Hierar. cap.2. §. 5. in fine, & passim alibi.

Ἑνιαῖος, *Vnitus, collectus.* Sic Monachos vocabat, vtpote qui à diuiduo vitæ genere & turbulento diuisi, eum statum complectebãtur, cuius proprium sit ἑνοποιεῖσθαι, *vnum fieri*, & contendere, quantum fas est, εἰς θεοειδῆ μονάδα, *ad diuinam vnitatem.* Hoc enim spectabant vnum, vt ab omnibus mundi rebus exuerent se, & à corporis item obsequio & indulgentiâ discederent,

derent, denique totos se referrent in Deum, & felicissimâ vnione fierent simplicissimi.

Ἑνιαίως, *Vnitè, singulariter.* Eccl. Hier. cap. 3. P. 1. §. 4.

Ἐνιδρύω, *Insero, implecto.* Diuin. nom. cap. 4. §. 12.

Ἐνιζάνον, *Inhærens*, à verbo ἐνιζάνω, *insideo, inhæreo.* Cælestis Hierarch. c. 2. §. 2. Vide ibidem Scholia S. Maximi.

Ἐνιζάνω, *Insideo, inhæreo.* Cælest. Hierarch. cap. 2. §. 2.

Ἐνισχημένος, *Irretitus, implicatus*, scilicet qui adhærescit alicui rei. Mystic. Theolog. cap. 1. §. 2.

Ἑνοειδὴς, *Vniformis.* Eccles. Hierarch. cap. 2. P. 3. §. 5.

Ἑνοποιὸς δύναμις, *Vnifica vis.* Componitur ex ἓν, id est *vnum*, & ποιέω, id est *facio*. Significanter sic vocat diuinam illustrationem & gratiam, cui quædam diuinitus vis insita est hominem cum Deo coniungendi & vnificandi. Cæl. Hierarch. cap. 1. §. 1. & 2. Vide ibidem Annotationes.

Ἑνότης, *Vnitas.* Diu. nom. c. 2. §. 4.

Ἐντρεχὴς, *Agilis, velox.* Cælest. Hierar. c. 15. §. 8.

Ἕνωσις, *Vnio, vnitio.* Diuin. nom. cap. 1. §. 1. vbi docet, nos rebus ineffabilibus & ignotis modo ineffabili ignotoque coniungi, κατὰ τὴν κρείττονα, τῆς καθ' ἡμᾶς λογικῆς, καὶ νοερᾶς δυνάμεως καὶ ἐνεργείας ἕνωσιν, *secundùm eam vnionem præstantissimam, quæ vim omnem ac potentiam nostræ aut ratiocinationis, aut intellectionis excedit.* Quod Perionius vertit, *vnione, quæ sensum nostrum, mentemque & actionem multum superat*; Scotus & Sarracenus, *secundùm meliorem nostræ rationabilis & intellectualis virtutis & operationis vnionem.* Hac verò vnione summum perfectionis gradum acquirimus, nam per eam in vnum, à quo egressi sumus, regredimur, vti pulchrè docet sanctus Dionysius Mystic. Theolog. cap. 1. §. 3. in fine. Huc spectat illustre illud dogma Pythagoricorum, *Oportere hominem vnum fieri*, quod si Philosophicâ & Christianâ simul ratione explicare liceat, dicenda est duplex esse animæ vnitas; humana scilicet, quæ illi propria est, quamque ipsam esse animæ essentiam definiuit Proclus; vtpote quæ in se, aut facultatum aut operationum distinctionem non admittat; & diuina, quam Apostolus vnitatem spiritus cum Deo esse dixit: *Qui adhæret Deo* (inquit) *vnus spiritus est*, intellige mysticè, quamque Christus Dominus, *vnum necessarium* vocauit, eamdemque suis apud Patrem exoptauit, quasi æternæ, quam cum Patre habet vnitatis imitatricem. Ioan. 17.

Ἑνωτικὸν, *Vnitiuum*, id est vniendi vim habens. Diuin. nomin. cap. 4. §. 6.

Ἐξαίσιον, *Eximium, stupendum.* Epistol. VIII. §. 2.

Ἐξαίφνης, *Subitò, repentè.* Cæl. Hierar. c. 15. §. 2. Vide vim huius vocis explicatam in Epistol. III. ad Caium, & ibidem consule nostras Annotationes & Scholia S. Maximi.

Ἐξημμένον, *Dependens.* Diuin. nomin. cap. 4. §. 28.

Ἕξις, *Habitus, status.* Eccles. Hier. cap. 4. P. 3. §. 10.

Ἐξολισθαίνω, *Dilabor, excido, exorbito.* Diu. nomin. cap. 4. §. 12.

Ἐξορχεῖσθαι τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, *Explodere Sancta sanctorum*, id est arcana sacra profanis propalare, ac secreta prodere. Propriè significat, *extra chorum saltare*. Sacra autem solent in choro tractari, loco à communi populo segregato. Qui itaque illa profanis euulgat, quasi extra chorum cum iis saltat & contemerat. Minùs propriè vertunt, Scotus, *Sancta sanctorum reuenerari*; Perionius, *enuntiare*; Sarracenus, *extra terminum suum mittere.* Eccl. Hierar. cap. 1. §. 1.

Ἐξουσιαστικὸς, *Potentificus*, id est potentiam conferendi vim habens. Deriuatur ab ἐξουσία, id est *potentia* seu facultas. Cælest. Hierarch. cap. 8. §. 1. Ibidem in eadem significatione vocat Deum ἐξουσιοποιὸν ἐξουσιαρχίαν, id est *potentificæ potestatis principatum.*

Ἐπαναβαθμὸς, *Gradus* quo sursum ascenditur. Eccl. Hier. cap. 7. P. 3. §. vltimo.

Ἐπαναστρέφω, *Retrouerto.* Epist. VII. §. 2.

Ἐπανορθωτικὴ παιδεία, *Correctrix disciplina*, id est quæ corrigendi vim habet. Cæl. Hier. c. 15. §. 5.

Ἐπαφὴ, *Tactus.* Diu. nomin. c. 4. §. 10.

Ἐπέκεινα, *Vlterius, supra.* Diuin. nom. cap. 4. §. 16.

Ἐπιβοάω, *Inclamo, inuoco.* Epist. VIII. §. 1.

Ἐπιείκεια, *Æquabilitas, benignitas.* Epist. VIII. §. 1.

Ἐπιεικῶς, *Æquabiliter, mansuetè, benignè.* Epist. VIII. §. 1.

Ἐπιθυμία, *Concupiscentia.* Quid mysticè sit, vide Cælest. Hierarchiæ cap. 15. §. 8.

Ἐπίρροια, *Affluentia.* Cælest. Hierar. cap. 15. §. 9.

Ἐπιστήμη, *Scientia.* Accipit sæpè per excellentiam pro propriâ scientiâ Hierarchicâ, definiens Hierarchiam esse *scientiam*. Vide cap. 3. Cæl. Hierarch. §. 1. & ibidem S. Maximum. Inprimis autem Pontificibus attribuit ἐπιστήμην τελεωτικὴν, *scientiam perfectam, & perficiendi vim habentem*, & alias θεοπαράδοτον, *à Deo traditam*, ne quis putet, omne genus scientiarum, etiam curiosarum atque inutilium, in eos conuenire. Quare Magnus Dionysius, cùm Eccles. Hier. cap. 1. Hierarcham seu Pontificem describit, non illum esse vult de scholâ Rhetorem, non Geometriæ peritum, non fabellarum opificem Poëtam, non Astrologum aut Musicum, sed ait esse virum diuino afflatum numine, ipsumque diuinum καὶ πάσης ἱερᾶς ἐπιστήμης γνώσεως, *qui omni sacrâ scientiâ sit præditus.*

Ἐπιστημονικῶς, *Scientificè, scitè.* Eccl. Hierarch. cap. 5. P. 1. §. 4.

Ἐπιστρεπτικὸν, *Conuersiuum*, id est conuertendi vim habens. Diu. nom. c. 4. §. 6.

Ἐπιστρεπτικῶς, *Conuersiuè.* Diuin. nom. cap. 4. §. 10.

Ἐπιστροφὴ, *Conuersio.* Diuin. nomin. cap. 4. §. 12.

Ἐπισυνίσταμαι, *Coniuro, conspiro.* Epistol. VIII. §. 1.

Ἐποχετεύειν, *Deriuare.* Cælest. Hierarch. c. 3. §. 3.

Ἐπωνυμία, *Denominatio.* Diu. nomin. cap. 4. §. 10.

Ἐράω, *Amo.* Diu. nomin. cap. 4. §. 11.

Ἐρυθρὸν χρῶμα, *Rubeus color*. Quid mysticè, vide Cælest. Hierar. cap. 15. §. 7.

Ἔρως, *Amor*, & quæ sit vis ac significatio huius vocis, & an idem sit quod ἀγάπη, seu *dilectio*, vide Diuin nomin. cap. 4. §. 11. & 12. & ibidem Scholia S. Maximi, & Paraphrasim Pachymeræ, nec non P. Petrum Halloix, qui Tomo 2. in Quæstione 2. de Operibus S. Dionysij, sub medium, pulchrè notauit, ista verba, γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, id est, *scribit autem diuinus Ignatius, Meus amor crucifixus est*, cùm ab aliquo in margine annotata fuissent, in textum irrepsisse. Sine illis enim sensus constat, imò plenior est, & cessat difficultas quæ obiicitur exinde, quòd dum hæc scriberet S. Dionysius, nondum Ignatij Epistolæ, aut scripta extarent.

Ἐρωτικῶς, *Amatoriè, amabiliter*. Epist. VIII. §. 1.

Ἐσθὴς πυρώδης, *Vestis ignea*. Quid in Angelis designet, vide Cælest. Hier. cap. 15. §. 4.

Ἑστίασις. Græcus Interpres, εὐωχία, εὐφροσύνη, χαρὰ, id est *conuiuium, iucunditas, gaudium*, à verbo ἑστιάομαι, *epulor*. Cæl. Hierarch. cap. 7. §. 4.

Ἕτερον, *Aliud*. Quomodo de Deo dicatur, vide Diu. nom. cap. 9. §. 5.

Ἑτερότης, *Diuersitas*. Eccl. Hier. cap. 1. §. 1. Diu. nom. cap. 4. §. 7.

Εὐαρμοστία, *Concinnitas, bona proportio*. Diuin. nom. cap. 4. §. 7.

Εὐδιάχυτον, *Fusile*, id est quod facilè funditur. Diu. nom. cap. 2. §. 6.

Εὐζωΐα, *Integritas vitæ, benè viuendi ratio*. Eccles. Hierar. cap. 2. P. 3. §. 1.

Εὐθύγραμμον, *Recti-lineum, rectè scriptum*. Diu. nom. cap. 4. §. 11.

Εὐθυμοσύνη, *Rectus ordo*. Diu. nom. cap. 8. §. 5.

Εὐκοσμία, *Concinnitas, pulcher ornatus*. Cæl. Hier. cap. 15. §. 4. & in Ecclesiast. Hierarchiâ τῶν θείων εὐκοσμίαν, *elegantem rerum diuinarum descriptionem*, vocat id quod S. Ignatius in Epist. ad Smyrnenses εὐταξίαν, id est *probum ac decentem ordinem* in Ecclesiâ nuncupat. Alij τὸ εὔσχημα, *concinnam & decoram honestatem*, vnde magna quædam rebus diuinis pulchritudo & maiestas conciliatur. Atque hoc est quod S. Paulus 1. Corinth. 14. inculcat, dum ait: *Omnia* εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν, *honestè & secundùm ordinem fiant in vobis*. Nihil enim (vt in eum locum ait S. Chrysostomus) sic ædificat, ὡς εὐταξία, *vt aptus omnium ordo*, pulchritudinis & decori opifex, & insigne mentis omni ex parte compositæ.

Εὐλάβεια, *Reuerentia, veneratio, religio*. Diuin. nomin. cap. 3. §. 3.

Εὐμήχανον, *Facilè factu*. Cælest. Hier. cap. 15. §. 8.

Εὔοσμος, *Beneolens*. Eccl. Hier. cap. 4. P. 2. vbi Orientis Ecclesiæ ritum consecrandi vnguentum describens, ait fieri ab Hierarchâ εὔοσμον περιαγωγὴν, *odoratam lustrationem*, & eumdem sacro vnguento suauissimi odoris in omni ferè Pontificio munere fuisse vsum, in eorum sanctissimo ritu quæ consecrantur. Cuius rei mysterium latiùs ibidem in Contemplatione declarat.

Εὐπάθεια, *Bona affectio*. cap. 15. §. 9.

Εὐστατὲς, *Benè ordinatum*. Eccles. Hier. c. 5. P. 1. §. 1.

Εὐτύπωτον, *Figuratu facile*. Diuin. nomin. cap. 2. §. 6.

Εὐχαριστία, *Gratiarum actio*, κατ' ἐξοχὴν Venerabile Sacramentum altaris, quod simul est sacrificium ad Deo gratias per illud exhibendas institutum; quapropter cum summâ gratiarum actione frequentandum, vti S. Dionysius Eccl. Hierarch. cap. 3. P. 1. & P. 3. sub finem, pulchrè docet.

Εὐωχία, *Conuiuium*. Quid mysticè, vide Epistol. IX. §. 5.

Ἐφαρμογαὶ, *Congruentiæ, concinnitates*. Diuin. nom. cap. 4. §. 7.

Ἔφεσις, *Desiderium, appetitus*. Græcus Interpres ἐπιθυμία.

Ἐφίεμαι, *Desidero, cupio, concupisco*. Diu. nom. cap. 4. §. 18. 19.

Ἐφικτὸν, S. Maximus δυνατὸν, id est *possibile*. Græcus Interpres, καταληπτὸν, *comprehensibile*. Cæl. Hierarch. cap. 1. §. 2. & c. 3. §. 1.

Ἔφορος, *Præses, gubernator, director, inspector*. Myst. Theol. c. 1. §. 1.

Z.

ΖΗλος, *Zelus, æmulatio, feruens amor*. Diuin. nom. cap. 4. §. 13.

Ζηλωτὴς, *Zelotes, æmulator, feruens amator*. Diu. nom. cap. 4. §. 13. Hoc nomen expendens S. Dionysius, ait, ζηλωτὴν vocari Deum, vt magno & benigno in ea quæ sunt amore præditum, vt eumdem quoque zelum studiumque excitantem amatorij ipsius desiderij, quo diuini homines & Numinis in terrâ vitam imitantes ardere solent.

Ζηλωτὸν, *Valdè amabile*, id est quod feruenti amore & æmulatione dignum est. Diu. nomin. cap. 4. §. 13.

Ζυγὰ, *Lances*. Diuinam prouidentiam ac gubernationem vocat θεαρχικὰ ζυγὰ, id est *lances diuino-principales*, quia nimirum Deus omnia facit in pondere & mensurâ. Diuin. nomin. cap. 1. §. 3.

Ζωαρχικὸν, *Vitam initians, quod vitæ principium est*. Ita S. Dionysius meritò appellat sacrum corpus Beatissimæ Virginis ζωαρχικὸν καὶ θεοδόχον σῶμα. Nam, vti dixi, ζωαρχικὸν sonat *id quod est principium vitæ*: atqui Christus est vita (vt se ipse appellauit Ioannis 14. *Ego sum via, veritas, & vita*) & si Deipara est illi principium generationis, certè etiam dici potest *principium vitæ*. Diu. nom. c. 3. §. 2. & c. 6. §. 3.

Ζωὴ, *Vita*. De hac vide Caput singulare Diu. nom. cap. 6.

Ζῶναι, *Zonæ*. Quid spiritaliter designent, vide Cæl. Hierar. cap. 15. §. 4.

Ζωογόνον, *Viuificum, viuiparum*. Diuin. nom. cap. 2. §. 7.

Ζωοδότης, *Vitæ dator*. Eccl. Hier. cap. 2. Part. 3. §. 7.

Ζωοποιεῖν, *Viuificare*. De Diuinis nominibus cap. 2. §. 1.

Ζωοποιὸν, *Viuificum*. Cæl. Hier. cap. 15. §. 9.

Ζώπυρον, *Vitalis ignis*, id est qui viuentibus motum subministrat, & vitam conseruat; per quem

quem significanter exprimit calorem vitalem, quem pulchrè vocat ζωόπυρον θερμότητα. Cælest. Hier. cap. 15. §. 2.

H.

Ἡβῶσα ἡλικία, *Pubescens ætas*, quid mysticè designet, vide Cæl. Hierar. cap. 15. §. 3.

Ἠγαπημένος, *Dilectus*. Hoc nomine Dionysius S. Ioannem salutat (Epist. x. quam ad illum scribit) vt refricet ei in memoriam dilectionis eius, quâ illum Christus prosequebatur, & quâ ipse sic delectabatur, vt se vocaret *discipulum quem diligebat Iesus*, scilicet ἀντονομαστικῶς, Ioannis 21, 7.

Ἡγεμονικὸν, *Ducale, regale*, id est ducendi ac regendi habens potestatem. Cæl. Hier. cap. 15. §. 5.

Ἠλέκτρου εἶδος, *Electri species*, quid mysticè, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 7.

Ἡλιοβολία, *Solaris iactus*, seu Solis euibratio, quâ radios suos traijcit. Cæl. Hierarch. cap. 15. §. 8.

Ἥλιος, *Sol*, quem sic appellatum ait Dionysius de Diuinis nominibus cap. 4. §. 4. ὅτι πάντα ἀολλῆ ποιεῖ, καὶ συνάγει τὰ διεσκεδασμένα, id est *quòd omnia seruet salua, & congreget dispersa*. Vbi vide pulchram descriptionem Solis eiusdemque pulchritudinis atque vtilitatis, & anagogicam eiusdem explicationem.

Ἥλιος τοῦ εὐαγγελίου, *Sol Euangelij*: sic S. Ioannem appellat Epistolâ x. Primò propter claritatem in eius prædicatione & comprobatione: secundò ex spiritu prophetico, quo præsciebat eum scripturum nouum Euangelium, per quod inter Euangelistas, vt Sol quidam, emineret, & tenebras, quæ de Christi erant diuinitate, simulque nonnullorum mysteriorum in aliis Euangelistis caliginem, suâ luce dissiparet. Vide ibidem nostras Annotationes.

Ἡλιότευκτον, *A Sole fabricatum* seu *productum*. Sic radios solares vocat ἡλιοτεύκτους αὐγάς. Eccl. Hierar. c. 2. P. 1. §. 1.

Ἡλιούπολις, *Heliopolis*, id est Ciuitas Solis. Vrbs est Ægypti. Epist. VII. §. 2. Vide ibidem Annotationes & Scholia S. Maximi.

Ἡνωμένως, *Vnitè*. Diu. nom. cap. 2. §. 1.

Θ.

Θέα, *Visio, intuitio*. Mysticæ Theol. cap. 2.

Θέαμα, *Spectaculum*. Eccles. Hier. cap. 2. P. 3. & Mysticæ Theolog. cap. 1. Hæc vox tam visionem, quàm rem ipsam quæ videtur, significat. Nota autem in doctrinâ Dionysij tria genera spectaculorum, nimirum symbolica, intelligibilia, & mystica. Symbolica sunt similitudines ex corporeis desumptæ, quibus diuina modo nobis accommodato exprimuntur, & ad Symbolicam Theologiam pertinent. Intelligibilia sunt, quæ menti nostræ obiecta sunt, & intellectuali conceptione apprehenduntur, vt sunt diuinæ hypotyposes, & diuina nomina; de quibus vide Caput 1. de Diuinis nominibus, & ibidem nostras Annotationes. Mystica sunt diuina ipsa, quæ omnium negatione cognoscuntur, imò & super negationem, intimâ cum ipsis vnione apprehenduntur; de quibus vide cap. 1. Mysticæ Theologiæ, & ibidem nostras Annotationes.

Θεανδρικὴ ἐνέργεια, *Dei-virilis operatio*. Hæc est propria Christi. Epist. IV. Vide ibidem Annotationes, & Scholia S. Maximi.

Θεαρχία, *Dei-principatus*, vel *principium diuinitatis*, ita Diuinitatem solet appellare, quippe à quâ nobis & Angelis participatio quædam diuinitatis per gratiam vel gloriam communicatur. Cæl. Hier. cap. 1. & 2.

Θεαρχικὸς, *Diuino-principalis*. Formatur ex vocibus Θεὸς & ἀρχή. Frequenter autē S. Dionysius hac voce vtitur, ad conceptuum suorum sublimitatem significanter explicandam, & munerum diuinorum excellentiam demonstrandam. Sic diuinam illustrationem vocat θεαρχικὴν ἀκτῖνα, id est *radium diuino-principalem*, tum quia à Deo proficiscitur, & ad eumdem nos surrigit; tum quia præcipuum quoddam Dei donum est, & prorsus diuinum, quippe nos ad Deum colligens, & reddens nos diuinos. Cæl. Her. cap. 1. §. 2.

Θέλξις, *Illecebra*. Eccl. Hier. c. 3. P. 3. §. 7.

Θεμελιωτικὸν, *Fundatiuum*, id est fundandi vim habens. Cæl. Hier. cap. 15. §. 5.

Θεογενεσία, *Natiuitas diuina*; sic appellat Baptismum quo Christo renascimur. Eccles. Hier. cap. 2. P. 1. §. 1. & P. 3. §. 1.

Θεόγονος, *Deum generans*, *Deigenus*. Diuin. nom. cap. 2. §. 1. & 7. vbi ait, Filium & Spiritum sanctum esse τῆς θεογόνου θεότητος, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, βλαστοὺς θεοφύτους. *Deigenæ Diuinitatis, si ita dicendum sit, germina Deo oriunda*. Secundùm hoc corrige nostram versionem, quæ minùs propriè in textu sic habet: *quasi Dei prolem, & si dictu fas sit, quasi germina diuina*.

Θεοδόχον, *Dei susceptiuum*, siue *Dei conceptaculum*. Rectè sic Dionysius appellat corpus Deiparæ Virginis, eò quòd Deum in vtero conceperit & gestauerit. De Diuinis nominibus cap. 3. §. 2.

Θεοειδεία, *Deiformitas*. Cæl. Hierarch. cap. 8. §. 1.

Θεοειδὴς, *Deiformis*. Compositum ex Θεὸς, id est *Deus*, & εἶδος, id est *forma* seu *species*. Hæc autem Dei forma est ipsamet gratia habitualis, per quam Deo conformamur, & supernaturalis animæ forma existit, vt passim Theologi apud D. Thomam 1. 2. Frequens est huius vocabuli vsus apud S. Dionysium Cæl. Hier. cap. 1. §. 3. & passim alibi.

Θεόκριτος, *A Deo electus*, siue *diuino indicio designatus*. Epist. VIII. §. 1.

Θεόληπτος, *Deo afflatus*. Eccl. Hier. cap. 2. P. 2. §. 7.

Θεολογία, *Sermo de Deo*. Eccl. Hier. cap. 1. §. 1. & passim alibi. Hoc autem nomen Theologiæ per excellentiam primùm competit sacris Euangeliis, quæ non tantùm de Deo, sed ipsiusmet Dei, scilicet Christi, sermo sunt. Proximus post eum sermo est eorum, qui Christum propter eius erga humanum genus amorem viderunt, & ipsi sermones eius audiuerunt. Post hos, qui illos primos & secundos sermones exposuerunt, & deinceps consecuti sunt, dummodò quæ tradunt, cum septem Synodis Oecumenicis consentiant, ita vt nihil amplius intelligant, ne-

que quidquam detrahant, quod diris execrationibus vetitum est.

Nota autem, veteres *Theologiam* propriè vocasse mysterium Trinitatis (sicut *Oeconomiam* mysterium Incarnationis, de quo suo loco vide vocabulum οἰκονομία.) Sanctus Dionysius De Diuin. nomin. cap. 2. duplicem Theologiam agnoscit, nempe ἡνωμένην καὶ διακεκριμένην, id est *coniunctam & discretam*. Coniunctam seu vnitam vocat eam, cuius est ea quæ in Deo indistincta sunt, totique Trinitati communia, contemplari: eiusmodi sunt essentia diuina, diuinæ proprietates seu attributa, opera omnia *ad extra*, quæ toti Trinitati conueniunt. Discretam verò, quæ discreta & distincta in Deo speculatur ac celebrat; qualia sunt diuinæ hypostases, processiones personarum, attributa notionalia, & quæcumque diuinæ alicuius personæ propria sunt. Sic Mystic. Theolog. cap. 3. vocat τὴν Πνεύματος Θεολογίαν, id est *Spiritus sancti Theologiam*, ea quæ eius personæ propria sunt. Porrò Theologiam rursus diuidit in καταφατικὴν, id est *affirmantem*, καὶ ἀποφατικὴν, id est *negantem*, scilicet secundùm duplicem viam quâ in Dei cognitionem peruenitur. de quibus vide suis locis in lib. de Diuin. nomin. & Myst. Theol. c. 3. 4. 5.

Θεόλογος, *Theologus*, siue qui de Deo rebusq; diuinis disserit. Hoc nomen ἀντονομαστικῶς competit S. Ioanni Euangelistæ, ad quem est Epist. x. Vocat quoque absolutè sic Apostolos & Prophetas veteris Testamenti, Cæl. Hierar. cap. 10. & alibi.

Θεομιμησία, *Dei imitatio*. Cæl. Hierar. c. 13. §. 3.

τὸ Θεομίμητον. Idem. Cæl. Hier. c. 3. §. 2.

Θεομιμήτως. Idem aduerbialiter. Eccl. Hierar. c. 3. P. 3. §. 3. Hanc autem diuinæ mentis imitationem vulgò Patres in virtutibus collocant, non tamen omnibus, sed ijs maximè, quæ præstanti quadam magnitudine excellentiaque sunt mirabiles; vt in amore erga Deum. Est enim opifex mirabilis amor, qui animorum commutationem & transformationem scitè & potenter machinetur. Præclarè Synesius Epistol. XXXI. Ἡ μίμησις, οἰκείωσις ἐστιν. *Imitatio familiaritatis & amicitiæ conciliatio est*; & conglutinat amantem illi quem imitatur. S. Dionysius Cælest. Hier. c. 3. illam Dei imitationem, de quâ loquimur, positam esse vult in *zelo animarum*, & salute hominum quærendâ. Alij denique illam Dei imitationem ad *castimoniam* referunt. Hinc Methodius apud Photium dictam vult esse παρθενίαν, *virginitatem*, quasi παρὰ θείαν, vnius aut alterius litterulæ commutatione, vt quæ sola illum, qui virginitatis intemerata continet mysteria, Θεῷ ἀπεικάζει, *Deo assimilat*.

Θεοπαράδοτον, *Diuinitus traditum*. Sic Traditiones diuinas, θεοπαραδότοις λόγοις appellat, quos Eccl. Hier. cap. 1. æquiparat, & tantum non præfert Scripturis sacris. Item Eccles. Hier. cap. 2. P. 1. §. 1.

Θεοπάτωρ, *Deipater*. Epist. VIII. §. 1. sic vocat Dauidem, propter Christum qui secundùm carnem est ex Dauide. Cùm autem Christus sit Deus, & Dauid progenitor seu pater Christi, vtique, propter idiomatum in Christo communicationem, Dauid dicitur pater Dei. Vnde sequitur, quòd si Dauid pater Dei vocetur propter Christum ex eius semine descendentem; multò magis Mariam vocandam esse matrem Dei, vtpote reuerà θεοτόκον, propter eumdem Christum, non remotè vti ex Dauide, sed proximè & coniunctissimè è virgineo suo sanguine procreatum.

Θεοπλασία, *Deiformatio*, seu formatio quæ fit à Deo. Diuin. nomin. cap. 2. §. 8. vbi sic vocat ipsius humanæ naturæ Iesu in virginis vtero formationem.

Θεοποιὸν, *Deificum*, compositum ex Θεὸς, id est *Deus*, & ποιέω, id est *facio*. Frequens est istiusmodi compositionis vsus Dionysio Cæl. Hier. cap. 1. §. 1. & passim alibi. Vide ibidem Annotationes nostras.

Θεοπρεπὴς, *Deum decens*. De Diuinis nominibus cap. 2. §. 1. 2.

Θεοπτία, *Dei visio*. Epist. VIII. §. 1.

Θεοπτικὸς, *Dei-visiuus*, id est Deum videns. Sic vocat ordinem Pontificum, & eos quibus competit mysteria intueri. Eccl. Hierarch. c. 5. P. 1. §. 5.

Θεοῤῥημοσύνη, *Diuina institutio*. Eccles. Hier. c. 2. P. 3. §. 1.

Θεὸς θεῶν, *Deus deorum*. Quomodo sic dicatur Deus verus, vide Diuin. nom. c. 12. §. 4.

Θεοσημεία, *Diuinum ostentum* seu *portentum*. Epist. VII. §. 2.

Θεοσοφία, *Diuina sapientia*. Mystic. Theolog. cap. 1. §. 1. sic appellat Mysticam Theologiam, quæ cognitio est rerum altissimarum per altissima principia; quam iure merito diuinam appellat, Primùm, quia à Deo est, vtpote Spiritus sancti donum: deinde, quia circa Deum præcipuè versatur: denique, quia scientiæ Dei, quâ seipsum cognoscit, & scientiæ Beatorum subalternatur.

Θεότης, *Deitas* seu *diuinitas*. Nota cum Hersentio, vocem hanc in Dionysij Theologiâ quadruplicem habere acceptionem. Prima est, quâ, vt habet de Diuinis nominibus cap. 11. sumitur ἀρχικῶς, καὶ θεικῶς, καὶ αἰτιατικῶς, id est *principaliter, & diuinè, & causaliter*, vt ipsam scilicet diuinam essentiam significat. Secunda, quâ accipitur μεθεκτῶς, id est *participanter* seu *communicabiliter*. Et hoc modo duplicem habet significationem: aliquando enim pro deificationis principio, quod ipse αὐτοθέωσιν seu *deitatem ipsam* vocat, quam inter Θεοῦ τὰς ἀμεθέκτου προνοητικὰς δυνάμεις, id est *Dei qui in seipso imparticipabilis est prouisorias virtutes* collocat; aliquando pro ipsâ deitatis participatione, seu pro ipsâ Deificatione, quæ fit in Angelis & Sanctis. Denique eam accipit quâ diuinum nomen lib. de Diuin. nomin. c. 12. quo pacto ab eo definitur Θεότης ἐστὶν ἡ πάντα θεωμένη πρόνοια, *Deitas est omnia contemplans prouidentia*. Vide de his ibidem Scholia S. Maximi, & nostras Annotationes.

Θεουργικὸς, *Deificus*, vel cui deificandi vis inest. Aut etiam passiuè pro eo quod à Deo fit. Sic Christi virtutes vocantur Θεουργικαὶ, vtpote à persona Dei factæ. Cæl. Hierar. cap. 7. §. 2. Sic Θεουργία vocatur *Dei operatio*, & Θεουργὸς, *qui Diuinis operatur*, κατ' ἐξοχὴν verò is qui corpus Christi consecrat, quod opus principaliter est Christi ac Dei, qui per Sacerdotem ceu ministrum

nistrum sacris operatur, dum in personâ Dei ac Christi sacræ consecrationis verba pronuntiat, quæ infallibilem ex Dei institutione atque operatione effectum sortiuntur ab authentico ministro, cum debitâ intentione prolata. Hinc Θεουργοὶ dicti Sacerdotes, & à S. Gregorio Nazianzeno Orat. I. θεοποιοῦντες, id est *Deos facientes.* Qui aliàs quoque ait Orat. 23. se ad aram μυσταγωγεῖν τ̃ θέωσιν, *sacrum munus deificantis obire.* Ita S. Ambrosius Sacerdotium *Deificam professionem* nuncupauit; & S. Dionysius Ecclesf. Hier. c. I. Hierarchiam nostram vocat θεουργικὴν, *Deos efficientem.* Non modò, inquit sanctus Maximus, quòd eos qui in arce religionis sedent, & pietatem moderantur, ad Dei similitudinem euehat, & beati Numinis communionem, verùm etiam quòd in Christianis θεοὺς ἀπεργάζεται, *Deos efficit.* Sic etiam S. Dionysius Diuin. nomin. cap. I. θεουργικὰ φῶτα, *Diuina lumina*, atque, vt ita loquar, *deifica* nuncupat τὰς διδασκαλίας τῶν ἁγίων, *doctrinas Sanctorum*, vt ait S. Maximus. Quòd, inquit, lumen cognitionis efficiant, eosque diuinos reddant, qui proditæ ab illis sapientiæ paruerint.

Θεοφανεία, *Dei apparitio.* Cælest. Hier. cap. 4. §. 3. Quid per hanc intelligatur, vide ibidem nostras Annotationes & Scholia S. Maximi.

Θεόφορον, *Deiferum.* Quid per hoc significetur, vide S. Maximum in Scholiis ad cap. 7. Cælest. Hierarch. §. I.

Θεόφυτον, *A Deo plantatum.* Diuin. nomin. cap. 2. §. 7.

Θεόχριστος, *A Deo vnctus.* De Diuinis nominibus cap. 3. § 2.

Θεραπευταί, *Cultores*, scilicet sacrorum. Sic vocat Monachos Ecclesf. Hierarch. cap. 6. P. I. §. 3.

Θεραπευτικῶς, *Officiosè, ministratoriè.* Cælest. Hier. cap. 7. §. I.

Θεράπων, *Famulus, seruus.* Epist. VIII. §. I.

Θέσις, *Positio, affirmatio, conclusio.* Myst. Theolog. c. 2.

Θεσμοθεσία, *Legislatio*, scilicet de re sacrâ seu cærimoniis sacris, in quo differt à νομοθεσία, quæ latiùs patet, & ad politica se extendit. Cæl. Hierarch. c. 4 §. 3. Vide ibidem Scholia S. Maximi.

Θεωνυμία, *Deinominatio.* De Diuinis nominibus c. 2. §. I. & Myst. Theol. c. 3.

Θεωρητικός, *Contemplator*, seu speculator rerum diuinarum. Hoc nomine intelligit illos, qui post catechumenos cum profanâ turbâ dimissos, interesse possunt ipsi sacrificio Missæ, quibus sacra Hostia ostenditur. Ecclesf. Hier. cap. 3. P. 3. & c. 5. P. I. §. 6.

Θεωρία, *Contemplatio.* Hoc nomine inscribit Tertiam partem capitum libri de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, vbi Mysticè exponit ritus Sacramentorum.

Θέωσις, *Deificatio*, scilicet quæ per gratiam fit, per quam diuinæ consortes naturæ efficimur, Deum induimus, & filij Dei nominamur & sumus. Hæc est autem, quam S. Dionysius vocat τὴν ἡμῶν ἀνάλογον θέωσιν, id est *nobis proportionatam deificationem*, dum, cùm naturâ non valeamus, affectu & habitu diuini & quasi Dij efficimur. Cælest. Hierarch. cap. I. §. 3. Hunc autem Ecclesf. Hier. cap. I. nostræ Hierarchiæ scopum statuit, vt Pontifices omnes in diuinis mysteriis perficiantur, καὶ θεοδῶνται, *& diuinum vitæ genus* consequantur, & prætereà illis quibus ipsi præsunt, ἱερὰν θέωσιν, *sacram diuinitatem*, hoc est diuinæ mentis similitudinem, quæ in ipsis diuinitus inest, pro suâ cuique dignitate impertiant. Inferiorum autem munus atq; partes esse monet, præstantissimos illos sequi, in dies proficere, & esse duces aliorum ad præstabilissimum vitæ modum, & beatæ mentis similitudinem.

Θηρομορφία, *Feræformatio*, id est descriptio ferarum quibus Scriptura vtitur, vtputa in Ezechiele cap. I. Cæl. Hier. c. 2. §. I.

Θιασώτης, *Diuinus contemplator.* Græcus Interpres, χορεύτης, ὁ τὰ θεῖα ᾄδων: id est *choragus* seu *qui chorum ducit, qui diuina canit.* Apud profanos autem θίασος est saltatio & pompa quæ Baccho exhibebatur. Verùm hinc procul este profani: propriè per hoc vocabulum intelligit S. Dionysius diuinum contemplatorem, cuius tota iubilatio est in Deo, in quo eius mens imò etiam cor & caro exultant. Cæl. Hierarch. cap. 2. §. I. Ecclesf. Hierar. cap. I. §. I. vbi τοῖς θιασώταις ἡμῶν, vertunt, Scotus, *discentibus nobis*; Ambrosius, *nobis suis studiosis cultoribus*; Sarracenus, *diuinorum chorum agentibus nobis*; Gallus, *à nous dire ses consors*; Perionius, *nobis qui diuinitus illustrati sumus*; Lansselius, *nobis in rebus diuinis collegis.* Sed magis placet, *nobis diuinis contemplatoribus*, diuini scilicet Spiritus thiaso atque œstro percitis, & Spiritus sancti musto plenis.

Θρεπτικόν, *Nutritiuum*, id est nutriendi vim habens. Diuin. nom. cap. 4. §. 28.

Θρησκεία, *Religio, cærimonia, cultus Dei.* Epistol. VI.

Θρυλλούμενα, *Vulgata, celebria, nota*, à verbo θρυλλέομαι, *vulgo, euulgo.* Epist. VII. §. 2.

Θρυπτόμενος, *Delicians, delicatè se habens.* Epist. VIII. § I.

τὸ Θυμοειδὲς, *Vis irascibilis.* Quid mysticè sit, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 8.

Θυσιαστήριον, *Altare*, in quo θυσίαι, id est hostiæ immolantur ac collocantur. Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 3. P. 2.

I.

Ἰδιοπραγία, *Propria operatio.* Epist. VIII. in titulo.

Ἵδρυσις, *Stabilitas, firmitas.* Designat statum firmum & inconcussum, solidè fundatum & immutabilem, qualis est rerum cælestium. Græcus Interpres exponit ἑδραίωσις, ἀσφάλεια, id est *stabilitas, securitas.* Cæl. Hier. c. 2. §. 4. Ecclesf. Hier. c. I. § I.

Ἱεραρχεῖν, *Præesse sacris*,

Ἱεραρχεῖσθαι, *Subesse sacris*, siue ab alio in rebus sacris dirigi. Cælest. Hier. cap. 15. §. I. & passim alibi.

Ἱεράρχης, *Hierarcha, Princeps sacrorum.* Nota, sanctum Dionysium ἱεράρχας appellare solere primariò quidem Christum, deinde S. Paulum ac ceteros Apostolos, & post hos, Pontifices, Patriarchas, Archiepiscopos, Metropolitanos, & Episcopos, quos etiam τελετὰς, ἱεροτελεστάς,

τὰς, τελετάρχας, μυσταγώγοις, τελεστικοὺς, τελεσιουργούς· Sacerdotes verò vocat ἱερεῖς, φωτιστικοὺς, ἱερουργοὺς, πρεσβυτέροις· Diaconos verò, διακόνοις, λειτουργοὺς, καθαρτικοὺς· Subdiaconos verò θεραπευτάς· Monachos denique Μονάχοις, ἐνιαίους, post quos ponit populum Christianum. Et hæc est subordinatio Ecclesiasticæ Hierarchiæ.

Ἱεραρχία, *Hierarchia*, seu *sacer principatus*. Ἱερὸν enim idem est quod *sacrum*, ἀρχὴ verò *principatus*. Accipitur autem ferè pro ordine quodam sacro, seu subordinatione in rebus sacris, ita vt insinuet & quasi simul connotet superiorum erga sibi subditos prælationem, & subditorum erga sibi prælatos subiectionem, dum gradu atque ordine inferiores à superioribus ad Deum per diuina munia promouentur, vti sanctus Dionysius fusiùs exponit Cælest. Hierarch. cap. 3. & Eccles. Hierar. c. 1. & passim alibi.

Ἱερεὺς, *Sacerdos*. Eccl. Hier. c. 3. P. 2.

Ἱερογραφία, *Sacra descriptio*. Vide Ἱεροπλασία, cui synonymum est. Cęl. Hier. c. 2. §. 1.

Ἱερολογία, *Sacra verba*, siue eorumdem recitatio. Eccl. Hier. c. 3 P. 2.

Ἱερόλογος, *Sacer scriptor*, vel *sermocinator*. Diu. nom. cap. 4. §. 12.

Ἱερομύστα, *Sacer Doctor*, qui nimirum sacra mysteria confert aut explicat. Sic per excellentiam vocat Apostolos. De Diuinis nominibus cap. 2. §. 3.

Ἱεροπλασία, *Sacra fictio*, ex ἱερὸς, id est *sacer*, & πλάσσω, id est *fingo*. Sic autem vocat symbola & figuras, quibus res spiritales adumbrantur, & ad captum nostrum nobis repræsentantur, dum præter id quod sensibus exhibent, aliquid arcanum intelligendum præbent. Cæl. Hierarch. cap. 2. §. 1.

Ἱεροπλάστως, *Fictione quadam sacrâ*. Scotus vertit, *sacrè & formaliter*; Sarracenus, *sanctâ formatione*; Lansselius, *sacrâ & arcanâ fictione*. Cæl. Hier. cap. 2. §. 1.

Ἱεροπρεπῶς, *Sacrosanctè*, scilicet vt sacra decet. Eccl. Hier. cap. 1. §. 1.

Ἱεροτελεστὴς, *Sacrorum perfector*, seu *sacer initiator*, id est qui initiat sacris, vel sacra administrat. Ecclesiast. Hierar. cap. 1. §. 4. Vide ibidem Scholia S. Maximi. Christum autem vocat πρῶτον ἱεροτελεστὴν, *primum Pontificem & initiatorem ordinum sacrorum*, quem Tertullianus appellat *authenticum Pontificem Dei Patris*, *eliminatorem humanarum macularum*, *& sacrificiorum æternorum Antistitem*. S. Dionysius quoque præclarè Eccl. Hier. cap. 4. sacram Eucharistiam nominat ἱεροτελεστικωτάτην, quippe principem partem Pontificij muneris & sacrorum, quæ maximam perficiendi vim habet, quæ plurimùm ad sanctimoniam inducendam potest, & sacra omnia dona, quæ diuinitus ad nos perueniunt, in se vna complectitur.

Ἰθύτομον, *Rectè sectum*, id est directum, æquale. Cæl. Hier cap. 15. §. 9.

Ἱλαρίων ἡμερῶν, *Hilariorum dierum*. Epist. VIII. §. 6. Vbi nota, Hilaria fuisse festa Cybelæ Matri deûm consecrata, de quibus vide nostras Annotationes, & S. Maximũ in Scholiis ad prædictum, & fusè nostrum Halloix in Notationibus ad cap. 8. Vitæ S. Dionysij Tom. 2. pag. 302.

Ἴνδαλμα, *Impressio*, scilicet imaginaria, id est imago interior in phantasiâ per imaginationem impressa & expressa. Eccles. Hierar. cap. 4. P. 3. §. 1. Græcus, φαντασία, ἀφομοίωμα, id est *imaginatio, repræsentatio*.

Ἵππων μορφὴ, *Equorum forma*. Quid mysticè, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 8.

Ἰσόρροπον, *Æquilibre*, seu *æquiualens*. Eccl. Hier. cap. 7. P. 3. §. 3.

Ἰσότης, *Æqualitas*. De Diuinis nominibus cap. 4. §. 10.

K.

Κάθαρσις, *Expiatio*. Quid in Angelis significet, vide apud S. Maximum in Scholiis ad cap. 7. Cæl. Hierarch. §. 3. Quomodo fiat, vide Cælest. Hier. cap. 13. §. 4. & ibidem Pachymerem.

Καθαρτικὸς, *Expiatorius*, qui expiandi habet potestatem. Sic appellat Diaconos, quibus competebat ex officio, Catechismis & exorcismis disponere & expiare populum profanum, eumque deinde tradere Sacerdotibus illuminandum. Quapropter Diaconatus ordinem vocat τάξιν καθαρτικὴν, id est *ordinem expiatorium*, Eccl. Hier. cap. 5. P. 1. §. 6.

Καθυποτάξαι, *Subigere*, *subijcere*. Epist. VII. §. 2.

Κακὸν, *Malum*. Quid sit, & vnde, vide c. 4. De Diuinis nominibus §. 18. vsque ad finem pulchrè ac fusè disputatum.

Κακύνω, *Deprauo*. Diu. nom. cap. 4. §. 18.

Καλλοποιὸν, *Pulchrificum*. Sic Dei vocat καλλοποιὸν εὐπρέπειαν, *pulchrificam venustatem*, seu decorem, cuius nempe amor nos ornat & pulchros ac decoros facit. Cæl. Hier. cap. 2. §. 4.

Κάλλος, *Pulchritudo*. Ita Græcè dicta, (vt tradit Dionysius Diu. nom. cap. 4.) ὡς πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλοῦν, *vt omnia ad seipsam vocans*. Quomodo autem Deo hoc nomen competat, vide fusiùs loco citato S. Dionysium.

Καλλωπίζω, *Calamistro*, id est fuco & mentito colore adorno. Eccl. Hier. cap. 6. P. 3. §. 3.

Καρδία, *Cor*. Quid mysticè significet, vide Cæl. Hierar. cap. 15. §. 3. & ibidem S. Maximum.

Καταδέεστερα, *Inferiora, ignobiliora*. Diuin. nom. cap. 4. §. 7.

Κατάποσις, *Vorago, absorptio*. Eccl. Hier. cap. 4. P. 3. §. 10. vbi pro *deiectione*, lege *voragine*: ἀπερισκέπτως enim legeram καταπτώσεως pro καταπόσεως.

Κατάφασις, *Affirmatio*, siue propositio affirmatiua. Vide Ἀπόφασις.

Καταφάσκειν, *Affirmare, attribuere*. Myst. Theol. cap. 1. §. 2. Græcus Interpres τὸ κατάφασις exponit ἀπόφανσιν τινὸς κατά τινος, id est *enuntiatio alicuius de aliquo*.

Κατηχούμενοι, *Catechumeni*, qui per sacras institutiones disponuntur ad Baptismi susceptionem. Eccl. Hier. cap. 2. 3. & 4.

Κίνησις, *Motus, motio*. Quid in Deo, vide Diu. nom. cap. 9. §. 9.

Κλεινὸς, *Inclytus, illustris*. Græcus Interpres, ἔνδοξος ἀρετῇ, *celebris virtute*. Diu. nom. cap. 3.

Κληροδοσία, *Hereditatis consignatio*, sic dicta, quòd sortibus assignari soleat. Eccl. Hier. cap. 3. P. 3. §. 4.

Κοίμησις, *Obdormitio*. Accipitur pro morte. Eccles. Hier. c.7.P.1. præsertim piè defunctorum, quorum mors meritò assimilatur somno placidissimo, sanctis viris exoptando. Nam vir pius, inquit ibidem S. Dionysius, qui ad extremum quasi actum suorum certaminum venit, εὐφροσύνης ἀποπληροῦται, *sancto gaudio completur*, & cum magnâ voluptate viam secundi ortus, id est resurrectionis ingreditur. Addit, illius propinquos & familiares in eius morte beatum ipsum prædicare, quod πρὸς νικηφόρον τέλος, ad laureatum triumphalemque finem optatissimè peruenerit. Duci autem ab illis corpus ad pium locum, atque ad Hierarcham ὡς ἐπὶ στεφάνων ἱερῶν δόσιν, *quasi ad sanctarum coronarum donationem*.

Κοινωνία, *Communio*. Sic per excellentiam appellat Eucharistiæ Sacramentum, quæ est sublimissima communio, quâ Christus ac Deus nobis modo perfectissimo communicatur. Eccles. Hierarch. cap.3.P.1.

Κορυφή, *Culmen, fastigium*. Mystic. Theolog. cap.1. §. 1.

Κρατήρ, *Crater, poculum*. Quid mysticè, vide Epistol.IX. §.3.

Κρύφιον, *Abditum, occultum*. Κρυφία θεότης, *Abdita diuinitas*. Diuin. nom. cap. 1. §. 1. Deus enim in sacris Litteris dicitur occultus atque absconditus, & 1. Tim. 6, 11. Lucem habitare inaccessibilem. & Psal. 17, 14. Posuisse tenebras latibulum suum; eumdemq; ipsum Moysi & Prophetis sese nube, veluti sipario tectum ostendere consueuisse; vt intelligamus, hominum generi vix concedi vt aciem mentis in eas tenebras & inaccessam lucem intendat. Hinc Pachymeres animaduertit, Dionysium Areopagitam Epist. III. pro Deo ponere κρύφιον, & diuinitatem appellare solere κρυφιότητα, quòd nihil sit absconditum magis & remotum à cognitione. Vnde factum, vt omnes sancti Patres cum diuo Damasceno, de Fide lib. 1. cap. 13. communi animorum consensione Deum vocent ἀκατάληπτον, *qui comprehendi nequit*.

Κρυφιότης, *Secretio*, scilicet Mystica seu spiritalis, quâ Deus & Angeli, tesque omnes merè spiritales ac supernaturales, ab intellectu nostro secernuntur, & quodammodò absconduntur, vt per proprium conceptum à nobis concipi non valeant. Cælest. Hier. cap.15. in fine. De arcanâ istâ secretione vide cap. 1. Myst. Theol. & ibidem S. Maximum, & nostras Annotationes.

Κρυφιομύστης. *Arcana docens*. Hinc adiectiuè κρυφιόμυστον, *arcanè doctum*. Myst. Theol. c.1. §.1.

Κυκλικῶς, *Circulariter, orbiculariter*. Diu.nom. c.4.§.8.

Κύριος κυρίων, *Dominus dominorum*. Quomodo Deus, vide Diuin. nom. cap. 12. §.2.3.

Κυριαρχία, *Principatus in dominationes*. Sic Deum appellat, qui est Dominus dominantium. Cæl.Hier.cap.8. §.1. vide ibid. Schol. S. Max.

Λ.

Λειτουργία, *Ministerium*. Sic per excellentiam vocatur Missa. Epist. VIII. §. 1.

Λειτουργός, *Minister sacrorum*. sic appellat Sacerdotes qui sacris operantur, & Diaconos qui sacris ministrant. Eccl. Hier. cap.3. Part.2. & cap.5. P.1. §.6.

Λεοντόμορφη, *Leonis forma*. Quid mysticè, vide Cælest. Hierar. cap. 15. §. 8.

Λευκὸν χρῶμα, *Albus color*. Quid mysticè, vide Cæl. Hierar. cap.15. §.7.

Λῆξις, *Quies, otium*. Eccl. Hier. cap. 1. §. 4. Significat etiam hereditatem & sortem, à verbo λαγχάνω deriuatum.

Λίθων πολυχρωμάτων εἶδος, *Lapidum multicolorum species*. Quid mysticè, vide Cælest. Hier. cap.15. §. 7.

Λογίων, *Eloquiorum*, seu *oraculorum*, id est scripturarum. Has enim per excellentiam passim Λόγια appellat. Cælest. Hierar. cap. 1. §. 2. & alibi, quippe quòd sint vera verba Dei, & quæ res diuinas nobis explicant. Vide Obseruationem Generalem 1. Ait autem, eius quæ apud nos est Hierarchiæ substantiam esse θεοπαράδοτα Λόγια, *Eloquia diuinitus tradita*, hoc est, vt sancti Patres explicant, τῶν θείων Γραφῶν ἀληθινὴν ἐπιστήμην, *diuinarum Scripturarum verissimam cognitionem*. vide Eccl. Hier. cap. 1. Vnde etiam Diuin. nomin. cap. 2. meritò laudat in præceptore suo Hierotheo τὴν ἐπιστημονικὴν τῶν Λογίων ἐρευνάν, *Diuinorum voluminum considerationem, & indagationem seriam ac diligentem*: ad quæ, inquit, intelligenda, πολλὴν γυμνασίαν τε καὶ τριβὴν, *multam exercitationem, & diuturnum vsum attulerat*. Quem locum illustrans S. Maximus, Nota, inquit, maximè conuenire Sacerdotibus, θεωρεῖν τὴν θείαν Γραφὴν, *diuinam Scripturam contemplari*. Hinc à primis Ecclesiæ temporibus fuit constitutum, vt in consecrationibus Episcoporum eorum capitibus imponerentur θεοπαράδοτα Λόγια, *à Deo data Oracula*, vt tradit S. Dionysius Eccles. Hier. cap.5. P.2. & 3. §.7. quæ S. Maximus & Pachymeres *sancta Euangelia* interpretantur. Hæc Antistites summis in capitibus ad mundi institutionem gestare debent.

Λογόμαχος, *Querulosus, contentiosus*. Epistolâ VIII. §.1.

Λόγος, *Verbum, sermo, ratio*. Diuin.nom.c.4. §.10. & c.7. §.4. & alibi.

Λοιδορεῖσθαι, *Conuitiari, criminari*. Ep.VII. §.2.

Λοξὰ σοφίσματα, *Obliquæ captiones verborum*. Græcus Interpres exponit, σκολιὰ, καμπύλα, οὐκ ἐξ εὐθείας γινωσκόμενα, id est *tortuosa, curua, quæ non directè intelliguntur*. Epist.IX. §.1.

M.

Μαιευτικὰ Λόγια, *Obstetricantia Oracula*. Sic vocat Catechesin seu doctrinam Christianam, quâ Catechumeni à Diaconis instituebantur, qui instar obstetricum illos fouebant, & ad Baptismum & spiritalem in Christo natiuitatem disponebant. Eccl. Hier. c. 5. P.3. & c. 6. P.1. §.1.

Μαρμαρυγὴ, *Coruscatio, splendor*. Eccles. Hier. cap.3.P.3. §.10.

Μέγα, *Magnum*, quomodo de Deo dicatur, vide Diu.nom.cap.9. §.1. & 2.

Μεγαλουργία, *Magnificentia, seu magna-operatio*. Epist. VII. §.2.

Μεριστὸν, *Partibile*, id est quod partes habet, & in eas diuidi potest. Diu.nom. cap.1. §.4. S. Maximus

ximus in Eccl. Hierarch. cap. 3. Dissipantes animum pium, & turbantes affectiones scitè vocauit μεριστικάς, diuidendi vim habentes, quæ proinde cùm beatissimam cum Deo coniunctionem familiaritatemque impediant, conatusque diuinos retundant, vel eo maximè nomine repellendæ sunt fugiendæque viris sacris.

Μεσοπετὴς, *In medio volans.* Vide Scholia S. Maximi ad cap. 7. Cæl. Hier. §. 3.

Μετάδοσις, *Communicatio, traditio.* Diu. nom. c. 4. §. 7. & Cæl. Hier. c. 7. vbi ait esse ratū Theologiæ axioma, in pulcherrimis illis ordinibus sacrorum spirituum esse continuam μετοχὴν, καὶ μετάδοσιν θείου φωτὸς, participationem diuini luminis, eiusdemque traditionem, Et primos quidem omniumque supremos Seraphinos & Cherubinos, qui Deo finitimi sunt, ἀμέσως, nullius interuentu è fonte ipso haurire primas illustrationes atque irradiationes Numinis sempiterni, & mysticam arcanamque rerum intelligentiam capere, quam deinde ordine mirifico in inferiores communicent. Sic omnino in Ecclesiæ gubernatione diuina prouidentia constituit, vt quidam essent arcanorum mysteriorum & cælestium rerum cognitione præstantes, atque à Deo pro gradus sui ratione illuminati, qui deinde salutarem illam scientiam alijs traderent, vti docet Eccl. Hier. cap. 1.

Μεταδοτικὸν, *Participatiuum, communicatiuum,* id est quod alios sui participes faciendi vim habet. Cælest. Hierarch. cap. 1. §. 1.

Μετακαλέω, *Reuoco, retrorsum voco.* Epist. VIII. §. 1.

Μεταμόρφωσις, *Transfiguratio, transformatio.* Diu. nom. cap. 1. §. 4.

Μῆκος, *Longitudo.* Quid in Deo sit, vide Diu. Nom. cap. 9. §. 5.

Μητρὶς, *Matria,* id est maternum solum. Diu. nom. cap. 4. §. 11.

Μίθρας, *Mithra,* id est *Sol.* Persicum est vocabulum. Epist. VII. §. 2. Vide ibidem Annotationes & Scholia S. Maximi, & Petrum Halloix in Notationibus ad caput III. Vitæ S. Dionysij.

Μικρὸν, *Paruum.* Quomodo de Deo dicatur, vide Diu. nom. cap. 9. §. 3.

Μοναχὸς, *Solitarius.* Quod autem sit institutum Monasticum, vide Eccl. Hier. cap. 6. & ibidem S. Maximum & nostras Annotationes.

Μοναχῶς, *Solitariè.* Diu. nom. cap. 5. §. 6.

Μονὴ, *Mansio.* Diu. nom. cap. 4. §. 7.

Μονιμότης, *Solitaria mansio.* Diu. nom. cap. 2. §. 3.

Μονοειδὴς, *Vnimodus,* id est qui minimè varius est, sed eodem modo semper se habet. Diu. nom. cap. 4. §. 6.

Μορφοποιΐα, *Efformatio* seu *formarum effictio,* dum rebus spiritalibus formæ corporales affinguntur, & sub formis sensilibus proponuntur. Cæl. Hier. cap. 2. § 1.

Μύησις, *Diuina doctrina,* scilicet mystica & arcana, quæ per diuinam inspirationem, sine humano magisterio percipitur, in interiore animæ recessu, siue, vt S. Dionysius ait, ἐν τῇ κατὰ νοῦν κρυφιότητι, id est *in abdito mētis.* Deriuatur à verbo μυέω, id est *doceo, instituo, initio,* scilicet spiritaliter, vti iam dictum est. Cælest. Hier. cap. 2. §. 5. in fine, & passim alibi. Hinc S. Dionysius viros sacros, & in spiritu illuminatos, μυήτας appellare solet, vti econtrà profanos vocat ἀμυήτους, id est sacræ doctrinæ ac sacrorum exortes. Græcus Interpres exponit Μάθησις, κατήχησις, ἐπιστήμη, id est *disciplina, catechesis, scientia.*

Μυκητικὸν, *Boarium,* vel mugiendi vim habens ad instar boum. Cæl. Hier. cap. 2. §. 2.

Μυσταγωγέω, *Mysteria doceo, sacris initio, ad sacra deduco.* Cæl. Hier. cap. 6. §. 1.

Μυσταγωγία, *Doctrina mysteriorum.* Græcus Interpres μυστηρίων ἀγωγὴ, διδασκαλία, καὶ μέθεξις, ἢ μυήσεως ἀγωγὴ, καὶ μετάληψις, δηλαδὴ θεία, id est, *mysteriorum adductio, doctrina, & communio vel doctrinæ sacræ deductio, & participatio, scilicet diuina.* Eccl. Hier. c. 1. §. 1. Myst. Theol c. 1 §. 2. vbi etiam vide Annot. & Scholia S. Maximi.

Μυστήριον, *Mysterium, sacramentum,* & per excellentiam Eucharistia. Eccl. Hier. cap. 3.

Μυστικὸν, *Mysteriosum.* Diu. nom. cap. 2. § 9.

Μυωπάζω, *Conniueo, nicto.* Dicitur de ijs qui breuem ac debilem visum habent. Eccles. Hier. cap. 2. P. 3. §. 3.

N.

Νέος, *Nouus, iuuenis.* Diu. nom. cap. 10. §. 2. vbi benè notat noster R. P. Petrus Halloix, præferendam esse significationem *iuuenis*; atque adeò illa verba, καὶ πολιὸς καὶ νέος πλάττεται ibidem verte; *& canus & iuuenis fingitur.* Meliùs enim opponitur seni & cano iuuenis quàm nouus.

Νοερὸς, *spiritalis, intellectilis.* Diu. nom. cap. 4. §. 1. Vbi vide Scholia S. Maximi.

Νοερότης, *spiritalitas, intellectualitas, intelligibilitas.* Diu. nom. cap. 4. §. 9.

Νόησις, *Intelligentia.* Diu. nom. cap. 4. §. 10. & alibi.

Νοητὸς *Intelligibilis.* Quæ autem differentia sit inter νοητὸς & νοερὸς, vide apud S. Maximum in cap. 4. De Diuinis nom. §. 1.

Νοῦς, *mens.* Accipit S. Dionysius pro Angelo, quos passim νόας, id est *mentes* appellat. Vide nostras Annotationes ad cap. 1. Cæl. Hier. & ibidem Scholia S. Maximi §. 2.

Νῶτον, *Dorsum.* Quid mysticè significet, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 3.

Ξ.

Ξανθὸν χρῶμα, *Flauus color.* Quid mysticè sit, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 7.

O.

Ὄγκον, *Grauitas, onus.* De Diuinis nom. cap. 2. §. 9.

Ὄγκος, *Moles.* Myst. Theol. cap. 4.

Ὁδοποιητικὸν, *Viæ factiuum,* id est viam præparandi vim habens. Cæl. Hier. cap. 15. §. 3.

Ὀδόντες, *Dentes.* Quid mysticè designent, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 3.

Οἰκοδομητικὸν, *Ædificatiuum,* id est ædificandi vim habens. Cæl. Hier. cap. 15. §. 5.

Οἰκονομία, *dispensatio.* Ita S. Dionysius passim appellare solet mysterium Incarnationis, vocabulo

bulo ex eo translatè sumpto, quòd Christus vnus in vtraque naturâ Filius Dei & idem filius hominis, ad instar boni patris familias benè ac sapienter domum & domestica omnia gubernantis, tamquam fidelis, vt Apostolus ait Heb. 3. in totâ domo suâ, quæ domus sumus nos, & genus humanũ per peccatum amissum, & peccatis venditum, summâ misericordiâ, & sapientiâ ac iustitiâ per passionem & mortem recuperauit & redemit, restituens illud, & quidem abundantiùs, in pristinam gloriam, in quam à principio in Adam multos filios, sicut Apostolus ad Hebræos scripsit, adduxerat.

Οἰκονομικῶς, *Dispensatoriè.* Eccl. Hier. cap. 4. P.3.§.12.

Οἶμος, *Via, semita.* Cæl. Hierarch. cap. 15. §.9.

Ὁλικῶς, *Totaliter, integrè.* Diu. nom. cap. 2. §.6.

Ὁλοκαυτούμενον, *Penitus concrematum.* Intelligit de mysticâ concrematione per amorem. Eccl. Hier. cap.4. P. 3.§.12.

Ὁλότης, *Totalitas.* De Diuinis nom. cap. 2. §.10.

Ὀμβροτοκία, *Imbris generatio* seu fecunda & generans pluuia. Cæl. Hierarch. cap. 15. §. 6. Eleganter Magnus Iob in Physiologiæ arcanis Theologus, cap. 38, 28. *Quis est*, inquit, *pluuiæ pater, vel quis genuit stillas roris?* Responderent mundi sapientes, Iouem esse, quem eâ causâ nominauere Græci ὄμβριον καὶ ὑέτιον, Latini *Pluuium*, cui sacra faciebant Indi, aram extruebant Athenienses, Romani, vt Tertullianus in Apolog. refert. *Aquilicia immolabant.* Et quidem eum ipsum quem dixere Soterem Iouem, habitum quoque fuisse ὄμβρων ἀρχηγὸν, *pluuiæ largitorem* & moderatorem, prodit Athenæus lib.15. Sed illos impiæ vanitatis coarguit Ieremias cap. 14, 22. dicens: *Numquid sunt in sculptilibus Gentium qui pluant?* Est igitur veri potentissimique Numinis, habere summum & perfectum imbris dominatum. Hinc ipse apud Iob cap.28,26. dicitur *ponere pluuijs legem*, & cap.28,8. *ligare aquas in nubibus suis.*

Ὁμοδυνάμιον, *Æquipollens, æquiualens.* Diu. nom. cap.4 §.11.

Ὁμοειδής, *Vniformis.* Eccles. Hierarch. cap. 6. P. 3. §. 5.

Ὅμοιον, *Simile.* Quid in Deo, vide Diu. nom. cap.9.§.6.

Ὁμοιότης, *Similitudo.* De Diuinis nom. cap.4. §.7.

Ὁμοιοτύπωτον, *Simili formâ expressum.* Cæl. Hier. cap.2.§. 3.

Ὁμόστοιχα, *Coëlementaria*, id est quæ eiusdem rationis & ordinis sunt. De Diuinis nom. cap. 4. §.10.

Ὁμοταγής, *Eiusdem ordinis.* Cæl. Hier. cap. 6. §.2.

Ὁμοτροπία, *Conformitas morum.* Eccl. Hier. cap.3.P.3.§.1.

Ὁμοφροσύνη, *Consensio*, quâ nimirum plures simul idem sapiunt ac sentiunt. Eccl. Hier. cap.3.P.3.§.5.

Ὁμοφωνία, *Consensio, concentus.* Eccl. Hier. cap.3.P.3.§.5.

Ὀνειδίζω, *Iniurior, afficio contumeliâ.* Epist. VIII. §.1.

Ὄντα, *Ea quæ sunt.* Sic appellat rerum essentias, & res cælestes merè ac spiritales, atque immutabiles; vti econtrà οὐκ ὄντα, id est *ea quæ non sunt*, vocat res sublunares & mutabiles, eò quòd nullum statum essendi firmum habeant, sed continuò deficiant & immutentur. Myst. Theol. cap. 1. §. 1. Vide ibidem Annotationes & Scholia S. Maximi.

Ὀντότης, *Entificator, essentiator*, eadem formatione quâ ποιητής, *creator.* Diu. nom. cap. 5 §. 4. Alia lectio ὀντότης, *entitas*, sicut ποιότης *qualitas.* Sed hæc secunda lectio videtur magis genuina. Quare quod in textu legitur χρόνων ὀντοτής, καὶ αἰὼν τῶν ὄντων, *temporum essentiator, & sæculum eorum quæ sunt*, legendum potiùs ὀντότης, & vertendum *temporum entitas, & entium æuum.*

Ὄντως, *Essenter*, id est realiter, verè, reuerâ, reapse. Diu. nom. cap. 4. §. 12. & passim alibi.

Ὀξύπορον, *Penetratiuum*, id est quod citò penetrat, & quidlibet peruadit. Cæl. Hierarch. cap.15.§.2.

Ὁπλοποιΐα, *Armificatio*, id est armorum fabricatio. Epist. IX. §. 1.

Ὄρεξις, *Appetitus.* Diu. nom. cap.4 §.19.

Ὀρθόγραμμον, *Rectilineum, rectè descriptum.* Diu. nom. cap.4. §.11.

Ὁρισθεῖν, *Definire.* Epist. IX. §. 2.

Ὅρος, *Definitio.* Diu. nom. cap.4. §.10.

Ὀῤῥωδῶ, *vereor, metuo.* Diu. nom. cap. 8. §.6.

Ὀσφραντὸν, *Odorabile.* Quid odoratus mysticè designet, vide Cæl. Hier. cap.15.§.3.

Οὐσία, *Essentia, substantia, natura.* pro his tribus enim passim à S. Dionysio & Philosophis accipitur, excellenter autem pro substantijs spiritalibus, vt Angelis, quos interdum propter excellentissimum substantiæ gradum sine additο οὐσίας nuncupat, scilicet κατ᾽ ἐξοχήν. Sæpiùs tamen addit vocem νοερὰς, id est *spiritales* seu *intellectiles*, vt Cæl. Hier. cap. 2. §. 4. & passim alibi.

Οὐσιαρχία, *Essentiæ Principatus*, vel principium. Diuin. nom. cap. 5. §. 1.

Οὐσιοποιὸς, *Substantificus, entificus.* Sic vocat Deum αἰτίαν οὐσιοποιὸν, id est *causam substantificam.* Cæl. Hier. cap. 14.

Οὐσιῶσθαι, *Essentiari*, id est essentiam seu substantiam accipere. Myst. Theol. cap. 3. vbi dicitur quòd ὑπερούσιος Ἰησοῦς, ἀνθρωποφυϊκαῖς ἀληθείαις οὐσιῶται, id est *superessentialis Iesus humanæ naturæ veritatibus essentiatus est.* Vbi nota, quòd Iesus dicatur ac factus sit esse quoddam nouum, nimirum caro seu homo. Eodem sensu S. Augustinus Serm. 25. de Tempore, *Sapientia*, inquit, *quæ de Deo genita est, dignata est etiam inter homines creari.* Iesus autem nouum esse factus est, non tantùm humanæ naturæ veritate, sed veritatibus; hoc est non tantùm assumendo naturam humanam, sed omnes naturæ nostræ veritates, proprietates, puta subiectionem, passibilitatem, mortalitatem, & alias naturæ conditiones & infirmitates. Ceterùm vti præter cetera ad istum locum benè notat Hersentius, triplicem antithesim valdè insignem Dionysius insinuat. Prima, qui superessentialis est, essentiatur: id est qui omne ens, seu omne esse superat, ens fit, & inter entia constituitur. Secunda, non per figu-

ram aut ſpecimen naturæ humanæ eſſentiatus eſt, ſed ipſammet naturæ humanæ veritatem; nec tantùm veritatem, ſed veritates omnes ſeu conditiones. Tertia, qui eſſentiam omnem excedit, eſſentiam etiam Angelis inferiorem hypoſtaticè ſibi coniunxit.

Οὐσιωδῶς, *Eſſentialiter*, De Diuinis nom. cap. 2. §. 8.

Οὐσιωνυμία, *Eſſentiæ nominatio*. Diuin. nom. cap. 5. §. 1.

Ὀφρύαι, *Supercilia*. Quid myſticè deſignent, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 3.

Ὀχετὸς, *Latex*, *riuulus*, *aquæductus*. Cæleſt. Hier. cap. 15. §. 9.

Π.

Παλαιὸς ἡμερῶν, *Antiquus dierum*. Quomodo de Deo dicatur, vide Diu. nom. cap. 10. §. 2.

Παλιγγενεσία, *Regeneratio*. Eccl. Hier. cap. 7. P. 1. §. 3.

Παμφαὴς, *Omnilucus*, id eſt omnino lucens. Diu. nom. cap. 4. §. 23.

Πανάγαθον, *Omnino bonum*, *optimum*. Diuin. nom. cap. 3. §. 1.

Παναγιώτατος, *Omnino ſanctiſſimus*, id eſt omnium ſanctiſſimus. Eccl. Hierarch. cap. 4. P. 3. §. 12.

Παναίτιον, *Omnium cauſa*. Diuin. nomin. cap. 2. §. 5.

Πανείδεος, *Omniformis*. Diuin. nom. cap. 5. §. 8.

Πανύμνητον, *Omni laude dignum*. Cæl. Hier. cap. 7. §. 4.

Πανιέρως, *Sacroſanctè*, id eſt omnino ſanctè, prorſus ſacrè. Cæl. Hier. cap. 8. §. 2.

Πάνσεμνον, *Valdè celebre*, *ſolemne*. Eccl. Hier. cap. 4. P. 3. §. 12.

Πάνσοφος, *Omnino ſapiens*. Diu. nom. cap. 1. §. 1.

Πάνσχημος, *Omnis figuræ*. Diuin. nom. cap. 5. §. 8.

Πανσώμως, *Toto corpore*. Eccl. Hierar. cap. 2. P. 2. §. 7.

Παντοκράτωρ, *Omnitenens*, id eſt qui omnia in ſuâ poteſtate tenet, omniaque complectitur. Diu. nom. cap. 2. §. 1. & cap. 10. vbi peculiariter de hoc agit. Et benè obſeruat R. P. Petrus Halloix, vocem illam παντοκράτωρ duo habere diuerſa ſignificata. Prius eſt *omnitenens*, à κρατέω teneo, alterum eſt *omnipotens*, à κρατέω *dominor*, *potens ſum*. Quare ſecundo loco, ſcilicet paginâ 829. lineâ 4. pro *omnitenens*, legendum *omnipotens*, & paulò infrà pro *omnitenentis*, *omnipotentis*, quia ibi agit de dominatu & gubernatione Dei.

Παραδείγματα, *Exemplaria*. Quid ſint, vide Diuin. nom. cap. 5. §. 9.

Παραδειγματικὸν αἴτιον, *Exemplaris cauſa*. Diu. nom. cap. 4. §. 7.

Παράδοσις ἱερατική, *Traditio Sacerdotum*. Cæl. Hier. cap. 2. id eſt profecta à ſacris hominibus diſciplina, quæ item ordine quodam à capite in inferiora deducitur. Deus enim in ſummo Hierarchâ, & totius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ principe, Oraculum veritatis, & auguſtum religionis ac lucis fontem conſtituit, vt arcanorum myſteriorum cognitio, fideique exegeſis, & Theologiæ clarus ſplendor, ab eo velut per multos orbium cæleſtium globos ad imum vſque defluat.

Παραπετάσματα, *Operimenta*. Sic vocat ſymbola quibus res ſpiritales quodammodò obteguntur & obuelantur. Cæl. Hier. cap. 1. §. 2. Vide ibidem S. Maximi Scholia.

Παρατρέπομαι, *Digredior*, *deflecto*. Epiſt. VII. §. 2.

Παρατροπὴ, *Peruerſio*. De Diuinis nom. cap. 4. §. 23.

Παρηρημένον, *Deſtitutum*, *deſertum*. Diu. nom. cap. 4. §. 18.

Παρυπόστασις, *Subſiſtentiæ* ſeu *ſubſtantiæ ſimulacrum*, vel *ſubſtantiæ affinitas*. Diu. nom. cap. 4. §. 31. vbi de malo ait: Οὔτε ὑπόστασιν ἔχει τὸ κακὸν, ἀλλὰ παρυπόστασιν. *Neque ſubſtantiâ malum nititur*, *ſed ſubſtantiæ ſimulacro*. Perionius vertit, *Non cohæret malum*, *ſed minùs quàm conſtat & cohæret*. Scotus, *Neque ſubſtantiam habet malũ*, *ſed contra ſubſtantiam*. Saracenus, *Neque ſubſiſtentiam habet malum*, *ſed priuationem ſubſtantiæ*. Marſilius, *Neque ſubſtantiam habet malum*, *ſed præter ſubſtantiam exiſtens*, *ſubſtantiâ nititur alienâ*. Lanſſelius, *Non ſubſiſtit malum*, *ſed ſubſiſtere videtur*. Hoc autem vult dicere, quòd malum non ſit ſubſtantia, ſed habeat falſam aliquam ſubſtantiæ apparentiam, & in tantum aliquid exiſtere videatur, in quantum in eo fallax aliquod boni ſimulacrum apparet, propter quod illud agimus.

Παρυφίστασθαι, *Adiacere*, *adhærere*. Diu. nom. c. 4. §. 27.

Πατραλοίας, *Parricida* ſiue *patricida*. Epiſt. VII. §. 2.

Πατρὶς, *Patria*. Diuin. nom. cap. 4. §. 11.

Πατροκινήτου, *A Patre motæ*, compoſitum ex πατὴρ καὶ κινέω, id eſt ex *patre* & *moueo*. Significanter hoc vocabulum coniungit cum φωτοφανείας, id eſt cum *illuſtratione*, vt primordialem eius originem inſinuet à Deo Patre proficiſci. Cæl. Hier. cap. 1. §. 1. vide ibid. Annot.

Πατροπαραδότους ἐλλάμψεις, *A Patribus traditas illuſtrationes*, intelligit Scripturas ſacras, quas Apoſtoli & Euangeliſtæ (quos Patres appellat) nobis tradiderunt. Vox autem πατροπαράδοτον componitur ex πατὴ, id eſt, *pater*, & παραδίδωμι, id eſt *trado*, *tranſſcribo*, ſcilicet poſteris, ad quos relationem aliquam inſinuat. Cæl. Hier. cap. 1. §. 2.

Πελέκεις, *Secures*. Quid myſticè deſignent, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 5.

Πεντάτροπον, *Quinquiforme*, *quinquimodum*. Epiſt. VII. §. 2.

Πέρας, *Terminus*. Diu. Nom. cap. 4. §. 10.

Περιδεδραγμένον, *Comprehenſum*, *circumplexum*, vt cùm amplexu quidpiam complectimur ac continemus. Cæl. Hier. cap. 7. in fine.

Περικόσμιος, *Circamundialis*, id eſt qui circumcirca mundum eſt, eumque complectitur. Diu. nom. cap. 1 §. 6.

Περιληπτικὸν, *Comprehenſiuum*, id eſt quod comprehendendi vi pollet, & facilè aliquid capit. Cæl. Hier. cap. 15. §. 2.

Περιοχὴ, *Ambitus*. Eccl. Hier. cap. 3. P. 2.

Περιπλάθω, *Circumfingo*, ſeu *affingo*. Vtitur hac voce in ſpiritalibus rebus, cùm per ſymbola corporalia deſcribuntur. Cæl. Hier. cap. 15. §. 6.

Περιπέτεια, *Humilitas*, ſcilicet in peiorem partem

tem accepta, pro abiectione, & humi reptatione, ac vitiosâ ad res terrenas propensione. Cæl. Hier. cap. 7. §. 1. Vbi in Angelis ait nihil esse χαμαιπετείας ὑφέσεως, *terrenæ humilitatis*, aut propensionis ad inanium rerum abiectionem, sed potiùs ἀνωφερὲς *impetus in sublime tendens*, vis animi semper ad Deum & diuina properantis. Et S. Maximus in cap. 15. Cæl. Hier. ait Angelos pennatis effingi pedibus, propter impetum quo in Deum atque in sublimia feruntur, & διὰ πρὸς τὰ ἐπίγεια ἀκοινώνητον, *quòd nullum habeant cum terrenis rebus commercium*, à quibus libera eorum mens atque soluta hæret in cælestibus.

Περιχαρακόω, *Vallo, sepio, Circumdo*. Diu. nom. cap. 4. §. 11.

Περιχορεύω, *Circumeo*. Diu. nom. cap. 4. §. 9.

Πηγαία θεότης, *Fontalis Diuinitas*. Sic appellat Deum Patrem, eò quòd sit origo & quasi fons Filij ac Spiritus sancti. Diu. nom. cap. 2. §. 7.

Πλάτος, *Latitudo*. Quid in Deo, vide Diu. nom. cap. 9. §. 5.

Πνευματοκίνητον, *Spiritu-motum*, id est à sancto Spiritu inspiratum. Diu. nom. cap. 1. §. 1.

Πόδες, *Pedes*. Quid mysticè significent, vide Cælest. Hier. cap. 15. §. 3.

Ποικιλομορφία, *Varia formatio*. Epist. IX. §. 1.

Πολλοστὸν, *Multesimum*. Diu. nom. cap. 4. §. 4.

Πολυθρύλλητον, *Vulgatum, tritum, celebre*. Diu. nom. cap. 4. §. 28.

Πολυκινησία, *Multimotio*, id est multiplex motio. Diu. nom. cap. 4. §. 4.

Πολύλογος, *Multiloquus*, id est multi sermonis. Myst. Theol. cap. 1. §. 3. vbi in Scholijs animaduertit S. Maximus, nomen illud, accentu in pænultimâ, significare eum qui multa dicit; in antepænultimâ verò, qui multis verbis indiget vt intelligatur seu exprimatur.

Πολυμερία, *Multipartitio*, id est distinctio multarum partium, seu pluribus constans partibus. Cæl. Hier. cap. 15. §. 3.

Πολυμορφία, *Multiformatio*, seu *multiformitas*, scilicet dum Angeli & res spiritales varijs symbolis & figuris ad captum nostrum in Scripturis describuntur. Cæl. Hier. cap. 2. §. 2.

Πολυπάθεια, *Multiplex passio*. Epist. IX. §. 1.

Πολυποίκιλος, *Multifarius*, id est multùm variegatus, multiformis. Cæl. Hier. cap. 15. §. 4.

Πολυπραγμονεῖν, *Multum actitare*, *curiosè inquirere*. Dicitur propriè de ijs, qui multis rebus ad se non spectantibus temerè sese immiscent. Diu. nom. cap. 3. §. 3.

Πολυπρόσωπος, *Multifacius*, id est multas habens facies. Cæl. Hier. cap. 2. §. 1.

Πολυύμνητον, *Multùm decantatum*, id est celeberrimum. Cæl. Hier. cap. 4. §. 4. item c. 7. §. 4.

Πολύφωτον, *Multilucum*, id est multùm lucens, multâ luce præditum. Cælest. Hierarch. cap. 18. §. 8.

Πολυχρώματος, *Multicolor*, id est habens multos colores. Cælest. Hierarchiæ cap. 2. §. 1. & cap. 15. §. 7.

Πολύχυτος, *Multùm diffusus*. Myst. Theolog. cap. 1. §. 3.

Πολυωνυμία, *Multinominatio*. Diuin. nomin. cap. 1. §. 8.

Πολυώνυμος, *Multinomius*, id est multorum nominum. Sic Deum vocat ab effectibus ipsi vt causæ attributis. De Diuinis nomin. cap. 1. §. 6. Vide ibidem Annotationes & Scholia S. Maximi.

Ποταμοὶ, *Fluuij*. Quid mysticè, vide Cæl. Hier. cap. 15. §. 8.

Πραγματικεύεσθαι, *Facturire*, id est opus parturire, & ad operandum se applicare. Diuin. nomin. cap. 4. §. 10.

Πρᾳότης, *Mititas*, *mansuetudo*. Epist. VIII. §. 1.

Πρεσβύτερος, *Presbyter*. Accipit sanctus Dionysius pro Episcopo, vbi se & Timotheum vocat πρεσβύτερον, vt patet ex librorum suorum Inscriptione quos sancto Timotheo dedicat. Vide Scholia sancti Maximi in cap. 1. Cælest. Hierarchiæ.

Προαγωγικὸς, *Productiuus*, producendi vim habens. Diu. nom. cap. 4. §. 14.

Προβολεὺς, *Productor*, *auctor*, qui prima alicuius rei fundamenta iacit. De Diuinis nominib. cap. 4. §. 14.

Προδιωρισμένον, *Prædefinitum*. Cæl. Hierarch. cap. 12. §. 2.

Προεισαγωγὴ, *Præuia introductio*. Diu. nomin. cap. 4. §. 12.

Προέχων, *Præhabens*, *anticipato habens*. Diuin. nom. cap. 2. §. 10.

Προϊδρύω, *Præcolloco*, *præiaceo fundamentum*. Diu. nom. cap. 4. §. 13.

Προκατάρχω, *Præcello*. De Diuinis nominibus cap. 4. §. 16.

Προνοητικὸν, *Prouisiuum*, prouidendi vim habens. Cæl. Hier. cap. 15. §. 3.

Προνοητικῶς, *Prouisiuè*. Diuin. nomin. cap. 4. §. 10.

Πρόνοια, *Prouidentia*. Diu. nomin. c. 4. §. 7. & alibi.

Προνοούμενα, *Prouisa*, seu quæ prouidentiâ reguntur. Per hoc homines intelligit, sic illos circumscribens, vt sciant non, vt quidam impij imaginantur, fato, neque sorte vel fortuitò mundum gubernari, sed singulari Dei prouidentiâ, præsertim homines, quibus multipliciter Deus prouidet & suppeditat omnia necessaria & conducentia ad salutem. Cæl. Hier. cap. 1. in titulo. & §. 2.

Προουσία, *Praessentia*. De Diuinis nominib. cap. 5. §. 8.

Προπέτεια, *Insolentia*, *præsumptuositas*. Epistolâ VIII. §. 1.

Προπετὴς, *Præceps*. De Diuinis nominibus, cap. 4. §. 23.

Προπηλακίζω, *Conuitior*, *lacesso*. Epistolâ VIII. §. 1.

Προσαναπληρῶσαι, *Supplere*. Epistolâ VII. §. 3.

Προσεχῶς, *Attentè*, *assiduè*. Diuin. nomin. cap. 3. §. 3.

Προσήγορος, *Affabilis*. Diuin. nomin. cap. 4. §. 21.

Προσηνὴς, *Placidus*, *pacatus*. Diuin. nomin. cap. 4. §. 21.

Προσποιέω, *Fingo*, *simulo*. Epist. VIII. §. 1.

Προστασία, *Prælatura*, *præpositura*. Epist. VIII. §. 1.

Πρόσυλος, *materialis* seu rebus materialibus ac terrenis addictus: Præpositio enim πρὸς ibi designat affectum & propensionem quamdam habituatam ac radicatam erga materiam & res ter-

terrenas vitiosè inclinatam, qualis est in hominibus carnalibus; cui opponitur ἄϋλος, quod vide suo loco. Cæl.Hier.cap.2.§.4.

Προτέλειος, *Præperfectus*, id est antè perfectus. Diu.nom.cap.2.§.10.

Προτέλειος εὐχὴ, *Præparatoria oratio*, quæ scilicet sacro Missæ officio præmitti solet. Epistolâ VIII.§.6. Vide ibidem Annotationes & Scholia S. Maximi.

Προτουργὸς, *Primitus operans*. Cælestis Hierar. cap.7.§.1.

Προϋπάρχων, *Præexistens*. Diuin.nomin.cap.4. §.10.

Προϋφίστημι, *Præexisto*. Diu.nom.cap.4.§.12.& cap.5.§.6.

Πρωτοφανὴς πρωτοφάνεια, *Primiluca prima apparitio*. Intelligit illam illustrationem, quam Seraphini & suprema Hierarchia immediatè à diuinitate accipiunt inferioribus communicandam. Cæl. Hier.cap.15.§.6.

Πτερὸν, *Ala*. Quid mysticè, vide Cæl.Hier. cap.15.§.3.

Πτεροφυΐα, *Plumescentia*. Cælestis Hierarchiæ cap.2.§.1.

Πτύχες, *Tabulæ* scilicet sacræ, in quas videlicet Sanctorum homina referri solent, & in Ecclesiâ seruabantur, atque in sacro recensebantur. Eccl. Hier. cap.3. P.2.

Πῦρ, *Ignis*. Eius qualitates & mysticas significationes vide descriptas Cælestis Hierarchiæ cap.15. §.2.

P.

Ῥάβδος, *Virga*. Quid designet, vide Cæl. Hier.cap.15.§.5.

Ῥαστώνη, *Suauitas*, id est suauis & tranquilla iucundaque affectio, qualis est spiritalium deliciarum quam contemplatini experiuntur. Cæl. Hierarchiæ cap.15.§.9. Græcus Interpres exponit εὐχέρειαν, εὐκολίαν, id est *dexteritatem, facilitatem*.

Σ.

Σιγὴ, *Silentium*. Myst.Theol.c.1.§.1. Vbi ne silentium istud Mysticum otiosum & inane esse videatur, lucemque obfuscando nil lucis suscipere aut conferre existimaretur, κρυφιομύστην, id est *arcanorum mystam* vocat, composito & maximè efficaci nomine, quod quidem in actiuâ & passiuâ significatione sumi potest, de quo vide nostras Annotationes ad prædictum locum, vbi etiam exponitur, quàm necessariò in Mysticis silentium sit obseruandum. Vide item Diu. nom.cap.11.§.1. atque ibidem nostras Annotationes, & Scholia S.Maximi.

Σκιομαχεῖν, *Cum vmbrâ pugnare*. Diu.nomin. cap.8.§.6.

Σμικρότης, *Paruitas*. Diu.nom. cap.4.§.10.

Σοφία, *Sapientia*. De hac vide caput singulare Diu. nom. cap.6.

Σοφοδότις, *Sapientiæ datrix*. Diu.nom. c.5.§.2.

Σοφόδωρον, *Sapientiam donans*. Diuin.nomin. cap.2.§.7.

Σοφοποιέω, *Sapientifico, sapientem facio*. Hinc σοφοποίησις *sapientificatio*. Diu.nom.cap.2.§.5.

Σοφοποιὸν, *Sapientificum*. Cæl.Hier.cap.7.§.1.

Σοφοποιὸς, *Sapientificus*. Eccles. Hierar. cap.5. Par. 1.§.2.

Στάσις, *Status, statio*. Quid in Deo, vide Diuin. nom.cap.9.§.8.

Σταυροειδὴς, *Cruciformis*, siue in formam crucis. Eccl.Hier. cap.2.P.2.§ 7.& cap.6.P.3.§.3. Sacrorum omnium Ordinum consecratio, ait doctus è cælo Dionysius, perfectionem & colophonem accipit vltimum à σταυροειδεῖ σφραγῖδι, *signo crucis*: cuius mysterium deinde exponit, aitque significare omnium simul corporis cupiditatum cessationem, diuinæque vitæ imitationem, queconstanter Iesu vitam intueatur, qui ad crucem & mortem vsque, sine vllo peccato se demisit. Neque modò consecrationes ordinum, sed nullum planè Sacramentum est, quod non gratiam, vim & robur accipiat ab hoc signo, vt aris cærimoniisque deuoti, ad hoc lecti à Deo videantur, vt crucem ad commune omnium bonum circumferãt. Ita in Sacramento Baptismi & Confirmationis adhibitum fuisse vnguentum, prodit idem sanctus Dionysius, σταυροειδέσι χύσεσι, *sparsionibus in figuram crucis perfectis*.

Στερεὰ τροφὴ, *Solidus cibus*. Quid mysticè, vide Epist.IX.§.3.

Στέρησις, *Priuatio*. Quid sit, & vnde existat, vide Diu.nom.cap.4.§.20.

Στέρνα, *Pectus*. Quid mysticè significet, vide Cæl.Hier.cap.15.§.3.

Στοιχεῖον, *Elementum*. Diu.nomin.cap.4.§.10. Peritè ait S. Ambrosius lib.3. Hexaëm. cap.4. στοιχεῖα, quæ nos elemẽta dicimus, nominata fuisse à Græcis, quòd sibi conueniant & concinant. Sumpsit hoc, opinor, à Magno Basilio, qui cùm Hom.4.in Hexaëmeron, mundi partes exponeret, quàm apto inter se ordine & pulchro socientur, ex eo ductum esse nomen τοῦ στοιχείου, *elementi*, docet. Est enim στοιχῶ idem quod συμφωνῶ, *concino, consentio*, quòd orbis quidam & veluti chorea fiat ex omnibus inter se ordine structis & sibi concinentibus elementis. Ita etiam Pythagoras apud Iustinum Martyrẽ in adhortatione ad Græcos, principia vniuersitatis aiebat esse elementa, è concentu harmoniaque numerorum composita, & speciosissimâ symmetriâ.

Στοιχείωσις, *Elementatio, elementaris institutio*, id est Rudimentaria & initialis doctrina, per Metaphoram ab elementis, quæ principia sunt & materia vniuersi. Diu.nom.cap.2.§.9.

Συγκεφαλαίωσις, *Concapitulatio, summa, compendium*, vt cùm sit dictorum summaria capitulatio. Eccles.Hier. cap.1.§.3.

Σύγκρασις, *Contemperatio*, ex σὺν, id est *simul*, & κιρνάω, id est *misceo*, vel κεράω, quod est *subigo*. Vocat autem S.Dionysius ἀναγωγικὴν σύγκρασιν, id est anagogicam seu sublimantem cõtemperationem siue commixtionem, quando mens nostra à rebus inferioribus abstracta, cælestibus ac diuinis contemplationibus in Deum tota absorbetur, illique per purissimum affectum beatissimè contemperatur, è se excedens Deo. Cæl. Hier. cap.1.§.2.

Συμβολικὴ Θεολογία, *Symbolica Theologia*. Quæ & qualis sit, colliges ex Myst. Theol. cap.3. & Epist. IX. ad Titum. Tractatus ille S. Dionysij intercidit.

Συμβολικῶς, *Symbolicè*, id est per signa & figuras: sic enim nobis mortalibus, qui ex sensilibus signis

signis cognitionem haurimus, res immateriales ac spiritales congruenter proponuntur. Cælest. Hier. cap. 1. §. 2.

Σύμβολον, *Symbolum*, id est signum externum & sensibile rei spiritalis & insensibilis. Græcus Interpres exponit, αἰσθητὸν πάντι νοητῷ παραλαμβανόμενον. οἷον ἀντὶ τῆς ἀΰλου καὶ θείας τροφῆς, ἄρτος καὶ οἶνος, καὶ ὅσα τοιαῦτα. id est *sensibile quid pro intelligibili acceptum, v. g. pro immateriali ac diuino cibo, panis & vinum*. Talia symbola sunt etiam legis nouæ Sacramenta, quæ sunt practica signa sensibilia gratiæ spiritalis, quam, ex Christi institutione eiusdemque inoperatione, ritè suscipientibus conferunt. Per excellentiam autem à sancto Dionysio lib. de Eccl. Hier. cap. 3. & 7. atque alibi, per Symbolum absolutè positum intelligitur Venerabilis Eucharistiæ Sacramentum, vtpote quod ceteris excellentius, non solùm gratiam significet atque contineat conferatque, verùm etiam ipsummet auctorem gratiæ Christum Iesum, verum Deum ac hominem comprehendat.

Συμμέτρως, *Commensè, proportionatè*. Diu. nom. cap. 1. §. 3.

Συμπάθεια, *Compassio, coaffectio*. Diu. nomin. cap. 2. §. 9.

Συμπεριάγω, *Simul circumago*. Epistolâ VII. §. 2.

Συμπληρωτικῶς, *Completiuè*. Cæl. Hier. cap. 5. §. 1.

Συμπορεύω, *Comitor, congredior*. Epist. VIII. §. 1.

Συμπτύσσει, *Adflat, admiscet, colligit*. Græcus Interpres συγκλείει, συνάγει, ἑνοῖ, *concludit, coniungit, vnit*. Inde συνεπτυγμένως, id est *Collectim, coniunctim*. Ecclesi. Hierarch. cap. 1. §. 1. & 4.

Συμφυῶς, *Connaturaliter*. Græcus Interpres ὁμοφυῶς, συγγενῶς, quæ synonyma sunt, & idem significant. Cæl. Hier. cap. 1, §. 2. Perionius vertit, *aptè*; Lansselius, *ad naturam accommodatè*.

Σύμφωνον, *Consonum, consentiens*. Diu. nom. cap. 2. §. 10.

Σύναξις, *Collectio*. κατ' ἐξοχὴν Eucharistiæ Sacramentum sic dictum, quòd cum Deo colligat, & omnes illud dignè sumentes in Christo simul adunet. Ecclesi. Hierar. cap. 3. Par. 1. vnde illam pulchrè vocat θίασον βρωμάτων νοητῶς, καὶ θεοῦσαν, *conuiuium quod mentem alat, & Deum efficiat*. Idem ait Eucharistiam efficere ὁμοιότητα ἔνθεον, *diuinam morum similitudinem*, ὡς ὁμοβόροις, vt inter eos qui simul viuunt, eademque mensâ fruuntur. Fit autem in eâ, inquit, ἑνοειδὴς θέωσις, *vniformis deificatio*, id est Dei similitudo animum colligens & reducens in vnum, & coniungens Deo.

Σύνδεσις, *Coniunctio, copulatio*. Diu. nom. cap. 4. §. 10.

Συνειλημμένως, *Copulatè*. De Diuinis nominib. cap. 5. §. 6.

Συνελίξεις, *Conuolutiones*. De Diuinis nominib. cap. 4. §. 2.

Συνελόντι, *Summatim*. De Diuinis nominibus cap. 4. §. 30.

Συνοπαδὸς, *Comes*. Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. Par. 3. §. 4.

Συνοπτικῶς, *Compendiosè, breuiter*. Diuin. nom. cap. 3. §. 3.

Συνοχὴ, *Cohærentia, complexio*. Diuin. nomin. cap. 4. §. 13.

Συνοχικὸν αἴτιον, *Causa continens*. Diu. nomin. cap. 4. §. 10.

Συντετμημένον, *Concisum, succinctum, compendiosum*. Myst. Theol. cap. 1. §. 3.

Σύντριμμα, *Contritio*. Epist. VIII. §. 4. vbi sic peccatum appellatur, quo nimirum diabolus Demophilum quodamodò contriuerat & contuderat, soloque per eius superbiam & elationem contra superiores suos afflixit. Ita sæpè accipitur *contritio* in Prophetis, & alibi. Prouerb. 16, 18. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus*. quæ sententia rectè quadrat in Demophilum, quem sanctus Dionysius de elatione redarguit.

Σφραγὶς, *Signaculum, sigillum*. Eccles. Hierar. cap. 6. P. 3. §. 3.

Σωματοειδὴς, *Corporeâ specie*. Eccl. Hier. cap. 2. Par. 3. §. 7.

Σωματοπρεπὴς, *Corpori conueniens*, id est corporeus, corporalis, aut modo corporeo. Diu. nomin. cap. 4. §. 12.

Σωστικὸν, *Salutare*, id est saluandi vim habens. Diu. nom. cap. 4. §. 28.

Σωστικῶς, *Salutariter, salubriter*. Diuin. nom. cap. 4. §. 24.

Σωφροσύνη, *Temperantia*. De Diuinis nominib. cap. 4. §. 19.

Σώφρων, *Temperans*. Ibidem.

Σωφρονιστὴς, *Corrector*, id est qui adducit ad temperantiam. Diu. nom. cap. 4. §. 22.

T.

Ταξαρχία, *Ordinis præfectura*. Sic appellat diuinitatem quæ principium est omnis ordinis, à quo videlicet omnis cùm cælestis tum Ecclesiastici ordinis atque ordinationis ratio instituta fuit. Cælest. Hierar. cap. 8. §. 2. & cap 9. §. 1. c. 10. §. 1. & alibi.

Τάξις, *Ordo*. De Diuinis nominibus cap. 4. §. 10. vbi Deum vocat τάξιν, quòd res omnes μετ' εὐταξίας, *cum ordine bono procreauit*, vt notat ibidem S. Maximus. Quod fortè à sancto Paulo Doctore suo didicit, qui grauiter sapienterque monuit, quæ à Deo sunt, ordinata esse: in quo sine dubio in diuinis rebus ordinem collocauit, quasi rerum quæ à Deo sunt, propria nota sit ordo.

Ταυτοκίνητον, *Per se mobile*, id est quod à seipso mouetur. Quomodo hoc Angelis competat, vide S. Maximū in Scholiis ad c. 7. Cæl. Hier. §. 2.

Ταὐτὸν, *Idem*. Quomodo de Deo dicatur, vide Diu. nom. cap. 9. §. 4.

Ταυτότης, *Identitas*. Diu. nom. c. 2. §. 4.

Ταχυπετὴς, *Celeriter volans*. Cælest. Hierarch. cap. 15. §. 8.

Τεκτονικὰ σκεύη, *Fabrilia instrumenta*. Quid mysticè designent, vide Cæl. Hierar. c. 15. §. 5.

Τέλειον, *Perfectum*. Quomodo de Deo dicatur, vide Diu. nom cap. 13. §. 1.

Τελεστικὸν, *Perfectiuum*, id est perficiendi vim habens. Diu. nom. c. 4. §. 6.

Τελεσιουργέω, *Perficio*, seu perfectum reddo, scilicet per sacras initiationes aut inspirationes, quas hoc verbum connotat & insinuat. Cælest. Hierar. cap. 10. §. 1. & alibi passim.

Τελεσιουργία, *Perfectiua operatio*. Cæl. Hierarch. cap. 7. §. 3.

Τελε-

Τελεσιουργὸς, *Perficiens, perfectum reddens*. Sic propriè vocatur Episcopus, cuius ordo est perfectiuus, & status perfectionis, ac proinde nuncupatur à Dionysio τάξις τελειωτικὴ, quippe cui competit potestas ordinandi, & perfectissimas functiones Hierarchicas obeundi. Eccl. Hierar. c.5. Par.1. §.6. & 7. Hierarchæ itaque siue Episcopi τελειωτικοὶ, perfectores & perfecti vocantur, quòd non modò ipsi perfectionem in alios deriuare debeant, sed inprimis ipsi curare debeant vt perficiantur. Τελεῖσθαι autē siue perfici (vt ait S. Maximus) nihil est aliud, nisi ferri in perfectionem vitæ sanctę atque laudabilis, δι' ἀγαθῆς προκοπῆς, *per profectum in bonam vitam*. & subdit, eos qui profectu perficiuntur, θεοῦσθαι πάντως, *Deos omnino euadere*.

Τελεταρχία, *Initiatio primitiua*, id est primæua institutio mysteriorum. Scotus vertit, *perfectionis principium*; Sarracenus, *perfectionis principatus*; Gallus, *Principe de toute ceremonie*; Vercellensis, *sancta ordinatio Dei, quæ est principium perfectionis*; Perionius, *Prima sacrorum mysteriorum institutio*. Cæl. Hier. cap. 1. §.3.

Τελετάρχης, id est *primitus initians*, scilicet sacris. Formatur ex τελετὴ, quod est *initiatio*, seu ritus initiandi ac consecrandi. vnde τελετάρχις ἱεροθεσία est *primitiua rituum sacrorum institutio*. Sic autem ipsummet Deum appellat, à quo omnis sanctificatio, & per ritus ac cærimonias sacras Deum colendi ac celebrandi ratio profluxit, quippe qui primis ab origine mundi hominibus modum quo coli vellet, inspirauit ac præscripsit. Cæl. Hierarch. cap.1. §.3. Hinc Deum quoque vocat αὐτοτελεταρχίαν, id est *ipsam per se originem perfectionis*, seu sacræ initiationis. Cæl. Hier. cap. 3. §. 2. & τελεταρχίαν, id est *initiandi principatum*, siue principium. Cæl. Hier. cap.7. §.3.

Τελετὴ, *Sacramentum*. Ecclesiast. Hierarchiæ cap.3. P.1.

Τελετουργία, *Consecratio, Sacramenti confectio*. Eccl. Hier. cap.5. P.1. §.1.

Τελικὸν αἴτιον, *Finalis causa*. Diu. nom. cap. 4. §.7.

Τερατολογία, *Portentosa narratio*. Epist. IX. §.1.

Τιμωρητὸν, *Punibile*. De Diuinis nominibus cap.4. §.35.

Τρανὴς, *Perspicuus, conspicuus, clarus, dilucidus*. Diu. nomin. cap.4. §.11.

Τριπλασιάζω, *Triplico*. Epist. VII. §.2.

Τριπλάσιος, *Triplex*. Ibid.

Τρισυπόστατος, *Ter-subsistens*, id est in tribus personis vel subsistentiis subsistens. Sic Deus appellatur propter personarum trinitatem, quod vocabulum æquiualenti verbo Latino efferri nequit. Cæl. Hier. cap.7. §.1. significanter vnitatem naturæ cū personarum Trinitate designans, ait ὅτι μονάς ἐστι καὶ ἑνὰς τρισυπόστατος, id est *quòd monas sit & vnitas quæ tribus inest personis*.

Τριχώδης, *Hirsutus, crinitus*. Cæl. Hierarch. cap.2. §.1.

Τροχοὶ, *Rota*. Quid mysticè, vide Cæl. Hier. cap.15. §. 8.

Τυποπλασία, *Figuratio* seu typorum efformatio, vt cùm res spiritales per symbola sensibilia designantur. Cælest. Hierarch. c.15. §. 2.

Υ.

Ὑγρὰ βορὰ, *Liquidus cibus*. Quid mysticè, vide Epist. IX. §.4.

Υἱοθεσία, *Adoptatio*, scilicet in filium. Eccl. Hierarch. cap.2. P.2. §.7. vbi Fontem baptismalem vocat μητέρα υἱοθεσίας.

Ὑμνητικῶς, *Cantatoriè*, id est per Hymnos sacros. Diu. nomin. cap.1. §.4.

Ὑμνολογία, *Cantus sacer*. Eccles. Hier. cap.3. P. 2. & 3. §. 5. Sic appellat pium Ecclesiæ cantum, quem ait, τὰς ψυχικὰς ἕξεις, *animales affectiones*, vt futiliter gestientes, & rationi contrarios, ἐναρμονίως διαθεῖναι, *aptè & concinnè componere*. Est enim illa vis religiosi cantus, vt per aures sese placidè in animum insinuans, turbulentos, si qui sint, motus summâ æquabilitate componat. Et cap.4. aliam adhuc ponit eius vtilitatem, quòd efficiat πρὸς τὰ θεῖα ὁμοφροσύνην, *cum diuinis consensionem*.

Ὕπαρξις, *Existentia, substantia*. Diu. nomin. cap.2. §.2.

Ὑπεράγαθος, *Superbonus*. Diu. nom. c.2. §.4. vbi vocat Deum ὑπεράγαθον ἀγαθότητα, *supra quam bonam bonitatem*.

Ὑπεραγαθότης, *Superbonitas*, id est bonitas bonitatem omnem superans. Diu. nom. cap.1. §.5.

Ὑπεράγνωστον, *Super-ignotum, supra quam indemonstrabile*. Diu. nom. c.1. §.4. cap.2. §.3. & Myst. Theol. cap.1. §.1. vbi malè hoc Perionius vertit, *ignotissimum*. emphasis enim est in Præpositione ὑπέρ.

Ὑπεράρρητον, *Superineffabile*. Diu. nom. cap.2. §.3.

Ὑπεραρρήτως, *Superineffabiliter*, id est modo plusquam ineffabili. Diu. nomin. c.1. §.4.

Ὑπεράρχιος, *Superprincipialis*, id est qui supra principium est. Frequenter hoc vocabulo vtitur S. Dionysius, Deum passim vocans ὑπεράρχιον ἀρχὴν, id est *superprincipiale principium*. Cæl. Hier. c.7. §.4. in fine, & alibi sæpè.

Ὑπερβεβηκότα, *Transscendentia*, quæ præ ceteris supergrediuntur & antecellunt. Cælest. Hier. cap.5. §.1.

Ὑπερένδοξος, *Supergloriosus*. Cælest. Hierar. c. 8. §.2.

Ὑπερεύφημον, *Superlaudandum*, id est quod superat omnem laudem & celebrationem. Cælest. Hierar. cap.7. §.4.

Ὑπερέχων, *Superhabens*, id est sublimiori modo continens, vt puta eminenter. Diuin. nom. cap.2. §.10.

Ὑπερηνωμένον, *Super-vnitum*, id est plusquam vnitum, seu summè vnum. Diu. nom. c.2. §.4.

Ὑπέρθεον, *Supra Deum*, scilicet participatum, quales sunt Angeli & homines iusti, qui à Scripturis Dij nuncupantur, propter gratiam quâ participes fiunt diuinitatis. Diu. nom. cap.2. §.2. Vide etiam cap. 1. Myst. Theol. & Epist. II. ad Caium, & ibidem Annotationes nostras, & Scholia Maximi.

Ὑπεριδρυμένον, *Supracollocatum, superfirmatum*. Diu. nom. c.2. §.10.

Ὑπέρκαλον, *Superpulchrum, præpulchrum*, id est magis quàm pulchrum. Diu. nom. c.4. §.7.

Ὑπέρκαλος, *Præpulcher*, id est plusquam pulcher. Myst. Theol. cap. 1. §. 1.

Ὑπερκόσμιος, *Supermundialis*, seu supramundanus, ex ὑπὲρ, id est *supra*, & κόσμος, id est *mundus*. Significanter hac voce vtitur S. Dionysius, ad animum nostrum à mundanis rebus auocandum, & ad cælestia surrigendum. Cæleſt. Hier. cap. 1. §. 3. Diu. nom. c. 1. §. 6.

Ὑπερκοσμίως, Perionius vertit *diuinitus*; Ambrosius, *diuinè ac nudè*; Lansselius, *modo sublimiori ac nudè*: magis ad verbum verto *supermundialiter*, id est modo supra hunc mundum eleuato. Cæl. Hier. c. 1. §. 3.

Ὑπερλάμπων, *Superlucens*. Myst. Theol. cap. 1. §. 1.

Ὑπερουράνιος, *Supercælestis*, id est qui supra cælum existit, eoque sublimior est. Diu. nomin. cap. 1. §. 6.

Ὑπερούσιον, *Superessentiale, supernaturale*. Diu. nom. c. 1. §. 1. Sic appellat diuinitatem, quæ omnem naturalem captum creaturæ excedit. Eadem ratione Myst. Theol. c. 3. dicitur ὑπερούσιος Ἰησοῦς, tum propter æternam processionem, quâ illi à Patre generante esse diuinum communicatur, quod est superessentiale, id est omni esse superius, vt diximus; tum etiam ratione processionis temporalis, quâ humanitati natura diuina per verbi hypostasim communicatur, atque intimè coniungitur.

Ὑπερουσιότης, *Supersubstantialitas*. Diu. nom. cap. 1. §. 5.

Ὑπερουσίως, *Superessentialiter*. Cæl. Hier. c. 7. §. 4. in fine, & passim alibi. Accipit etiam sæpè pro *supernaturaliter, supersubstantialiter*. Vide vocabulum οὐσία.

Ὑπεροχὴ, *Excellentia, eminentia*. Diu. nom. c. 4. §. 10.

Ὑπεροχικῶς, *Supereminenter, superexcellenter*. Diu. nom. cap. 4. §. 7.

Ὑπερπλήρης, *Superplenus, exuberans*. Diu. nom. c. 2. §. 10.

Ὑπερπληρόω, *Superadimpleo*. Mysticæ Theolog. c. 1. §. 1.

Ὑπέρσοφος, *Supersapiens*, id est plusquam sapiens, & omnem creatam sapientiam transcendens. Diuin. nomin. cap. 2. §. 2. & cap. 4. §. 1. 2. 3.

Ὑπερτελὴς, *Superperfectus*, id est plusquam perfectus, & omnem continens ac superans perfectionem. Diu. nom. cap. 2. §. 10.

Ὑπέρτερα, *Superiora*. Diuin. nom. cap. 4. §. 7.

Ὑπερτετάσθαι, *Superextensum esse*. Diuin. nom. c. 4. §. 6.

Ὑπερύπαρξις, *Superexistentia, supersubstantia*, id est quod existentiam & substantiam superat. Sic Deum vocat ὑπεραγαθότητος ὑπερύπαρξιν, *supra substantiam bonitatis bonitatem superantis*; Perionius vertit, *essentiam bonitatis*, sed hoc non satis exprimit id quod est in Græco; Lansselius, *bonitatis quæ bonitatem omnem superat existentiam quæ omnem existentiam vincit*. Magis ad verbum Scotus, *superbonitatis superessentiam*. Diu. nom. c. 1. §. 5.

Ὑπερφαὴς, *Supersplendidus*, id est qui plusquam splendet. Diu. nom. c. 1. §. 8.

Ὑπερφανέστατον, *Superlucidissimum*. Myst. Theolog. c. 1 §. 1.

Ὑπερφυέστατον, *Maximè supernaturale*. Epistol. VII. §. 2.

Ὑπερφυὴς, *Supernaturalis*. Diu. nom. c. 1. §. 4.

Ὑπερφυῶς, *Supernaturaliter, eximiè*. Diu. nom. c. 2. §. 9.

Ὑπέρφωτος, *Prælucidus*; id est superlucens; plusquam lucidus. Mystic. Theol. c. 1. §. 1.

Ὑπερῶν, *Superexistens, superens*. Diu. nomin. cap. 5. §. 8.

Ὑπερώνυμος, *Supernomius*, id est qui est supra omne nomen. Diu. nom. c. 1. §. 7.

Ὕπνος, *Somnus*. Quid mysticè, vide Epistol. IX. §. 6.

Ὑποβεβηκότα, *Inferiora*, id est quæ ceteris subiecta sunt. Cæleſt. Hier. c. 5. & alibi.

Ὑποθήκη, *Præceptio, institutio, propositio*. Eccl. Hier. c. 3. P. 3. §. 4. Significat etiam pignus.

Ὑπόπτωσις, *Genuflexio*. Eccl. Hier. cap. 5. P. 2. & 3. §. 2.

Ὑποτυπώσεις, *Informationes*. Sic inscripsit librum, quem scripserat de Deo vno & trino, & essentialibus attributis. Ὑποτύπωσις autem est idem quod *delineatio*, seu rei alicuius informatio, aut informata descriptio. Diu. nom. cap. 1. §. 1. Vide ibidem S. Maximum & c. 3. Mystic. Theol. vbi describit quæ in isto Tractatu continebantur.

Ὑποφήτης, *Interpres, explanator diuinorum iudiciorum*. Eccl. Hier. cap 7. P. 3. §. 7.

Ὑφειμένως, *Submissè, remissè*, id est modo inferiori. Diu. nom. c. 4. §. 20.

Ὕφεσις, *Submissio*, scilicet in peiorem partem accepta pro vitiosâ propensione ad id quod terrenum & abiectum est. Cæl. Hier. c. 7. §. 1. Vide ibidem Scholia S. Maximi.

Ὑφίστασθαι, *Subsistere*. Diu. nom. c. 4. §. 20.

Φ.

Φθίνον, *Deficiens, decrescens, imminuens*. Diu. nom. c. 4. §. 7. Græcus Interpres, λῆγον, ἐλαττούμενον, id est *desinens*.

Φθορά, *Corruptio*. Diu. nom. c. 4. §. 19.

Φθοροποιὸν, *Corruptiuum*, id est quod corruptionem adfert. Eccleſ. Hierarch. cap. 3. P. 3. §. 1.

Φιλάγαθος, *Boni amans*. Epist. VIII. §. 1.

Φιλαρχία, *Amor principatus*, id est ambitus eiusdem. Ibidem.

Φιλονικεῖν, *Contendere*, seu amare contentiones. Epist. VII. §. 1.

Φιλοτιμία, *Ambitio, amor honorum*. Ep. VIII. §. 1.

Φοιτῶσα, *Exundans, exuberans, redundans*. Græcus Interpres, ἀφικνουμένη, παραγινομένη, *perueniens* seu *pertingens*.

Φρουρά, *Custodia, præsidium, conseruatio, defensio*.

Φρουρέω, *Custodio, preseruo*. Diu. nom. c. 2. §. 2.

Φρουρητικὸν, *Conseruatiuum*. Græcus Interpres, φυλακτικὸν, *custodiendi vim habens*. Cæleſt. Hier. c. 15. §. 1.

Φυλακτικὸν, *Conseruatiuum*, id est conseruandi vim habens. Diu. nom. cap. 4. §. 25. vbi benè notat P. Halloix, ablatâ vnicâ litterâ, legendum potiùs ὑλακτικὸν, *vim latrandi habens*: agit enim ibi S. Dionysius de canũ proprietate ac naturâ, quibus magis proprium est *latrare*, quàm *vigilare aut custodire*. Nam sine vi latrandi, vt ibidem innuit Dionysius, propriè non erit canis; at sine aptitudine ad custodiendum, potest esse canis. Nec

Nec enim illa aptitudo est propria cani, vt omni conueniens & soli.

Φυσικὸν, *Naturale*. Diu.nom.c.4.§.15.

Φωταγωγικὴ τάξις, *Illuminatorius ordo*. Sic vocat ordinem Sacerdotum, quibus competit, concionibus populum illuminare, ignorantiam depellendo, & per virtutes ad cælum iis viam demonstrando. Eccl.Hier.c.5.P.1.§.6.

Φωταγωγὸς, *Illuminator, qui lumen adfert*. Ecclesi.Hier.c.5.P.1.§.2.

Φωτισμὸς, *Illuminatio*. Sic appellat Baptismum quo spiritaliter edimur in lucem. Eccl.Hier.c.2. P.1.§.1. Vbi vide S.Maximum, & nostras Annotationes. Quid in Angelis, vide Cælest.Hier. cap.7.§.3.

Φωτογονία, *Lucis generatio*. Epist.IX.§.1.

Φωτοειδὴς, *Luciformis*. Vide Θεοειδὴς, vbi habes similium deriuationem. Cæl. Hierar.c.2.§.3.

Φωτοφανείας, id est *illustrationis*, seu *luciparitionis*: est enim compositum ex voce φῶς, id est *lux*, & verbo φαίνω, id est *appareo*. Est enim illustratio diuinæ cuiusdam lucis apparitio, quam aliter ἔλλαμψιν vocat & φωτοδοσίαν, id est lucis donationem. Cæl. Hier. cap.1.§.1.& 2.

Φωτοχυσία, *Luminis fusio*. Diu. nom. c.4.§.6.

Φωτωνυμία, *Lucis nomen*, quando nimirum Deus vocatur lux. Diu.nom.c.4.§.5.

X.

Χαλκοῦ εἶδος, *Æris species*. Quid in Angelis mysticè designet, vide Cæl. Hier.c.15.§.7.

Χαμαίζηλον, *Humipetum*, id est *abiectum, terrenum*, quod humi serpit, & humum ac terrena petit, iisque afficitur. Diu.nom. cap.4.§.12. Cæl.Hier.c.2.§.2. & alibi.

Χαρὰ, *Gaudium*. Quid mysticè, vide Cælest. Hier.c.15.§.8.

Χαρακτηρίζω, *Insignio*. Myst.Theol.c.1.§.2.

Χάσμα, *Hiatus, vorago*. Epist.VIII.§.6.

Χειραγωγία, *Manuductio*. Cæl. Hier. cap. 1. §.2.3. Diu.nom. c.2.§.2.

Χεῖρες, *Manus*. Quid mysticè significent, vide Cæl. Hier.c.15.§.3.

Χλοερὸν χρῶμα, *Viridis color*. Quid mysticè, vide Cæl.Hier.c.15.§.7.

Χρῆμα, *Res, substantia*. Diu.nom.c.2.§.2. Vide ibidem Annotationes, vbi explicatur quid hoc nomen in Diuinis significet.

Χρηστότης, *Benignitas, clementia*. Ep.VIII. in tit.

Χριστοειδὴς, *Christiformis*, id est Christo conformis. Eccl.Hier.c.7.P.1.§.2.

Χρόνος, *Tempus*. Quid, & quomodo de Deo dicatur, vide Diu.nom.c.10.§.2.& 3.

Χρυσοειδὴς, *Auriformis*, id est auri speciem præ se ferens. Cæl.Hier.c.2.§.3. & c.15.§.7.

Χωνευτήριον, *Conflatorium*, in quo nimirum aurum perpurgari solet. Ep.IX.§.1.

Ψ.

Ψαλμῶν ἱερολογία, *Psalmorum sacra modulatio*. Eccles.Hier. c.3. P.3. §.4. Dicitur esse συνουσιωμένη, *instar essentiæ*, omnibus ferè Pontificiis mysteriis, hoc est, vt ego interpretor, ita propriam sacrarum esse functionum, quæ publicâ in luce fiunt, & à liturgis obeuntur, vt absque illâ vel planè nulla vel vix vlla exerceatur. vbi etiam ἱερωτάτας ᾠδὰς, *sacrosanctas odas*, cantum Ecclesiæ appellat.

Ψευδωνύμως, *Mentito nomine*. Ep.VIII.§.2.

Ψυχαγωγία, *Animæ directio* seu *spiritalis institutio*. Eccl.Hier. c.2.P.3.§.2. Significat etiam animæ oblectationem, solatium, ac recreationem: item animæ euocationem: item necromantiam seu vaticinandi genus, quo magicis incantationibus animæ ab inferis euocantur. Sed hæc profana apud profanos vide Lexicographos.

Ψυχικὸν, *Animale*. Diu.nom.c.4.§.14.

Ω.

Ὠλέναι, *Vlnæ*. Quid mysticè significent, vide Cæl.Hier. c.15.§.3. Græcus Interpres exponit χεῖρες, πήχεις, βραχίονες, id est *manus, cubiti, brachia*, sed minùs propriè.

Ὦμοι, *Humeri*. Quid mysticè designent, vide Cæl.Hier. c.15.§.3.

Ὢν, *Qui est*, scilicet à se, absolutè, imparticipatè, semper actu, &c. Nomen hoc Deus ipse sibi imposuit, dum Moyses ipsum de nomine interrogaret Exod. 3, 14. De quo vide Diu. nom. cap.5. & ibidem Annotationes nostras, & Scholia S.Maximi.

Ὡσαύτως, *Similiter, eodem modo*. Diu.nom.c.4. §.7.

Ὦτα, *Aures*. Quid mysticè designent, vide Cæl.Hierarch.c.15.§.3.



IN.

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRAE
QVÆ
IN OPERIBVS S. DIONYSII
CITANTVR VEL EXPLICANTVR.

E VETERI TESTAMENTO.

EX LIBRO GENESIS.

EX LIBRO EXODI.

EX

EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

EX LIBRO TOBIÆ.

EX LIBRO IOB.

EX LIBRO PSALMORVM.

EX LIBRO PROVERBIORVM.

EX LIBRO CANTICI CANTICOR.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

EX ISAIA PROPHETA.

EX IEREMIA PROPHETA.

EX BARVCH PROPHETA.

EX EZECHIELE PROPHETA.

EX DANIELE PROPHETA.

EX PROPHETIA OSEE.

EX PROPHETIA IOELIS.

EX PROPHETIA AMOS.

EX PROPHETIA ABDIÆ.

EX PROPHETIA HABACVC.

EX PROPHETIA ZACHARIÆ.

EX PROPHETIA MALACHIÆ.

EX LIBRO I. MACHABÆORVM.

EX LIBRO II. MACHABÆORVM.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX EVANGELIO S. MATTHÆI.

EX EVANGELIO S. MARCI.

EX EVANGELIO S. LVCÆ.

EX EVANGELIO S. IOANNIS.

EX ACTIS APOSTOLORVM.

EX EPIST. D. PAVLI AD ROMAN.

EX EPIST. I. AD CORINTH.

EX EPIST. II. AD CORINTH.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

EX EPIST. AD EPHESIOS.

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

EX EPIST. AD COLOSSENS.

EX EPIST. I. AD THESSALONICENS.

EX EPIST. II. AD THESSALONICEN.

EX EPIST. I. AD TIMOTH.

EX EPIST. II. AD TIMOTH.

EX EPIST. AD TITVM.

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

EX EPIST. S. IACOBI.

EX EPIST. I. S. PETRI.

EX EPIST. II. S. PETRI.

EX EPISTOLA I. S. IOANNIS.

EX EPISTOLA S. IVDÆ.

EX APOCALYPSI S. IOANNIS.

INDEX RERVM IN BINOS OPERVM S. DIONYSII TOMOS.

quæ

Cor-

D.

eius

E.

Eccle-

G.

H.

I.

K.

L.

Morbi

N.

O.

P.

Procer-

Saul

T.

V.

SERIES CHARTARVM.

TOMI PRIMI:

* ** *** **** ***** ******

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sfff Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz.

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg Hhhhh Iiiii Kkkkk Lllll Mmmmm Nnnnn Ooooo Ppppp Qqqqq Rrrrr Sffff Ttttt Vuuuu;

Omnes sunt Duerniones, præter *** *Ternionem.*

TOMI SECVNDI:

* ** ***

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Sff* Sff** Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa

Omnes sunt Duerniones, præter Aaaa *Ternionem.*

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXIV.


LABORE ET CONSTANTIA
C.I.



D. AREOPAGITÆ

OPERA

II.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm